ANTONII
DE ESCOBAR
ET MENDOZA
VALLISOLETANI,
Societatis IESV Theologi,

AD EVANGELIA SANCTORVM
COMMENTARII PANEGYRICIS
moralibus illustrati.

VOLVMEN QVARTVM.
LIGNVM VITALE APOSTOLI.

PRODIT NVNC PRIMVM.



A

LVGDVNI,

Sumptibus Hæred. Petri Proſt, Philippi Borde, & Laurentij Arnaud.

M. DC. XLVIII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.



AMPLISSIMO DECANO, Illustrissimóque Capitulo COMPOSTELLANÆ ECCLESIÆ,

TOTO ORBE TERRARVM celeberrimo.

CLEMENS Alexandrinus, (AMPLISSIMVM CAPITVLVM,) libros animæ nostræ filios esse asserit: *Pulchrum*, ait, *& honestum esse existimo, ijs etiam, qui postea futuri sunt, bonos filios relinquere. Ac filij quidem corporum, animæ autem sunt fœtus, id est orationes, sermones.* An non Minerua, id est, sapientia ex capite seu intellectu Iouis exorta? An non in sacris Sapientia, instar filij concipi dicitur, & parturiri? *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Ante omnes colles ego parturiebar.* Prouerb. 8. Epiphanius, hæres. 69. illud eiusdem capitis, *Dominus possedit me*, vertit, *Dominus, instar pulli, exclusit me.* Denique admirabile Dei Verbum, infinitáque Sapientia Patris, Patris Filius & est, & dicitur. Eundem in modum (si parua licet magnis componere) hominis sermones, & libri, in quibus

Clem. init. lib. strom.

elucet ſapientia, hominum filij nuncupantur. Circa filiorum huiuſmodi natalitium fatur Archidamus, *Filium intellectus, id eſt, perpolitum volumen non tam agnata pulchritudo exornat, quam ſub propitio ſydere fuiſſe exortum.* Profiteor meum de Iacobo, & Apoſtolis Volumen deformitate laborare; nec enim cæcitate illa afficior, de qua Ambroſius ad Sabinum, *Vnumquemque fallunt ſua ſcripta, & aurem prætereunt. Atque vt filij etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſermones ſui palpant.* Prouerbij loco circumfertur, *Suum cuique pulchrum, etiamſi non ſit pulchrum.* At qui de filij deformitate conſcius obiicior, cupio ex ſydere propitio ſuppleri defectus. Haud poteſt non ſydere chariſſimo, ac benigniſſimo eniti Volumen, quod ſub veſtra, ô Compoſtellanum Capitulum Illuſtriſſimum, lucem videt ſtella. Veſter ſtellæ Campus cælum apparet, è quo meo Libro *exorietur ſtella Iacobi.* Ex Iacobi ſepulchro ſacerrimo velut è ſignaculo fulgoris veſtri auguſtiſſimi lumen emittitur. An non ſydereum in Compoſtellana Eccleſia cunctas Hiſpaniæ Metropolis vincere magnitudine? Præter Galetiæ Præſulatus, veſtræ ditioni parent Zamorenſis, Salmanticenſis, Mirobrigenſis, Aſturicenſis, Abulenſis, Cauritenſis, Placenſis, Pax Iulienſis, Ouetenſis, ac Legionenſis. Pluſquam ſeptuaginta priuilegiis à Summis Pontificibus velut fulgentiſſimis radiis ornatam celebramus Stellam: certatim Hiſpaniæ, Galliæ, Aragoniæ, Luſitaniæ Reges priuilegia ſcripsêre, quæ immunitati fulgoris tui conſecrarunt. Dux Parmenſis, aliíque Principes monumentorum obſequio te in priuilegiorum immunitate, quaſi in eleuatiſſimo Firmamento collocarunt. Præcipuè tamen Reges Hiſpaniæ, & Galliæ hoc ex capite præſtantiora tibi gratitudinis dogmata præſtitére. Tantus Compoſtellanæ Eccleſiæ decor ex deuotione communi in Apoſtolum, vt Romana quodammodo vereretur, ne Orbis Metropolis exſurgere præſumeret, & in morem Gręcorum ſchiſmatis anſa exhiberetur. Sub lite adhuc ô ſtella, an Lucifer ſis appellanda, id eſt, num Hiſpaniarum Primatu condecoreris. In Congregationibus Regiis Stella Apoſtolica ſyderi non cedit Hiſpalenſi: ideo fortis euentu edíſcitur, cuinam dexter locus ſit adſcribendus. Cum in Regia Baſilica Archiepiſcopus Compoſtellanus adeſt, Toletano, ac Hiſpalenſi Præſuli præficitur quaſi Capellanus maior, Patriarcha tunc à ſuo munere recedente. Qualis ſtellæ veſtræ fulgor, cui tam ſingulare magna duo Hiſpaniæ luminaria præſtant obſequium? Quid de Compoſtellanæ ſtellæ nobilitate attexam? An non Cardinales verè purpura digni ex ſtemmatum

Ambroſius lib. 9. epiſt. 63.

matum antiquitate? An non Canonici dignitate sacra nobilissima sæculi munimenta decorarunt? At si sapientia sydereum fulgorem emittit, Compostellana stella Solis vincit claritatem ex nimio tot doctissimorum decore virorum, qui ex Cathedra, & suggestu miram intellectui, ac moribus doctrinam tradidêre. Quid denique de vestræ stellæ fœcunditate memorem? Quot sydera fulgentissima Cardinalium, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Episcoporum peperit, quorum Europa exultat, quorum America videt claritate. Ergo ô Volumen, ô fili mentis meæ, quale, quale es, poteris apparere, vrbes, orbem percurre, in manus hominum venies, non in vngues, sub tam augusti syderis protectione. Fatur naturalis Historiæ Scriptor, *Thebis Obeliscus fuit, quem viginti hominum millia fecisse dicuntur. Cùm vero subrecturus Obeliscum Rex ipse esset, verereturq, ne machina non sufficerent ponderi, quo maius periculum cura artificum denunciaret, filium suum alligauit cacumini, vt salus eius apud molientes prodesset lapidi. Hac admiratione operis effectum est, vt cum Oppidum id Cambyses Rex expugnaret, ventumq, esset incendio ad crepidines Obelisci, extingui ignem iuberet molis reuerentia, qui nullam Urbis habuerat.* Plin. li. 36. cap. 9. Alligauit Rex ille filium Obelisco, vt Obeliscum celsissimum tueretur. Ast ego mentis hunc fœtum præstantiori alligo Pyramidi, sepulchro scilicet Iacobi, quod stella fulgentissima decoratur: non vt Pyramidem defendat, sed vt âb ea defendatur; vtque sub tantæ sublimitate, ac reuerentia molis, ab omnibus incommodis protegatur. Accipe igitur (Capitulum Illustrissimum) hoc qualecunque est, nostræ voluntatis officium, exiguum per se licet, sed ex magno tamen amore, tuisque obseruandi voluntate profectum: ex qua magni Principes potissimum assolent oblata sibi munera, non ex rerum ipsarum magnitudine æstimare. Vale, & viue Hispaniæ votis.

Obsequentissimus Dominationi tuæ,

ANTONIVS DE ESCOBAR
& MENDOZA.

Ad

Ad Lectorem.

APostolici vitalis Ligni Fructus duodecim, anni benignitatis Domini coronam illustrant,

SCILICET,

Petrus, Paulus, Pauli Conuersio, Barnabas.
Pauli.
Matthias.
Marcus.
Philippus, & Iacobus.
Iacobus Maior.
Bartholomæus.
Matthæus.
Lucas.
Simon, & Iudas.
Andreas.
Thomas.
Ioannes, Ante portámque Latinam Martyrium.

Horum germinum si dulcedinem experiamini, vestra præcordia perfectionem Euangelicam eructabunt.

Permiſſio R.P. Prouincialis Societatis IESV.

EGo Franciſcus Antonius in Prouincia Caſtellæ Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Vincentio Caraffa Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Operis inſcripti, *In Euangelia Sanctorum Commentarij, illuſtrationes, moraleſq. Obſeruationes circa literam, Tomus ſextus:* Authore P. Antonio de Eſcobar Valliſoletano noſtræ Societatis Theologo, eiuſdem Societatis grauium, Doctorúmque hominum iudicio approbati, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Valliſoletani in noſtro D. Ambroſij Collegio die 17. Auguſti 1647.

FRANCISCVS ANTONIVS.

APPROBATIONES.

NOs infra ſignati Doctores in Theologia Facultatis Pariſienſis peruoluimus Paraphraſes, Obſeruationes & Panegyricos morales *in Euangelia Sanctorum,* R.P. Antonij de Eſcobar & Mendoza è Societate IESV, nihilque reperimus orthodoxæ fidei, nec bonis moribus contrarium; imò omnia planè & maximè Concionatoribus vtilia. In quorum fidem noſtrum chyrographum appoſuimus huic ſexto Volumini hac vigeſima die Februarij anni Domini 1647.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

FR. PAVLVS LOMBARD Carmelita.

VISA per nos RR. Patrum in Facultate Pariſienſi S. Theologiæ Doctorum authentica Approbatione & Atteſtatione, qua aſſerunt Paraphraſes, Obſeruationes & Panegyricos morales *in Euangelia Sanctorum,* hoc ſexto Volumine contentos, R.P. Antonij de Eſcobar & Mendoza è Societate IESV, eſſe orthodoxæ fidei; & bonis moribus ex toto conformes, prælo demandandos quoque meritò cenſemus. Lugduni 20. Februarij 1647.

DE VILLE Prouinc. Gen.

Facultas

Facultas R.P. Præpositi Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

CLAVDIVS MAVCLER Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. Henrico IV. & Ludouico XIII. concessum, quo omnibus interdicitur editione ac diuenditione librorum ab hominibus eiusdem Societatis conscriptorum, nisi Superioris consensus accedat; annuo vt Hæred. Petri Prost, Philip. Borde, & Laurentius Arnaud excudant ac diuendant lucubrationes *Antonij de Escobar & Mendoza, Societatis IESV, ad Euangelia Sanctorum.* Scripsi Lugduni 10. Februarij 1647.

CLAVDIVS MAVCLER.

COPIA

COPIA
PANEGYRICORVM
MORALIVM.

Apostolici vitalis Ligni duodecim fructus.

Fructus primus. FRVCTVS PRIMVS.

Petrus & Paulus.

1. PANEGYRICVS I.

Ex vulgari de Christo opinione.

Lib.1.sect.1.n.16.pag 6.

OBSERVATIO I. PETRVS & Paulus non vulgum, sed ipsum Deum commendatorem habuere. *Ostendo Praelatos debere cognoscere quidnam de ipsis vulgus sentiat, aut loquatur; Discipulos eis cuncta manifestare.* n.16.p.6.

II. Suntne Petrus & Paulus Ioanne Baptista inferiores? *Interea assero praestandam Praelatis obedientiam, non quia doctior aut sanctior subdito est, sed quia a Deo praeficitur.* n.21.p.7.

III. Petrus & Paulus zelo Eliae succensi non in hominum ruinam; sed in conuersionem. *Vbi aduerto, agilitatem, efficaciam, & acrimoniam circa negotia gerenda in Euangelij ministris commendabilia.* n 27.p.8.

IV. Ieremiae protectoris in morem, Petrus & Paulus clauis, gladijque gestatores, aduersus inferorum portas insurgunt pugnaturi. *Vbi adnoto poenitentiae claues arma aduersus inferorum portas suggerere.* n.32.p.9.

S I
PANEGYRICV I.

2. Ex opinione de Christo Apostolica.

Lib.1.sect 2.n.16 p.11.

OBSERVATIO I. PEtrus & Paulus euecti quodammodo ad Diuinitatis fastigium ostenantur. *Vbi de Sacerdotum deitate.* n.16.p.11.

II. Petrus & Paulus in valle lacrymarum fuere quodammodo donati beatitudine. *Vbi inuenio iustum simul in exilio & in patria degere.* n.22 p.12.

III. Petrus & Paulus duo pares ad Ecclesiae culturam iuuenci. *Vbi ostendo Euangelij ministros ad laborem communem recordatione excitari.* n.28 p.13.

IV. Petrus & Paulus duo magna luminaria caeli, seu duo aequalia Ecclesiae lumina. *Vbi de Euangelij ministrorum concordia.* n.34 p.14.

V. Ex magnalium similitudine Petri & Pauli confirmatur identitas. *Vbi eleemosynam vitalem, Sanctorúmque labores beatos esse inuenitur.* n.39.p 14.

VI. Adhuc Petri & Pauli similitudinem, siue identitatem illustro. *Interim assero in Praelatis subditos contineri: Fugam è libidine esse victoriam: Iustorúmque proprium esse curare, vt Deo gloria exhibeatur.* n.49. p 15.

VII. Petrus capite deorsum verso, Cruci suffigitur: Paulus caput curuans ad vulnus, diuinitate conspicui quodammodo ostentantur. *Humilitas enim suos vsque ad thronum Deitatis euexit alumnos.* n.59 p 17.

VIII. Petrus Iudaeorum veterem agrum desertum renouat, Paulus Christi noualia apud Gentiles instruit. *Vbi assero, non minoris industria Christianos inueteratorum morum renouare, quam nouos efficere.* n.64. p 17.

IX. Petri & Pauli ager, & domus, totus est mundus. *Vbi admoneo, Euangelij ministris habitaculum vbi preparari, vbi animarum lucrum.* n.68. p.18.

X. Petrus & Paulus renouandi spiritus Magistri. *Vbi assero agnatam spiritus renouationem Religiosis. Obedientiae commendo fulgorem. Paupertatis pondero abundantiam, & Sacerdotali ac Euangelico ministerio necessariam castitatem ostendo.* n.75. p.19.

PANEGYRICVS III. 3.

Ex Clauibus Regni.

Lib.1.sect.3.n.10.p.24.

OBSERVATIO I. PEtri ac Pauli Claues potentiae, sapientiae, virtutum. *Vbi inuenio, virtutibus caelorum portas reserari, claui clariosque aliquando peccatores, electos in solatium & commodum delinquentium.* num.10. pag.24

II. Clauicularij Petrus & Paulus, dum Crucem Martyrij subeunt, pro castitatis defensione. *Vbi luxuriis, quae Petri, Pauli, imò Christi necis extitit occasio immanitatem texo.* n 18. p.25.

III. Id, quod Petrus & Paulus Christo tribuunt, esse procul dubio apparent, ex Domini munificentia vbertim reddente, quod accepit. *Vbi caelum ac Deo munificentissimo tributori res habere edoceris, si potius aeternis curas.* n.23.p 26.

IV. Vt Petrus & Paulus, ligent, & soluant? *Ostendo Iudices, Præsules se patres delinquentibus exhibere, subditorum vulnera alligare, exhibita benignitate debere.* n.27. p.26.

V. Petri, & Pauli in soluendo, imò in ligando peccatores pietas ineffabilis confirmatur, dum pietatis non riuos, sed fontes ostendunt. *Eam commendo eleemosynam, quæ continuò, inopum ablegat egestatem.* num. 36. pagin. 28.

VI. Petrus & Paulus oleum illuminans. Vbi vmbræ Apostoli salutaris elogia recenseo. *Ostendens interea cum Euangelij ministrum oleo esse, qui vtilitati proximi fulgorem impendit.* n 42. p.29.

VII. Petrus & Paulus oleum pascens Ecclesiam. *Vbi assero, oues a Præsule verbo, exemplo, oratione esse pascendas, reficiendósque fideles iuxta ætatis exigentiam* n.47. p.30.

VIII. Petrus & Paulus oleum inungens vulnera peccatorum. *Vbi de necessaria Præsuli benignitate dissero.* n.53. p.31.

PARS SECVNDA.

Petrus speciatim.

4. ## PANEGYRICVS IV.

Ex Petri Confessione.

Lib.1. sect.4. n.1. p.32.

Observatio I. DVm Petrus Christum Filium Dei profitetur, se Deum quodammodo ostentat. *Vbi innuo humana loquentes homines esse; cælestia terentes eloquia diuinitate quodammodo esse conspicuos.* num. 1. pag.32.

II. Solus Petrus pro singulari confessione, beatificatione ex ore Dominico donatur. *Vbi assero, obsequiis specialibus etiam in præsenti præmia respondere.* n 7. p.33.

III. Petrus filius Columbæ, seu Spiritûs sancti, dulciter fouens, fortiter pullos defendens. *Vbi Præsulis probi officia confirmantur.* n.11. p.34.

IV. Petrus filius Spiritûs sancti ex vmbrâ ægrotis salutari *Edocemur interea, haud Dei filios, qui charitate in proximos non succenduntur.* n 16 p 14.

V. Petrus filius Columbæ, siue Spiritûs sancti, ex impauidâ fortitudine haud mortis timore superatâ. *Aduoco Iesum eg eg i operibus honorificari debere ab eo, qui fidei aut religionis gloriam prauis actionibus deturpauit.* num. 25. pag.36.

5. ## PANEGYRICVS V.

Ex Apostoli Cathedra.

Lib 1. sect.5. n.1. p.37.

Observatio I. PEtrus verè Petræ continet firmitatem, ne vacuam acciperet appellationem. *Curandum etenim, mores nostros nomini, seu opinioni respondere.* num.1. pag 37.

II. Petrus est quodammodo Christus. *Interim innuo confirmari fidelem in bono, præstantissimæ benedictionis locum obtinere.* numero 8. pagin.18.

III. Quàm celsa, quàm absoluta Petri iudiciaria potestas! *Vbi ac Sacerdotalis dignitatis præcellentia.* n.14. p.29.

IV. Christus Petrum in Petram solidissimam conuertit. *Quam lapideum (ostendo interea) debeat esse Prælatus, quam scilicet constans, super quem Ecclesia exædificata innititur.* num. 19. pag.40.

V. Quàm meritò Petrus supremam Ecclesiæ Cathedram occupat. *Vbi Prælati probi conditiones recensentur.* n.25. p.40.

VI. Petrus Regni cælorum Clauicularius est. *Vnde ediscimus Sacerdotem, qui spirituali potestati præficitur, debere speciali in Deum dilectione decorari.* n.34. p.42.

VII. Benignissimus Clauicularius Petrus circa Purgatorij carceris vinctos. *Vbi Sacerdotis affectus ad animas Purgatorij leuandas accenditur.* n.38. p.42.

PANEGYRICVS VI. 6.

Ex ipsius erroribus inauratis.

Lib.1. sect 6. n.1. p.43.

Observatio I. PEtrus auocare Christum intendit à Cruce, feruens quidem amator. *Vbi ostendo lapsus ex amoris affectu magis veniabiles.* n.1. p.43.

II. Petrus ad Crucem rapitur non volens, vt obedientiæ, humilitatis, mortificationisque documentum exhibeat. *Innuo, nec ad Martyrium nos debere accurrere, nisi iuxta diuinæ voluntatis præscriptionem.* n.6. p.44.

III. Dum se Petrus haud Christum negaturum promittit, ipsum honorauit. *Vbi dilectio nos mutans in Christum commendatur; præsumptio carpitur Magistrorum.* numero 14. pagina 45.

IV. Dum apud Thabor Petrus extruere tabernacula intendit, deuotionis, & obsequij exhibet documenta. *Vbi innuo, hominem mundialia despicere omninò, si in conspectu cælestium constitutus est.* n.20. p 46.

V. Petrus à longè secutus Christum, se cælum seu firmamentum esse profitetur *Vbi innuo, maioris virtutis documentum esse, timentem non vinci, tentatum non recedere, persecutionibus actum non frangi.* n.26. p.47.

VI. Maximo Petrus beneficio Principis Sacerdotum ministri amputauit auriculam. *Innuo interea, aptum ad diuinum obsequium ingenium feruore flagrans.* n 31. p 48.

VII. Dubitans Petrus inter fluctus obiicitur, ne Deus ab hominibus habeatur. *Vbi fidei vim maximam commendo.* n.39. p.49

VIII. Petrus dum se in mare iactat, periculis peruenit ad Christum. *Vbi ostendo in Euangelij ministris præstantissimum, non per securitatem, sed pericula tendere ad Saluatorem.* n 45. pag.50.

IX. An Petrus ex modo negationis commendabilis appareat? *Vbi ostendo, vix posse vitari delictum, ex prauo um o vo at : ustis, ne animo esse proximorum inaurare delicta.* num 50. pag.51.

X. Quam

X. Quàm abundè Petrus, ſeu negationis, ſeu ſimulationis, aut ſermonis inuoluti delictum lacrymis abluit! *Vbi adnoto pœnitentiæ lacrymas in ſilentio efficaciſſimas.* n.64. p.52.

XI. Plura è Petri caſu & pœnitudine Ecclesiæ obuenire emolumenta. *Adnoto è perfectionis vertice viros periculoſius ruere. Præſulémque memorem ſui caſus omnibus miſereri.*

PARS TERTIA.

Paulus particulatim.

7. ## PANEGYRICVS VII.

Ex Oue, Serpente, & Columba.

Lib.1.ſect.7.n.8.p.57.

OBSERVATIO I. PAuli infantia ſpiritualis diuinâ eſt excitata potentiâ, ob mirabilem viri mutationem. *Adnoto hominem repentè ex peruerſo fieri ſanctum, opus eſſe diuinæ omnipotentiæ.* n 8. p.57.

II. Vnius Pauli reductio totius Orbis quodammodo conuerſio eſt. *Oſtendo vnum Euangelij miniſtrum infatigabiliter laborantem, totius quodammodo Orbis reductioni ſufficere.* num.14. p.58.

III. Paulus Ouis ſapientiſſima, Eccleſiæ nutrix. Vbi lac pro ſanguine profluens è vulnere commendatur. *Oſtendo interim, magnâ indigere patientiâ, qui pueros accipit edocendos, in noſtra elogium Societatis.* numero 23. pag.59.

IV. Paulus etiam cùm lupus erat, quodammodo commendabilis. *Vbi diligentia etiam in gerendis ſæcularibus negotiis aliquo ex capite laudabilis obijcitur.* n.28. p.60.

V. Paulus ſimul ſerpens & columba, ſiue totius collegium ſanctitatis. *Oſtendo, Deum Euangelij miniſtros cunctis virtutibus decoratos requirere* n.31. p.65.

VI. Pietas Paulum columbam effecit. *Moneo Concionatorem, pietate in proximos efferueſcere debere: vtraque pietatis recenſeo conditiones.* n.39. p.62.

VII. Columbæ in morem Paulus humilitate enituit. *Vbi innuo humilitatem Concionatoris Euangelici eſſe virtutem: veraque humilitatis exprimo conditiones.* numero 46. pagina 63.

VIII. Columba Paulus ex vero in Deum amore commendabilis. *Innuo charitatem, Euangelici miniſtri virtutem: verique amoris exprimo proprietates.* n.54. p.64.

8. ## PANEGYRICVS VIII.

Ex Apoſtolica prædicatione & perſecutione.

Lib.1.ſect.8.n.18.p.68.

OBSERVATIO I. PAulus dux fortiſſimus ab omnibus humani generis hoſtibus tentatus, non victus. *Vbi Euangelici miniſtri conſtantiam & mortificationem neceſſariam oſtendo.* n.18. p.68.

II. Homines (malum horribilius) fortiſſimum haud victum inſurgunt in Paulum. *Innuo interim, acrius certamen cum homine, quàm cum feris iniſtum.* n.25. p.69.

III. Gloria tribulationum Pauli illuſtratur, dum ei quaſi fœlicitas æterna hîc extitere. *Laborum beatitudinem obijcio.* numero 32. pagina 70.

IV. Paulus Chriſti Concionatoris imitator, liber veritatis præco. *Edoceus, quam libere, ab adulatione alieni debeant eſſe Concionatores, & à munere accipiendo.* num.42. pagin.72.

V. Paulus alios lactabat, alios pane, virorum cibo reficiebat. *Debet enim Concionator ſeſe auditorum captui accommodare.* num.47. pag.72.

VI. Quàm auditoribus vtilis Pauli prædicatio! *Edocet, Concionatores ſoli auditorum ſaluti incumbere debere.* numero 51. pagin.73.

VII. Paulus ne Spiritus? *Innuo Euangelici miniſtri lucem, caſtimoniam, patientiam, velocitatem; vnde D. Xauerium commendo.* num.59. pag.74.

VIII. Quid de diuinitate Pauli homines ſenſerint? *Oſtendo humilitate homines quaſi diuinos reddi.* n.67 p 75.

IX. Qua ratione diuinæ filiationis imago reluceat in Paulo? *Vbi aſſero, dilectionem inimicorum nos quaſi Chriſtos Dei filios efficere.* n.71. pag.76.

X. Num vno in Paulo omnia contineantur? *Vbi adnoto quàm ſit omnimoda perfectionis homo capax* n.76.p.77.

XI. Paulus omnibus omnia factus eſt. *Aſſero cunctis cuncta fieri, qui vera dilectionis igne ſuccenditur.* n.83. pag.77.

PARS QVARTA.

Barnabas Pauli.

PANEGYRICVS IX. 9.

Ex Oue, Serpente, & Columbâ Apoſtolo.

Lib.1.ſect.9.n.1.p.79.

OBSERVATIO I. BArnabas electus, imò præelectus Apoſtolus à Chriſto impaſſibili, à Deo Patre. *Vbi oſtendo præcelſum beneficium è melioribus præligi, ad Religionis clauſtra.* n.5.p 79.

II. Chriſtus, qui agnus fuit, ad lupos immiſſus, obiecto exemplo, Barnabam ouem ad lupos immiſit. *Vbi aſſero, eum qui dicit non faciens, Doctorem, & non Doctorem eſſe.* num 6. pag.80.

III. Barnabas ouis ad lupos mittitur, vt eos mutet in oues. *Aſſero, beneficio ſocietatis bona vel diabolum quodammodo conuerti.* numero 11. pag.81.

IV. Barnabas ouis quidem; ſed quæ in morem Paſtoris & canis, non mutatos in oues lupos vulneret & comminuat. *Vbi peccatorum pœnitudinem differentis dæmone ſecuritatem.* num.15. p.82.

V. Virginitatis margaritam Barnabas extremi iudicij obiectu custodiuit. *Ostenditur, luxuries ignem iudicij mortisque extingui memoriâ.* n.21. p.83.

VI. Prudentissimus Barnabas antiqui serpentis astum superauit. *Vbi adnoto, quam necessaria sit prudentia Concionatori.* num.27. pagin 83.

VII. Barnabas corporis, diuitiarum, omnisque Orbis obiectu, Christum caput tueri curauit. *Edocemur, omnia despicere, ne gratiam amittamus.* n.31. p.84.

VIII. Barnabas, Columbæ Spiritus sancti retulit proprietates. *Vbi Spiritus sancti erga homines munificentiam adnoto Consolatoris officium agentis.* n.35. p.85.

IX. Barnabas, instar Columbæ, in simplicitate occumbens, hostibus salutaris. *Vbi Sanctorum conditionem exprimo dilectione prosequentium eos, à quibus vulnerantur.* n.42. p.86.

X. Serpentis sapientiam, Columbæ sinceritatem virtutes equidem veluti pugnantes, Barnabas complexus est. *Innuo, vna in sede, plerumque non morari aquè intellectum, & voluntatem: scientiam, & amorem.* n.47. p.87.

XI. Commendabilis in Barnaba serpentis prudentia, amor columbæ ex munificentia in pauperes. *Assero commendabile, illustréque Euangelij ministru esse, pauperibus fidelium subsidia procurare.* n.52. p.87.

10. PANEGYRICVS X.

Ex eiusdem prædicatione.

Lib.1. sect.10. n.1. p.89.

OBSERVATIO I. VT datus Barnabas à Domino Iudæis in testimonium. *Vbi innuo Dei iudicium horribile beneficia sequi.* n.1. p.89.

II. Vt Barnabas Gentilibus à Domino in testimonium datus. *Vbi ardentem Christi erga Gentilitatem dilectionem recolo, in Ecclesia ex Gentibus commendationem.* n.7. p.90.

III. Christus ex Barnaba loquutus est *Vbi innuo, Deum à nobis voluntatem exigere, ipsúmque effectus authorem ostentari.* n.12. p.91.

IV. Barnabas, instar Pauli, IESV nominis baiulus, hominibus salutaris illuxit. *Nomen enim hoc dulcissimum gloria salutaris comitatur.* n.17. pag. 91.

PARS QVINTA.

Pauli conuersio.

11. PANEGYRICVS XI

Ex Apostolicæ mutationis excellentia.

Lib.1. sect.11. n.1. p.93.

OBSERVATIO I. HOdie exultat Ecclesia, quia Paulus repentè, seu velociter ad pœnitentiam assurgit. *Vnde peccatores mox cælesti monito respondentes commendantur.* n.1. p.93.

II. Celebris hæc in Ecclesiâ dies, quia Paulus conuersus spei minister desperatis effectus obiicitur. *Quia magno peccatore pœnitente spe erriguntur, qui leuioribus aut similibus criminibus illigantur.* n.5. p.94.

III. Hodierna solemnis dies, quia Paulus totius orbis terrarum parens efficitur. *Vbi ostendo Ecclesiam magnam accrescere vtilitatem, insigni conuerso delinquente.* n.10 p.95.

IV. Ex Pauli conuersione non militans solùm, sed triumphans exultat Ecclesia. *Vbi ostendo, Angelorum lætitiam ex peccatorum pœnitudine.* n.13. p.95.

V. In Saulo peccatore an vlla eluxissent conuersi Pauli indicamenta? *Vbi feruor salutaris aliquo ex capite commendabilis ostenditur. Opúsque omnipotentiæ esse magnum conuerti peccatorem.* n.21. p.96.

PANEGYRICVS XII. 12.

Ex Apostoli Regeneratione.

Lib.1. sect.12. n.1. p.98.

OBSERVATIO I. SÆculares prauósque Sauli impetus, ac conatus Christus curat ad se conuertere, allicere. *Vbi ostendo, quam inutiliter scientia, opes, prudentia, reliquáque bona insumuntur in sæculo, quæ possent saluti hominum inseruire.* n.1. p.98.

II. Saulum fugientem Christus insecutus est, vt ad se reduceret. *Vnde, diuina innotescit misericordia nonnullos insequens, & quasi circumdans peccatores, ne fugitantes pereant.* num. 6. pag.99.

III. Num Sauli flagitium ex ignorantiâ excusabile. *Ostendo difficilè ex ignorantiâ omnino excusari delinquentes.* n.10. p.100.

IV. Saulus superbus, cælesti gratiâ humilis Paulus effectus, Christum humilem sequutus est. *Vbi de vtroque humilitatis termino, demissionis scilicet & exaltationis.* n.15. p.100.

V. Lupus Saulus, effectus ouis, Dominici gregis Pastor. *Vbi innuitur, difficilè non fœdari, qui in occasione persistit delinquendi.* num.19. pag.101.

VI. Se Paulus primum appellat peccatorem. *Vbi malitia expenditur illorum, qui alios ad delinquendum reddunt expeditiores, aut scripta tradunt noxia.* n.22. p.101.

VII. An Paulus nouissimè electus Apostolus, præstantiori reliquis præmio donaretur. *Vbi ostendo, non qui primus venit ad vineam, sed qui plus laborauit, præstantiori munere affici.* n.28. pag.102.

VIII. Paulus Conuersionis die, vt vas nominis IESV oleo plenum obiicitur. *Vbi ostendo, Apostolici viri gressus velocissimos haud fatigatione affectos vocales esse prædicatores.* num.33. pag.103.

FRVCTVS SECVNDVS. Fructus secundus.

Matthias.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Apostoli electione.

Lib.2. sect.1. n.12. p.107.

OBSERVATIO I. APOSTOLI orationis ducatu; Dei voluntatem agnouesunt

sunt

runt circa Matthiæ electionem. *Vbi orationis emicat efficacia, ad diuinæ voluntatis manifestationem.* n.12.p.107.

II. Pro Diabolo Iuda, è collegij Apostolici cælo deturbato, Matthias Angelus ad ipsum assurgit. *Vbi ostendo, nulla nos apud terricolas commorantes securitate frui.* n.17. p.108.

III. Aptè Matthias testis Resurrectionis eligitur, qui nunquam (probabiliter) circa hunc articulum dubitauit. *Vbi innuo, Concionatorem, Præsulem, Domutum immunem esse debere à vitiis quæ damnare.* n.21. p 108.

IV. Reddit Christus patri gratias pro electione Matthiæ, in quo cuncta dona continentur. *De gratiarum actione necessaria beneficiorum pedisequa differo.* n.26. p.109.

V. Matthias gratiam à Deo acceptam, dum eligitur in Apostolum specialem filium, simili redditu compensat. *Gratus enim animus simili obsequio curat beneficium acceptum rependere.* n.31. p.110.

VI. Matthias pro virtutibus ac priuilegiis, próque acceptâ Euangelicâ paupertate gratias Domino reddit. *Vbi innuo paupertatem magnum à Deo beneficium, si excitat gratiarum actionem.* n.37. p.111.

VII. Matthias eligitur in Apostolum, quia inter omnes paruos Discipulos paruulus. *Ex humilibus enim humiliores a Deo ad eleuatiorem gradum assolent assumi.* n.45. p.111.

VIII. Matthias paruulus Domini, ac simul Excelsus. *Quia augustior celsitudo profundiorem paruitatem, seu humilitatem sequitur.* num.46. pag.112.

IX Matthiæ laudes à Luca non recensentur, quia elogium augustum fuit eum iusto laudato præponi. *Moneo haud de sanctitatis gradibus iudicandum ex visibilibus documentis, solo Deo illam agnoscente.* n.52. p.113.

X. Patri æterno electio Matthiæ adscripta est. *Vbi assero electionem ex Deo instituendam debere ex meritis solummodo geri.* n.58. p.114.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Iugo suaui.

Lib.2. sect.2. n.14. p.116.

OBSERVATIO I. MAtthias iustè Orbis princeps à Domino eligitur, quia priùs dominatus in se fuit. *Ineptus etenim ad regimen ille qui sibi nescit imperia præscribere.* n.14. p.116.

II. Dum Christus Matthiam accepit in Apostolum, omnibus à Patre donatur. *Vbi assero solos electos omnium nomine iustè designari; reliqua omnia nihil prorsus.* n.20. p.117.

III. Sortibus in manu Domini collocatis, Matthias eligitur Ecclesiæ salutaris. *Vbi adnoto, in manu Domini omnia collocanda negotia, vt nulla non salubriter eueniant.* n.25. p.118.

IV. Traditâ & Matthiæ omni potestate, Mundo munificentissimus extitit. *Dominicum enim est, acceptam à Deo potestatem in aliorum, etiam hostium vtilitatem impendere.* n.29. p.118.

V. Matthias non interficitur, vt (Christi instar) Trinitatis reuelet mysterium. *Vbi innuitur, vel solam Trinitatis mysterij reuelationem vitam stabilire.* n.32. p.119.

VI. Matthias corde & spiritu humilis Christum corde humilem imitatur. *Adnoto, humiles corde semper in conspectu Domini commorari.* n.36. p.120.

VII. Matthias è cunabulis à ponderoso peccati iugo immunis fuit. *Expendo iniquitatis iugum grauissimum, mundialis inanitatis pondus.* n.42. p.121.

VIII. Matthias sub Eoangelio iugo quiescebat à Spiritu sancto subleuatus. *Innuo interea, hic beari quodammodo, qui Euangelici iugi sustinent onera, Spiritu subleuante.* n.47. p.121,

IX. Matthias multos Euangelicum traxit ad iugum, quia eidem collum submisit. *Subditis etenim legis onus leuissimum, si Præsulis etiam humeris collocatur.* n.52. p.155.

FRVCTVS TERTIVS. Fructus tertius.

Marcus.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Discipulorum designatione.

Lib.3. sect.1. n.12. p.127.

OBSERVATIO I. MARCVS à Domino electus prædicator fuit in magnam Ecclesiæ vtilitatem. *Quia Euangelij minister vtilis cùm immittitur; noxius cùm muneri se ingerit ipse.* n.15. p.127.

II. Marcus plures victorias reportauit, quia palmæ instar fonti Apostolicæ doctrinæ hæsit. *Assero imbellem Concionatorem, qui fabellis, aut poetarum nanis frequenter vtitur, licet ad sensum spiritualem trahat.* n.17. p.158.

III. Marcus Petri socius charissimus, vnde eius efficax prædicatio commendatur. *Concordia enim Prædicatorum auditoribus obiecta dat verbis efficaciam.* n.22. p.159.

IV. Vnus Marcus omnes simul Euangelistæ. *Vbi Scriptura sacra vnum Deum, vnum Christum insonans commendatur.* n.26. p.159.

V. Marcus ad Euangelij prædicationem immissus Christum socium actionum suarum testem sortitus est. *Vbi aduoto, probis viris, ac fœminis testes operum adijciendos; contra Regulares sine socio cursitantes.* n.31. p.130.

VI. Si non esset Petrus, si deficeret, si obiret diem suum, sufficerétne Marcus ad iniuncti muneris perfectionem. *Assero, nullum eam necessarium ministrum, cuius defectus non possit suppleri à Deo.* n 36. p.131.

VII. Petrus & Marcus sub vno iugo terram proscindentes, non duo, sed vnus operator. *Vbi veram illam expono charitatem, quæ è duobus vnum scit constituere.* n.41. p.132.

VIII. Marci Euangelij scriptione elogis. *Vnde colligo, vtilium scriptorum authores commendabiles.* n.48. p.133.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Euangelicis operariis.

Lib.3. sect.2. n.8. p.134.

OBSERVATIO I. VNus Marcus operator multæ sufficit messi: toti Ægypto præficitur. *Non enim operariorum multipli-*

gatio sæpe, sed laboris intensio segetum exponis abundantiam. n.8. p.134.

II. Marcus operarius magis ad messem mittitur, quàm ad sementem gerendam. *Quia qui concionaturi ad oppida mittuntur, plerumque, Deo fauente, omnia reperiunt facilia, nulla non eis impedimenta cedunt.* n.13. p.135.

III. Pluribus Deus muneribus donauit Ægyptios, vnum immittens Marcum operatorem. *Fateor præstans Dei beneficium, Præsule nos operario donare.* n.18. p.136.

IV. Marcus operibus magis, quàm verbis, pro semine vsus. *Vt edoceat Euangelij ministros, profusis virtutibus prædicare.* n.22. p.136.

3. PANEGYRICVS III.

Ex Euangelici operarij descriptione.

Lib.3. sect.3. n.17 p.140.

OBSERVATIO I. Marcus ad prædicandum immissus, inter ipsa mundialium illecebrarum venena securus. *Vbi pondero, quàm securus degit inter peccatores, qui Missionum incumbit ministerio* n.17. p.140.

II. Marcus inter lupos agnus à Domino immissus. *Vbi assero, idem periculum pastori agnóque imminere: Missis oblatam esse a Domino securitatem: Societatis bona vt improbos fieri iustos: Ex gradúque submissiori posse esse cum Magistris addici.* n.22. p.140.

III. Nunquam sistens Marcus ad verbi sacri euulgationem. *Edocentur Concionatores à descriptionibus inutilibus abstinere.* num.37. pagin 142.

IV. Verbo Marcus, veluti gladio vulnerans, eodem se velut scuto protegebat. *Contra Concionatores mordaces:* n.41 p.143.

V. Marcus pacem euulgans Euangelij, alter veluti Christus *Concionator ex in pacifico, vbique beneficus Dominum æmulatur.* num.44. pagin. 143.

VI. Marcus munificentissimus redditor eorum quæ ab hospitibus recipiebat. *Vbi emolumenta recenseo, eis obuenientia, qui Concionatoribus aut Confessarijs subsidia necessaria impendunt.* n.48. p 144.

Fructus quartus. FRVCTVS QVARTVS.

Philippus, & Iacobus.

1. PANEGYRICVS I.

Ex cælestibus mansionibus.

Lib.4 sect.1. n.17. p.149.

OBSERVATIO I. [illegible]N non si alia domus Dei non subessent fundamina, Philippus, & Iacobus sufficerent? *Eao, emur, nullum Ecclesiæ ministrum: ca. ssarium adeò, vt alio non ibi possit adificium.* n.17. p.149.

II. Philippus & Iacobus ædificare potuerunt, vbi solum veræ mansiones reperiuntur. *Quia nihil perenne in sæculo manens.* num.20. pag.150.

III. Philippus & Iacobus non dubiis Dominis, sed in domo, vbi mansiones multæ, vni Domino obsequium egregiis operibus præstitere. *Vbi adnoto, illi soli Domino eruiendum, qui seruis potest exhibere mansiones operibus iustis comparandas.* n.25. p 151.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex via & termino Iesu.

Lib.4. sect.2. n.26. p.155.

OBSERVATIO I. Philippus & Iacobus per Iesum viam ad Patrem incedentes, priùs deorsùm demittuntur, quàm sursùm euehantur. *Quia qui ascensum moliri parat, de demissione prius curare debet.* n.26. p.155.

II. Philippus & Iacobus, Christo comite, per Crucis viam incedentes termino potiuntur. *Quia sine laborum regia via haud cœlum intri potest.* n.31. p.156.

III. Philippus & Iacobus sanctissimi ex Iesu consuetudine. *Vbi inuuo, Sacerdotes plus Christi familiares, sese amplius sollicitos ad diuina exequenda mandata exhibere.* n 36. p.156.

IV. Philippus & Iacobus ex propinquitate cum Iesu obnectuntur. *Vbi adnoto nos cogi ardenter Deum diligere, ex qua captie Christi fratres exurgimus.* n.41. p.157.

V. Philippus & Iacobus, Iesu instar, operibus pro verbis vtebantur. *Vbi edocemur opere pro verbis vtendum iis, qui homines conuertere conantur.* n.46. p.158.

VI. Paternus affectus erga proximos Philippi & Iacobi expenditur. *Vbi Christi paternam erga peccatores recolo dilectionem.* n.51. p.159.

PANEGYRICVS III. 3.

Ex maioribus credentium operibus.

Lib 4. sect.3. n.13. p.161.

OBSERVATIO I. Non simul Christus totum Orbem conuertit, vt Philippus & Iacobus illum reducentes coroni illustri donarentur. *Vel vnius equidem b munitionse conuersioni vacare, magni apud Deum habetur.* n.13. p.161.

II. Philippus, & Iacobus morum sanctitudine credentium animos ad virtutem alliciunt. *Vbi probo plus esse, Christum in nostra fra ilitate vincere, quam per se hostes debellare.* num.17. p 162.

III. Philippus & Iacobus inuocatione nominis Iesu miraculorum excitatores. *Vbi ac nominis Iesu potentia* n.19. p.163.

PARS SECVNDA.

Philippus singulariter.

PANEGYRICVS IV. 4.

De Philippo singulariter.

Lib 4. sect.4 n.1. p.164.

OBSERVATIO I. Multæ mansiones in cælo exædificantur, vt innumeros

meros Philippi Discipulos possint excipere. *Vbi adnoto Euangelij ministrum haud solùm calesti recipi in aula, sed alios comitatum alumnis.* n.1. p.164.

II. Philippi charitas Nathanaëlem fratrem ad Dominum adducentis. *Vbi innuo, illud te habere, quod habes ille quem diligis, quia omnia in omnibus charitas.* n.8. p.165.

III. Philippi charitas, infideles beneficiis adducentis ad Dominum. *Ostendo eos qui Dei sunt, ope beneficiorum haud posse quodammodo perire.* n.14. p.166.

IV. Crucis viam Philippus arripiens, nec ab ea temporis puncto recedens perrexit ad Patriam. *Vbi ostendo Crucem seu labores viam regiam ad superos.* n.20. p.167.

V. Dilectus admodum à Domino Philippus, qui primus fuit electus in Apostolum. *Quia perspicuum est amoris diuini indicamentum, quem eligi ad statum perfectionis. Vbi de vocatione ad Religionem.* n.25. p 167.

VI. Qui insipientes eligit Discipulos, Philippum aduocat sapientem, vnde Apostoli humilitas innotescit. *Sacram enim sapientiam comitatur humilitas, prophana scientia superbia comes.* n.30. p 168.

VII. Philippo intercessore Gentilitas ad Saluatorem reperit aditum. *Vbi innuitur, quàm sit Diuorum necessaria intercessio.* n.33. p.169.

VIII. Philippi tres filiæ spirituales, virgines incorruptæ, Patris actiones referebant. *Vbi adnoto, filios paternarum actionum imaginem præsentare.* n.37. p.170.

IX. Quam docilis Philippus, vt Christum dicentem solùm, non tunc facientem sequeretur. *Vbi doctrina operibus addicta efficaciam expendo.* n.43. p 170.

X. Philippus Christum sequitur præeuntem: alij Philippum Christum insequentem. *Quia facilè præeuntis imitamur actiones.* num. 48. pagin. 171.

PARS TERTIA.

Iacobus sigillatim.

5. ### PANEGYRICVS V.

De Iacobo sigillatim.

Lib.4. sect.5. n 1. p.172.

OBSEVATIO I. RESurgens Christus Iacobo apparet, eum liberans à mœrore. *Vbi innuitur Resurrectionis Dominicæ memoria, nostraque innouationis spe nos eripi à tristitiâ.* n.1. p 172.

II. Iacobi solius quæritur testimonium contra Iesum, vt omnis populus à fide dimoueatur. *Vbi innuitur, præcipites subditos ferri excidente prælato.* n.5. p.173.

III. Præcelsa militantis ac triumphantis Iacobi mansio. *Vbi ostendo, beatam Regionem etiam pœnitentes excipere, nulliúsque merita adeo inaccessibilia, vt alius ea imitari non valeat.* n 9. p.173.

IV. Iacobus Minor Missam primò adstante Petro celebrauit. *Vbi primò barentes Altaris monito, quanta pu itas ad Missæ celebrationem requiratur.* n.19. p.175.

V. Iacobus discedentem Dominum nunquam è mente dimittit, nobisque Iudicem aduenturum proponit. *Vt Iudicij memoria homines virtuti adhærescant.* n.24. p.176.

VI. Iacobus Domini Resurrectionem ieiunus expectat. *Innuo Domini recessus vtiles admodum ad animi profectum* n.29. p.176.

VII. Claudicans instè Iacob per Iesum viam perrexit ad patriam. *Vbi innuo labores viam ad superna.* n:33. p.177.

VIII. An & quomodo, ex morte quasi triplicata Iacobi, ista verificentur. *Vbi innuitur sanctis fidelibus, Calicis passionis Dominum particulas reliquisse.* n.37. p 177.

IX. Genua Iacobi in oratione persistentis, Cameli instàr, obdurata commendantur. *Vbi duplicem orationis conditionem expendo, petere in nomine Iesu, & perseueranter postulare.* n.41. pag.178.

X. Iacobus Domini frater Patrem orans eundem, omnia impetrat. *Vbi innuo debere te Domini fratrem, Dei filium ostendere, vt orationi studeas.* n.45. p.179.

FRVCTVS QVINTVS. Fructus quintus.

Iacobus Maior.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Salomes petitione.

Lib.5. sect.1. n.16. p.184.

OBSERVATIO I. SALOME verè pacifica Iacobum pacificum enixa est. *Vbi adnoto, filios probos vix haberi, qui è probis parentibus non oriuntur.* num. 16. pagigin.184.

II. Iacobus verè pacis filius pacis pretiosissimo munere donauit Hispaniam. *Vbi ostenditur, pacem cœleste munus à Domino hominibus impensum.* n.21. p.185.

III. Iacobus diuinum quid halauit, dum Hispaniæ pacandæ operam pugnax impendit. *Ostenditur, commendabilia bella illa esse, quæ mente pacifica ex pacis quidem amore instituuntur.* n.26. p.186.

IV. Iacobus, nec ex cognatione, nec ex affectione, aut speciali familiaritate Principatum accepit. *Edocentur electores, neminem ex sanguine aut amicitia alijs præficere.* num.32. pagin.187.

V. Iacobus oratione præmissâ Regnum sibi statui curauit, præsagiens precibus suis Imperium Hispanicum esse protegendum. *Vbi asseritur, orationem stabiliendis regnis parere victorias.* n 41. p.188.

VI. Iacobus ipsam, quam appetebat regiam sedem, parui momenti, & æstimationis haud dignam esse ostendit. *Vbi adnoto mundialia Regna omnino inania.* n 46. p.189.

VII. Ecclesia Iacobi imperfectionem ambientis sedem proponens, amplius eius sanctitudinem commendauit. *Vbi ostendo Imperatorium munus fornile esse, & laboribus obnoxium.* n.51. p.189.

PANE

2. ## PANEGYRICVS II.

Ex sedium negatione.

Lib. 5. sect. 2. n. 11. p. 192.

OBSERVATIO I. POstulans Iacobus sedere in mundiali Principatu, nescit quid petat. *Secularibus enim Principibus adnata ruina.* n. 11. p. 192.

II. Eflagitans sedem stabilem regni terreni, nescit, quid postules. *Quia sedes regia minimè potest stabiliri.* n. 18. p. 193.

III. Animi affectu potentissimo Iacobus sese Imperij pro Christo administrandi laboribus subeundis obtulit. *Adnoto, temporarium Imperium, & Præsulatum Crucem esse, ad quam sustinendam amor Dei necessarius.* num. 25. pagina 194.

IV. Ideo Iacobus ad Calicis participationem inuitatus à Domino, quia specialissimè dilectus. *Labores enim ingentiores Dei amicissimis preparantur.* n. 29. p. 195.

3. ## PANEGYRICVS III.

Ex sedium promissione.

Lib. 5. sect. 3. n. 11. p. 197.

OBSERVATIO I. CHristus Rex Hispanicæ fidei, ac Imperio consulens, non dat Iacobo sedere; vt continuò protector stans ostendatur. *Vbi innuitur, bellum aduersus fidei impugnatores esse maximè commendabile.* n. 11. p. 197.

II. Iacobo non locus dexteræ, aut læuæ; se ipse quodammodo Christi thronus præparatus est, nempe vt Iesu alteri. *Vbi tulit gloria innuitur, qui possit verè, Iesus alter appellari.* n. 15. p. 198.

III. Quàm ex Peregrinis Iacobus illustris. *Vbi peregrinationum piarum institutiones commendantur* n. 22. p. 199.

IV. Non datus, sed redditus ob egregia merita Iacobo Principatus. *Vbi ostendo, Ecclesiæ Præsulatus merita sequi debere.* num. 28. pagin. 200.

V. Ad dexteram sedit Iacobus, primam sedem occupans, dum Apostolorum primus Martyr occubuit. *Vbi cum in virtute Magistros maximè commendabiles ostendo,* num. 36. pagin. 202.

PARS SECVNDA.

Iacobi translatio.

4. ## PANEGYRICVS IV.

Ex mortuo Apostolo sedente.

Lib. 5. sect. 4. n. 1 p. 204.

OBSERVATIO I. DAtum Iacobo sedere post Martyrium ad dexteram Hispanico in Regno Dei, vbi sepulchrum Diui gloriosum, cunctis Nationibus venerabile. *Dominici sepulchri gloria recolitur.* n. 1. p. 204.

II. Sedens in tumulo Iacobus, ditionem Hispanicam pace donat, cunctis hostibus superatis. *Vbi innuitur, quantum Regnis, ac vrbibus munimen ex Reliquiis Sanctorum.* num. 6. p. 205.

III. Sedens in tumulo Iacobus fidem & pietatem, quam Hispaniæ viuens impetrauerat, fouet, roborat. *Præcipuum protectoris cuiusuis munus, suos in fide ac pietate roborare, edocere que Mysteria.* n. 12. p. 206.

PANEGYRICVS V. 5.

Ex mortuo Apostolo non sedente.

Lib. 5. sect. 5. n. 1. p. 207.

OBSERVATIO I. IAcobo apud Ecclesiæ Hispanicæ Regnum haud data copia sedendi; quia semper currit vnicus protector. *Qui enim alicuius gerit tutelam minimè requie potiturus.* n. 1. p. 207.

II. Paratum iam & dispositum à Patre, vt ex Ducibus cælicolis Christianorum custodiæ deputatis, Michaël, & alij proceres Spiritus sedeant, vt solus Iacobus vnicus Hispaniæ protector exurgat. *Dux enim non debet sedere, sed primus ad certamina properare.* numero 11. pagina 210.

III. In bellis Christianorum aduersus Christianos institutis, licèt patronus vnicus, aliquando sedet Apostolus. *Vbi innuo, amici iniuriâ vnius, minimè alteri auxilium impendendum esse, laborùmque nostrorum memore incursionem ad fideles probandos, flagellandósque iniquos.* n. 18. p. 212.

PARS TERTIA.

Iacobi Miracula.

PANEGYRICVS VI. 6.

Ex operibus sex dierum.

Lib. 5. sect. 6. n. 1. p. 215.

OBSERVATIO I. MIracula Iacobi primi diei operibus fulgurant. *Vbi assero illustria Diuorum gesta nitorem mutuare lucis, seu publicationis suffragio, aliáque plura ingero documenta.* n. 1 p. 215.

II. Opera secundi diei Iacobi Miracula manifestant. *Vbi commoda pacis, & concordiæ ab ipso Deo firmata enuncio, aliáque ingero monita.* n. 15. p. 217.

III. Iacobi prodigia tertij diei operibus illustrantur. *Ostendo angustissimum esse homini, quod eius non desinat vnquam esse fides, aut virtus, qua semel cæpit, pluráque alia innuo.* n. 28. p. 220.

IV. Operibus quarti diei lux miraculorum Apostoli rutilat. *Assero mitissimam & sanctitatem diffi... in fine morari, aliaque moribus suggero documenta.* numero 45. pagina 223.

V. Ex operibus diei quinti Miraculorum Iacobi splendor commendatur. *Assero ad Martem proprium conferre conscientiæ puritatem.* n. 59. p. 226.

VI. Ex

VI. Ex sexti diei operibus Iacobi augustissima miracula exponuntur. *Assero, primum quem fuisse in quouis ordine, dignum esse specialissimo praconio.* n.73. p.229.

Fructus sextus.

FRVCTVS SEXTVS.

Bartholomæus.

1. ### PANEGYRICVS I.

Ex oratione electioni præmissa.

Lib.6.sect.1.n.16.p.237.

OBSERVATIO I. BARTHOLOMÆO à mundialibus curis perfectè abstracto totus dies erat tanquam nox, aptissimus ad orationis exercitamentum. *Ostenditur, nocturnum tempus accommodatius ad contemplationem.* n.16. p.237.

II. Bartholomæo orationis exercitium erat à cunctis laboribus laxamentum; ideo nunquam ab ipsa recedebat. *Ostendo, viros spiritualibus studentes, ex oratione ac contemplatione, veluti somno dulci recreari.* num. 22. pagin.238.

III. Tota die Bartholomæus orabat, dum operaretur tota die, quia eius oratio operatio erat. *In eorum commendationem, qui rectorum operum manibus satagunt exorare.* num. 27. pagin.238.

IV. Toties Bartholomæus orabat, in die, quia quilibet operi gerendo præmittebat orationem. *Ostendo, operibus quibuscumque præmittendas preces, vt faustè reddantur, præcipuè cum bellum sit adoriendum.* numero 33. pagina 239.

V. Bartholomæus insignis admodum Ecclesiæ Præsul electus, fuit Dei orationis effectus. *Adnoto, ad difficilem aptorum Prælatorum fidelium & prudentium electionem necessarias preces diuturnas.* p.42. p.240.

VI. Bartholomæi oratio tam efficax, vt æmula omnipotentiæ Dei ad quoscumque excitandos effectus videatur. *Vbi omnipotentiam orationis ostendo.* n.49 p.242.

2. ### PANEGYRICVS II.

Ex Apostolorum electione.

Lib.6.sect.2.n.27.p.246.

OBSERVATIO I. BArtholomæus filius est suspendentis aquas, cælesti imbre fœcundans Ecclesiam. *Vbi ostendo haud vtiliter loqui Concionatores, qui non curant priùs precantes à cælo audiri, quàm à terra prædicantes.* n.27. p.246.

II. Bartholomæus verè suspendentis aquas (id est Dei) Filius, ex gestis ineffabilibus ostenditur. *Assero, Iesu imitationem vitæ puritatem, & laborum requirere sustinentiam.* n.33. p.247.

III. Talis Bartholomæi sanctitudo, qualis filium suspendentis aquas, Dei scilicet, decebat. *Innuo interea, homines ex virtutum exercitamento ad specialissimam Dei euehi filiationem.* n.41. p 249.

IV. Si deuenustari posset à Iudâ proditore ex amore pecuniæ Apostolicum Collegium, Bartholomæus insignis diuitiarum contemptor illam notam sufficeret ablegare. *Ostendo, pauperes spiritu diuitiis, & diuitibus dominari: Communitatémque haud deuenustari vnius delicto, præcipuè cum plures collegæ virtute contraria florentes obijciuntur.* numero 50. pagina 250.

V. Bartholomæi constantia validissima nunquam fracta laboribus, constantissimo celebratur ex Petro. *Ostendo, vnum constantem virum pro pluribus æstimari debere.* num. 55. pag.251.

VI. Bartholomæus, Diaboli religator. *Adnoto dæmonis ad decipiendos homines sollicitudinem, præcipuè obitûs instante periculo.* num.58. pag.252.

VII. Christus & Bartholomæus singularis dilectionis vinculo colligati, in cuius documentum pellem pro pelle sibi inuicem tradiderunt. *Documentum etenim vera dilectionis impendit amato, qui opera exhibet egregia.* n.63. pag 253.

FRVCTVS SEPTIMVS. Fructus septimus.

Matthæus.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex ipsius Euangelistæ vocatione.

Lib.7.sect.1.n.17.p.257.

OBSERVATIO I. MATTHÆVS verè homo à Domino visus, spiritualem hominis exponens essentiam. *Vbi adnoto, illum hominem esse, qui ratione viuitur, qui virtutibus emicat.* p.17. p.257.

II. Qui sedebat Doctor rapinarum Matthæus; sedet Doctor virtutis misericordiæ. *Innuo exempli efficacissimum esse magisterium speciatim circa opera misericordiæ.* num.34. pagina 258.

III. Matthæus auaris diuitibus salutis ingerit spem *Vbi adnoto, quam difficilis peccatorum sit, diuitum præcipuè auarorum salus, dum actu peccatis addicuntur.* numero 28. pagina 259.

IV. Inter Christi miracula computo, Matthæum laqueis auaritiæ illigatum, diuitias omnino reliquisse. *Tam illigatos, tam mancipia detinet homines seruitus auaritiæ.* numero 37. pagin.260.

V. Ioannis Aquila, Lucæ Vitulus, Marci Leo, Matthæi Homini cedunt primatum. *Vbi adinuentionis cuiuslibet ad Dei cultum, aut proximorum salutem conferentis, institutio commendatur.* n.42. p.261.

VI. Matthæus donum festinationis à Deo accipiens, nos edocet pœnitentiæ promptitudinem. *Adnoto cælestem vocem festinanter exe-*

cutiens esse tradendam. numero 51. pagin. 263.

VII. Matthæus ex diuitiis relictis expeditus Dominum sequitur. *Innuo diuitiarum ex auaritiâ grauedinem mox impedientem sequi Saluatorem.* n.57. p.263.

VIII. Matthæus diuitias pauperibus reliquit totas, ineffabile sibi acquirens gloriæ pondus. *Vbi eleemosynæ lucra commendo, innuóque præcelsa bona præparata iis, qui abdicatis diuitijs, ineunt Religionis institutum.* o.62. p.264.

IX. Matthæus homo alatus; Angelum hominem ex virginitatis affectu aptiùs appellârim. *Vnde commendantur Virginum Christi sponsarum defensores, contra stultos tanto sacrilegio maculatos.* n.67. p.265.

X. Matthæus matrimonium commendans, commendabiliorem asseruit Virginitatem. *Vbi Virgines seu cælibis status libertatem; nuptiarum vincula obijcimus.* n.73. p.266.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Euangelistæ conuiuio.

Lib.7. sect.2. n.17. p.270.

OBSERVATIO I. MAtthæus gratitudinis ergo instituens conuiuium, se ex altera vita hominem iam esse ostentauit. *Homines enim mundi huiusce haud assolent se pro acceptis beneficiis gratos exhibere.* num.17. p.270.

II. Spiritualis conuiuij à Matthæo apposito Domino, apparatum describo. *Ostendens, vnicum virtutis aut vitij actum posse ex intensione, ac circumstantijs multum increscere.* n.22. p.271.

III. Matthæo parenti conuiuium nouelli affectûs præstantissimi, nouellæ præstantissimæ gratiæ Christus epulum apposuit. *Ostendo nihil hominem Deo obsequio libare, quod non miris incrementis auctum recipiat. Hæc vis Eleemosyna.* o.34. p.272.

IV. Conuiuij à Matthæo ex sanctitudinis præstantia Domino totius vitæ decursu appositi gloriam expendo. *Vbi Humilitatis, ac gratitudinis diminutatem innuo: ostendóque etiam iustum semper affectui pænitudinis debere operam impendere.* n.41. p.273.

3. V. Matthæus pœnitentium in Euangelio Dux & Pater exurgit. *Vbi adnoto, quàm debitor sit proximos ædificare proximè virtutis studio, qui publicè delinquens, traxit alios ad ruinam.* n.52. p.275.

VI. Tam perfectè Matthæus sese à diuitiis expediit, vt sine periculo posset ad domum conuiuium parraturus reuerti, & immitti. *Vbi potentissimam diuitiarum vim ad homines illaqueandos (præcipuè resumptarum post fugam sæculi) ostendo.* o.57. p.276.

FRVCTVS OCTAVVS. Fructus octauus.

Lucas.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Discipulorum immissione.

Lib.8. sect.1. n.1. p.279.

OBSERVATIO I. LVCAS Sol vitæ radiis prædicans Orbem illustrat. *Vnde illi commendantur Concionatores, qui non tam verbis, quam operibus prosantur.* n.1. pag.279.

II. Lucas Angelus Gentium custos à Domino immittitur Angelicâ scilicet puritate nitens. *Vbi Virginitatem Angelos referentem commendo.* n.7. p.280.

III. Lucas Concionator illustris charitatis igne in proximum auditorum æstuabat. *Vbi Euangelicum Ministrum commendo, qui circa peccatorum conuersionem accenditur necessariâ dilectione.* n.13. p.280.

IV. Sapientissimus Lucas addicitur Pauli consiliarius. *Vbi Principes, & Præsules admoneo, probis consiliarijs adhærescere.* numero 18. pagina 281.

V. Cùm Lucæ libeat labores circa proximorum salutem contemplari; eum Paulum alterum, imò ipsum existima. *Vbi ostendo, socios Sanctorum, eorum laboribus honestari, & coronæ fulciri.* n.24. p.282.

VI. Lucas in omnem locum immittitur, quia vbique, instat Dei, quodammodo existit. *Commendo Euangelij ministros vbique terrarum proximis succurrentes, penè immensos.* n.29. pag.283.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Operariorum paucitate.

Lib.8. sect.2. n.1 p.284.

OBSERVATIO I. LVcas in messem Euangelij verè operarius immittitur. *Taxantur Ministri Euangelici, minimè operarij.* n.1. p.284.

II. Lucas immaculatus quidem constantissimè peccatorum crimina corripuit. *Ostendo eos solos prædicatores posse aliorum crimina taxare, qui operarij quidem Angelicâ nitent puritate.* num.8. p.285.

III. Vnus Lucas in pauca messe operarij multi. *Vbi ostendo, Euangelicum ministrum vnum pro mille sufficere, si animarum zelo accendatur.* n.15. p.286.

IV. Lucas in messe Dominicâ Vitulus infatigabiliter operarius. *Innuo Euangelicum operarium contemplationi vacare debere, eiusque obitum Ecclesiæ esse lacrymabilem.* num.23. pagin.287.

V. Præmissis Ecclesiarum precibus, Lucas Paulo assignatus socius, Dominicæ messi præficitur. *Edocemur, orationem præmittendam, vt ad*

ad nos, docturi viliter Euangelica ministri immutantur. n.30. p.188.

V I. Illustrissimum Lucæ ex diuturna mortificatione Martyrium illustro. *Ostendens, continuam laborum sustinentiam, exercimentáque pœnalia, Martyrij sanguine rubricari.* n.34. pag 189.

3. PANEGYRICVS III.

Ex Euangelico ministerio.

Lib.8. sect.3.n.1.pag.191.

Observatio I. EVangelici Lucæ omnino perfici gloriam expendo. *Vbi innuo peccatorem plerumque ad meliorem frugem suauitate alliciendum.* numero 1. pagina 191.

I I. Edocet Lucas sermonem bene compositum, & cum moderamine comptum, fructus parere in peccatorum conuersione. *Vbi commendo studium Concionatorum, qui vtili sermonis contemptioni operam præstant.* numero 7. pag. 192.

III. Florido sermone Lucas non demulcet impœnitentes peccatores; sed acriter vulnerat. *Vbi ostendo Concionatores posse dulciter loquendo, acriter vulnerare.* numero 13. pagina 193.

I V. Lucam Medicum charissimum commendo. *Vbi assero vel desperati ægroti peccatoris vulnera mansuetudine curari.* numero 18. pag.195.

Fructus nonus. FRVCTVS NONVS.

Simon, & Iudas.

1. PANEGYRICVS I.

Ex multa Charitate.

Lib.9. sect.1.n.10.p.298.

Observatio I. SImon, & Iudas sese ex dilectione inimicorum Dei filios ostentarunt. *Vbi asseritur, ex dilectione inimicorum homines ad Dei spectabilissimam filiationem glenari.* numero 10. pagina 298.

I I. Perfectissimi Christi imitatores Simon & Iudas, ad Gentes edocendas, easque beneficiis cumulandas proficiscuntur. *Vbi innuitur, opera erga proximum expofita dilectionis esse documenta; verba inania minimè,* numero 17. pag.300.

III. Adhuc Simonis & Iudæ erga proximos, erga inimicos dilectio ineffabilis illustratur. *Vbi ostendo, Sanctorum prærogatiuam esse, nec Iudaice ministerio vti aduersus persecutores; sed cum possint punire, ignoscere.* num.23. pag.301.

I V. Simon & Iudas Gentilibus, Io morem discessuri Domini, Euangelicam pacem indixere. *Ostendo, gloriosius esse Regi, Duci, populum pacificare, quam ab hostibus, bello inflicto, reportare victorias.* numero 30. pagina 302.

V. Simon & Iudas patientiâ muniti cunctos hostes horribiles superaruot, comminuetunt. *Vbi ostendo semper triumphare Patientiam, armáque Apostolorum ipsam esse, non gladium, qui eos facit ex Apostolis in Duces sæculares mutari.* n.36. p.303.

V I. Simon & Iudas tam illigati dilectionis lege erga proximum, vt inimicorum defectus curarent operire. *Dilectio enim non patitur, proximorum crimina licet hostium diuulgare.* n.41. p.304.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Apostolorum tribulationibus.

Lib.9.sect.2.n.16.p.307.

Observatio I. SImon & Iudas pauperem Dominum despectum ab hominibus imitantur; sed & instar Domini, spiritualibus diuitiis opplentur. *Vbi asseritur, Deitatem sub pauperis tegumento latitare: vt pauperes discamus venerari.* numero 16. pagina 307.

I I. Simoni ac Iudæ mors iucundior, quàm vita, quia gloriosum illis, pro Iesu nomine pati, laboribusque agitari. *Edocemur, homines vel in præsenti sæculo, à laboribus & tribulationibus beari.* n.22. p.308.

I I I. Simone & Iuda tribulatione affectis Christus patitur: sicut sustinente Christo labores, Apostoli patiuntur. *Vbi patientibus solatium datur ex Dei societate, & compassione.* n.29. p.309.

I V. Simon & Iudas cælestis Medici imitatores, inflictis laboribus, Magorum ægritudini mederi procurârunt. *Labores enim & visum acuunt ad Deum agnoscendum, quos assolet prosperitas claudere.* n.35. p.310.

PARS SECVNDA.

Simon præsertim.

PANEGYRICVS III. 3.

In Simonem.

Lib.9. sect.3.n.1.p.311.

Observatio I. MIram Simonis patientiam illustro. *Vbi ostendo, Christianorum duci totidem debere esse Martyria ad diadematum acquisitionem.* num.1. pagin.311.

I I. Non de Mundo iam, sed de cunctis Ecclesiæ Proceribus electus fuit Simon Ierosolymitanæ Ecclesiæ Præsul. *Admoneo, Principes Præsulum electores, quam diligenter digni quærendi, quam rectâ intentione præsentandi Pontifici.* n.6. p.312.

. I I I. Extitit Simoni Præsulatus Crux Martyrij, quia illibatam conseruans Ecclesiæ puritatem,

tatem, Mundi odia sustinuit. *Asseritur, Prælaturam crucem esse, eumque qui eligitur ad Regnum, aut Dominatum ad necem rapi.* n.13. pag.314.

IV. Simon Zelotes zelo simul & pietate præstans Christum imitatur. *Vbi ostendo, à zelo fortitudine contra improbos pietatem, & mansuetudinem non excludi.* numero 20. pagina 314.

V. Simon Prædicator egregius tristitiam auditoribus salutarem immittens. *Ostendo, illum Concionatorem commendandum, qui non ad risum (quod absit) sed ad lacrymas excitat auditores.* n.27. p 315.

PARS TERTIA.

Iudas specialiter.

4. ### PANEGYRICVS IV.

In Lucam.

Lib.9. sect 4. n.1. p.316.

Observatio I. BEatissimus Iudas præstans Charitate omnium virtutum epilogatio fuit. *Ostendo, dilectionis vnicum mandatum cuncta continere præcepta; vnde diligens omnis legis videtur obseruator exurgere.* n 1. p 316.

II. Quasi Iudæ præceptum esset, vt ipse à proximis amaretur, operibus pietatis gestis erga proximum, curauit eum ad mutuam dilectionem allicere. *Vbi ostendo, beneficia in proximum exposita, eum nos cogere ad mutuam dilectionem.* n.8. p.317.

III. Iudas Leo quidem, sed aduersùs iniquitatem; agnus planè erga peccatores. *Vbi edoceo, Præsules, Dominos, Principes, Patres non in naturam subditorum; sed in crimina desæuire.* n.14 p.318.

IV. Iudas Thadæus ipso nomine asserit, se verè Dei Patris Filium. *Vbi assero, homines ad Dei filiationem eleuatos debere adeò terrena fugere, vt cælicolis conformentur.* num.22. pag.319.

Fructus decimus. ## FRVCTVS DECIMVS.

Andreas.

1. ### PANEGYRICVS I.

Ex eius, ac Petri vocatione.

Lib.10. sect.1. n.1. p.325.

Observatio I. CHRISTVS Andream videns eum fecit esse elogiis clarissimum. *Vbi adnoto, Deum respicere in nos, idem esse ac misereri, & cælestia munera largiri.* n.17. p.325.

II. Duos videns simul fratres Andream & Petrum, priuilegiorum munere eos donauit æquali. *Vbi innuitur è laboribus è Cruce nos in spiritualem recurrere infantiam.* num.24. pagina 326.

III. Ex nominum Petri & Andreæ mysterio, Andreæ fructuosa admodum prædicatio præsignata. *Vbi innuo, nouitium feruorem fausta futuri Prouentus signa prætendere.* num.32. pag 327.

IV Andreas Petro præponitur, quia ei supponi curauit. *Vbi ostenditur, humilitatem descendendo ascendere.* n.39. p.328.

V. Andreas primus Dominum agnoscens, siue Christicola primus specialissimo, ob hoc, honore supra cunctos Discipulos donandus. *Vbi innuitur quantum Ecclesia debeat Apostolorum, & Martyrum primorum magisterio.* n.44. p 329.

VI. Pauper Andreas piscator eligitur Apostolorum primus, vt reliquis daret humilitatis in exaltatione documentum. *Ostendo, humilitatem conseruari ex memoria pristina paupertatis* n.51. p.330.

VII. Ostendit Dominus Andream dignissimum, qui in Ecclesiæ Præsulem summum posset assumi. *Edocentur Principes, vitare infamis subditis digni, cùm electus non est ad munus.* n.58 p 331.

VIII. Andreas aptissimus piscationis spiritualis muneri à Domino eligitur. *Admonentur Reges, ac Præsules munia esse subditorum ingeniis accommodanda.* numero 62. pagina 332.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Iacobi, & Ioannis vocatione.

Lib.10. sect.2. n.1. p.334.

Observatio I. ANdreas verè frater Petri non solùm carne; sed animo, fraternam commendat Charitatem, quâ fundatur Ecclesia. *Illum ostendo meum, fratrem verè appellandum, qui in me confert charitatis officia.* n.11. p 334.

II. Andreas post Petrum incedit, vrbanitatem religiosam commendaturus. *Vbi ostendo, Vrbanitatem, & comitatem à Religiosorum cœtu non ablegandam.* numero 18. pagina 335.

III. Andreæ egregij Prædicatoris, seu piscatoris retia contemplatione reficiebantur. *Vbi ostendo, Euangelico ministro necessarium esse contemplationis orationisque continuum exercitamentum.* n.22. p.336.

IV. Andreas sanctissimæ vitæ retibus expiscationi hominum operam dedit. *Ostendo eum egregium Concionatorem, qui sanctitate obiectâ allicit auditores potiùs, quàm sermone profuso.* n 27. p.336.

V. Rete Crucis, quo Orbem Andreas expiscatur, non indiguit refectione. O Apostoli erga Crucem affectus! *Ostenditur Crucem, laborésque gloriosos, expetibiles, amabiles.* n.36. pag.338.

VI. Andreas perfectissimæ obedientiæ regulam præscribit, retium iactu imperfecto relicto. *Illa enim præstans obedientia est, quæ*

audita

audita Præsulis voce, nouis interseçare actionem. n.40. p.338.

VII. Sic Andreas Christum sequitur, sic sese ei conformare curat, vt quasi Christus alter exurgat. *Vbi ostendo, ex perfecta imitatione hominem posse ad Deitatis culmen quodammodo ascendere.* n.44. p.339.

Fructus vndecimus.

FRVCTVS VNDECIMVS.

Thomas.

1\.

PANEGYRICVS I.

Ex ipsius incredulitate.

Lib. 11. sect. 1. n. 13. p. 344.

Observatio I. NON apparet Dominus Thomæ singulari, siue à reliquis Apostolis abstracto, vt edoceat eum Indis Gentilibus cælestia dona communicare. *Vbi adnoto Euangelicum ministrum a Deo dona cuncta accipere proximis communicanda.* n.13. pag 344.

II. Excusatur Thomæ incredulitas, quia de resurrectionis gloriâ agebatur. *Difficillimè enim aliena felicitatis testimonio fidem adhibemus.* n.16. p.345.

III. Omnino Thomas ab incredulitatis suspicione liberatur. *Vbi innuo, quonammodò proximi defectus sint inanrandi à recta intentione.* n.20. p.346.

IV. Tam sanctus Thomas, vt eius incredulitas pertinax iustitia à Patribus reputetur. *Vide egregiæ sanctitatis gloriam contemplamur, quæ scit vel crimina operire, imò vt virtutes exponere.* n.34. p.347.

V. Non abnego Thomæ incredulitatem, non excuso; sed toti Ecclesiæ fidei vtilissimam fuisse confirmo. *Vbi innuitur, ex peccatorum grauium permissione sæpè mirabiles effectus prodire.* n.38. p.348.

VI. Singulariter Thomæ potestas prædicandi & ligandi, soluendíque crimina impenditur, vt innuatur, singularem ad Indos immittendum. *Vbi adnoto vnum Euangelij ministrum zelo animarum accensum, pro pluribus sufficere.* n.44. p.349.

2\.

PANEGYRICVS II.

Ex eiusdem Confessione.

Lib. 11. sect. 2. n. 15. p. 352.

Observatio I. THomæ cum Discipulis intus commorantis commendo ad pœnitudinem, dispositionem. *Vbi assero, pacis concordiam, & in delinquendo cautelam ad pœnitentiam valde conducere.* n 15. pag.352.

II. Solum Thomam reducturus rursum sua vulnera exponit Dominus, quia futurus ille similis Saluatori. *Vbi adnoto iustorum felicitatem, quem datum vel ipsius Filij Dei actiones imitari posse.* num. 23. pag. 353.

III. Thomas sapientissimus, qui ex obiectis sibi vulneribus reliquis, Christi professus est diuinitatem. *Eadem Iesum se diuinum ostendere, dum iustorum labores beat, & ad Deitatem quodammodo affert.* num. 27. pag.355.

IV. Datus Deus in possessionem Thomæ, vt & ipse cælesti hæreditate donare possit, quos voluerit. *Vbi adnoto, Euangelicum ministrum, Deum gratis accipere, vt gratis proximis exhibeat.* n.33. p 355.

V. Qoàm facilè Thomas ab incredulitatis somno excitatur! *Vbi doceo necessariam obedientiæ promptitudinem in Euangelico Ministro, vt ad difficile proximorum ministerium, præcipuè Iudæorum, immittatur.* num.38. pagina 356.

VI. Thomas ex efficacissima vulnerum prædicatione conuersus, apud Indos plus prædicatione operum, quàm voce persuadebat. *Vbi illos Concionatores, ac Magistros commendo, qui operum prædicatione vtuntur.* n.42. p.357.

VII. Ineffabili mansuetudine Christus Thomam reprehendens adducit, edocens eum, Indos mansuetudine admirabili carpere delinquentes. *Monentur Præsules, mansuetudinem reprehensionis errantes allicere efficacius.* n.50. pag.358.

FRVCTVS DVODECIMVS.

Fructus duodecimus.

Ioannes.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Petri de Ioanne quæstione.

Lib. 12. sect. 1. n. 1. p. 363.

Observatio I. SVMMVM Ioannis elogium, à Christo dilectum esse Discipulum. *Ex beneficijs in dilectum Ioannem collatis ob dilectionis documentum, colligo operibus amorem comprobari.* num.9. pagina 363.

II. Ex specialissima Christi in Ioannem dilectione colligitur, nihil alij Diuo collatum, quod exuberanter Ioannes non acceperit. *Interim diuina in homines dilectionis fructus expondo geminatos.* n.16. p.364.

III. An Ioannes Euangelista Baptistæ Præcursori Domini præponendus? *Vbi innuuntur virginitatis præmia, accessus ad Iesum & Virginem Deiparam commoda recensentur.* n.24. pag. 366.

IV. Quàm meritò Ioannes, ex ingenij acumine, scientiæque cælestis præstantiâ, specialiter fuerit dilectus à Domino, expendo. *Vbi adnoto, debere Ecclesiæ ministros iuxta vocationis instituta operam exhibere.* num 32. pagina 367.

V. Virginitatis puritas ineffabilis Ioannem fecit specialissimâ Iesu dilectione dignum. *Vbi plura inanemus Virginea puritatis elogia. Scilicet speciali Dei amore donari,* &c. n.37. p.368.

VI. Ioanni Deipara ineffabili priuilegio commendatur. *Innuo perspicuum esse Dominica in nos dilectionis documentum, si Mariæ filij ex specialissimo exurgamus obsequio.* num. 45. pagin 369.

VII. Ideo Ioannes cæteris magis dilectus, quia plus ipse reliquis dilexit Saluatorem. *Vbi assero amorem amore rependendum: amoris enim pretium est amor.* n. 50. p. 370.

VIII. Ioannis, Christi ex sinu, gloriam illustro. *Adnotans, enim qui Domino hæresci, vnum cum ipso spiritum fieri.* numero 59. pagina 372.

IX. Ioannem Petrus meritò se superiorem sanctitudine innuit. *Ostenditur prudens moderamen adhibendum circa Diuorum comparationem.* n. 65 p. 372.

2. ## PANEGYRICVS II.

Ex Christi de Ioanne circa quæstionem Petri solutione.

Lib. 12. sect. 2. n. 1. p. 376.

OBSERVATIO I. IOannes alter Christus; imò ipse quodammodo, & ad solius Christi ditionem immediatè pertinere videtur. *Vbi dilectionis vim innuo hominem in rem amatam transformantis.* numero 15. pagina 376.

II. Ioannes vt alter, seu Ipse sit quodammodo Christus, an non diuinitate conspicuus debet ostentari? *Vbi eadem vis dilectionis confirmatur.* n. 23. p. 377.

III. Mansit Ioannes triduo mortis Iesu, vices gerens illius, nempe Christus ipse quodammodo, ne diebus illis sine Christo rerum esset natura. *Vbi innuo supremæ calamitatis locum obtinere, animum viuere sine Deo.* num. 28. pag. 378.

IV. Ioannes tot spiritualibus deliciis vel hic fruebatur, tot ei sunt cælestia reuelata mysteria, vt aptè fuerit æternæ felicitatis, ac beatitudinis simulachrum. *Adnoto amantes cruciatibus affectos quasi impassibilitate potiri, ac immortales quodammodo mori.* num. 34. pagina 379.

V. Post diuturnæ vitæ Ioannis victorias innumeras, veniet Dominus ineffabili eum præmio donaturus. *Vbi adnoto præstantioribus gestis præstantiora à Deo præmia præparari.* n. 43. pag 380.

VI. Martyrio Ioannes consummatus est, quia Martyrio non est consumptus. *Vbi ostendo, iustum, qui laborum gloriam potitus aliquando, tunc verè laborare, cùm à laboribus eripitur.* n. 51. p. 381.

VII. Præsulatus Ioannis est Imperium pietatis. *Vbi Prælati, & Principes admonentur fomentis suauibus desperata vulnera plerumque sanari.* n 60. p. 382.

VIII. Miror in Ioanne, quòd cùm superet cunctos Diuos tot elogiorum præstantiâ, nullius vnquam excitarit inuidiam. *Admonemur eam humanam præcedentiam fugere, quam necessariè inuidia insequitur.* n. 65. p. 383.

PARS SECVNDA.

Ioannes ante Portam Latinam.

PANEGYRICVS III. 3.

Ex Martyrio Ioannis.

Lib. 12. sect. 3. n. 1. p. 385.

OBSERVATIO I. IOannes ob Martyrij desiderium Martyr fuit. *Vbi assero desideria efficacia in Dei conspectu opera reputari.* n. 1. p. 385.

II. Ioannes Martyr efficitur; quia Martyrio non consummatur. *Vbi Diuorum effero tolerantiam, quibus labores non pati, maxima tribulatio est.* n. 11. p. 387.

III. Martyr Ioannes moritur, quia diu superstes. *Vbi assero iustis terribile vitæ huius exilium productum.* n. 18. p. 388.

IV. Ioannem Virginitas Martyrem fecit. *Diu enim puritatem tueri sine quodam Martyrio non possumus.* n. 26. p 389.

V. Videns Ioannes dilectissimum Iesum Cruci suffixum, illustri Martyrio consummatur. *Vbi adnoto, veram dilectionem non esse, quæ ex amato vulneribus non sauciatur.* num. 35. pag. 390.

VI. Identitas cum Iesu Ioannem Martyris gloriâ exornauit. *Vbi dilectionis vim expendo ad conuertendum amantem in dilectum.* n 43. pag. 391.

ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, E' SOCIETATE IESV, IN EVANGELIA SANCTORVM,

VOLVMEN QVARTVM.

LIGNVM VITÆ APOSTOLI
DVODECIM FRVCTVS.

GERMINET (Conditor aiebat) *terra herbam virentem, & lignum pomiferum*, Genes.1. Siue, ex mente Gregorij, Ecclesia profe-rat Diuos cunctos, fidelium pabulum; Apostolicum autem lignum in sui fundadamen, & protectionem. Scio Apostolatus vitalem Arborem duodecim Principum fructus germinantem. Abrahæ Dominus: *Super Ismaël exaudiui te, ecce benedicam ei,&c.duodecim duces generabit*, Gen.17. Vbi Rabanus asserit Ismaël populi Israëlitici gessisse imaginem, qui *arboris in morem multiplicatus est valde, & duodecim duces*, velut fructus arboris *generauit. Duodecim duces aut fructus duodecim Apostoli sunt, qui de Iudaicâ plebe fuerunt.* Quid autem vitali Ligno Apostolico cum Ecclesiæ fundamine, si Ierosolymæ, id est, Ecclesiæ fundamina duodecim gemmæ describantur: Profectò ciuitatis illius è cælo descendentis singulis duodecim fun-

daminibus singuli designantur Apostoli, si Arethæ, Andreæ Cæsari, & Ioachimo Abbati fides adhibenda. Huic Doctori Iaspis fortissimus est Petrus propter stabilem in fide constantiam. Saphyrus sereno cælo similis Andreas cœlestis Patriæ amore nuncium sæculo remittens. Chalcedonius lucentis imago lucernæ, maior Iacobus zeli feruentis igne coruscans, verè *Boanerges.* Quid Smaragdus colorem auri purissimi referens nisi Ioannes olei dolio immissus omnimoda virtutis copiâ opimus? Sardonix triplicisq; coloris quid nisi Philippus laboribus niger; candidus puritate; Martyrio ruber? Nónne Sardius feris incutiens timorem Bartholomæus Diabolo terribilis? Chrysolitus auri speciem præferens nónne Matthæum auro charitatis rutilantem significat? Berillus Indicus Thomam in India Euangelizantem obiicit. Topatio obscurato, dum politur, Iacobus minor omni maior laude fulget. Chrysopasi viriditate spes Thadæi Iudæ splendescit, alterius Iudæ desperationem taxans Hyacinthus mutans cum facie cæli colorem, Simonis ad imperium Dei Opt.Max. sese accommodâtis præ se ferr imaginem. Amethystus denique triformi radians colore Mathiam omni virtute ornatum assignat. En Ecclesiæ protectores Apostolos & duodecim arboris fructibus, & duodecim gemmis signatos! Lapidea-ne Coralli Arbor Ecclesia, quæ pretiosos lapides pro fructibus duodecim germinauit? Certè, si Apostolicum germen protegendæ adiicitur Ecclesiæ, aptè fructus duodecim, nempe Apostoli, sub specie lapidum adiectorum fundamini obiiciuntur. Principum Ecclesiæ recenseo magnalia, vtinam principali confirmatus Spiritu!

LIBER

LIBER PRIMVS.

PETRVS ET PAVLVS.

Paraphrasis, Commentariíque literales in Cap. XVI. Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA literam.

IN APOSTOLORVM PRINCIPES.

PROLVSIO.

QVID dicemus de Magistris naturæ creatæ tam inferioris, quàm superioris? (loquor cum Chrysostomo) *Non inuenio orationem dignam, ad laudandum eos, qui nostrum genus laudauére, qui vniuersam terram, & mare obiere, & peccatorum euellere radices, & pietatis semina deiecere in cordibus hominum. Petrus Magister Apostolorum.* Quid diuinius? *Paulus cognitor œconomiæ supernarum virtutum.* Quid augustius? *Et quid dicam amplius? Vos laudat ipse Dominus. Vos estis lux Mundi, dicens:* At nos magnum de vobis aliquid scribere cogimur. Quid? *Num potentiores Regibus appellabo; fortiores militibus; diuitibus ditiores; sapientiores Philosophis, eloquentiores oratoribus, qui nihil habetis, & omnia possidetis?* Num meo eritis sensu, *Martyrum tolerantia; Patriarcharum orthodoxa sententia, Monachorum exercitatio, Virginum coronatores, eorum, qui sunt matrimonio coniuncti, pacificatores, tegumentum Regum, muri Christianorum?* Elogium planè altius admodum cogitabo. *Intermediam habentes Matrem Domini, quouis iusto Spiritu estis præstantiores.* Quidnam celsius potuit excogitari? *Apostolica vitalis Ligni Frvctvs Primvs.*

A

MATTH. CAP. XVI.

PARAPHRASIS.

VERS. 13. VENIT autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?

13. *VBI Iesus venisset in ciuitatis illius regionem, quam Philippus Tetrarcha in honorem Cæsaris Cæsaream appellauit: voluit periculum facere, quantum Discipuli ex tot auditis sermonibus, aspectatis miraculis profecissent: & an aliquid sublimius quàm vulgus sentirent. Vnde quæsiuit: Quem dicunt homines esse Filium hominis?*

14. At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam,

14. *Aiunt: Herodiani te Ioannem Baptistam esse suspicantur. Ab alijs haberis Elias raptus, & iuxta Malachiæ vaticinium apparens. Alij te Ieremiam Christi typum ingenuè, aut ex Prophetis vnum,*

alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.

15. Dixit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis?

16. Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei viui.

17. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-iona; quia caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in cælis est.

18. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.

19. Et dabo tibi claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

& quidem egregium profitentur. His auditis, Iesus vt certiorem aliquam, ac sublimiorem eliceret professionem.

15. *Vos, inquit, quos oportet me rectiùs nosse, quem me esse existimatis?*

16. *Simon Petrus Iesu amantissimus, tanquam futurus Apostolorum Princeps, omnium ex mente respondit. Tu es ille Christus Filius Dei viui. Non suspicionem profero; sed indubitatâ sententiâ profiteor.*

17. *Hac tam alacri, tam illustri confessione, tam solidâ Iesus delectatus: Beatus es, ait, Simon fili Ioannis. Huiusmodi vocem non suppeditauit tibi humanus affectus, sed animo Pater cælestis secreto suggessit afflatu. Nullus enim dignè de Filio sentit, nisi Filium noscentis Patris instinctu.*

18. *Sed ne gratis me tam magnifico testimonio ornâsse videaris, illud affirmo, te verè Petrum esse, hoc est, solidum lapidem, non huc aut illuc varijs vulgi opinionibus vacillantem. Huic saxo tuæ professionis superstruam Ecclesiam meam, quam adeò innixam fundamento immobili communiam, vt à nullis Tartarei regni valeat machinis expugnari.*

19. *Regni cælestis claues tibi sum traditurus, siue hanc tibi Ecclesiæ summo Præsuli potestatem impertiam, vt quod tu meis clauibus acceptis solueris super terram apud homines, solutum sit & in cælis apud Deum. Contra, quod tu in terris alligaueris, & in cælis sit alligatum. Comprobabit enim Deus tuum iudicium ab ipsius Spiritu profectum.*

SECTIO PRIMA.

De Christo vulgaris opinio.

TEXTVS.

VERS. 13. VENIT Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?
14. At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Vbinam facta interrogatio?

1. *Duplex Cæsarea.* VEnit Iesus in partes Cæsareæ Philippi.] Duplicem inuenio Cæsaream, alteram veterem, priùs Stratonis vocatam Turrim, postea ad Augusti Cæsaris gratiam promerendam Cæsaream appellatam, Hieronymo, & Iosepho authoribus. Alteram recentiorem in Phenicia sub Libani montis radice. Philippus Herodis magni filius Traconitidis regionis Tetrarcha auctam.

auctam, ornatamque in honorem Tiberij Cæsaris, priùs dictam Peneam Cæsaream vocari, eodem testante Hieronymo, iussu. *Meminit* (inquit Theophylact.) *eius qui Ciuitatem condidit; quia est & alia Cæsarea Stratonis: & non in illâ, sed in hâc illos interrogat.* Theoph.

2. *An speciali mysterio fuerint Discipuli apud Cæsaream interrogati?* Chrysost. Theoph.

Num aliquo mysterio, Discipuli fuere apud Cæsaream interrogati? Chrysostom. *In Cæsarea interrogat, longè eos à Iudæis abducens; vt ab omni timore eruti, liberè dicant, quæ habent in mente.* Ab aulicis plerumque mendacibus Principes abstracti in solitudine, consulant familiares de vulgi opinione, vt possint liberè mentem proferre. Theophylactus contestatur. Nec circa literam sententia placet, cùm quia Discipuli non aderant tunc omnino extra Iudæorum ditionem, ad Iudæos Cæsareâ Philippi pertinente: tùm quia confessio huiusmodi poterat sine persecutorum metu vbicumque proferri, cum non coram Iudæis, sed priuatim gestam fuisse legerimus.

3. *Sententia authoris negãs.* Matth. 9. Ioan. 2. Marc 7. Ioan. 16.

Arbitror nihil mysterij inuoluere peculiarem Cæsareæ Philippi nominationem. Mos enim Euangelistarum loca, in quibus Christus vel verba faciebat, vel edebat miracula, assignare. Paralyticum sanitati restituit in Capharnaum. Matth. 9. vbi etiam leprosus, ac Petri socrus valetudine fuère donati. Vinum Iesus ex aquâ apud Chana Galilææ fecit. Ioan. 1. Surdus & mutus in Regione Decapoleos profatur. Mar. 7. Turbæ denique in deserto Beth saidæ saturatæ sunt. Ioan. 16. quæ locorum assignatio vberiorem veritatis testificationem solummodo respicit.

4. *An in domo, aut in via facta interrogatio?* Marc 8. Euthym. Psalm 125.

Requiris vlteriùs, num interrogatio hæc facta in domo, an in viâ fuerit? Marcus asserit in viâ accidisse Cap. 8. Lucas verò cum solus esset orationi studens. Cap. 9. si orans, quomodo in via? Euthymius, *simul iter faciebat, & orabat.* Fateor, simul pergere, & orare Iesum, vero simile; sed simul orare, & Discipulos interrogare, incertum. Augustinus aptiùs à via docet diuertisse Saluatorem, vt oraret, perfectâ autem oratione, cœpisse pergere, túncque Discipulos interrogâsse. *Cùm solus oraret*, inquit Lucas, sic interpretor: *Postquam solus orâsset.* Dauid, *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion.* Psal. 125. Cùm conuerteret, seu postquam conuertit. Nec displicet Abulensis sententia affirmantis Christum sistentem in via à Discipulis abstractum orâsse, perfectâ autem oratione, ad eum Discipulos accessisse, eósque interrogasse.

§. II.

De Christi interrogatione.

5. *Lectionis varietas.* Epiphan. & alij.

QVem dicunt homines esse Filium hominis?] Triplicem reperio lectionem, *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Sic omnes ferè Codices Latini, & Auctores. *Quem me dicunt homines esse Filium hominis?* Ita Epiphanius, Theophylactus, Hilarius. *Quem me dicunt homines esse?* Chrysostomus sic. Prima retinenda.

6. *Cur sciens vulgi de se opinionē, interrogauit?*

Cognoscebat quidem Christus turbæ de se opinionem conceptam. Cur igitur interrogauit? Num vt traheret occasionem à vulgari opinione, vt Discipuli suam fidem profiterentur? Num vt ostenderet, quam fallax Mundiale iudicium? Num vt constaret, quo sensu, seu reputatione Christus vel à mundialibus habitus, dum viueret? Omnia hæc vera. Sequor tamen Abulensem fatum. *Fuit ad nos instruendum, vt nos quæramus, quid de nobis homines sentiant. Nam etsi non debeamus sequi aliorum dicta, sed conscientiæ veritatem, tamen vtile est; vt si fortè aliquid malè sentiant, quod fortasse non est verum, auferamus illis occasionem talia cogitandi: & si aliquid boni est, quod in nobis laudant, in illo proficere studeamus.* Addit scitè, *Et pertinet hoc magis ad Prælatos, quorum vita tota debet esse exemplaris.* Abul.

Homines.] Id est turbæ. *Non enim* (ait Chrysostomus) *Scribarum, & Pharisæorum mentem inuestigat, sed plebis; erat enim hæc à malitia libera. Pharisæorum autem opinio de Christo malitiâ plena.* Quid illi? *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia*, Matth. 9. Homines quidem de Filio hominis testificantur; nam qui de Filio Dei, aliquid supra homines. Hieronymus sic: *Homines. Quæsiuit, quid omnis status hominum de se sentiret.* Accommodatius tamen homines pro turbis intelligo; Lucas enim hæc Matthæi verba: *Quem dicunt homines*, explicat dicens: *Quem me dicunt esse turbæ.* 7. *Quid homines hic.* Chrysost.

Esse Filium hominis.] Et cur *Filium hominis* dixit, & non *me*? Hieronymus, *Non dixit, Quem me dicunt homines: sed, quem dicunt homines esse Filium hominis; ne iactanter de se quærere videretur.* Sed tanti Doctoris pace, maior sibi erat tribuenda laus ex sententia Apostolorum, quàm turbarum; & tamen quando quæsiuit, quid sentirent Apostoli, *Vos autem*, inquit, *quem me esse dicitis? nec Filium hominis* addidit. Magis puto id Christum ex consuetudine, quâ sese Filium hominis compellauit, protulisse. *Filius hominis potestatem habet*, Matth. 9. *Venit Filius hominis manducans & bibens*, Matth. 11. & sæpe alibi. 8. *Cur non dixit: Quem dicunt me?* Hieron. Matth 9. & 11.

Cur autem priùs de vulgari opinione, quàm de Apostolicâ periculum fecerit? Beda respondet, *Ne discipulorum confessio non veritatis agnitione probata, sed vulgi videatur opinio: nec firmata, nec comperta credere; sed instar Herodis, de auditis hæsitare putentur.* 9. *Cur de vulgari opinione priùs interrogat?* Beda

§. III.

De Discipulorum responsione.

ATilli dixerunt: Alij Ioannem Baptistam.] Quonammodò Iesus potuisset Ioannes, iam obtruncatus ab Herode, existimari? Putâruntne eum à mortuis surrexisse? Abulensis sic, & Caietanus, *Herodiani*, inquit, *hoc putabant, putantes spiritum Ioannis occisi ingressum in Iesum.* Subscribo. Obiicis tamen, Ioannem & Christum simul extitisse, ostendente Ioanne Iesum: *Ecce Agnus Dei*, & eundem baptizante. Respondeo ortam opinionem ex errore eorum, qui Ioannem & Christum non simul viuentes agnouère. 10. *Vtrùmnam Christus Ioannes potuerit existimari?* Abul.

Sed cur potiùs Ioannem, quàm alium aliquem eum esse credebant? An propter officij similitudinem? Sic Auctor Histor. Schol. Aptiùs crediderim propter miraculorum magnitudinem. 11. *Cur Ioannes potius, quàm alij?* Comest.

nem. Audiuit Herodes talia de Christo, vt sibi persuaderet, nullum hominem præter Ioannem futurum huiusmodi portentorum excitatorem. Obiicis nullum à Ioanne miraculum editum. Respondeo ex Rabano, *quod licet Ioannes viuens nullum miraculum fecerit, tamen resurgens putabatur miracula multa facturus. Nam putauerunt antiqui, quòd omnes sancti post resurrectionem erunt multo potentiores, quam cum viuerent.* Consentit Theophylactus. Quare autem priùs de Ioanne, quam de Prophetis fit memoria? Ex Abulensi respondeo, *Propter dignitatem personæ. Erat enim Ioannes melior omnibus nominatis, ideo opinio de eo præposita est.*

Raban. Theoph. Abul.

12. *Vndenam Iesus habitus Elias?*

Alij autem Eliam.] Vnde in mentem vulgi caderet Iesum Eliam esse? Nonne quia Elias & Enoch viuentes reseruabantur, vt temporibus præscriptis à Deo, reuerterentur? Hinc sibi persuadebant huiusce opinionis sectatores, iam Prophetam reuersum. Origenes, *Alij Eliam existimantes, quòd aut secundam natiuitatem susciperet Elias, aut ex eo tempore in corpore viuens in tempore apparuit illo: & magis tamen crederetur, quòd veniebat, & mittebatur nunc; quia Scriptura nouimus eum viuentem.*

Origen.

13. *Vndenam Ieremias?* Hieron.

Alij verò Ieremiam.] Hieronymus circa Ieremiam sic errorem vulgi expendit, *Turba potuerunt errare in Elia, & Ieremia, quemadmodum Herodes errauit in Ioanne. Vnde miror, quosdam interpretes causam errorum inquirere singulorum.* In hac quidem sententiâ sum. Attamen adiecerim, errantes Iudæos *aliqua motiua colorata habuisse*, vt verbis vtar Abulensis. Quænam? Similes eos fecit patientia in aduersitatibus, Lyranus. Vterque Propheta Gentibus constitutus, Origenes. Lyranum admitto; sed aptius assero, habitum Ideo Iesum Ieremiam, quia ille Iudæorum spes, præcipuus apud Deum pro Ierosolymâ intercessor, arma porrigens contra hostes, dum extenderet dexteram, vt Iudæ Machabæo aureum traderet gladium fatus: *Accipe gladium munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei Israel.* Lyra. Origen.

Aut vnum ex Prophetis.] Quisnam hic vnus ex Prophetis? Author. Histor. Schol. affirmat Elisæum, quia Elias & Elisæus transiêre Iordanem Baptismum designantes. Ego Elisæum esse dicerem existimatum propter operationem miraculorum potiùs, quàm propter Baptismum. Dicendum tamen vnum de Prophetis putatum in communi, siue quasi vnum ex Prophetis, quia omnia, quæ requirebantur ad munus Prophetæ in eo apparere nemo dubitaret. 14. *Quisnam hic vnus.* Cornel.

Quòd si faciliorem interpretationem cunctarum opinionum requiritis, probabiliter assero, vulgarem existimationem solum in communi Christi gesta, ac viuendi morem spectâsse. Cum perfectum virum aspicimus, & curamus commendare, vulgariter dicimus, si concionatur, *Es vn S. Pablo*: si laboribus vexatur, *Es vn Iob*, aut communiori elogio, *Es vn santo.* Contemplatus igitur vulgus Christum concionatorem egregium probis moribus coruscantem, acclamat: *O virum quidem admirabilem! Alter Baptista est; alter Elias, alter Ieremias, vnus est ex Prophetis.* Vulgariter vulgi expendo opinionem, *Es vn Baptista, vn Elias, vn Ieremias, vn Propheta.* 15. *Facilior Authoris totius clausula expositio.*

In Petrum & Paulum

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

Ex vulgari de Christo opinione.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Quem dicunt homines esse Filium hominis?

Petrus & Paulus non vulgum, sed ipsum Deum commendatorem habuêre.

Ostendo, Prælatos debere cognoscere, quidnam de ipsis vulgus sentiat, aut loquatur; Discipulos eis cuncta manifestare.

16. *Prælati specialiter debent de opinione sui interrogare.* Origen.

ORIGENES, Interrogabat Discipulos Christus, *vt nos semper scrutemur, qualis opinio sit apud homines de nobis.* Caietanus, *Exemplum dedit Iesus Prælatis, vt non negligant scire, quid de ipsis dicitur.* Subditus quidem non tam curare debet de communi opinione cognoscendâ, quàm Prælatus, *cuius tota vita* (vt Abulensis fatur) *exemplaris est.* Augustinus de bono disc. cap.8. *In hoc* (id est subdito) *solùm constat conuersationis ratio, vt boni simus. At laborandum illi* (id est Prælato) *vt qui bonitatem sequitur, bonus esse iudicetur.* Caietan. Abul. August.

Prælato proprium de inquisitione famæ curare: *Curam habe* (ait Salomon) *de bono nomine.* Eccli. 41. Subditis quidem indicitur proborum cura morum, magis quàm opinionis vulgaris inquisitio. Lyranus: *De bono nomine, id est, de re boni nominis, quæ est iustitia legalis, nam includit omnem virtutem.* At Prælatis non solùm de re ipsa, sed de fama hîc indicta inquisitionis cura. D. Thomas ad Cap. 18. Matth. *Sapiens quando interrogat Christus, docet. Vnde in multis instruimur Sacerdotes, Prælati, vt simus solliciti, quid de nobis dicatur, vt si malum, quòd corrigamus; si bonum,* 17. *Ex consilio Ecclesiastici cõmune subditus discit viuere iusti. Prælatus de opinione vulgi interrogare.* Eccli 41. Lyra. D Thom.

vt

vt conseruemus & multiplicemus. Vnde curam habe de bono nomine.

18. *Rex ipsum Deum interrogat, hominum dolosorum testimonium parui ducens.* Psalm. 108.

David Israëlis Rex, ne dolosorum hominum testimonio deciperetur, Dei ipsius requirit testificationem: *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.* Psalm. 108. Tanti interest Regem famæ propriæ opinionem exaudire, vt de hominum, mendacium vtique, veritate dubitans, Deum ipsum debeat interrogare? Ideò Dominus, opinione vulgari reiecta, non iam homines, sed Diuos Discipulos (vti Hieronymus) rogat, quid de se iudicarent. Incognitus: *Huiusmodi exemplum nobis Christus dedit, qui laudem suam, siue opinionem à Deo publicari quæsiuit, dicens: Deus laudem meam ne tacueris, ipsam manifesta, quia os dolosi super me apertum est, id est, populi Iudæi*, vbi alij me Ioannem, alij Eliam, alij dæmoniacum, & seductorem me esse iactauêre: *Vos, ô Discipuli, quem me esse dicitis?*

Hieron.

Iacog.

19. *Discipuli aut subditi moneant Præsules de praua opinione.* Orig. Gen. 37. Abul.

Pergit Origenes: *Sed & Discipuli Episcoporum, Apostolorum instruuntur exemplo, vt qualescũque opiniones audierint foris de Episcopis suis referant eis.* Accessit ad Iacobum olim Ioseph, vt fratres crimine pessimo accusaret. *Accusauit fratres suos apud patrem.* Gen. 37. Caietanus ex Hebræo: *Retulit malam famam eorum.* An Ioseph fratres accusando peccarit? Respondet negatiuè Abulensis: *Quia velle corrigere malè agentem, valdè opus pium est, magis quàm cibum parare egeno.* Porrò priusquàm parenti fratrum malam famam annunciaret, ipsis fratribus retulit. Abulensis: *Eos aliquando increpuit; sed quoniam minor erat, non fuit recepta monitio eius.* Ideò reor sapientiam adolescentis commendatam. Israël diligebat Ioseph, eò quòd in senectute *genuisset eum.* Abulensis legit, eò quod esset *loquens senectutes.* O fratres, pastores estis, non vestrum circà gregem curæ fama gloriosa. Mox, non proficiente admonitione, refert Patri Pastorum incuriam, siue ipsius parentis, si subditorum iniquitas sit Prælato adscribenda.

20. *Solummodò publicos defectus subditi deferunt publicè Prælato delinquenti.* 2. Reg. 12. Abul.

Monuerim tamen non quoscumque defectus Prælati esse ipsi à subditis publicè enunciandos; sed solùm modò publicâ notâ expositos. Natham Dauidem & adulterio & homicidio maculatum moniturus effatur: *Duo viri erant in Ciuitate vna, &c.* 2. *Reg.* 12. Vbi duplex quæstio enodanda. Vna quidem: Quare Natham Regem redarguit, parabolam inducens? Abulensis: *Vt demum magis confunderetur.* Credo tamen vsum parabolico sermone, quia Regis delicta proferebat; nec decebat subditum in Israël Pastorem insurgere taxaturum crimen, nisi modestiâ præmissâ. Ac si parabolæ obiectu Propheta ostenderet, se coactum munus concionatoris suscepisse. Altera autem: Quare Natham non obiecit Dauidi homicidium, sed solùm adulterium? *Sciendum* enim (ait Abulensis) *quòd non ponitur hîc tota quantitas delicti; nàm solum tangitur de peccato David, accipiendo Bethsabee, sed non de peccato, occidendo Vriam. Et tamen illud maius erat, quàm adulterium.* Respondeo igitur de solo adulterio locutum Nathamum, quia publicum adeò, vt eius fama eisdem, quibus Israël finibus circumscriberetur. At Vriæ occisio haud tunc vulgari cognitioni patebat. Subditus Prælato id solummodò audeat publicè denunciare, quod vulgariter circumfertur.

21. *Cùm publica nota defertur Præsuli à subdito, Præsul existimat Dei admonitionem.* Mat. 6.

Nam cùm publica opinio Præsuli aut Regi denunciatur, accipitur admonens, ac si Spiritu diuino profaretur. Herodi Ioannes: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* At licet Herodes pluribus sceleribus implicatus, *metuebat Ioannem, & audito eo multa faciebat.* Mat. 6. Quare non repellebat luxuriosus eum, qui inhibere curabat voluptatem? Strabus respondet: *Quia putabat eum Spiritu Dei loqui.* Hic cùm posset plura taxare, quibus illigor, delicta, solum adulterium, de quo publicè infamor, taxat. Puto me Dei vocem audire, iam vulgò clamitantes; quia *vox populi vox Dei est*: quis non credat?

22. *Quid de Ecclesiæ Principibus Petro & Paulo vulgus, quidnam Deus? Quos dicunt esse homines, imò Deus?* Chrysost. in Encom.

Iam verò, ô Ecclesiæ Principes Dominum imitati, quærite quid de vestra fama non vulgus, sed vniuersa sentiat Ecclesia, vt vnico ore cuncti subditi respondeamus: *Quid dicit, aut quid* loquitur totus Mundus. Scio: *Carceres* (inquit) *sanctificâstis, catenas decorâstis, tormenta subijstis, Christum portâstis, prædicatione Ecclesias lætificâstis. Sunt benedicta vestra linguæ instrumenta; sanguine conspersa sunt membra vestra propter Ecclesiam. Vos sine defectu imitati estis Christum in omnibus; in omnem terram exiit hic vester sonus.* Sic Chrysostomus ex ore communis Mundi acclamationis. An suspecta laus, quia humana? Si imitati estis Christum sine defectu in omnibus, & vulgarem opinionem veluti Christus quæsijstis, Deum iam interrogate: *Laudem meam ne tacueris.* Idem Doctor: *Paulus os meum* (Christus ait) *qui est trium cubitorum, & ad tertium cælum peruenit, qui loco circumscribitur, & Mundum vniuersum Deo circumscribit. Vas electionis est mihi iste, quod diuina est repletum gratia. Petrus est dulce Ecclesiæ spectaculum; is re verà est lampas vniuersæ terræ, alba & casta columba; feruens Spiritus, Angelus & homo gratiâ plenus.* Et concludit Chrysostomus: *Quid dicam ampliùs, si vos laudat ipse Dominus?* Edoceantur itaque Prælati conceptam à vulgo de se famam perquirere; subditi autem eis defectus ipsorum publicè notatos aperire.

Observatio II.

Ad illa verba:

Alij Ioannem Baptistam.

Sunt-nè Petrus & Paulus Ioanne Baptistâ inferiores?

Intereà assero præstandam Præsuli obedientiam, non quia doctior aut sanctior subdito est, sed quia à Deo præficitur.

HÆc Rabanus: *Quia inter homines nullus putabatur sanctior Ioanne, credebatur* 23.
quod post resurrectionem nullus faceret tanta Raban.
miracula sicut Ioannes: & quia Iesus tanta miracula faciebat (recole Commentarium §. 3.) *putatum est quod ille esset Ioannes Baptista re-*

surgens. Putabant Iudæi Sanctos post resurrectionem miracula excitaturos iuxta sanctitudinis mensuram. Apostolorum Principes à Baptista non videntur ex hoc argumento superati. Attamen vt innuam non esse superiorem Petro & Paulo, non miraculorum tantùm, sed agnitæ sanctitudinis splendore, vtar argumento præmittens Chrysostomum in Encom. apud Suri. *Vos estis magna Orbis lumina.*

24. *Lucidissimum diem Ioannis lux Petri & Pauli reddidit clariorem.* Ioa. 1. Damian.

Quid Ioannes? Alter Ioannes expressit: *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Cap 1. Magna Baptistæ lux; sed ne cum Herode possimus errare in Ioanne, dubitantes nùm sit lux increata, ideò ab Euangelista admonemur: *Non erat ille lux*, sed Solis Aurora. Petrus Dam. serm. de Apost. ait: *Petrus Apostolorum Princeps hodiernā diem nobis reddidit clariorem.* Iam Apostolorū dies sub solemnitatis Ioannis incidit splendorem, & non luce Baptistæ, magni luminaris, obruitur; sed potiùs diem Ioannis reddidit clariorem.

25. *Lux Ioannis auroræ lux, Petri & Pauli magnorum luminarium.* Gen. 1. Beda.

An quia Ioannis lux Auroræ, Petri & Pauli lumen, quale Solem decet; exurgit? Deus sub rerum exordio: *Fiat lux, & facta est lux*, die quidem primâ. Gen. 1. Die autem quartà *Fecit Deus duo luminaria magna.* Primâ itaque die creata lux, cùm iam cæli quasdam partes densiores obijcerent. Quonam modo ergo tunc lux eas non illustrauit, vt astra fierent? Respondet Beda: *Lux illa primi diei fuit tenuis similis luci Auroræ.* Lux Ioannis prima solemnis huiusce curriculi die ostentatur fulgentissima quidem, sed Auroræ: *Vt testimonium perhiberet de lumine.* At quartà die Petrus & Paulus, duo magna luminaria, accenduntur, quæ quidem hodiernam diem nobis clariorem reddidère.

26. *Duo æqualia magna luminaria Apostoli.* Gen 1. Carthus.

Cæterùm, vt appareat quàm appositè Apostoli duplici magno luminari figurentur, reuoca Geneseos illud ad memoriam: *Fecit Deus duo magna luminaria; luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* Cap. 1. Cuius pulchrum Carthusiani accipe Commentarium, serm. 2. *Quemadmodum Deus in machinâ Mundi cōstituit duo luminaria magna, Solem, vt præesset diei, & Lunam, vt præesset nocti. Ita in militanti Ecclesia, quæ sæpè in Euangelio vocatur Regnum cælorum, posuit luminaria duo magna; luminare maius Petrum, vt præesset diei, seu populo Iudæorum, in quibus cultus, & notitia vnius Dei; & luminare minus Paulum, vt præesset nocti, plebi Gentilium, qui ignorantiam Dei habentes, caligine idololatriæ fuerunt operti. Porrò Petrus dicitur luminare maius, non quod Paulus fuerit sapientiâ minor, aut quòd lumen sapientiæ à Petro acceperat, sed quoniam maior extitit Petrus potestate Prælaturæ, & iurisdictione.* Nec dies Ioannis lucidissimus lucidior apparet, quia Baptista sanctitudine inferior, sed quia Apostolicum reueretur Principatum. Vnde edocemur Præsuli submitti,

non quia sapientior aut sanctior ille,
sed quia nobis à Deo præfectus,
vti ex Sancto Ignatio Patre
nostro Epist. de obed.
didicimus.

***

Observatio III.

Ad illa verba:

Alij autem Eliam.

Petrus & Paulus zelo Eliæ succensi non in hominum ruinam, sed in conuersionem.

Vbi adnoto, agilitatem, efficaciam, & acrimoniam circa negotia gerenda in Euangelij ministris commendabilia.

27. *Christi zelus non in destructionem, sed in hominum salutem.* Abul.

CVR Christus Elias habitus? Rursum respondet Abulensis ex Lyrano: *Propter feruorem zeli. Fuit enim feruidus valdè Elias contra cultores Baal, & occidit quadringentos Prophetas Baal.* 3. Reg. 18. *Ita Christus erat feruens. Nam funiculo facto quasi flagello exclusit ementes & vendentes de Templo.* Ioa. 2. *dicens. Domus mea domus orationis vocabitur.* Addit Doctor appositè: *Quia putabatur Elias venturus, & quotidie expectabatur à Iudæis. Dixerat enim quòd mitteret Eliam, vt conuerteret corda patrum ad filios.* Malach. 4. En Eliæ zelus eò tendebat, vt patrum corda ad filios conuerteret. Ergo zelus & paterna pietas vnâ in sede morantur. Hic Christi zelus, quem Petrus & Paulus imitantur.

28. *Christus eu zeli acrimonia dulcior ad pietatem.* Psalm.

Quid zelo acri cum pietate dulci? Profectò acritas, seu feruor zeli acuit, ad proximorum salutem, pietatem. Mentem exponam. Arbor acrium fructuum, arbori dulcium parenti, assolet inseri, vnde acer succus dulci admixtus, illum efficit in dulcedine gratiorem, siue acrem reddit, & validum ad innatam dulcedinem exhibendam. Zelus Eliæ totus est dulcedini præparatus. De Christo Vates, *Dulcis & rectus Dominus, propter quod legem dabit delinquentibus.* Psal.... An propter rectitudinem peccatoribus implacabilis? Minimè sanè. Zelus enim rectitudinis acrimoniâ est dulcedinis, quâ efficacius, intensiusque peccatoribus venia paratur.

29. *Apostoli acres ad pietatem & misericordiam.* Bernard.

Petrus & Paulus Eliæ zelo accenduntur ad pietatis vberiorem dulcedinem. Bernardus de Apost. *Tales decebat humano generi Doctores, & Pastores constitui, qui & dulces essent, & potentes*, siue efficaces. *Dulces, vt me blandè & misericorditer susciperent; potentes, vt me fortiter protegerent.* Quis non crederet potentiam formidabiliter coniungi dulcedini? At potentiæ illius vis, zelus, acrimonia, seu efficacia est dulcedinis: robur pietatis in vberiorem protectionis ostensionem, In vtroque sigillatim ostendo.

30. *Petrus gladio vtitur ad efficaciorem hominum medicinam.* Ioa. 18. August.

Cùm Dominum illigaturi hostes accederent, Petrus Eliæ zelo accensus Malchum Pontificis famulum vulnerauit. Christus autem ad Petrum: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Ioa. 18. Haud hoc spiritus Apostoli, sed Eliæ. Cur Dominus monuit Discipulos gladios acquirere, si eis vti non licebat? Vt respondeam Augustinum præmitto, fantem hìc apud Saa. *Malchus interpretatur regnaturus. Auris ergo per Dominum amputata, & a Domino sanata, significat auditum*

auditū amputata vetustate venenatum. Curauit Dominus Apostolos gladio muniri, zelo, potētia accendi ad vulnus infligendū, quo non amputaretur auricula, sed aperiretur; vt gladij gestatio eos efficeret acres seu efficaces ad pietatis ostensionem. Ideo Dominus, *Mitte*, ait, *gladium tuum in vaginam*, siue, vt alij: *Conuerte gladium tuum.* Conuerte gladium strictum ad auris vulnus; in auris cuius fides ministerio ad corda penetrat) medicamen. Acutè Strabus. Conuerte verbum prædicationis ad gentes. Petro dicit; mitte verbum prædicationis ad Israël. Ac si diceret, zelus iste conuertendis, non destruendis Iudæis & Gentilibus impendatur. Hinc vno vulnere tria millia; altero quinque millia hominum, apertis auribus, traxit ad fidem. Quid mirum, si gladij acies charitatis dulcedini addebat efficaciam? Chrysostomus illustrat excogitationem, dùm ait: *Petrus acris Apostolus*, siue acris nuncius Euangelij, quia zelo dulcedo increscit, acrimoniā pietas dilatatur. Chrysost.

31. *Ira Pauli, seu zelus vniuersus in efficaciorem Christianus exhibitam pietatem.* Matt. 12. August.

Pergo ad Paulum: *Quomodo potest* (Christus inquit) *quidquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere?* Matt. 12. Ad quæ Augustinus de verb. Dom. ad Matt. 12. Cap. 10. *Ipse vas erat in domo illius malè fortis, cùm esset Ecclesiæ persecutor, blasphemus, insidiosus; sed ille qui alligauit fortem, ab eo vas perditionis eripuit, & vas electionis effecit.* Ipsum vas plenum olim veneno, iam plenum pietate Orbi propinatur, zelus noxius iam est acrimonia pietatis. Alibi Pater: *Paulus missus est ad gentes, ex latrone pastor, ex lupo ouis.* Sic ser. 74. de temp. An vt latronis sollicitudo pastorali curæ diligentiam, lupina ira acrimoniam adderet mansuetudini ad vberiorem dilatationem? Ita planè.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Alij verò Ieremiam.

Ieremiæ protectoris in morem, Petrus & Paulus clauis, gladijque gestatores, aduersus inferorū portas insurgunt pugnaturi.

Vbi adnoto, pænitentiæ claues arma aduersus inferorum portas suggerere.

32. *Apostoli ducunt exercitum.*

HABITVM Christum Ieremiam vidimus: *Quia Iudæi* (ait Abulensis) *specialem spem habebant in Ieremiam; Quia ipse veniebat ad confortandum eos, quando erant in aduersitate, & dabat arma contra hostes.* Abul. Augustinus Petrum & Paulum *potentissimos Duces* appellat. *Petrus antiquum de veteribus reducit, Paulus nouum de tyronibus Christi ducit exercitum.* August.

33. *Petrus clauibus, & Paulus ense aduersus inferorum portas dimicant.* 1. Mach. 16.

Iudæ Machabæo Ieremias aureum gladium dicitur porrexisse. *Accipe* (inquit) *gladium, in quo deiicies omnes aduersarios populi mei Israel.* 2. Machab. 16. Apostoli non gladium alteri Duci tradunt, sed ipsi contra aduersarios valenter stringunt. Non-nè Petrum claues vides gestantem? Annon gladium Pauli in dexterā intueris? En Duces aduersus Ecclesiæ hostes dimicaturos. *Tu es* (Christus ait) *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eum, & tibi dabo claues Regni Cælorum.* Matt. 16. Quidnam in portis inferi designatur? Hieron. *Ego portas inferi reor vitia, atque peccata, hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines deducuntur ad tartarum.* Iam quæris, cur hostes animi portarum typo significentur? Quia Petrus & Paulus Duces Ecclesiæ, & clauibus & gladio sunt dimicaturi. Mentem exponam. Matt. 16. Hier.

34. *Petrus clauibus aperit claustra. Paulus gladio tela ignea superat.*

Tartarus ita clausus, vt nullus præter eum qui occlusit aperiat, clausurā pro armis vtitur? Bellè ergo Petrus claues gestans pro gladio, vt aperiens carcerem locus fugiendi pateat delinquentibus; *Tibi dabo claues, quidquid solueris, erit solutum.* Peccata siue tela Principis tenebrarum quædam sunt veluti ignea inferni repagula. Adest Ecclesiæ Paradisi Cherub. Paulus gladij ignei gestator, quo tela hostis ignea valeat superare. Chrysostomus citat: *Vos estis muri Christianorum, barbarorum aduersarij, qui chamum hæreticis imposuistis, qui à ratione alienus animi perturbationes morte affecistis; qui legiones Dæmonum expulistis; qui aras idolorum diruistis.* Vndenam tanta Apostolis potentia? *Qui claues accepistis, eorum autem quæ sunt infrà soluendi & ligandi potestatem habetis. Claues accepistis*, pondera. Claues gestant Petrus & Paulus, simul gladium stringunt, quia Petri claues gladius est. Gladius Pauli claues existunt ad portarum inferi destructionem. Pœnitentiæ vim adnota ad claustra Tartari reseranda. Vnde si hostes horribiles vis ad ruinam afferre, claustris Tartari reseratis, vt victo animo pateat egrediendi aditus, te pœnitentiæ trade protectioni. Chrysostomus ad Psalm. 104. *Vis videre ruinam eorum qui te oppugnant? Te tuorum pæniteat peccatorum, & corruent inimici.* Chrysol. Chrysost.

SECTIO SECVNDA

Opinio de Christo Apostolica.

TEXTVS.

VERS. 15. DIXIT illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. 17. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona; quia caro & sanguis

non

non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

De Apostolorum circa Christum sententiâ.

1. *Altiora de Iesu Apostoli vt non vulgares homines debebant opinari.* Chrysost.

DIcit illis Iesus: *Vos autem quem me esse dicitis?*] Vos igitur, qui nihil cum turbis commune habetis, quem me existimatis? Altiora de me proferte, qui maiora cognoscitis. Sic exponit Chrysostomus, *Quia verè Discipuli opinionem turbæ recitauerant, euocat eos per secundam interrogationem, ad opinandum aliquid maius de ipso: & ideo dicit, Vos autem, quem me esse dicitis? Vos, inquam, qui semper mecum estis, & maiora signa vidistis, non oportet in opinione conuenire cum turbis.*

2. *Apostoli supra homines constituuntur: non quia dij, sed quia homines non vulgares.* Hieron.

Vos autem.] Vulgus vocauit *homines*, quia Ipsum hominem solummodo opinabantur. Apostolos autem, qui altius de Domino sentiebant, homines non appellauit, sed supra homines Innuit debere constitui: *Vos autem.* Hieronymus, *Apostoli nequaquam homines, sed dij appellantur. Cùm enim dixisset: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Subiecit: Vos autem quem me esse dicitis? Quasi dicat: Homines sunt, qui humana opinantur Vos, qui dij estis, quem me esse existimatis?* Rectè sanè. Sed crediderim facilius expendens locum, hominibus non tanquam deos, sed vulgò tanquam non vulgares homines Apostolos opponi, vti ex Chrysostomo innui.

3. *Cur Petrus responderit?* Chrysost. Hilar. August. Cyril.

Respondens Petrus.] Cur potiùs Petrus responderit? Chrysostomus, Quia *omnium Princeps.* Hilarius, Quia *ardentioris erat fidei.* August. Quia *Apostolorum os.* Cyrillus, *Præuenit Petrus cæteros, fitque os totius Collegij.* Existimo ex ardentiore fidei affectu cæteros præuenisse loquendo, quemadmodum è zelo socios præuenit Malchum vulneraturus.

4. *An Petrus pro se solo responderit?*

Num Petrus pro se, an pro vniuerso Collegio responderit? Omnes proculdubio eandem opinionem fouebant, quam Petrus, & si sigillatim Dominus vota omnium scrutaretur, idem singuli responderent. Patet, quia Christus eorum petierat opinionis professionem, cum dixit: *Vos autem quem me esse dicitis?* si ergo aliquis cognosceret confessionem suam non eandem quæ Petri, reclamaret, suamque mentem aperiret. Attamen non constat determinatè, an nomine omnium Petrus responderit. Vnde conuenientius reor affirmandum Petrum pro se solo exhibuisse sententiam. Moueor, quia si nomine omnium loqueretur, illa confessio omnium esset, ex quâ non magis Petrus confitendo, quam cæteri, mererentur præmiũ communiter assignandum: solus Petrus præmio afficitur: Ergo pro se solo Petrus respondit. Fateor cunctorum meritò à Patribus vocitatum, quia pro se testimonium ferens, accidit vt opinionem reliquorum eandem protulisset.

Authoris affirmatiu placitum.

Tu es Christus Filius Dei viui.] Filium Dei appellat natura, non adoptione, immissum vtique à Deo viuente: *sicut misit me viuens Pater.* Ioan. 1. Profectò adoptione filium & turbæ arbitrabantur, cum iustum, & Prophetam existimabant. Vnde ex hoc loco efficaciter Patres Christi Diuinitatem probauere, Hilarius, Athanasius, Dionysius Alex. & alij. 5.

Filium Dei natura appellauit.

Quare Deum *viuum* appellauit? Basilius lib. de pœn. legit, *Filius Dei excelsi.* At *viui* lectio retinenda. More Scripturæ imitatur Petrus: *Viuo ego.* sic Origenes, *Filius Dei viui, qui per Prophetas dixerat: Viuo ego, dicit Dominus: & ideo dicebatur viuus, per excellentiam, quâ supereminet omnibus habentibus vitam, quoniam solus habet immortalitatem, & est fons vita.* Puto tamen *Filium Dei viui* appellatum ad differentiam idolorum, quæ res motiuæ, vti Beda, Euthymius, & Hieronymus aduotarunt. *Deum* (hic ait) *viuum appellat, ad comparationem eorum deorum, qui putabantur dij, sed mortui sunt. Saturnum dico, Iouem, Venerem, Herculem, & cætera idolorum portenta.* 6.

Cur Dei viui filium vocat? Origen.

Beda. Euthym. Hieron.

§. II.

De præcelsa præmio Confessionis.

REspondens autem Iesus, dicit ei: *Beatus es Simon.* Cur Christus bona Petro post confessionem imprecatur? Respondet Abulensis. *Quod confessio fidei sit laudabilis, & Deus pro illa retribuat maxima bona, scilicet beatitudinem Ideo dicit Beatus es Simon.* Quare, aliis Discipulis eadem credentibus, idem præmium non assignatur An quia Petrus aliquid confitendo meruisset vlteriùs? Certè cunctis credentibus beatitudo assignatur in Petro, licèt credenti & confitenti abundantius præmium addicitur. 7.

Duplici quæstioni respondetur. Abul.

Bar-jona. Pluribus Petrus nominibus insignitur. *Simon, Petrus, Cephas, Simon Ioannis, Simon Petrus, & Simon Bar-jona.* Hoc quidem compositum idem est, quod Filius columbæ quia *Bar* filius, *Iona* columba. Quæris ergo num ex columba inditum Petro nomen? Respondet Hieronymus, *Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod reuelationem ex Spiritu sancto habet, cuius & filius appellandus sit; siquidem Bar-Iona in linguâ nostrâ sonat Filius columbæ,* Mysticum hoc. 8.

Quid Bar-jona?

Puto igitur idem esse *Bar-jona*, ac *Filium Ioannis*, vel *Ioanna*, fante Domino. *Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas.* Ioan. 1. Simon *Ioannis diligis me plus his?* Ioan. 21. Cur autem fuerit syllaba detracta? Hieron. *Simon Petrus filius est Ioannis, & scriptorum vitio deprauatum,* 9.

Authoris sententia. Ioan. 1. Ioan. 21.

prauatum,

prauatum, vt pro Bar-Ioanna, id est, filio Ioannis, Bar-Iona, scriptum sit, vnâ detractâ syllabâ.

10. *Quid caro & sanguis. Pasch.* *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Carnem & sanguinem homines carne & sanguine constantes nominat, vt opponat Deo. Paschasius lib. 8. *Neque ab homine Petrus, neque per hominem hanc habuit gratiam, neque vllis humanis sensibus hanc didicit doctrinam. Quoniam sicut nemo nouit Filium nisi Pater, sic nemo Patrem nisi Filius, & cui voluerit eum Filius reuelare. Ac per hoc, sicut reuelat solus Filius Patrem per Spiritum Sanctum, ita & Pater Filium per eundem Spiritum Sanctum.* Petrus ergo non ex hominum traditione, sed ex Patris reuelatione Filium Dominum Dei profitetur.

11. *Loci expositio.* *Et ego dico tibi.* Elegans antithesis, Græcè: *Sed & ego dico tibi.* Quasi dicat. To qui homo es, Filium Dei me esse protulisti: ego verò, qui Filius Dei viui sum, dico te esse Petrum, id est, Vicarium meum, quem Filium Dei esse profiteris. Nam Ecclesiam meam, quæ super me est exædificata, super te etiam, tanquam super secundarium quoddam fundamentum ædificabo. *Maldon. Caiet.* Accipe ex Maldonato, id quod ex Caietano confirmo. *Et ego dico tibi: Præuentus tu a Patre meo reuelatione, dixisti mihi: Tu es Christus Filius Dei viui; & ego prosequendo cœpta à Patre, & ego vicissitudinem tibi reddendo, dico tibi:*

12. *Num nomen tum, situm nunc Petri Simoni? Ioann. 1.* *Quia tu es Petrus, &c.*] Caietanus: *Quia tu es saxum.* An Simoni in præsenti nomen Petri fuerit impositum? Aliquibus videtur nondùm anteà Petrum vocatum, sed nomen tantùm fuisse promissum, cùm dixit Christus: *Tu vocaberis Cephas.* Ioann. 1. Probabilius reputo cum Augustino, iam inde ab initio vocationis suæ sic compellatum. Mar. 6. Luc. 3. Vnde cùm Dominus ait: *Tu vocaberis Cephas,* nomen Simoni imposuit. Ac si diceret. Deinceps non vocaberis Simon, sed Petrus, licèt in præsenti nomen Petri acquisijsse, stante promissis Domino, valdè probabile existimo.

13. *Quænam petra?* *Et super hanc petram.*] Quamnam? Petrum ipsum affirmat Hieronymus. *Secundùm metaphoram petra rectè dicitur ei: Aedificabo Ecclesiam meam super te.* Christum autem asserit Augustinus: *Super hanc petram quam confessus est Petrus, dicens: Tu es Christus Filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam.* Hieron. August. Nec super Christum, nec super Petrum, sed super confessionem à Petro factam existimat Abulensis, fatus: *Ecclesia in fide fundatur, & fides vocatur petra, quia solida manet. Christus Petro, super hanc petram confessionis tuæ; quia tu dixisti: Tu es Christus Filius Dei viui, & ista fides manebit semper in Ecclesia, & super eam fundatur Ecclesia.* Abul. Didicit ex Hilario, Nysseno, & Chrysostomo, quos citat Maldonatus, primæ hæreo sententiæ, scilicet per *hanc petram* Petrum intelligi, super quem tanquam fundamentum secundarium, Ecclesia ædificata. Hilar. & alij. Addo D. Thomæ expositionem: *Super te petram ædificabo Ecclesiam meam. Sed quid est? Est-nè Christus & Petrus fundamentum? Christus secundum se, Petrus autem in quantum habuit concessionem Christi.* Thom. Cui sententiæ subscribendum.

Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quidnam in portis inferni designatur? 14. *Quid portæ inferi.* Hieronymus: *Ego per portas inferi vitia reor, etiam hæreticorum dogmata, per quæ illecti homines ducuntur ad tartara.* Hier. Origenes: *Singula spirituales nequitiæ portæ sunt inferorum.* Orig. Reor tamen tormenta & blandimenta persecutorum portas inferi vocitari. Rabanus: *Portæ inferi & tormenta sunt & blandimenta persecutorum.* Raban. Huius sæculi Principes nec blandimentis nec terroribus aduersus Ecclesiam præualebunt. Cur autem sæcularis huiusmodi potestas portarum nomine designetur, Caietanus exposuit, Caiet. quia scilicet sæcularis potestatis *viribus diabolus vtitur, veluti portis inferni, per quas aditus sit ad inferos.* Omnes igitur visibiles & inuisibiles hostes succumbent Ecclesiæ.

Quare non proprio nomine potentium hostium, sed metaphoricè portas appellauit? 15. *Cur potentia hostium metaphoricè designatur?* Quia de Ecclesiâ Christus tanquam de Ciuitate loquebatur, cuius portæ pars munitissima. *Quoniam confortauit seras portarum tuarum.* Psalm. 147. Psalm. 147. Non præualebunt. Græcè: *Non vincent. Aduersus eam.* An Ecclesiam, vel petram? Origenes tàm ad Ecclesiam quàm ad petram retulit. Orig. At ad Ecclesiam probabiliùs arbitror referendum.

In Petrum & Paulum

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

Ex opinione de Christo Apostolica.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Vos autem quem me esse dicitis?

Petrus & Paulus euecti quodammodo ad Diuinitatis fastigium ostentantur.

Vbi de Sacerdotum Deitate.

QVID Ioanni, Eliæ, aut Ieremiæ æquandos, aut præponendos Apostolos studeo, 16.
si, authore Domino, ad Diuinitatis fastigium quodammodo euehuntur? Hieronymus: *Textu sermonis Apostoli nequaquam homines, sed Dij appellantur, illi qui homines sunt humana opinantur: vos qui Dij estis, quem me esse existimatis?* Hier.

Profectò de Petri ac Pauli Deitate sic Bernardus 17.

Vndenam Apoſtoli Dij eſſe oſtentantur. Bernard.

nardus, ferm. de Vig. Apoſt. *Homines iſti fuerunt qui præceſſerunt nos. Qui tam mirabiliter præceſſerunt per vias vitæ, vt vix eos homines fuiſſe credamus, quid illis potentius, dum fuerunt in terris, quorum alteri traduntur claues Regni calorum, alteri magiſterium gentium; alter Anniam & Saphiram occidit in verbis oris ſui; alter donat quidquid donat in perſona Chriſti.* Ac ſi diceret. Apoſtolorum Principes, non homines, ſed Dij eſſe oſtentantur; Petrus, quia Regni cæleſtis claues geſtat, & gladio oris ſui percuſſit peccatores: Paulus, quia Gentium magiſter, & quia in perſonâ donat Saluatoris. Paucis illuſtro.

18. *Petrus cæli Clauicularius Deus oſtenditur quodammodo.* Apoc. 19. Auguſt.

Petrus cæli clauicularius. Ioannes ſic: *Vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi. Hic habet in veſtimento, & ſuper fœmur ſcriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* Apoc. 19. Vbi Auguſtin. hom. 16. *Vidi Dominum Chriſtum habentem clauem; id eſt, poteſtatem populi. Dicit in primo aduentu.* Quare *in primo aduentu* dixiſſe adnotat? Quia etiam tunc cùm Dominus deſcendit, cùm vilibus humanitatis veſtitur indumentis: *Rex Regum, Dominus dominantium*, ex claue apparet, Deitatiſque decoratur cognomine, etiam cùm ortus homo adnotatur. Quid igitur Petrus claues & abyſſi & cæli ab ipſo Domino acceptas geſtans? Vix eum hominem fuiſſe credendum.

19. *Voce interficiens Ananiam, & Saphiram, Deitatem indicat.* Act. 5. Caiet.

Audiſti Ananiæ & Saphiræ de agri pretio detrahentium ruinam? *Quare poſuiſti* (inquit Petrus) *in corde tuo rem hanc? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Act. 5. Tibi, ô Petre, mentiri Ananias conatus fuerat, non Deo. Non homini mihi, ſed Deo mentitus eſt; quia Deus Petri habitator? Caietanus: *Deo mentitus es habitanti in nobis. Tu irrogaſti iniuriam nobis hominibus, ſed Deo in nobis.* Certè irrogauit iniuriam mentitus non homini, ſed Deo, quia Petrus Deitate quodammodo decoratur. Annon hominis Filius, Dei vtique Vnigenitus, ore gladium geſtans Euangeliſtæ obijcitur. Apoc. 1. Deus ille homo, qui voce velut gladio ancipiti valet internecare. Petrus ergo voce occidens quaſi Deus, Caietanus adijcit: *Propterea dixit: Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Probauit autem, *ſe Deum dupliciter, primò reuelando ſecretum Ananiæ, & deinde pœna ſubſequente.*

Apoc. 1. Caiet.

20. *Paulus vti Deus, Sole pro Throno vtitur Gentium Doctor.* Pſalm. 18. Auguſt.

Iam rutilet Pauli ex Gentium magiſterio gloria Diuinitatis. De Filio Dei Vates: *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus, &c.* Pſalm. 18. Paulus dùm gerit Gentium magiſterium, Sole vti Deus pro Throno vtitur. *Et vidi* (ait Ioannes) *Angelum ſtantem in Sole.* Apocal. 19. Vbi pulchrè Auguſtinus: *Vidi Prædicatorem in Eccl*[illegible]. Quinam per antonomaſiam Eccleſiæ Prædicator nisi *Paulus Doctor Gentium, & magnus Prædicator veritatis?*

21. *Donat Paulus in perſona Chriſti.* Gal. 2. Anſelm.

Hic quidquid donat (vt Bernardus aiebat) in perſonâ Chriſti donat. *Viuo ego, ait, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Gal. 2. Vbi Anſelmus: *Vigorem benè operandi habeo, iam non ego, viuit & regnat in me Chriſti bonitas.* Quodnam Chriſti munus præſtantiſſimum? Crux. Crucifixus ſim, *ſed viuo. Omnibus omnia*, ait, *factus ſum.* An in hominis vel in Chriſti diuini & humani perſona? *Paulus* (inquit Bernardus) *quidquid donat, donat in perſonâ Chriſti*, quia alter Chriſtus oſtentatur. Hinc ediſce, Sacerdotes Diuos potiùs quam homines appellandos, ſi Clauicularij Regni, ſi ore enecant, aut viuificant, ſi prædicatores egregij; ſi Deitatis munerum largitores.

Observatio II.

Ad illa verba:

Beatus es Simon Bar-jona.

Petrus & Paulus in valle lachrymarum fuere quodammodo donati beatitudine.

Vbi innuo, iuſtum ſimul in exilio & in patriâ degere.

SCio beatitudinem impropriè eſſe benedictionem, propriè autem æternam fœlicitatem. An Petrus propriè beatus appellatus? Abulenſis: *Accipiendo propriè beatum, vocat beatum eum, quia pro confeſſione fidei debetur ei æterna beatitudo. Et quia tunc Petrus confeſſus fuerat fidem, dicit eum beatum. Cæteri Apoſtoli meruerunt credendo, ſicut & Petrus, & præmium eis redditur.* Actú-ne Apoſtoli beati, an in ſpe? Quodammodo actuali beatitudine frui Petrum & Paulum oſtendam. 22.

De beatitudine perfecta ſermo. Abul.

Obijcite menti veſtræ Chriſtum viatorem portione ſuperiori beatum, Dei viſione coruſcum; portione autem inferiori huiuſce vallis miſerijs pluribus vulneratum. Ex ſuperiori Diuinæ ſeſe voluntati ſine cunctatione ſubdebat. *Fiat voluntas tua*; ex inferiori renuit calicis hauſtum. *Tranſeat à me calix iſte.* Matth. 26. Vnde & vult, & non vult ſe morti ſubmittere; volens & non volens quodammodo moritur. Iam verò Petrum & Paulum iàm ſimiles Chriſto contemplor effectos, vt apud vallem lachrymarum portione ſuperiori quodammodo gloriâ fruentes, & inferiori obſequentes paſſibilitati humanæ videantur. 23.

Quonam modo Chriſtus & beatus eſſet & pateretur volens & nolens. Matt. 6.

Dominus Petro. *Cum eſſes iunior cingebas te, & ibas quo volebas; cùm autem ſenior factus fueris alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* Ioann. 21. Renuiſ-nè, ô Petre, ad Crucem deſideratam pergere? Chriſtũ ſequor Cruciferum, dùm & velle & non velle videor. *Fiat voluntas tua: Tranſeat à me calix iſte.* Perpulchrè Auguſtinus ad Pſalm. 30. *Petrus tanta perfectione, quò noluit ductus eſt, & volens nolens mortuus eſt. Quia cùm ſenueris* (ait Dominus) *alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* 24.

Petrus Chriſtum imitatur volens & nolens. Ioann. 21.

P[illegible]us inclamat. *Siue mente excedimus Deo, ſiue ſobrij ſumus vobis; charitas enim Chriſti vrget nos.* 2. Cor. 5. τὸ *ſobrij ſumus*, idem eſt, ac *Nos temperamus*. Vt ſit ſenſus. Mente excedimus, eleuamur, quodammodo potimur beatitudine. At temperamus nos, Chriſti charitate obiectâ, vt in valle mundiali vobiſcum commoremur, veſtriſque miſerijs diuexari valeamus Auguſtinus citat. *Siue excedimus Deo, ſiue temperantes ſumus vobis charitas enim Chriſti compellit nos. Si ea tantùm ne*[illegible]*demus, qua* 25.

Imitatur & Paulus excedens Deo, vt temperans hominibus. 2. Cor. 5. Auguſt.

quæ mentis excessu intuemur, vobiscum non essemus. (En portione superiori quodammodo beata non vult.) *Sed ejeiunus in supernis, tanquam contemptis vobis. Compellente nos Charitate Christi, nos consideramus esse seruos, & non ingrati ei, a quo accepimus altiora, non contemnimus inferiora, & temperamus nos eis portione inferiori, Iesu operante Charitate*, iam vult.

26. Apostoli igitur in morem Domini fruentis, & patientis, simul quodammodo & gaudebant fruentes, & dolebant passionum tolerantiâ. Chrysostomus, *Gaudeas, Petre, cui datum est ut ligno Crucis Christi fruereris, & ad Magistri similitudinem voluisti crucifigi. Voluisti* quidem ductus iam quò tu vis, *Gaudeas & Paule, cuius beatum caput fuit ense amputatum.* Quid gaudio cum suffixione, cum vulnere? Profectò Apostoli in morem Saluatoris & beatitudine frui, & simul tormentorum vi submitti videbantur.

Apostoli & gaudebant fruentes, & dolebant tolerantes. Chrysost.

27. An solis sibi beati Apostoli? Vniuersum terrarum Orbem beatitudine donant. Bernardus ser. in Vigil. Apost. *Sufficeret vnius* (Petri aut Pauli) *festiuitas, ad infundendam exultationem vniuersa terra; sed amborum iuncta est, ad cumulum gaudiorum.* Non solùm Orbis exultatione beatâ plenus; sed Iordanis instar, exorbitat in cumulum. Edocetur *iustum posse simul pati, & Patria quodammodo voluptate frui.*

Totum orbem beate. Bernard.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram, &c.

Petrus & Paulus duo pares ad Ecclesiæ culturam iuuenci.

Vbi ostendo Euangelij ministros ad laborem criminum recordatione excitari.

28. Divum Thomam præmitto. *Superædificati super fundamentum Apostolorum* (Paulus ait Ephes. 2.) *Fundamenta Ciuitatis duodecim; & in ipsis duodecim nomina Apostolorum. Ideo Christus secundùm se est fundamentum; sed Apostoli non secundùm se, sed per concessionem Christi.* Vnde particula *Tibi* ad omnes Apostolos (licet Petro Præsuli speciali iure) extenditur, *Tibi dico*, Paule. Profectò licèt Dominus cum Paulo non loqueretur, necessariò Petri munus Paulo videretur appositum, quia adeo Apostoli similes obiiciuntur, vt identitate dixeris colligati. Id quod pluribus Obseruationibus illustro.

Cunctis Apostolis dictum: Ego dico tibi. Thom.

29. Annon malè *inæquales veniunt ad aratra iuuenci?* Quàm æquales Petrus & Paulus Ecclesiæ boues! Chrysostomus apud Metap. *Petrus & Paulus iuncti boues Ecclesia, qui vniuerso Orbi terrarum bonam intulerunt negotiationem; qui Crucem pro iugo sustulerunt; pro onere autem nomen Saluatoris; pro collaribus Testamentum scriptum; pro stimulo gratiam Spiritus*, laborum magnitudinem, stimulum adnotabo.

Petrus & Paulus iuuenci æquales. Chrysost.

Petri equidem magna tolerantia. *Petre, amas me? Pasce oues meas.* Ioan. 21. ad onus magnum magnus amor requiritur. Augustinus de verb. Dom. in Ioan 49. *Dominus exigit a Petro: Petre amas me? Quasi, Quid mihi dabis, quid mihi præstabis, quia amas me? Quid erat præstaturus Petrus resurgenti Domino, & eunti in cælum, & sedenti ad dexteram Patris? Hoc mihi dabis, aut hoc mihi præstabis, si amas me, vt pascas oues meas.* Omne pondus mihi à Patre humeris impositum, omnem Principatum tuis humeris ad superos volaturus adhibeo. 30.

Petri incredibilis tolerantia quia ineffabilis amor. Ioan. 21. August.

Num sese Paulus ab onere exemit? semper alligatus iugo pro conditione bouis. *Vado in Ierusalem alligatus spiritu, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per omnes Ciuitates protestatus est mihi, quoniam vincula, & tribulationes me manent* Act. 20. super quem locum Chrysostomus, *Quid igitur abis in vincula, si te tribulationes manent? Ob id ipsum, vt pro Christo vinciar, vt pro Christo moriar; non enim solum alligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Iesu Christi. Quid igitur? Pudore non superaris? non times, Orbem circumiens vinctus? Non eiusmodi, inquit, mea vincula.* Quænam igitur vincula Pauli? *Vado in Ierusalem alligatus spiritu.* Dilectionis vinculo alligatus bos, onus vinculo ad onera propero. 31.

Paulus alligatus dilectioni, labori alligatur. Act. 20. Chrysost.

Nec defuere Apostolis stimuli, queis ad labores excitarentur. Petro quidem stimulus trina negatio. Damascenus lib. 2. Paral. ex Chrysost. *Petre, quem vidisti, vt tam citò negares? Vilem puellam. Hac visa Christum abiurasti, Peccato porro succubuit, vt peccatum suum cogitans, ipse alijs peccantibus benignè ignosceret.* Trina negatio stimulus Petro boui, vt ad septies in die excidentes, subleuaturus onera, properaret. 32.

Stimulus Petrum excitat abnegationis recordatio. Damasc.

Paulo Dominus, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Act. 9. Boui Ecclesiæ laboraturo adhibetur stimulus. *Datus est*, inquit, *mihi stimulus carnis meæ.* Aliquis asseruit stimulum Pauli à se persecutione affectæ Ecclesiæ recordationem extitisse. Huiusmodi stimulo leuia onera reputabat. Chrysostomus lib. 3. de Prou. *Pauli famem, sitim, nuditatem, naufragia, deserti habitationes, timores, pericula, insidias, carceres, verbera, vigilias, mortes, & alia, quæ prædicationis causa perpessus est, ne ferenda quidem arbitror. At vero quando illum Asiatici omnes auersati sunt, quando Galatæ peruersi, quando Ecclesiam Corinthi plurimas in partes sciderunt, quid illum perpessum putas? quantas illius animo tenebras offusas arbitraris?* Quænam te, ô bos Ecclesiæ, vis ad tam intolerabilem impulit laborem? *Datus ei stimulus*, (adiicit pulchrè Doctor) *ita eum vexabat, & affligebat.* O præacta in Ecclesiam à me persecutio, quam amara est memoria tua, me ad innumeros ineffabiles labores impellens; vt eam excolam bouis in morem, quam lupus curaui discerpere; Iam exclamet Chrysostomus in Encom. *Salue beata biga, quæ vna es anima in duobus corporibus.* Euangelici interea edoceantur ministri cunctique fideles, è memoriâ criminum laborum leuare tolerantiam. 33.

Stimulus Pauli recordatio persecutionis Ecclesiæ. Act. 9. Chrysost.

OBSERVATIO IX.

Ad illa verba:

Et ego dico tibi, &c.

Petrus & Paulus duo magna luminaria cæli, seu duo æqualia Ecclesiæ lumina.

Vbi de Euangelij ministrorum concordiâ.

34. AD præfatam Petri & Pauli similitudinem exprimendam confert oculorũ metaphora. Quis dubitet oculos & magnitudine, & distantiâ, & situ, & colore, & lumine similes esse oportere, ne facies improportionis vitio laborare videatur? Bernard. serm. 1. de Apost. *Gloriosa nobis solemnitas illuxit, quam Apostolorum Principes morte clarissimâ consecrârunt. Isti sunt Petrus, & Paulus duo magna Luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit quasi geminum lumen oculorum.*

Bernard.

35. Deus *fecit duo luminaria magna, luminare maius vt praeesset diei: & Luminare minus, vt praeesset nocti.* Gen 1. si vtraque magna luminaria, cur vnum altero minus dicitur? Num quia Luna radios emendicat à Sole? quidquid sit de Solis excessu in materialibus, scio Petrum Solem, Paulum Lunam adeo paria luminaria, vt Dionysius Carthus. serm. 3. de Apost. scribat: *In militanti Ecclesiâ posuit Deus luminaria duo magna; luminare maius, vt praeesset diei Iudaeorum, videlicet Petrum: luminare minus, vt praeesset nocti Gentium, vt potè Paulum. Porro Petrus dicitur Luminare maius, non quòd Paulus fuerit in sapientiâ minor; aut quòd lumen à Petro acceperit, vel quòd docuit pauciore, sed quoniam maior extitit Paulo potestate Praelaticâ, & iurisdictione.* Nam si duo hæc magna luminaria Ecclesiæ sunt lumina, necessum erat, omnino æqualia emicare.

Æqualitas horum luminarium cæli, quia Ecclesiæ luminum. Gen. 1. Carthus.

36. Huiusmodi æqualitatem ipse Paulus expressit. *Cum vidissent mihi commissum Euangelium praeputij, quemadmodum Petro circuncisionis, dextras dederunt mihi. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & in me inter Gentes.* Gal. 2 Vbi Chrysostomus sic legens, fatur: *Quemadmodum praeputij nomine designat Gentes, circuncisionis nomine Iudaeos. Praeest Petrus Sol diei circuncisionis, Paulus Luna nocti praeputij. Iam se caeteris parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi Petro summo comparat, declarans; quòd vnusquisque parem sortitus est dignitatẽ.* Prout scilicet decebat eos, quos Deus in Ecclesiæ corpore constituit *quasi geminum lumen oculorum.*

Paulus id affirmauit. Galat. 2. Chrysost.

37. Attamen licet Paulus à Spiritu sancto lumen accepisset, in morem Lunæ, Solis Petri requisit aspectus, vt humilitatis ergò, ostendat se alienâ communis Solis Ecclesiæ luce micare. *Ascendi Ierosolymam, vt viderem Petrum.* Gal. 1. An non Luna tenebris offunditur quando Solis non aspicit Orbem? Pergo, vt Petrum videam, & ex fonte luminis hauriam splendorem. Pulchrè Chrysostomus, *Quid hoc animo possit esse modestius? Post talia tanta benefacta cum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce* (dixerim *luce*) *sed par esset illi honore; tamen ascendit velut ad maiorem,* (ad maius vtique luminare) *solúsque Petri conspectus commouit illum, vt eo proficisceretur.*

Pauli humilitas respicientis Solem Petrum. Galat. 1. Chrysost.

Ecclesiæ sponsæ Dominus. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum,* Cant. 4. Honorius inibi, *Oculi Ecclesiæ sunt eius Praelati, qui eam ducunt ad caelestia.* Cur autem in vno oculorum se dicit vulnere affectum? An alterum excludit? Profectò, vtrumque lumen, tantâ illigatum similitudine & vnitate (polchrorum de more oculorum) vt vnicum esse videatur. Adiicit Honorius. *Vnum oculorum est vnitas.* Vulneratus itaque Sponsus non in vno lumine, sed in oculorum vnitate: *Vnum oculorum.* Profectò Apostoli vnum oculorum perfectè constituunt, Euangelij ministros èdocentes concordiam ad illustrationẽ Ecclesiæ necessariã. Vt *idem* omnes cum Paulo dicamus. 38.

Vnitas oculorum Ecclesiæ. Cant 4. Honor.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Et ego dico tibi, &c.

Ex magnalium similitudine Petri, & Pauli confirmatur identitas.

Vbi Eleemosynam vitalem, Sanctorúmque labores beatos esse innuitur.

MAGNALIA vtriusque Ecclesiæ Principis recensere lubet, vt appareat, quam similes, quam vnum extitere. Augustinus, *Quarunt quos secum ad calos attrahant piissimi animarum parentes, dispares partium studiis,* Petro apud Iudæos, Paulo apud Gentiles laborante, *operũ meritis pares.* Pluribus sententiã cõfirmo. 39.

August.

Petri vmbra ægrotis salutaris. Act. 5. Pauli indumentorum superficies ægritudinibus exitialis obiicitur. Act. 19. Anonimus apud Metap. *Exegit vmbra Petri morbos: vestium quoque Pauli superficies: etiant ijs, qui homines vexabant, morbos terribilia.* 40.

Petri vmbra, Pauli salutaria vestimenta. Act. 15 & 19. Anon.

Petro Regni claues traduntur. Mat. 16. Paulo Iesu nomen portandum exhibetur. Act. 19. Præfatus Doctor, *Magnus Petrus, qui dignus est habitus cui fuissent tradita claues Regni. Non minor est Paulus, qui vt vas esset electionis ab eo ipso est segregatus.* Luna à Sole segregata non lucet, lucet segregatus à Petro Paulus. Maius Petrus luminare Ecclesiæ, sed *non minor* splendore Paulus à Sole *segregatus* splendore illustrauit Ecclesiam. 41.

Petro claues cæli. Paulo nomen Iesu traditur. Matth 16. Act. 19. Anon.

Claudus Petri ambulat beneficio. Act. 3. Clando Paulus pedum valetudinem donat. Act. 14. *Diuinissimus Petrus* (ait ille) *qui ad Templum legale, eius qui ab vtero matris erat claudus, pedibus integram restituit sanitatem. Gratiâ est dignissimus Paulus, qui claudo, qui erat Lystris, fecit simile miraculum.* Olim Iacob, tangente Angelo luctatore *neruum femoris eius*, claudicauit. Gen. 32. Quonam mysterio? Thomas Anglicus, aut Thomas Angelicus, *Quia caro Iudaeorum, & sensus carnalis legis per luctam Christi cum eis, erant exiccanda. & ideo claudicat Iudaismus*, claudicat & Gentilitas. *Quia vna eius pars iuit sursum ad Christum, altera deorsum.* Certè Petri & Pauli prædicatione tot Iudæi, tot Gentiles ad Dominum adducuntur, vt Iudaismus & Gentilitas quodãmodo videantur integrâ per Iesum valetudine frui. 42.

Petrus Iudaismũ claudum, Paulus Gentilitatem ad Christum adduxere. Act. 3 & 14. Anon. Gen 32. Thom.

Petrus fuit per Angelum ab Herodiano carcere eductus. Act. 12. Enimuero Paulus fuit emissus sportâ.Act.9. Haud grauemini eundem toties audire Encomiastem. *A Deo fuit adiutus Petrus,qui ab Angelo Domini fuit liberatus è carcere Herodis. Non minor est Paulus, qui sportâ fuit è muro demissus, qui ipse quoque ab Angelo Dei etiam cum carne in hâc fuerit actione directus.* Aliis Deus adiutorium præstat,vt ad vitæ discrimina forti pectore tendant:Petro, & Paulo, vt è carcere fugiant; quia Apostolis à morte recedere,acerbius erat Martyrium.

Anon.

44\. Linteum Petrus plenum animantibus vidit. Act.10.Paulus ad cælum,è quo linteum demittitur, eleuatur. 2. Corinth.12. *Admirabilis est* (inquit ille) *Petrus,qui linteo è cælo demisso pleno omnis generis animantibus castigatus fuit,& didicit esse indifferentem cum Gentibus communionem. Non minor est Paulus, qui in tertium cælum raptus,eorum quæ dici nequeunt, iis, qui ab ipso instantur, in tempore aperit mysterium.* Quid autem cum castigatione præmio? Paulus præmio eleuatus ad cælum afficitur, dum Petrus edocendus serpentium epulo castigatur? Certè Petro gloria erat,peccatoribus saginari; & Paulo supplicium,à peccatoribus abstrahi,vt voluptate cælesti potiretur. Vnde eleuato Paulo ad cælum,Petrus est castigatus:& epulo serpentum satiato Petro,Paulus est eleuatus ad gloriã.

Linteum Petrus videt, Paulus eleuatur ad cælum. Act.10. 2.Cor.12. Anon.

45\. Thabita ad vitam Petri beneficio redit. Act. 9. Eutyches è fenestra lapsus Pauli potentia à mortuis eripitur.Act.20.Anonym. *Venerandus est Petrus,qui Thabitam suscitauit. Quid verò? Nunquid a tergo eius relinquitur Paulus, qui Euthychem, qui cum è fenestrâ cecidisset, vitâ excesserat,in vitam reuocat?* Vnde non sine prouidentiâ Numinis Dorcas, à Petro in cœnaculo, vbi pauperes proculdubio edebant, iacens defuncta reuocatur ad vitam: adolescens verò è cœnaculo, vbi pauperes discipuli pransuri erant,excidens,vitâ donatur; quia vbi eleemosynæ vmbraculum,inibi aduersùs cunctas calamitates adest præsidium.

Vterque mortui suscitati apud cænaculum commêdans eleemosynam. Act 9.& 20. Anon.

46\. Simon Magus à Simone Petro victus. Act.16. Mulierem Pythonico spiritu actam Paulus compressit. Ibid. *Roma* (pergit ille) *repressit Petrus Simonem ab arte Magica,quâ de causâ ad suum abiit dominum Cruce subiens Magistro passionem. Paulus quoque eduxit Philippis mulierem, quæ instar Pythia dabat responsa, ab errore; quo populum tenebat irretitum. Quâ de causâ & virgis cæsus fuit crudeliter, & ense rursus ei caput amputatur: vt qui eam inuenerit mercedẽ, quod ex Cæsaris familiâ quosdam conciliasset.* Petrus moritur, ne Spiritus sancti gratia pro mercede traderetur. Paulus eam inuenit mercedem cruciatus,scilicet, gladium;quia Cæsaris ministros adduxit ad gratiam. Quam gloriosè vitam efflat ille,vt ab Ecclesiâ talis mercimonij ableget turpitudinem:hic autem,vt pro animatum vnione huiusmodi mercedem accipiat.

Magia vterque exitialis, & occumbit præmio affectus. Act 16. Anon.

47\. Obiicis Petrum super aquas ambulantem, quem Paulus minimè secutus. Absit. An non Paulus nocte & die apud pelagus commoratus? Petrus sine discrimine super aquas? Super Paulum aquæ sine periculo. An minus,esse sine ceto Ionam,quàm nautã sine scaphâ? Acutè August. serm.5.de Apost. *Petrus ambulare super aquas debita soli Deo potestate præsumpsit, & rerum obstante naturâ per insueti itineris nouas*

Apud aquas vterque mirabilis. August.

pendulũ inferens gressum, tumentia maris dorsa calcauit. Sed non minor Paulus,qui sicut ipse de se dicit,nocte & die in profundo maris fuit. Non minor, inquam Paulus, quem velut noui Testamenti Ionam die ac nocte per maris profunda iactatum absorbuit fluctus, & reddidit, quasi sacrum depositum violare non audens; quia famulatrix eum vnda custodiens, illæsum populorum prædicationibus reseruabat.

Instas denique. Cum Christo Petrus vixit in terris, cum Paulo minimè.Augustinus occurrit, *At Christus Paulum non dedignatur è cælis adhuc etiam persequentem. Quamobrem & si in corpore non est locutus cum Christo Paulus, non minus est illud, quod locutus est Christus in Paulo*, ipso fante, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* 2. Cor. 13. Plura ex præfatis edocemur documenta,præcipuè eleemosynam esse vitalem, beatos labores. 48.

Petrus cum Iesu in terris degit. Paulũ Iesus è cælis vocat.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus,&c.

Adhuc Petri & Pauli similitudinem,siue identitatem illustro.

Interim assero in Prælatis subditos contineri: Fugam è libidine esse victricem: Iustorumque proprium esse curare, vt Deo gloria exhibeatur.

QVID plura? An potest quidquam de Petro excogitari, quod Paulo non conueniat? D.Leo serm.1.de Apost. *De Petri & Pauli meritis, atque virtutibus nihil diuersum,nihil debemus sentire discretum; quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales.* Sententiam expendo.

Caput I.

Petrus & Paulus pares ex electione ad ministerium prædicantur.

I*Llos* (ait Leo) *electio fecit pares*. Petrus aligitur Regni Clauicularius,Paulus nominis baiulus salutaris:hic ex munere omnes æquat,ille cunctis æquiparatur. *Vos*,inquit Dominus,*quem me esse dicitis?* Vnus pro omnibus respõdet Petrus, *Tu es Christus*. Quia Regni clauicularius quasi totum erat Collegium. Saulo vni Ecclesiã persequenti Christus, *Quid me persequeris?* Act. 9 Ac si vnus Paulus pro cunctis persecutoribus sufficiens,assumptus ad nominis portãdi ministerium,pro omnibus fidelibus futuris eligatur. Petro Christũ abnegante,quodãmodo Mundus totus abiurauit. *Quem cum vidisset ancilla quadam*,Luc 22.Vbi Anselm. *Quid est,quod primò prodit eum ancilla, cum virum viri maximè poterant eum cognoscere?* Respondet, *Vt iste sexus peccasse in mortẽ Domini videretur.* Siue vt constaret per fœminam Orbem in excidium ruisse. 49.

Petrus Orbẽ totũ. Paulus omnes Gentiles continebat. Leo.

Negante vno Petro quasi omnes homines abnegabant. Luc 22 Anselm.

Quonammodo autẽ totius Orbis ruina in casu Petri figuratur? An non quia quodammodo Orbis in Petro cunctorum parente deliquit? 50.

Iesus opprobriis actus conqueritur: *Attendite, & videte,si est dolor similis sicut dolor meus.* Thre.1.Vndenam huiusmodi querelæ exeitãtur? Ex Petri casu, quasi delinquente vno Petro,

Delinquente Petro, omnes homines deliquisse videbantur. Thren.1.

omnes homines pro quibus Christus patiebatur miserè cecidissent. Drogo de sact. Pas. *In domo Gaypha colaphizatus est Christus, quia in domo Caypha colaphizatur Petrus & quod Petrus à Satanâ unus passus est, hoc Christus à ministris Satanæ foris pertulit. Attende & vide, si est dolor similis sicut dolor meus.* An non Dominus pro omnibus patitur? Ita planè. Cur ergo passus pro cunctis colaphizari asseritur Petro vno colaphizato, nisi quia in vno illo totus quodammodo continebatur Orbis?

Drogo.

51\. De Paulo autem Dominus, *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum*, uno vt omnes fideles in se valeat excipere. O Arca Noëmitica animo prædita, ad quam turbidæ Gentilium aquæ confluunt in Iesu nominis oleum conuertendæ! Chrysost. homil. 1. in Paul. *Arca illa coruum recipiens, coruum rursus emisit. & includens lupum, feritatem eius mutare non potuit, Hæc vero (nimirum Paulus) accipitres, miluosque suscipiens, fecit columbas, & excludens omnium irrationalitatem, mansuetudinē spiritus introduxit.* Omnes igitur Gentiles in Paulo, sicut vniuersus terrarum Orbis in Petro; vt edoceamur Magistros, Prælatos, subditos omnes continere.

Paulus Arca Noë cunctos continens Gentiles.

Chrysost.

Prælati continent subditos.

Capvt II.

Petrum & Paulum labor fecit similes.

52\. PErgit Leo, *Labor fecit similes.* Illud expendo: *Beatus es Simon Bar-Iona.* Interl. *Filius columba.* Petrus beatus, quia columbæ filius delinquendi effugit occasionem: *Egressus foras fleuit amarè.* Imitatus columbæ filij trepidationem, terga hosti dedit exitiali. *Conuersus Dominus respexit Petrum; ille autem egressus foràs fleuit.* Luc. 22. Deipara sponsi cœlestis columba profatur, *Quia respexit humilitatem ancilla sua, ideo enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. Quannam humilitatem? An submissionem fantis: *Ecce ancilla Domini?* Ita planè; sed probabiliter aliquis. Afferuit humilitatis nomine designari trepidationem illam columbinam, quâ turbata in sermone Angelico, quasi mente aufugit licèt non corpore discessit. Itaque virgo & Petrus in morem columbarum aufugientes beati compellantur. *Beatus es. Beatam me dicent.* Laurent. Iust. de triumph. Christ. ago. cap. 8. *Eodem modo respexit Dominus Petrum, quo respexit humilitatem ancillæ suæ; sed non pari affectu.* Vterque ex fugæ humilitate respicitur, vterque beatitudine donatur. Magnū Petro, Mariæ imitatione Domino placuisse.

Petrus columba imitatus fugit delinquendi occasionem.
Leo.
Luc 22.
Luc 1.
Iustin.

53\. Necnon Paulus fugiens gloriosos euasit. Fuga Paulo è muro in sportâ demisso victoria fuit. Act. 9. Quid si sporta illa fugæ arripiendæ ministratrix victoriæ illius præ se ferret insignea Beda pulchrè. *Sporta plerumque ex palmis contexitur In sporta igitur Paulus fugit; quia eius fugam non timor, aut imbecillitas, sed fortitudo & palma consequuntur.* Hac quidem fuga à ciuitate, à seculo fuga figuratur.

Paulus fugiens gloriosus euasit.
Beda.

54\. Quàm gloriosum fugere impiorum cœtum, specialiter cum ostiariæ, hostium quidem maximæ terga vertuntur, seculi vitia fugere consummata victoria est Psalte canente, *Accingere gladio tuo super fœmur tuum, potentissime.* Psalm. 44 Vndenam Rex potentissimus ostentatur? Ingeniosus Iudicum Interpres asserit Dauidem hoc in Psalmo se fugisse hostium insidias gloriari. Numquam adeo potens Deus, quam cùm terga hosti, id est voluptatibus dedit. Vnde Psalmus hoc titulo insignitur: *In finem.* Ambrosius, *In per(f)ectionem, & consummationem Victoria.* Laur. Iustin. *Quicumque de hac voluptate fugerit, gloriosissime triumphabit. Innumeros, hac temeritate armatos debellando prostrauit: terga vero vertentibus vix tenuiter manus iniecit.*

Fuga huiusmodi victoria est.
Psalm. 44.
Ambros.

Hæ quidem falsæ insaniæ à quibus, Dauid se elongatum fugisse clamitat: *Elongaui fugiens & mansi in solitudine,* Psalm. vbi Hildebertus Epist. 57. monialem virginem alloquens fatur. *Ignoras reuincere voluptates, & insanias falsas, à quibus elongasti fugiens, & manens in solitudine. Sanum hoc, & prouidum peccatoris consilium, auerti enim, & fugere ab illis omni triumpho celebrius. Huiusmodi hostis melius fugâ quam certamine superatur. Labor* itaque Petri excidentis & Pauli carnis stimulis agitati. (Hic quidem omnium laborum proculdubio maximus, crimine maculari) fecit *similes* Apostolos, dum fugit ille vincentem hostem, ne rursum vincatur: hic autem, ne erigat illa trophæum. Ergo fuga illustrior potest esse victoria in laborum maximo. 55

Carnis insania fugienda ad vincendum.
Hilde[bert].

Fuga victrix.

Capvt III.

Martyrium Petrum & Paulum effecit æquales.

COncludit Leo, *Finis fecit æquales.* Imo æquales Apostolos finis Magistro æquales sede simillimos effecit. Tertullian. lib. de præscr. aduers. hæret. *Felix Roma, vbi Petrus passioni Dominica adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.* Designatur (authore Pamelio) *Petri Crux, Pauli Gladius,* qui quidem gladius Crux Apostolo fuit, non à capite vulnerans, sed à mucrone, ab acie. Apostoli itaque Crucis Martyrio verè non ore solum, sed opere confirmarunt illud. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Tam præcelsus ex miraculis Paulus, vt à quibusdam infidelibus Deus fuerit habitus cum à vipera illæsum in Deorum numerum referre incolæ moliebantur. Petrum autem absolutè Ecclesiæ fundamentum esse appellatum, ansam præbere posset alicui, vt primarius lapis haberetur; vt autem Apostoli ab huiusmodi errore homines liberarent, Petrus inuersâ formâ Crucem ascendit, Paulus gladio vulneratur, qui vim percutiendi non in capite, sed habuit in mucrone. 56.

Cuncti Apostoli capiti Crucis addicti, vt Iesu diuinitatem tueantur.
Leo.
Tertul.
Pamel.

In Crucis capite titulus elucebat: *Iesus Nazarenus Rex.* Christus recto ordine Cruci suffigitur, vti suprà caput eiusdem Regalis inscriptio apposita eum Regem affirmaret. Ideo Petrus fugit Regij tituli inscriptionem, ibique caput collocari curat, vbi Iesus humanitatis lutea (sic fari liceat) vestigia fixit, ne Diuinitatem affectasse videretur. Ambrosius ad Psalm. 118. *Non fuit opprobrio Petro Crux Christi; quia tantum eius gloria dedit, vt vniuersis Christum honoraret vestigijs, metuens, ne si ea specie crucifixus esset qua Dominus, affectasse Domini gloria videretur,* Eodem, 57.

Petrus ad pedes Crucis properat fugiens Deitatis affectationem.

Ambros.

58. *Paulus imitator exurgit.* Tertul. Eodem motiuo Paulus gaudet Ioannis exitu coronari: *Ioannes exitu coronatur.* Quis ignoret seductos Iudæos Ioannem Messiæ sedi addicere curauisse? Ideo igitur Ioannes vulnerandus ad gladij aciem ac mucronem, quasi ad Crucis pedem accurrit, non ad caput vbi Regius titulus, ne affectare videretur diuinitatem, qui ad pedes Domini prouolutus aiebat: *Non sum dignus eius corrigiam calceamenti soluere.* Quam propria Diuorum cura à quolibet imitanda fideli, vt gloria proprio impendatur Authori.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Petrus capite deorsum verso, Cruci suffigitur: Paulus caput curuans ad vulnus, Diuinitate conspicui quodammodo ostentantur.

Humilitas enim suos vsque ad thronum Deitatis emittit alumnos.

59. Origen. ORIGENES, *Petra est omnis, qui imitator est Christi. Aduersus quem autem portæ præualent Inferorum, ille neque petra dicendus est, &c. Christi imitator petra est* dicentis vtique, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Inferi portis superatis Apostoli ex humilitate Christi imitatores exurgentes, euehuntur, ad requiem emittuntur ad Superos. Vidisti Petrum capite deorsum verso Cruci suffixum? Paulum caput submittentem ad gladij vulnus? Ecclesiæ capita deiiciuntur, vt Iesu vestigia sequantur ad ascensum.

60. *Dum Petrus inuerso ordine, Cruci affigitur, curuis ad Christi, dum Paulus demittit caput, extollit ad coronam.* August. Augustinus homil. 3. confirmans profatur. *Petrus pro Christo, capite deorsum verso, in ligno suspenditur. Paulus pro Christo gladio trucidatur. Ille proprijs gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisque Superiora respiciens, beatum spiritum deducebat ad cælum. Iste ceruicem curuat ad pœnam, & offerebat ceruicem pariter ad coronam.* Illas pende particulas. *Ille proprijs gressibus proficiscebatur ad Christum. Iste ceruicem offerebat ad coronam.* Si deorsum verso capite Petrus festinabat, quonam modo proficiscebatur ad Christum? Si ad terram Paulus caput demittebat, quonammodo attollit ad coronam? An quia humilitatis deiectio verè est exaltatio? ita planè.

61. *Vt ascendas ad verticem, opus est ad pedes prouolui. Sic Apostoli effecti montes eleuatissimi.* Isa. 40. Ambros. Ille profectò ascendit, qui pedibus Christi curat hærere. Petrus & Paulus montes eleuatissimi Ecclesiæ. Quare? Quia sese caput fugientes, ad pedes Christi submitti curârunt. Hæc ars ascendendi. Isaias clamat, *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion*, cap. 40. Vis ascendere ad montem eleuatissimum, vbi Christus adest? Apostolos imitare, qui sub pedibus Christi capita collocantes ascenderunt in montes. Ambrosius lib. 8. in Luc cap. 17. *Ascende in montem, qui euangelizas. Ascende eò, vbi Christus sedet ad dexteram Patris, cuius fundamenta in montibus sanctis. Mons Petrus, Mons Paulus est. Supra illorum fidem mentis tua locato vestigium.* Id est, caput, vbi montis sedes est, colloca sub pedibus Saluatoris. Apostoli enim ad pedes Christi prouoluti, effecti sunt fundamina Ecclesiæ, & montes eleuatissimi, cælorum verticem superantes. Vnde dum Propheta nos inuitat ad montem gloriæ, Ambrosius asserit nos in Apostolicis montibus collocandos, quia ipsos humilitas ad verticem eleuauit.

An existimas Apostolos capita pedibus Christi submittentes caput Domini non tenuisse. 62. *Pedes Christi sub capite colloca, vt capitis verticem summè teneas.* Ambros. Certè eo ipso, quòd studium Petri & Pauli pedibus hæsit, ad caput elatum est Saluatoris. Pulchrè Ambrosius Ser. 20. ad Psal. 118. *Est caput summa studij nostri. Omnis autem summa studij nostri, vt simus humiliores, sit. Inflatus ergo caput non tenet, hoc est, illam humilitatem Christi, quâ descendit vsque ad Crucem, descendit vsque ad inferos. τὸ Caput non teneo, id est, illam humilitatem Christi*, premo. An Christi humilitas Caput propriè appellatur? Quid capitis vertici cum descensione ad inferos? Multum planè, quia descensus ipse ad inferiores partes terræ, ad cæli verticem ascensio, & eleuatio est. Capita itaque Apostolorum (summa eorum studij) collocantur sub Christi pedibus, vt caput attingant.

Alibi Ambrosius, nempe ser. 17. in eundem 63. *Pedibus hærentes Apostoli quodammodo Diui apparent.* Ambros. Psal. ex paralytici è tecto demissione ad Saluatoris pedes eandem cogitationem confirmat. *Mihi videtur*, ait, *paralyticus ille ideo esse sanatus, (qui demissus à tecto est) quia ad pedes Christi altâ se ratione subiecit. Nihil enim excelsius humilitate, quæ tanquam superior nescit extolli; quia nemo id affectat, quod intra se iudicat.* Petrus & Paulus frustrà Diuinitatem affectare viderentur, quam *intra se* poterant quodammodo iudicare; quia eo ipso, quòd Christi pedes tenent, capiti hærescere ostentantur. O humilitas quando non tuos ad supremum verticem euexisti!

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Petrus Iudæorum veterem agrum desertum renouat, Paulus Christi noualia apud Gentiles instituit.

Vbi assero, non minoris industriæ, Christianos inueteratorum morum innouare, quàm nouos efficere.

ET *super hanc petram.* Interlinealis, *Id est* 64. *Renouantium veterum Societatis accommodo.* *Christum*, Hieronymus, *Id est Petrum*, Augustinus, *Id est Christum, & Petrum.* Si Christus Ecclesiæ fundamen, quare secundarium fundamentum Petrum prouidit? Num vt de nouo ædificet Ecclesiam? Absit; sed vt iam exædificatam noui roboris incrementis ampliùs stipare videatur. Petrus itaque spiritum Ecclesiæ renouat, Paulus apud Gentiles fundat; sed renouator haud impropriè valet Ecclesiæ fundator appellari.

Petrus renouans fidem Iudæorum tàm fundator quàm Paulus fundans Ecclesiam Gentium. August.

August. *Hodie duo Christiani nominis fundatores E[c]clesiæ exaltantis festa concelebrant. Hi enim duo electi sunt, ad duorum populorum salutem. Petrus ad Iudæorum; Paulus ad Gentium.* Paulus verò Ecclesiæ Gentium fundator, qui terram excolens plantauit Ecclesiam. At Petrus plantatæ à Domino apud Iudæos fidei quonammodo fundator appellatus est? *Duo Christiani nominis fundatores* (adijcit bellè Doctor) *Petrus electus est, vt in Iudæa veterem ac desertum agrum repararet, atque eum sub vmbrâ legis infructuosum, & à calore veri Solis absconditum, fidei salubritate, & gratiæ fœcundaret. Paulus verò ad Gentiles mittitur, & ad terram nouam, quæ nullam antea dederat frugem, nullum fuerat experta cultorem, qui aratro Dominicæ Crucis proscinderet, vt in rudi campo Christo noualia infatigabilis operarius excitaret.* Tàm fundator igitur fidei apud Iudæos Petrus

65\. reformator eorum, quam Paulus plantator Gentium Ecclesiæ appellatur. Hinc Theresiæ Carmelitarum Reformatricis gloria rutilat, quæ veterem reparans agrum Carmeli, fidem seu institutum fundâsse videtur; vnde verè Fundatrix sit appellanda.

Plantator & fundator vineæ, qui illam reparat, verè vocatur.

August. Gen. 9.

Argumentum quidem ex triplici eiusdem Augustini elocutione confirmo. *Petrus vineam, vbi iam fuerat, reparat: Paulus plantat, vbi non erat.* An vineæ fundatorem eum appellabimus, qui plantatam iam nouâ reparatione excoluit. *Cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.* Gen. 9. Vbi quæris, vtrùm vinea producta iam esset à terrâ, priusquàm illam Noë plantaret? Respondet Chrysostomus: *Verisimile est, quòd ab initio vinea fuerit creata.* Non solùm vitem, quod certum, sed & vineam probabile ab initio esse creatam. Quonammodo igitur Noë vineæ veteris iam à Domino plantatæ plantator verè vocitatur? Num quia vineæ inueteratæ sese præbuit refor-

66\. matorem? Pulchrè L[y]ranus: *Plantauit Noe vineam; id est cum esset producta à terrâ, erat tamen quasi [s]ilvestris dimissa, & ipse diligenter coluit.* Tam plantator qui vineam reformat, quàm qui de nouo plantat.

Chrysost.

Lyran.

Quamque Dominus ac Regem innouasse inueteratum?

Dan. 4. Lyran.

Pergit Doctor: *A Petro in Iudæâ olea reparatur, à Paulo in Gentibus oleaster inseritur.* Arbor Nabuchodonosor succiditur seruatâ, ex vigilis monitu, radice: *Veruntamen germen radicum eius in terrâ sinite.* Dan. 4. Quidnam in relicto germine denotatur? Lyranus: *Spes certa reuertendi ad Regnum post amentiam.* Nec enim huiusmodi spem à Domino in nouæ arboris plantatione significauit, sed in antiquæ inueteratæ innouatione. Succiduntur enim inutiles rami, vt ex germine rursum arbor ascendat innouata. Quærit Hieronymus, quare Deus Nabuchodonosorem haud de nouo plantaret, sed reformatam arborem Regno exhibuerit; & respondet: *Hoc quoque calumniatores accusant mirantes quòd post efferationem, post fœni & herbarum alimenta, Deum confiteatur, & sit, qui fuerat; sed respondeant, quomodo congruat, vt Angeli, qui in cœlo corruerunt, eum habeant Principem, qui per pœnitentiam sit reuersus.* Quæstionem vnam aliâ quæstione soluit. Quæritas, cur Nabuchodonosor non fuerit de nouo plantatus. Respondeo quæritans, quare Petrus Angelorum innocentium, seu Sacerdotum

Hieron.

Et Petrum abiuratorem iterum fecisse Ecclesiæ patrem.

parens, post negationem non fuerit eradic[atus], vt noua dignior arbor plantaretur? [Dic]e si [po]teris, Non quidem minoris sapientiæ est documentum arborem expurgatam vetustate tectâ obijcere, quam nouam arborem efformare. Rex igitur inueteratus olim, Regno reformatus exhibetur, & Petrus abiuratus, nouo spiritu roboratus Ecclesiæ datur, arte quidem egregiâ.

Denique Augustinus: *Petrus tenebras & vitia pellit ex oculis. Paulus reddidit oculos à natiuitate cæcatis.* Quam commendabilis Conditor ex creatione lucis: *Dixitque Deus: Fiat lux*, Gen. 1. Quartâ autem die rursum Plasmator: *Fiant luminaria in firmamento cœli.* Ibid. Opinatur noster Pereira, primâ die accensa fuisse luminaria, attamen non tanto splendore condecorata sicut quarta luce. Si igitur Sol, syderaque prima die succensa fuere, quodnam opus Deum habuit quarta die institutorem, seu fundatorem, vt possit profari: *Fiant luminaria.* Procopius: luminaria fundauit, quia *lucem diffusam contraxit.* Solem atque stellas vberiore donauit splendore, diffusum contraxit, renouauit, auxit, emunxit. Certè lucis fundator syderúmque appellabitur, qui cæli, seu Religionis luminaria fecit accipere, seu resumere primigenæ lucis incrementum, diffusum contrahens spiritûs splendorem. Quasi rursum fundatur Religio, cùm eius spiritus innouatur. Testor Societatis Iesu circa votorum renouationem morem. Vos fidelissimos Euangelij ministros, ad barbaras pergentes prouincias, laudibus effero; sed in honore habebo apud nostrates innouandis peccatoribus incumbentes, quia dùm illi Paulum sequuntur, hi Petrum imitantur.

67\.

Fundator luminarium appellatur, qui eorum auxit & emunxit lucem.

Gen. 1. Pereira.

Procop.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Petri & Pauli ager, & domus, totus est Mundus.

Vbi adnoto, Euangelij ministris habitaculum inibi præparari, vbi animarum lucrum.

SVPRA vnum Petrum tota exædificatur Ecclesia, quia tanto operario parum esset partem ministerij assignari. Id quod de Paulo affirmandum censeo. Petrus Iudæorum & Gentilium Pater. Paulus Gentilium & Iudæorum Apostolus. Totus Mundus Petri ager, vniuersus Orbis Pauli cultura; nec aliter enim tantis laborantibus agricolis materia exhiberetur. 68.

Hinc Augustinus serm. de Apost. *Discurrunt* (inquit) *per vniuersum Mundum duo splendidissimi negotiatores portantes coram Gentibus & Regibus, & filijs Israel pretiosa fidei mercimonia. Erogant per omnem terram spirituales dispensatores pretia salutis thesauros sanctitatis* 69.

Tanta Apostolorum virtus non poterat vni loco alligari. August.

ctuatis. Petrus *coram Gentibus, & coram filys Israel.* Paulus *coram filys Israel, & coram Gentibus.* Haud alligari poterat populo vni tanta Ducum potentia, tantum Apostolorum ministerium.

Christus Discipulis mare tranãtibus obijcitur, à Ioanne dignoscitur inclamante; *Dominus est.* Petrus autem impatiens nauigij, *misit se in*
70. *mare.* Ioan.21. Quonam mysterio? An quia Petro vna nauis non sufficiebat, totus Mundus Petro nauigium? Bernardus lib. 2. de consider. *Quid istud? Nempè signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri, quisque suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum.*

Petro nauigium totus Mundus. Ioan.21. Bernard.

Congregentur Iudaicus ac Gentilis populus, cunctæ Orbis Ecclesiæ Petro vni offerant domicilium. Conditor, *Congregentur aquæ in*
71. *locum vnum.* Gen. 1. Iudaismus scilicet & Gentilitas paretur Petro domus, cuius operæ vix Orbis sufficiet. Anastasius Synai. lib. 3. exam. *Congregentur aquæ; piscatores enim parauit. Petrus enim iam Crucem tanquam remum insingit in mari mundano.* Totus Orbis solius Petri piscationi paratur.

Congregatio omnium populorum Petro præparatur. Gen 1. Synai.

Iam verò tempus deficiet Vrbes Pauli præsentiâ illustratas numerare curanti. Asson, Mytilene, Chio, Apostolum hospitio exceperant.
72. Samus, Myletus, Ephesus, eius plantis oscula infixere. Chous, Rhodus, Patara, eius decorantur aduentu. Cyprus, Ptolomaida, Cæsarea, eum concionantem audiêre. Quid plura? Chrysostomus in Epist. ad Roman. *Diuina illa anima vniuersum terræ Orbem circumplexa erat, & in seipsa circumferebat omnes.* Item: *Tanquam pennatus totum docendo peruolauit Orbem, & velut incorporeus pericula omnia, laborésque omnes contempsit: vt diuina illa anima,* innuit magis in morem spiritûs Apostolum volitâsse, quàm corporis gestatorem cucurrisse.

Quot, Vrbes Paulus sanctificauit pedibus? Chrysost.

An Michaële Archangelo velocior? Huic Duci fortissimo Iudæa familia committitur. Pauli autem totus Orbis familia est. Chryso-
73. stomus: *Michaeli gens commissa est Iudæorum, Paulo verò terra, ac mare, atque vniuersi Orbis habitatio.* Mundus Apostolo non traditur percurrendus, sed habitandus, quia instar Numinis vbique quodammodo morabatur.

An Paulus Archangelo Michaële velocior? Chrysost.

Quàm Petrus honore dignus, qui ad Iudæorum salutem immissus, plurimos luctatur ex Gentibus! Quàm Paulus honorabilis, qui immissus ad Gentes, Iudæos conatur saluos fieri!
74. Exprimit idem Romanis Apostolus: *Vobis enim dico Gentibus, quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum glorificabo, si quomodo æmuler carnem meam, vt saluos faciam aliquos ex illis.* Cap. 11. Ac si diceret. Gloriosior apparebo Gentium Apostolus, si Iudæorum simul, sine proprij muneris dispendio, saluti incubuero. Ambrosius: *Ostendit Gentibus, quo affectu diligat Iudæos. Nam ministerium suum, quo Apostolus Gentium est, honorificat, si dans operã etiam Iudæos acquirat ad fidem. Honorificentior enim fiet, si & illos, ad quos missus est, lucretur ad vitam..* Perfecti enim ministri est vltra commissum sibi munus ad proximorum ministeria prosilire. Commissâ operario concionandi curâ, non ideò debet ab audiendis confessionibus abstinere, &c.

Apostoli vltra commissum sibi munus laborabant. Rom. 11. Ambrof.

OBSERVATIO X.

Ad illa verba:

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Petrus & Paulus renouandi spiritûs Magistri.

Vbi assero agnitam spiritûs renouationem Religiosis. Obedientiæ commendo fulgorem. Paupertatis pondero abundantiam, & Sacerdotali ac Euangelico ministerio necessariam castitatem ostendo.

OBSERVATIONIS instauræ circa spiritûs Religiosi veterascentis quidẽ renouatio- 75.
nem relege horum verborum expositionem. Vnde dignoscas quàm aptè dies vigesima nona Iunij horum Apostolorum solemnijs peculiariter consecrata ex præscripto Societatis nostræ, electa sit ad renouationem spiritûs, & iteratam quasi exhibitionem trium votorum, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. Erigimur enim Apostolorum exemplo, eorúmque magisterium dùm patrocinium auemus, perfectè sequi desideramus.

CAPVT I.

Petrus & Paulus Ecclesiæ columnæ, simul & lumina dirigentia Iesu Milites ad perfectionem.

GAudentius serm. in Apost. *Petrus & Paulus duo Mundi lumina, columnæ fidei, Ecclesiæ fundatores, innocentiæ Magistri, totius sanctitatis authores.* Ecclesiæ fundamina, fidei columnæ, Magistri innouandi spiritûs ostentantur. 76.

76. *Necessaria Religiosis spiritus renouatio.* Gaud.

Præcinit Zacharias: *Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius? Isti sunt duo filij olei splendoris, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ.* Cap. 3. Candelabrum Christus, Guarrico Doctore serm. 1. de Apost. *Lux ex Diuinitate, candelabrum ex humanitate.* Quinam autem in oliuâ geminâ designantur? An Elias & Enoch in Paradiso? Moyses-ne & Elias in Thabor? Num duplex prædicatorum, veteris scilicet & noui ordo Testamenti? Hæc & alia Doctores. Guarricus autem sic: *Puto Petrum & Paulum non absurdè posse intelligi.* Et quare Apostoli oliuæ? Quia ad exemplar Christi magni lucentis luminaris Mundo salutarem offerunt splendorem. Petrus Dam. serm. de Apost. *Digna prorsus comparatio oliuæ ad Apostolos. Oleum tria habet, illuminat, pascit, & vngit.* Illuminant quidem hodie, pascunt, & vngunt Apostoli, vt Iesuitæ eorum magisterio olearum nouellæ germinentur.

77. *Apostoli instar oliuæ doctrinam illuminãtem, pascentem, & vngentem renouationis spiritûs Iesuitis exprimentes.* Zach 3. Guarric. Dam.

Cùm innouamur spiritu, olei Apostolici referamus proprietates. Psalm. 127. Guarr.

78. Nostræ Dauid loquitur Societati: *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Psalm. 127. Societatis filij in circuitu mensæ Dominicæ per iteratam votorum emissionem innouandi exponuntur. Ac si Guarricus mente hunc Societatis ritum euoluisset, profatus: *Quod si nouellæ oliuarum, vos vtique & filij olei, vos filij vncti, qui est Christus Dei. Dicetúrque et ac vobis, cum hodie ad altare accedetis. Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.* Nouellæ nos Apostolorum. Cùm igitur innouamur, olei Apostolici referamus proprietates.

Tepiditas ex temporis iniuriâ spiritûs feruorem imminuit. Abac. 3. Guarr.

79. Huiusmodi votorum innouationis mihi indica causam. Temporis iniuria feruor tepore afficitur, cor alget, spiritus frigore corripi incipit; vnde oliua agnatam suam viriditatem, fructúsque gloriam minimè, sicuti sub initio nouitij feruoris ostentat. *Mentietur* (inquit Abacuc) *opus oliuæ.* Cap. 3. Renouatio igitur oliuam reparat, nósque prioris feruoris gradui restituit. Guarricus: *O nouella oliuarum nobilium! O generosum germen, tam pinguium támque feracium arborum! semper, obsecro, recordare, de quâ pullulaueris stirpe, de quâ succreueris radice; ne vnquam sterilitas operum, aut amaritudo morum te degenerem arguat, aut (quod absit) inutilem ignibus addicat. Caue notam temporum, de quibus meministi prophetatum. Mentietur opus oliuæ: Duo autem præcipuè tibi æstimo cauenda, ne aut per teporem fias sicut oliua proijciens florem suum, aut videlicet fructum, quem initio nouitij feruoris promittebas, non facias; aut cùm feceris, ne per superbiam perdas. Confidimus autem de vobis meliora, dilectissimi; confidimus, quia oleum, cuius estis filij, sicut & patres nostri, Apostoli, vnctione suâ docebit vos de omnibus; nec solùm deterget torporem, quia oleum, sed & discutiet errorem, quia splendor est.* Quid excogitatius?

Florem deperditum operum fructibus rursum restitui. Guarr. Cant. 7. Septuag. Tres Patres. Theodor.

80. Illud præcipuè pondera: *Ne per teporem fias sicut oliua proijciens florem suum; aut fructum, quem initio nouitij feruoris promittebas, non facias.* Flos quidem nouitij feruoris semper à teporis gelu custodiẽdus. Quid si vetustas ab operum fructibus illum florem abstulit? Innouatione spiritûs rursum vetera noua ostentantur. Sponsa clamat: *In portis nostris omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Cant. 7. LXX. *Noua ad vetera, frater mi, seruaui tibi.* Tres Patres: *Nouas super veteres, nepos mi, seruaui tibi.* Ac si diceret. Operibus ex feruore remisso inueteratis nouitium feruorẽ curaui addici, vt cum suo flore poma tuo, ô Sponse, conspectui præsententur. Theodoretus appositè: *Nouas super veteres seruaui, & depositum integrum custodiui.* Vt depositum, quod ex votorum emissione *à diuinâ gratiâ accepi*, integrum custodiri curaui, dùm veteribus noua adijcio, id est, dùm nouitium florem pomis inueterascentibus, seu operibus tepiditate lassatis, nouo spiritûs feruore restituo.

Nouale primum renouandum est. Ierem. 4. Tertull.

81. Ieremias ad hæc: *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Cap. 4. Tertullianus lib. 1, cont. Marc. Cap. 20. *Renouate vobis nouamen nouum.* Et lib. cont. Iud. Cap. 3. *Innouate vobis nouitatem.* Non dixit: *Nouale facite*, sed *Nouate nouale*. Id quod spiritûs renouatione præstatur. Innouatio enim spiritûs per trium votorum iterationem non terram proscindit, sed nouale, quod prima proscisione & culturâ exurrexit, expurgatur, vt prinæ possit restitui pulchritudini.

Sæpè peragenda huiusmodi spiritûs innouatio. Cant. 4. Gillib.

82. Non sufficit nouale semel perfecisse, nisi sæpè eius cures tuendæ nouitati studium ex spiritûs innouatione impendere. De Religiosis viris perfectionis assectis dicitur: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Cant. 4. Ascendit quis tonsus de lauacro, sæculari vellere exutus, confessionis dilutus aquis, perfectè Deo ex emissione votorum consecratus. Sufficit-ne hæc puritas comparata semel? Minimè planè, nisi sæpe renouationi spiritûs addicta, primam illam pulchritudinem tuearis, & augere procures. Perficit Gillibertus argumentum serm. 23. *Non tibi sufficit exonerari, non sufficit lotum & nouum semel fieri, nisi spiritui succedas, qui renouatus spiritu.* Et quoties huiusmodi renouatio instituenda? *Tu igitur, si ascendere disponis, ascende semper de lauacro, semper nouus & mundus.* Sæpè confessio generalis, iuxta Societatis morem, præmittatur, siue votorum exponatur oblatio, vt innouatio spiritûs semper nouum fructum, poma noua cum flore primigeno Domino præsentet.

Caput II.

Petrus & Paulus obedientiam edocent.

Obedientia adnatus fulgor, vnde ille lucet qui obsequitur. Dam.

83. Profectò Apostoli splendentes oliuæ cùm sint, ac simul Mundi luminaria (vt vidimus) doctrinam exprimunt velut oleum, de quo Damianus citatus aiebat: *Digna prorsus comparatio oliuæ ad Apostolos. Oleum enim tria habet, illuminat, pascit, & vngit.* Quâ metaphorâ tria Religiosorum vota innouanda innuuntur. *Oleum illuminat*, seu relucet obedientia. *Tu es Petrus*, Ecclesiæ Præsul, cui cuncti fideles obedientiæ præstent obsequium. Quandonam obedientia non fulgore perfunditur?

Luci copulatur obedientia, vt perpetuò fulgeat. Gen. 1. Thom.

84. Dixitque Deus: *Fiat lux, & facta est lux.* Gen. 1. Vbi D. Thomas: *Non dixit: Creauit, & creatum est, sed fiat, & facta est.* Cur luci præceptum imponitur, cum terra sine præcepto fuerit excitata? An vt ostendatur, quàm vnum obedientia & lux? Profectò vt nobilissima illa creatura existeret perfectior, obedientiæ decori copulatur; nil enim obedientiâ splendidius.

Cæcus obediens nunquam tenebris offunditur. Num. 9. Zeno.

85. Olim Israëlitæ *ad imperium Domini mouebantur, & ad imperium Domini figebant tentoria.* Num. 9. Porrò dies eis columnam nubis præcedentem, non autem columnam ignis offerebat. D. Zeno asserit in columnâ nubis populum ductum, vt ostenderetur cæcus: *In columnâ nubis, vt ostenderet cæcum.* Cæcus populus, cùm obediens ad imperium Domini mouebatur, & ad imperium Domini figebat tentoria? Cæcus planè, in obedientiæ cæcæ documentum. Et quid nubi cum igne? Certè vbi obedientia cæca adest, inibi lux fulguret necessarium est, haud potest non obedientiæ lux inter condensas tenebras rutilare.

Obediens necessariò coruscat, instar Seraphini. Isai. 6.

86. Seraphim obedientiæ typus. Isaias: *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri,*

teri, duabus velabant faciem eius; duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Capit. 6. An Seraphini facies vel Dei? Seraphini Anselmus asserit faciem obuelari. Et quare illius obuelatur facies, qui pedibus alas gestat, bisque geminis pennis erat auolaturus? In obedientiæ cæcæ simulacrum. Iam Beda affirmat Seraphim, idem esse ac *incendium, splendentem ardorem.* Vndenam tantus fulgor, nisi ex obedientiæ signaculo, vt totum id quod obsequio præparatum obijcitur, fulgentissimum simul appareat, quia obedientia necessariò fulgori copulatur. Ille lucet, qui circa ministeria cæci in morem a Præsule dirigitur.

Anselm.

87. · *Mortuus Iosue est, & sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Tamnathsare.* Iudic. 2. Hieronymus: *In perfectissimo Principatu.* Abulensis autem: *Tamnathsare*, non Principatum, sed subditum illius Principis interpretatur. Quisnam ille? Certè Sol, cuius effigies sepulchro Iosue imposita erat, quia Solis cursus eius præceptis constiterat: *Steterúntque Sol & Luna.* Ios. 10. Quàm appositè obediens subditus Soli comparatur, si nec mortis tenebris potest offundi, quominùs fulgentissimus appareat. Obedientiam fulgor necessariò comitatur, hærente Præsuli subdito ad eius præceptum, aut consistente, aut pergente, vel apud sepulchri tenebras fulgurabit.

Vel inter sepulchri tenebras Sol est, qui obediens ostentatur. Iud. 2. Abul.

CAPVT III.

Apostoli Paupertatem suadent.

88. O*Leum* (ait Damianus) *pascit.* Paupertatis en simulacrum: *Tu es Petrus.* Quid petrâ sterilius? Suges proculdubio *Mel de petrâ, & oleum de saxo durissimo.* Ecclesiæ Præsul documenta præscribit. Imitemur Petri nuditatem, olei opplebimur abundantiâ: *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Quis omnia possidet, nisi Conditor omnium? An pauper spiritu Deum omnia possidentem imitatur? Ita planè.

Paupertatis spiritûs abundantia. Dam.

89. Iob inclamat: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Cap. 1. Ad quem locum Chrysostomus ad Olympiad *Cuius vteri meminit? Nempè primi illius opificij, fusque è terrâ coagmentationis primi parentis opificium imitantis. Nudus è terrâ diuino munere conformatus sum, nulla re supernaceaneâ ornatus.* Illud expende, *Nudus è terrâ diuino munere conformatus sum.* Quid nudo cum munere diuino? An quia qui nuditati spiritûs addicitur, simul omnium cælestium munerum abundantiâ donatur? An quia & ipsi cunctorum munerum conformatur largitori? Quis audeat abnegare?

Nudus Deo opulentissimo munerum largitori conformatur. Iob 1. Chrysost.

90. Ecclesia Ioanni obijcitur sub mulieris innitentis Lunæ simulacro. *Mulier amicta Sole & Luna sub pedibus eius.* Apoc. 12. Dùm Christum Solem imitatur Ecclesia, omninò se nudam, mundialibus diuitijs contemptis, ostentat, quia sicut excipi Lunæ aut Stellæ hospitio, idem est ac sub dio manere; vulgariter explico: *Al meson de la Luna.* Sic, Sole indui nil aliud quàm obijcere nuditatem. Time igitur cùm Ecclesia Christum nudum sequitur, Lunâ innititur abundantiæ Reginâ, quia nihil habens, omnia instar Dei possidet. Anselmus: *Ecce signum, quia significat Ecclesiam amictam Sole Christo, & Luna sub pedibus Mundus est, quia à Mundo sustentatur in necessarijs.* Sed illud ipsum à Mundo solummodo necessaria accipere ad sustentationem, est ipsum sub pedibus habere, siue cuncta possidere creata: *Nihil habentes, & omnia possidentes.*

Ecclesia paupercula & nuda ex ipso cuncta sub pedibus subiecta habet. Apoc. 12.

Anselm.

Adeò pauper Elias, vt à viduâ inopia pressa ex farinâ pugillo mensuratâ exiguam sibi particulam præparari petierit. Hic tamen inclamat: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. Panis domus præpositus ostenditur, nubibus imperando, qui buccellam panis ab inope viduâ requirit? Imò quia omnibus spiritu pauper orbatur, omnium dominator ostenditur. Iam enim ex paupertatis voluntariæ nuditate imitatur Deum cunctorum munerum largitorem. Chrysostomus exclamat: *O rem mirabilem! Nec vestem quidem habuit, & cælum clausit. Ob hanc ipsam nimirùm causam cælum clausit, quia vestem non habuit. Quia nihil hic possedit, idcirco multam habuit potestatem, cùm labra tantùm deduxisset, vt innumeri è cælo thesauri laberentur, effecit. O functam os, cui fontes imbrium inerant! O vocem bonis innumeris scaturientem!* 91.

Pauper Elias eo ipso quod egeat, deficiente buccella, domus panis est dominus. 3. Reg. 17.

Chrysost.

Vis obijciam diuinitatis opulentissimæ (sic liceat fari) qua pauper spiritu decoratur, abundantiam? Stipem magis petit, cui diues obolum porrigit, ditior dragmam; ditissimus vix aureum impendit, Regum quidem facilè munus. Aureum petenti pauperi erogauit? Regiâ stipatur proculdubio coronâ. Certè obolus pauperis spiritu cuncta munera temporaria superat. Claudo postulanti temporarium subsidium pauperum spiritu Princeps Petrus auro & argento vacuus, ait: *Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: surge & ambula.* Act. 3. Dic, obsecro, claude, à Petro acceptum sanitatis subsidium commutabis-nè pro Regijs thesauris? Minimè quidem. Sanitas obolum Petri est. Basilius Seleuc. orat. 21. sic Petrum inducit loquentem: *Tu, ô claude, cùm differris auro thesauris, compone quod à nobis accipis. Pro obolo fer pedes, pro pane temporario naturæ supplementum accipe, pro amoris solatio vim, vsúmque membrorum. Hæ meæ diuitiæ, hoc aurum Petri, hoc Apostolorum munus: Surge, & ambula.* Quanta Petri pauperis opulentia, si sanitas reddita claudo obolum est, panis est buccella? 92.

Tàm diues Petrus pauper spiritu, vt obolum eius sit Dei munus egregium, id est, sanitas claudi. Act. 3.

Seleuc.

Iam facilis redditus Lucæ locus parabolicus, cùm diues sitiens, æstuique addictus tartareo inclamitabat: *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat digitum suum in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ.* Cap. 16. Non pondero diuitem paupere egentiorem, si ope & stipe Lazari diues indigebat, Nazianzeno profante: *Pro huius vita voluptatibus & delicijs, Lazarique esurientis, & vlcerosi contemptu, hanc mercedem referebat, vt illic Lazaro opus haberet.* Illud itaque premo: *Vt intingat digitum in aquam.* Quodnam, quæso, ex guttulâ aquæ tanto igni refrigerium? Certè auarus ille Lazarum spiritu verè apud Abrahæ sinum pauperem contemplatur, adeò equidem opulentum, vt sicut Petri 93.

Sperabat diues auarus à Lazaro paupere pro stillâ pelagus aceruorum. Luc 16. Nazianz.

pauperis

pauperis obolum, sanitas erat; Lazari pauperis stillam putabat totam tartareo igni futuram extinctionem? Pro obolo fer pedes, pro pane naturæ supplementum; Pro stilla fer pelagus, pro guttula totum incendio refrigerium.

CAPVT IV.

Apostoli Angelicæ Castitatis commendatores.

94. *Euangelico ministro Castitas necessaria. Vbi de Sacerdotum puritate.*

DAmianus denique. *Oleum vngit.* Petro autem Dominus ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Guarricus ad illud Isaiæ: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petrâ deserti*, asserit Deiparam petræ vocabulo designari, ob ineffabilem virginitatis puritatem, quia ad consensum Incarnationis pro custodiâ voti tota erat ex constantiâ *lapidea*. Petrus Euangelij ministrorum Parens ex puritate saxum obijcitur; incorruptæ quidem magister continentiæ Sacerdotibus, Euangelijsque ministris admodum necessariæ.

95. *Iesuita indiget puritate ad Confessiones audiendas.* Num. 17. Abul.

An dignè iudiciariæ potestatis Tribunal Sacerdos ascēdet puritatis si iura contēnat? Testor Aaronē Sacerdotum Præsulem & Iudicem. Cùm *posuisset Moyses virgas coram Domino in Tabernaculo, inuenit germinâsse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis germinâsse flores.* Num. 17. Requirit Abulensis. An virga Aaron postmodùm Arcæ custodiæ tradita emarcuerit, vel florida permanserit? Et respondet haud vnquam virore aut flore spoliatam, vt Sacerdotalis muneris iudiciarij præberet documentum. *Si diceretur quòd illa floruerat ad probandum Aaron esse Sacerdotem, argueretur quòd ipsa debuisset manere semper florens.* Sacerdoti igitur audiendarum confessionum ascensuro Tribunal, vulnera hominum medicamine affecturo ex olei infusione, puritas necessaria; sic enim de durissimo saxo oleum profluet.

96. *Nec aliter poterit pœnitentes taxare impudicos.* Chrysost.

Quàm iura infirma, Iudicis quidem impuritate laborantis ad impudicorum repressionem. Dauid Absalonem parentis fœminarum deturpatorem haud corripere audebat; sed prono in terram vultu fugiebat reum, ac si ipse filium Iudicem pertimesceret. Vndenam fortissimo Iudici tanta infirmitas? Profectò ex propriâ conscientiâ iam adulterio contaminatâ. Chrysostomus ad Psalm. 116. *Vita diuinæ legi consentanea fiduciæ parens & architecta est. Huiúsque rei Dauid est testis, quippe qui priusquàm peccâsset, cùm ingenti fiduciâ Saulem alloquebatur. Admisso autem peccato, filium fugiens, prono in terram vultu iter faciebat.*

97. *Et ad altaris ministerium puritas Iesuitæ necessaria est Angelica.* Iudic. 2. Psalm. 137. Chrysost.

Quid vt Sacerdos quotidie ministret Altari, vel ad Synaxim sæpè non Sacerdos accedat? O quàm ministraturo Altari Sacerdoti, aut Eucharistiam accepturo fratri puritas necessaria! Phinees castissimus Domini Angelus vocitatur *Ascendit Angelus Domini de Galgalis.* Iudic. 2. Quia Sacerdos erat, quem Angelica decebat castitas, vt Altari deseruiret. Dauid: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Psalm. 37. Chrysostomus: *Cum Sacerdotibus canam tibi.* Angeli lineis vestibus, aut stolis, quæ sunt propria Sacerdotum insignia, indui leguntur. *Exierunt septem Angeli, habentes septem plagas de Templo, vestiti lino mundo.* Apoc. 15. Apoc. 15.
Cur Angeli Sacerdotibus similes apparere affectabant. Vt ostenderent tàm adnatam esse Sacerdotibus expressam in lineis vestibus puritatem, vt si Angeli Templum sint ingressuri, debeant potiùs sacerdotalem augustiorem quodammodo, quàm Angelicam castitatem induere. *Exierunt de Templo.*

98. *Altare cælum ideò vocatur, quia ministros Angelos requirit, imò Deos.* Psalm. 77. Diodor.

Nec mirum, si Sacerdotibus Angelica puritas indicatur, cùm Altare cælum sit, thronus sit Deitatis. *Ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum.* Psalm. 77. Alij apud Genebr. *Sicut excelsa*, id est, *cælos*. Tabernaculum enim (authore Philone) erat exemplar cæli. Diodorus asserit ad cælorum similitudinem iussisse Deum Tabernaculum fabricari: *Vt angustum ac breue illud opus Tabernaculi maximum illud augustissimumque cæli Templum animæ colentium repræsentaret.* Vt igitur cælesti Altari Sacerdos ministrare possit, Angelicâ puritate fulgeat necesse est, imò ipsius Christi debet imitari munditiem, siquidem Christi gerit personam. Nazianzenus orat. 1. Sacerdotis dignitatem admirans, ait: *Quis est, qui vnius dieculæ spatio velut de luto statuam finxit? ille, inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supremum Altare sacrificia transmittet, cum Christo Sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno Mundo Opificem aget; & vt (quod maius est) dicam, Deus erit, aliósque Deos efficiet.* Huiusmodi dignitas figmentum nouum requirit, quod non ex Adamo veteri procedat, sed immediatè rursus sine terrenis fæcibus exoriatur. Nazianz.

99. *Iesuita indiget puritate ad prædicationis munus.* Ezech. 26.

Denique ad docendi ac prædicandi munus, quàm necessaria Iesu Societatis alumno puritas Angelica? Ezechieli Deus: *Ingemisce tacens.* Interlin. *Ne in verba prorumpas.* Mox adijcit Propheta: *Locutus sum ad populum mane, & mortua est vxor mea vespere. Fecique mane sicut præceperat mihi Dominus.* Quidnam præceperat? *Sermo Domini factus est ad me dicens: Loquere domui Israel.* Cap. 26. Quæris, an illa verba: *Locutus sum ad populum manè, & mortua est vxor mea vespere*, ita sint exponenda, vt præcedentis diei vespere mortua fuerit vxor, priusquam manè diei sequentis Propheta populo loqueretur? Existimo non vespere ipsius diei quo manè locutus fuit; sed antequàm loqueretur, præcedentis diei vespere mortuam vxorem, eique indictum silentium, donec vxore mortuâ posset & effectu & affectu Angelicam puritatem imitari. Hieron. lib. 1. cont. Iouin. *Donec vxor viueret, non habebat libertatem populum commonendi. Moritur vxor, & absque vllâ trepidatione semper in officio prophetandi est.* Hieron.

100. *Moyses prædicaturus soluit vincula nuptiarum.* Exod. 3. Ambros.

Moyses iubetur soluere calceamenta, seu *vincula nuptiarum*, Origene authore: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. Quare? Quia populi prædicator eligitur. Ambrosius: *Vt vocaturus populum ad Dei Regnum, prius carnis exuuias deponeret, & nudo vestigio corporis mentisque incederet.* Postmodum hic Angelus appellatur. *Accepistis legem in dispositione Angelorum.* Act. 7. authore Lorino.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Claues Regni.

TEXTVS. 79.

VERS.19 ET tibi dabo claues Regni cælorum; & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Petro claues Regni traduntur.

1. *Promittit Claues, non dat.* Caiet.

ET *tibi dabo claues Regni*] *Dabo*, inquit, non *do*. Quia tunc promittit, post resurrectionem dat, cùm profatur: *Pasce oues meas.* Ioann. 21. Caiet. *Modò promittit, post resurrectionem dedit, Ioannis vltimo. Pasce oues.*

2. *Cur specialiter Petro Claues promittuntur?* Caiet.

Tibi.] Caietanus: *Tibi dico, non vobis.* Cur specialiter Petro claues promittuntur? Respondet Rabanus: *Præ cæteris donatus est clauibus, qui Regem cælorum maiori deuotione confessus est. Vt constaret neminem sine eâ confessione & fide Regnum cælorum posse intrare.* Ego autem Petro speciatim claues promissas puto, quia summus electus Præsul Ecclesiæ, è quo omnis reliquis Episcopis ac Sacerdotibus potestas deriuatur. Claues itaque promissæ Petro, & non alijs (ex mente Caietani) Suprema potestas est Petro promissa, è quâ claues potestatis singulis alijs Sacerdotibus exhibendæ.

3. *Claues supremæ Petri Potestas est.* Caiet.

Claues Regni cælorum.] Supremam potestatem traditam in clauibus Petro, confirmo ex Caietano, adijciente: *Consuetudo testatur, quòd Principibus primò venientibus ad Regnum, seu acquirentibus Regnum, offeruntur claues, in signum supremi dominij super illo Regno, Ciuitate, seu arce. Huiusmodi instar claues Petro daturum se promittit, significando, quòd supremam potestatem in Ecclesiâ illi daturus est.*

4. *Includit hæc Potestas cuncta munia Pontificis Summi.* Anselm. Raban. Dionys.

Huiusmodi autem suprema potestas quænam est? Anselmus: *Præsentis iudicij potestas.* Rabanus: *Discretio & potentia.* Carthusianus: *Scientia infusa, per quam Sacerdos iudicat, quis dignus, & quis indignus consistat, & potestas admittendi ad Regnum, & excludendi a Regno.* Existimo tamen claues Petri omnia continere, quæ supremam potestatem decent; scilicet Episcopos instituere, ligare ac soluere peccatores, & cunctâ quæ Pontifici summo à Domino commissa sunt munia.

9. *Cur Claues non Clauis appellatur?* Caiet.

Cur verò non *Clauis*, sed *Claues* huiusmodi singularis potestas vocitatur? Caietanus aptè respondet; Quia *potestas suprema constat ex duabus rebus, Altera est authoritas discernendi, iudicandi, & definiendi, quæ sunt Regni cælorum, siue pro, siue contra, & hæc est appellata clauis scientiæ. Altera est authoritas faciendi, seu exequendi definitâ, & hæc appellatur clauis potentiæ.*

6. *Petri potestas in ordine ad spiritualia.* Caiet.

Regni cælorum.] Tota Petri potestas ad Regnum cælorum est referenda. Mundum regit Præsul summus in ordine ad salutem animarum, siue (vt cum Caietano loquar) *in ordine ad ea quibus Regnum cælorum in hominibus seruatur, ac augetur, quæ constat esse bona spiritualia. Quò fit, vt temporalia non comprehendantur sub potestate Petri, nisi relata ad spiritualia.*

§. II.

De soluendi ac ligandi potestate.

7. *Quid soluere & ligare?*

ET *quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.*] Si clauium officia propria explicare intenderet, *aperueris & clauseris* dixisset. Sed vbi ad ligandum & soluendum transit, Clauibus adiungit officia potestatis promissæ in ipsarum collatione: *Quidquid solueris, quidquid ligaueris.* Pars est potestatis supremæ ligare, & soluere. Quid autem soluere? Respondeo cum Caietano: *Non solùm à vinculis peccatorum, pœnarum, præceptorum, iuramentorum, votorúmque liberare: sed à nodis emergentium difficultatum circa ea quæ sunt fidei declarando absoluere.* Quid ligare? *Non solùm est præceptis adstringere ad ea quæ sunt Regni cælorum, sed etiam definiendo errores, ac hæreses arcere, ne damnata credant:* τὸ *Quodcumque*, nihil omninò excludit, *ligaueris*, haud dicit ligare cogitaueris; sed secundùm rei veritatem ligaueris. Caiet.

8. *Potestas Petri,* Concil. Constant.

Super terram.] An mortuos includat? Ita planè. Clauis enim Ecclesiæ porta aperit abyssi, vbi iustorum animæ continentur. Concilium Constantiense V. *Non solùm hoc, scilicet ligaueris, solueris, de viuis intelligendum est. Sancta enim Romana Ecclesia quosdam Episcopos etiam post mortem anathematizauit.* En ligat Petrus; soluit autem per Indulgentiarum concessionem.

9. *Quid si Petrus malè soluat, & illiget?* Caiet.

Quid si malè quis ligat, aut soluat? Quasi non illigâsset, aut soluisset. Tunc ritè ligat, aut soluit, quando idem in cælis præstatur. Explicat Caietanus: *Colligi hinc debet, quòd non ad libitum ligat super terram, sed tunc tantùm cùm vinculum ratificatur in cælis. Et similiter non ad libitum soluit; sed tunc tantùm, quando solutio rata est in cælis. Alioquin voluntarias, imò malas Petri solutiones & ligationes cælestis cogeretur Curia approbare: quod est non solùm stultum, sed blasphemum.* Plura hinc Doctores congerunt,

congerunt, cùm contra hæreticos aduersus supremam Papæ potestatem dimicantes, cùm circa eiusdem potestatis executionem & commissionem inferioribus dispensatam Presbyteris. Consule Abulensem & Maldonatum.

In Petrum & Paulum

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS

circa literam.

Ex Clauibus Regni.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Et tibi dabo Claues Regni cælorum.

Petri ac Pauli Claues potentiæ, sapientiæ, virtutum.

Vbi innuo, virtutibus cælorum portas reserari, Clauiculariósque aliquando peccatores, electos in solatium & commodum delinquentium.

10. VTRIQVE Apostolorum Principi Regni cælestis Claues exhibentur. Hilarius Arciat. *Petro Claues Regni cælorum, Domino committente, creduntur, sed Paulo quoque, siue in corpore, siue extra corpus, vsque ad Thronum tertium sublimato cælorum secreta reserantur.*

Hilar. Arel

11. Petro Clauiculario cæli portæ panduntur. At quonam modo Paulus sine claue aperuit? Vius certè Apostolus virtutibus, vt claue ad portæ reserationem. Obijcit Hilarius: *Forsitan dicat aliquis, quomodo Paulus sine clauibus penetrare potuerit diuina adis excelsa?* Et respondet: *Agnoscamus, charissimi, veras cælorum claues meritorum esse virtutes. Quantum autem arbitror, omnes in nobis habere possumus claues Regni cælorum. Humilitas, patientia, quasi bona claues aperiunt Dei portam.* Virtutibus ergo Paulus tam clauicularius Regni, sicut Petrus exurgit: *Superbiam, iracundiam, & impietatem claues esse dixerim: nam claudunt Regna cælorum. Paulus humilitatis ac pietatis clauibus vsque ad Regnum cæli penetrauit, æqualis per omnia virtutibus Petro.*

Pauli virtutes Claues cæli.
Hilar.

12. Petri igitur clauis potentiæ. Pauli autem? Scientiæ dixerim ex Ambrosio fante: *Ambo claues à Domino perceperunt. Scientia iste* (Paulus) *ille potentia* (Petrus.) *Diuitias immortalitatis ille dispensat, Scientia thesauros iste largitur.* Peccatoris conscientia Pauli sapientiâ seu prædicatione priùs reserarat, quàm Petrus thesauros cælestes potentiæ claue pandat eidem: *Petro sicut bono dispensatori* (Doctor adiicit) *clauem Regni cælestis dedit; Paulo, tanquam idoneo Doctori magisterium Ecclesiasticæ institutionis iniunxit. Clauem à Christo scientiæ Paulus accepit. Clauis enim dicenda est, quâ ad fidem peccatorum dura reserantur, mentium secreta panduntur; & quidquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationabili manifestatione producitur. Clauis est, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit.* Petrus igitur sine Paulo non aperit, quia nisi claue Pauli hominum conscientiæ reserentur, cælorum portæ hominibus non aperiuntur.

Petri Clauis potentia, Pauli scientia, quâ aperit misericordiæ peccatorum conscientiam.
Ambros.

O quàm facilis ad cælorum Regna ingressio peccatori, si Pauli munus aperire scientiæ claue conscientiam: Petri autem pœnitenti cælestes portas reserare. Paulus aliquando persecutor Ecclesiæ; Petrus Christi negator, possunt infirmitatibus condolere. Clausus Paradisus romphæa Angelo percutiente? Petrus & Paulus clauicularij, accedite? Bernardus serm. 5. de Apost. *Quomodo ad illum accedere audebo, qui sum supra modum peccans peccator, qui peccaui supra numerum arenæ maris, cum ille purior, ego impurior esse non possim? Verendum ne incidam in manus Dei viuentis, si illi appropinquare, vel inhærere præsumpsero, quem à me tanta differentia diuidit, quantum distat inter bonum & malum.* Addit pulchrè: *Propterea dedit mihi Deus homines istos, Petrum videlicet, & Paulum, qui & homines essent, & peccatores, qui & in seipsis & de seipsis discerent, quam late alijs misereri deberent.* Paulo conscientiam ad pœnitudinem aperiente, Petro Regni portas reserante. 13.

Facilis peccatorum ad cælum aditus, Petro & Paulo (aliquando peccatoribus) aperientibus ostium.
Bernard.

An Apostolis cognitum se ad id munus claues accepisse? Electionis Petri & Pauli quandam adnoto differentiam. Petro Dominus: *Tibi dabo claues.* Paulo autem: *Vas electionis mihi est iste.* Paulo itaque dat, Petro promittit se posteà daturum. Chrysostomus, Paulo munus portandi Romam salutare de præsenti iniungit. *Petro autem hac ei se promittit daturum: Tibi dabo claues.* Quare non & Petro mox potestas exhibetur? An quia qui nondùm abiurauerat Christum, non misereretur delinquentibus; secùs Paulus, qui iam persecutione disturbarat Ecclesiam? Ita planè. Negationis priùs Petrus iaculo feriatur, quàm Regni Clauicularius exurgat, vt discat ex proprio vulnere vulneratis condolere, mitiùs exercens potestatem. 14.

Petro & Paulo claues traditæ, postquam se delinquentes agnouère, vt peccatoribus misereantur.
Act. 9.

Vndenam existimas, Dauidem Regem vicens subditi miseri Absalonis doluisse, dùm profaretur: *Seruate mihi puerum Absalon*; nisi, quia se fragilitate pressum corruisse contemplabatur? Si fortis perstitisset Rex, fortè delinquenti non misereretur. Ambrosius Petri id accommodat abiurationi. Ideò permissus abnegare Dominum, vt abnegatoribus nobis misereretur? *Si inoffensum à vitijs inter tot lubrica huius sæculi curriculum peregissent Dauid & Petrus nobis præpositi, dedissent nobis occasionem infirmio* 15.

Ideò Dauid filio delinquenti miseretur, quia ex delictis proprijs se hominem dignouit errantem. Sic Petrus.
Ambros.

infirmioribus æstimandi cuiusdam superioris naturæ ac diuinæ fuisse, vt delictum recipere, & culpæ consortium habere non possent. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco, qui nempè possint iis qui ignorant & errant misereri.

16. *Id in Adamo & Iobo ostenditur.* Iob. 4.

Adamus futurus hominum Princeps miserè corruit, corruit & Rex Iob, corruentis personam suscipiendo: *In terram corruit.* Cap. 1. Cur permittitur corruere? Gregorius in Iobo Principem mysticè delinquentem agnoscit? *Pulsatus vitijs quasi nudus ad misericordiam refugit, & aliquâ virtute aliquando detectus, ipsâ humilitate meliùs vestitur.* Quàm apposité miseris succurrere discet qui ad misericordiam miser accurrit.

17. *Ideò Apostoli viri misericordiæ erga delinquentes sunt, quia miseri ipsi misericordiâ indiguerunt.* Eccl. 24. Bernard.

Miseri igitur aliquando Petrus & Paulus ex delicto, misericordiâque à Domino excepti, errantibus proculdubio miserebuntur. *Hi sunt*, inquit Sapiens, *viri misericordiæ.* Eccl. 24. Quare misericordiæ viri vocitantur? An quia corruentes misericordiâ cælesti surrexere? An quia misericordi admodum affectu peccatores excipiunt? Bernard. serm. 3. de Apost. Misericordiæ viros appellatos asserit. Et quia delinquentes excipiũtur misericorditer à Domino, & quia inde errantibus misereri didicerint. *Misericordiâ* (ait) *consecuti sunt Apostoli, vt iam nemo ex vobis super peccatis præteritis vltra quam necesse sit, confundatur. Quoniam propter te Scriptura loquitur, Petrum & Paulum viros esse misericordiæ, vtique propter multam misericordiam, quam consequi meruerunt. Potes tamen in hoc verbo accipere viros misericordiæ Apostolos fuisse, id est, plenos misericordiâ datos Ecclesiæ.* Qui delictis te maculatum fuisse agnoscis, misericordiâ a Domino donatus edisce conseruis misereri.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et tibi dabo claues Regni cælorum.

Clauicularij Petrus & Paulus, dùm Crucem martyrij subeunt, pro Castitatis defensione.

Vbi luxuriei, quæ Petri, Pauli, imò Christi necis extitit occasio, immanitatem taxo.

18. Crux Clauis. Lauret. Ambros.

Clavis apud Lauretum *Crux Christi per quam aperitur nobis Regnum cælorum.* Clauicularij cælestes Petrus & Paulus, quia Cruce martyrij simul sunt donati. *Ambo* (ait Ambrosius) *Clauem à Domino perceperunt. Vnde inter ipsos quis cui præponatur* (non ex Clauibus potestatis, sed ex Claue Crucis) *incertum est; puto enim illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione.* Proximam expendo particulam.

19. *Pro defensione pudicitiæ Apostoli occubuerunt.* Metaph.

Quonam modo æquales? Quia pro defensione pudicitiæ sanguinem profudere. Metaphrastes *Zepherinus Romanus, & Dionysius Episcopus Corinthius, scribunt, vno tempore & simul Petrum & Paulum subiisse Martyrium tertiodecimo anno imperij Neronis. Dicunt enim Neronem eo tempore fuisse motum, aduersus Christianos, propter eius fœminas, quæ in Dominum crediderant, & pudicè castèque viuere statuerant, nec cum eo congredi deinceps sustinebant, non autem propter Simonem magum.*

20. *Æquatur Petrus passioni Christi à tortore impudicitia vulnerati.* Tertull.

In cuius robur expendo Tertullian. *Felix Roma, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.* Vnus & alter Apostolus Ecclesiam reddidere feliciorem, quia Petrus passionis Dominicæ vestigia sequitur, Paulus exitum Ioannis imitatur. Non dubium quin cùm omnibus criminibus in patientem Christum irruere tortores, præcipua ipsum, siue plura vulnera ex luxurie, quâ *omnis caro corruperat viam suam*, accepisse, in cuius typum Petrus ostiariæ ancillæ instigatione corruit. Matt. 20. Vbi Rabanus aiebat: *Quid sibi vult, quod prima eum prodit ancilla, cùm viri magis eum potuerint recognoscere, nisi quod iste sexus peccare in nece Domini videretur.* Imò illa ipsa inter procaces viros procaciter admixta impudicitiam halabat; vt Remigius ad Cap. 14. Matt. ostendens filiæ Herodiadis libidinem, eam asserit a matre virorum conuenticulis assuetam. *Consuetudo est* (ait) *non solum diuitum, sed etiam pauperum mulierum, ita pudicè filias suas nutrire, vt vix ab extraneis videantur. Hæc autem impudica mulier impudicè filiam suam nutriuit.* Durus igitur libidinis carnifex durè Dominum vulnerauit. Vnde asserit Laurent. Iust. crudelissima flagella ab impudicitia nostra Domino inflicta. Raban. Remig.

21. *Petrus adeò similis Christo, vt eo vulnerato Dominus vulneratur.*

Æquatur itáque Petrus Dominicæ passioni, dùm percutiente obijt impudicitia Regis. An non, obijcis, ancillæ procacitate patitur Petrus? Quonammodo ergo accedente muliercula ad Petrum, non ad Dominum percutiendum, vulneratum Rabanus asserit Saluatorem? Certè quia Christi & Petri ea est similitudo (ne dicam, identitas) vt vulnerato Petro Christus vulnerari videatur. Drogo pulchrè lib. de Sac. Pass. *In domo Cayphæ colaphizatus est Christus, quia in domo Cayphæ colaphizatur Petrus*; & quod Petrus à Sathana intùs passus est, hoc Christus à ministris Sathanæ foris pertulit. Petrus ergo Dominicæ passioni æquatur, dùm carnifex impudicitia de medio sustulit vtrumque. Drogo.

22. *Paulus Ioannem refert occisum in castitatis defensionem.*

Paulus Ioannis exitu, ait Tertullianus, *coronatur.* Luxuries quidem immanis carnifex Præcursoris, saltatrice puella Herodi placente, & postulante: *Da mihi in disco caput. Ioannis.* Marc. 14. Chrysostomus: *Ita ei placuit; vt occisionem Ioannis expeteret in mercedem.* Paulus ergo Ioannis exitu coronatur, dùm alium Regem impudicum conatur infrænare. Edisce, quàm immanis impudicitia, quę gladium & ictum tot vulneribus ministrauit.

* * *

Observatio III.

Ad illa verba.

Et ego dico tibi, &c.

Id, quod Petrus & Paulus Christo tribuunt, esse proculdubio apparent, ex Domini munificentia vbertim reddente, quod accipit.

Vbi caducas Deo munificentissimo tributori res libare edoceris, si posiri æternis curas.

23. *Vis particula & expenditur.* Druth.

ILLIVS particulæ: *Et* vim expendo ex Christiano Druth. fante, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus &c. Dixisti, Tu es Christus: & ego dico tibi, Tu es Petrus, super hanc firmitatem, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam.* Tu meæ Diuinitatis stabilitatem confessus es, & ego te stabilem prædicabo. Id est Petrus ex ore Dominico quod Petrus Domino inprecatur: *Tu es Christus, Tu es Petrus.* Id proculdubio sumus, quod Deo tribuere conamur.

24. *Qui filio Dei dat, filius Dei efficitur.* Psalm 28.

Testem Regem Vatem adhibeo. *Afferte Domino, filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Psalm. 28. Filios vestros quos per Euangelium genuistis, facite filios Dei; sed cur ij quos allicere curat ad offerendos filios Deo, filij Dei à Prophetâ appellantur? Quia eo ipso, quòd Deum filiorum suorum parentem aduocabant, dando filios Deo, se Dei filios ostendebant, quia Dominus tam magnificus munerum redditor, vt id reddat, quod accipit. Vnde Bruno, datam ait fidelibus potestatem *filios Dei fieri*, quia data profitendi potestas, *Tu es Christus Filius Dei viui.* Filios vestros Domino offerentes eum Dominum profitemini; veraciter Dei filij vocitamini: *Afferte Domino, filij Dei.*

Bruno.

25. *Petrus ædificans Tabernaculũ, Tabernaculum effectus est.* Matth 17. Origen.

Apud Thaboris verticem Petrus, *Domine* inquit, *bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Mat. 17. Vbi Origenes, *Vult ibi semper esse, vnde Tabernaculorum meminit.* Sed tanti Doctoris pace, contrarium colligerem, vult ibi non semper esse, sed ad tempus commorari, si meminit Tabernaculorum, binc inde transferri quæ assolent, fante Laureto, *Tabernaculum est tectum castrense, quod huc illucque transfertur*, quod quidem deponendum clamat Apostolus. Porrò Tabernaculi, quod transferri non potest, de quo Isa. 35. memor, Ecclesiæ Princeps, fatur: *Faciamus hic tria tabernacula.* Sed cur non etiam sibi Tabernaculum præparari curat, qui se sperabat sessurum iuxta Domini promissionem: *Sedebitis & vos?* Profectò, quia eo ipso quòd Domino fabricare Tabernaculum curabat, ipse futurus sibi Tabernaculum erat; id enim homo est, quod Domino impendere satagit. Hieronymus, *Fac*, inquit, *Petre, tria Tabernacula, imo vnum Patri & Filio, & Spiritui sancto, vt quorum est vna Diuinitas, vnum sit in pectore tuo Tabernaculum.* En Petri pectus Tabernaculum est ipsi Trinitati, quia Tabernacula Deo & hominibus procurat extruere, simul quidem & Domino sedes, & sibi requies ostentatur.

Hieron.

Paulus ad hæc, *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei estote*, 1. Corinth. 4. In cuius gratiam expositionis, rursum expendo Psalmi carmen, *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*: id est, ex Brunonis sententia, filios per Euangelium Domino generate. Ego igitur vos, Paulus ait, per Euangelium Christo genui. Igitur *imitatores mei estote.* Cur non dixit, *Christi filij Dei estote imitatores*, sed *mei?* Quia Apostolus filios suos Domino exhibens, filius ipse Dei exurgit, quia illud sumus, quod Domino impendimus, Origenes in Catena Græca, *Paulus sanctus filius Dei factus est, quia genuit filios; & eos Deo obtulit.* Diues esse cupis? Deo per manus pauperum diuitias consecra. Frui voluptatibus amas æternis? Caducas Deo libare non renuas voluptates. 26.

Paulus gignens Deo spirituales filios fit Filius ipse Dei. 1. Cor. 4.

Origen.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

Vt Petrus & Paulus ligent, & soluant?

Ostendo Iudices, Præsules se patres delinquentibus exhibere, subditorum vulnera alligare, exhibita benignitate debere.

EVSEBIVM Emissenum præmitto, *Hoc Episcopi audiant, De munere gaudeant, de potestate non superbiant. si enim sic ligauerint vt Petrus, quidquid ligauerint, ligatum erit: & quidquid soluerint, solutum. Imitentur illum in discretione, & iustitiâ, quem imitari volunt in ligandi, atque soluendi potestate.* Iustitia & discretio commendantur in Præsule, vt scilicet paternâ seruatâ benignitate, peccatis adhibeantur medicamina. 27.

Iustitia & pietas commendantur in Præsule. Emissen.

Capvt I.

Apostoli Ecclesiæ Iudices simul & Patres.

DIscretione (fateor) Prælatus indiget, vt, sine pacis læsione vulnus possit errantium alligare. *Ideo hæc* (ait Eusebius citat.) *soli Petro dicta sunt, quia nemo discretior. Vt omnes alij se in illo quasi in speculo videant, sic ligando, & à pace non recedendo.* Quàm patres Præsules, quàm Iudices genitores. Neque enim rectitudo 28.

Petrum & Paulum nobis Deus Iudices & Patres vicarios reliquit. Emissen.

do iudiciaria paternum inhibet affectum. De Petro & Paulo sic D. Maximus sermone de Apost. *Beatissimorum passio, fratres, quorum hodie natalem solemniter celebramus, cunctis est honoranda credentibus, quos pro iustitia, pietatisque plenitudine Saluator Mundi humano generi & Patres esse dedit, & Iudices.* Nec enim rectè iudicandi munus obirent, nisi paterno affectu iudicandos prosequerentur.

Maxim.

29\. *Vix potest Iudex iustitiam seruare, nisi simul sit paternitatis custos.* Luc. 16.

Diues Epulo Abrahamum patrem appellauit. *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Quare Patrem vocitat Patriarcham? Contemplatus est illum iuris dispensatorem, siue Iudicem vinctorum æstimauit, cui datum soluere, aut ligare. Respondet inclamanti, *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem similiter mala.* Iudicem suum vocitat Patrem, quia minimè potest seueritas iudicij dispensari, nisi adhibità pietate. Vnde & damnaturus Iudex filium vinctum appellat, quia iustitia adesse non potest, misericordià exulante. Augustinus serm. 35. ad frat. *Conuenistis omnes Iudices ad domum Episcopi, vt quid pro vestrâ salute necessarium fuerit, audiatis: & audientes, operibus impleatis. Vos enim reputati estis ab hominibus orphanorum Patres. Decet igitur Iudices largitatem sectari, amare paruulos, pupillis & orphanis faciem serenam non solùm verbo, sed etiam opere demonstrare.* Addit pulchrè ad argumentum. *Sed væ vobis, Iudices, væ vobis in æternum, quia non est in vobis misericordia, non iustitia.* Si Iudices taxat, quòd iudicij seu iustitiæ seueritatem, haud condiunt misericordià, quare vtentes solà iustitiæ seueritate asserit non habere iustitiam. *Non est in vobis misericordia, non iustitia:* quia seueritas iudicij sine misericordia, crudelitas est, non iustitia.

August.

30\. *Trinitatis qualibet Persona Pater est, quia Iudex est.* Gen. 1. Interl. Caietan.

Moses ait, *In principio creauit Deus cælum & terram.* Gen. 1. Interli. *Creauit Deus Pater cælum & terram.* An prima Trinitatis persona, Pater scilicet, creatrix rerum designatur? Certè totius Trinitatis opus Mundi ædificatio. Caietanus, *In principio creauit Elohim* (id est *Iudices*) *cælum & terram.* Vbi *Iudices* pluraliter Trinitatis personas signat; singulariter autem *creauit* essentiæ denotat vnitatem. Verbum itaque illud *Deus Pater creauit*, vnicuique diuinæ personæ, cui creare competit, videtur conuenire. Pater æternus Pater creauit, Filius Pater creauit, Spiritus sanctus creauit Pater. Iam quæris, cur singulæ Trinitatis Personæ Patris nomine decorentur? Certè quia *Creauerunt Iudices.* Si Pater Filius, & Spiritus sanctus Iudex, simul Pater debebat existere.

31\. *Iudicante Christo necessariò iudicat Pater, quia paternum iudicium.* Luc 5. Chrysost.

Duo pugnare videntur Ioannis testimonia. Vnum, *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Inferiùs autem, *Non possum ego à me ipso facere quidquam; sed sicut audio, iudico*, cap. 5. A quonam audis? A Patre. Chrysostomus, *Ita iudico, ac si ipse Pater esset, qui iudicaret.* Si Filius sine Patre non iudicat, quonam modo Pater sese exemit à iudicandi munere, Filio omne iudicium committens? Profectò, quia Filius Dei perf[...]ssimus Iudex cùm sit, necessariò iudicium paternitati copulat, vnde, Filio iudicante, Patri iudicium adscribitur; non solùm quia cuncta opera, ad extra tribus Personis tribuenda; sed specialiter quia perfectum Iudicem agens Filius non potest non simul Patris personam gerere. Ad mentem hanc allicio Hilarium lib. 7. de Trinitate, *Pater non iudicat quemquam; datum est enim Filio omne iudicium. Neque ademptum Patri iudicium potest videri, cùm ipse non iudicet, quia Filij iudicium*, aut sententia *est ex iudicio paterno.*

Hilar.

O iudicium sæculare plerumque ex paternitatis defectu immane, & hostile. Senes iudices Susannam morte damnauerunt. *Credidit eis multitudo, quasi Iudicibus populi, & condemnauerunt eam ad mortem*, Daniel. 13. Non dixit: *Credidit multitudo eis Iudicibus*, sed, *quasi Iudicibus.* Quia non Iudices veri, qui paternitatem iudicio haud copulari curant. Hinc eleganter Augustinus, *O patres pauperum! O verè non patres, sed prædones! Quare non patres? Quia vbique per vos opprimuntur pauperes, nec est, qui misereatur pupillis Dei. Eia igitur ò Iudices, attendite, ne cum falsis Iudicibus* (seu quasi Iudicibus) *Susannæ confundamini.* Ad Petrum & Paulum iudicaturi accurrite edocendi paternitatem. Nam *Saluator Mundi Apostolos humano generi & Patres dedit esse, & Iudices.* 32. *Sæculares Iudices sæpe carnifices.* Dan. 13. August.

Capvt II.

Petrus, & Paulus illigant peccatores; sed ad vulnerum medicamen.

Tò *ligaueris*, potestatem Prælatorum ad censuras inferendas exprimit. Sed simul respicit illud munus Samaritani, qui vulnerati vulnus *alligauit.* Apostoli noxios illigant, sed vt vulnera alligata donentur sanitate. Pulchrè Maximus sermone in Apost. *Quanta integritatis, quantaque pietatis Petrus & Paulus Iudices fuerint, hinc vel maximè prændendum est, quòd ille eos ad emendationem corrupti sæculi, & in ministerium suæ voluntatis elegit.* Quænam Dei voluntas? *Nolo*, ait, *mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Hanc exequuntur Apostoli, dum integritatis vino oleum pietatis infundentes, alligant ad vulnerum sanitatem: *Alligauit vulnera eius.* 33. *Sic censuris illigant Iudices, vt simul vulnera alligent.* Maxim.

Nec aliter vulnera grauia sanitati restituuntur. Tunc enim ligatur peccator dissolutus, vt meliori menti addici possit, cùm seueritas pietate conditur. Testor Pastorem ouiculam deperditam humeris gratissimum pondus adiicientem. Luc. 15. Et cur vulneratam non potiùs alligauit, ne rursum fugæ se committeret? Certè quia munus ostendisse paternum idem fuit ac vulnera sanari, ouemque alligari ne rursum erraret. Ambrosius, *Quomodo se tibi curandum præbeat, quem fastidio dedas? Qui studet humanæ infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem debet sustinere, & quodammodo pensare humeris, non abijcere. Nam Pastor ille Euangelicus lassam ouem vexisse legitur, non abiecisse.* Emendatur ouicula, alligatur vinculis, cùm bra- 34. *Pastor alligat ouem, ne rursum fugiat, cum benigniter excipit.* Luc. 15. Ambros.

chiis Pastoris excipitur. *Meritóque tales Discipulos elegit* (addit Doctor) *qui Dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent.* Solutam enim ouiculam adducere, colligere, imo est colligare. Maximus, *Ille Petrum & Paulum ad emendationem corrupti sæculi elegit, & ministerium suæ voluntatis.*

35. *Vinum seueritatis adhibeatur, si oleum non sufficit.* Cant. 1. Bernard.

Monuero tamen non tantum olei vulneri adhibendum, vt insolescat ægritudo. Dixerat Sponsus, *Oleum effusum nomen tuum.* Post paruum interstitium, *Botrus Cypri Dilectus meus mihi*, Cantic. 1. Mihi dilectus iam oleum, iam botrus? Profectò qui munus exerit alligandi, sic vulneribus debet oleum pietatis immittere, vt vino (si fert delinquentis proteruia) seueritatis admisceatur. *Quia vulnera illius* (loquor cum Bernardo) *qui incidit in latrones, non in solo oleo, sed in vino sanitatem receperunt, necessarium habet spiritualis medicus etiam vinum feruidi zeli cum oleo mansuetudinis. Si enim viderit illum, qui vulneratus est, lenibus hortamentis minimè emendatum, oportebit vinum infundere, duris increpationibus agere.* Ideo *Botrus Cypri dilectus. In botro enim Cypri vinum intelligitur; nam eu insula ferax est vini.* Hactenus Pater.

Observatio V.

Ad illa verba:

Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.

Petri, & Pauli in soluendo, imò in ligando peccatores pietas ineffabilis confirmatur, dum pietatis non riuos, sed fontes ostendunt.

Eam commendo eleemosynam, quæ continua, inopum ablegat egestatem.

36. *Apostoli nostri duæ oliuæ sine vino, oleo solum modo vulnera curante.* Damian.

PETRVS Damianus sermone 2. fatur, *Petrus, & Paulus duæ oliuæ. Digna prorsus comparatio oliuæ ad Apostolos. Arbor enim ista semper viridis est, & excellentissimum olei liquorem effundit, sine quo nec Regia, nec Sacerdotalis constat authoritas. Oleum autem quatuor habet: supernatat omnibus liquoribus, illuminat, pascit, & vngit.* Licèt Apostolorum medicamina oleo & vino conficerentur; sed tantâ medicorum cælestium peritiâ, vt oleo ipso insolescentia vulnera curarent. Samaritanus ille cælestis miserum viatorem à latronibus vulneratum oleo & vino profuso, valetudini restituit. An Apostoli Medici peritiores? An maiora facinora exequentur ope Magistri?

37. *Christū medicum imitantur.* Damian.

Petrus & Paulus sine vini admixtione, olei solius ministerio vulnera ligantes sanitati restituunt. Damian. *Cuicunque liquori oleum superponas, statim sibi superioris loci vendicat potestatem. Ita & misericordia Dei omnibus eius operibus præfertur. Est autem & iustus, sed nunquam multum iustus legitur in Scriptura, sicut multum misericors. Vis videre, quomodo Discipuli Petrus & Paulus sequuntur Dominum, & Magistrum suum?* Accipe paucis.

38. *Petrus non misericordiæ riuos solum, sed ipsum misericordiæ fontem ministrat egentibus, vt nunquam deficiat.* Act. 7.

Petrus olei non riuis potauit peccatores, sed pietatis eis fontem ministrauit, ne vnquam deficerent fluenta charitatis. Sunt qui pauperi subueniant, sed vndam ei impendunt exiguam citò defecturam. Petrus autem misericordiæ ipsius nos fonte potauit. In cuius typum Thabitam piissimam erga pauperes viduam, fontem vtique misericordiæ, mortuam restituit ad seculum. Accurrunt ad Apostolum egeni, viduæ, orphani conquerentes, quòd pietatis fons exhauriretur. Quid Petrus? Eos ne cibo, potu, vestimento donauit? Parùm esset Apostolo munificentissimo eos exsatiare misericordiæ riuis, si non illicò eis benignitatis fontem propinaret, vt in defectibili potu fruerentur. Act. 7. Pulchrè Damianus, *Aspice, quantus pietatis affectus Apostolorum Principi se infudit, quando circum steterunt illum omnes viduæ flentes, ostendentes tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Circundatur multitudine pauperum Apostolorum Princeps, & vocibus lacrymosis contunditur viduarum, Apostolicúmque pectus irrumpit clementia multitudo. Orat Apostolus, resuscitatur mulier, & miseris redditur misericordiæ propinatrix.* Quàm appositè inquit, *Apostolicum pectus irrumpit clementiæ multitudo.* Non enim viduis ostendentibus tunicas quas faciebat eis Dorcas, tunicas exhibet, non cibo & potu pauperes pro Thabita donat; sed viduis, pauperibúsque misericordiæ fontem reddidit, pietatis propinatricem à mortuis suscitando, vt semper illis vestes, cibus, potus, instar riuulorum profluerent.

Damian.

39. *Christus potius fontem pietatis largitur; quàm riuum, sic Petrus imitator.* Ioan. 4.

Cuius exemplum præcessit in Christo, quem Petrus (vt aiebat Damianus) secutus est. Ad puteum accurrit Samaritana illa aquam hausturâ deficientem. Cui Dominus, *Qui biberit ex hac aquâ, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*, Ioan. 4. Cur iterum sitiet, qui ex putei aquâ sumpserit vndam? Quia *erat* (ait Textus) *ibi fons.* Non secum ferre potest fontem, qui bibit, & ideo vnda hausta pereunte, rursum cogitur requirere fontem. Qui autem ad verum fontem Christum accedit, non iterum sitit, quia nunquam à Christo discedat, ipsum non vt riuum, sed vt fontem accipiet. Ambrosius, *Ibi fons est, vbi Christus est.* Discedit corpore sitiens, non remanet in deserto fons, sed consequitur æstuantem. *Bibebant de consequente eos petrâ. Petra autem erat Christus.* Quinam fons ille, qui potat, & sequitur, qui riuos sine fonte non exhibet sitienti? Profectò aut *Petra Christus*, aut *Petra Petrus*, Magistri benignissimè imitator: *Fiet in eo fons.*

Ambros.

40. *Paulus sic aliena vulnera curat, ac si propria prouideret.*

Quid de Pauli misericordiâ super cunctas virtutes, olei in morem, innatante scribam? An medicus inuenietur, qui studio prouideat æquali alienis vulneribus, ac propriæ infirmitati? Paulus sic alienarum ægritudinum medicator, ac si propriis oleum vulneribus adhiberet. Illud ineffabile in Saluatore, quod

verè

verè languores nostros ipse tulit. Id est, tam diligentis medici nostrarum infirmitatum personam gessit, ac si propriis ægritudinibus pararet medicamen. Sic Paulus proprias fecit infirmitates alienas, vt accuratiori studio cunctis mederetur. Petrus Damianus, *Aspice Paulum, & intellige, quàm dulcioris misericordia cumulata benignitas totam Apostoli mentem verâ compassione succenderat. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Doleo, & lugeo super eos qui peccauerunt. Beata anima, quæ omnium miserias suas fecerat, vt omnes lucrifaceret. Hac affecta nauigat mare, currit in Ierusalem, verberatur, lapidatur, affligitur, currit ad Ephesios, Corinthios quærit, circuit Colossenses, Philippenses visitat, reuertitur ad Romanos, misericordiam spargit.* Quare ô medice cælestis vbique curas commoratis? Quia vbique doleo, vbique propriæ ægritudini studeo mederi: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* — *Damian.*

41\. *Apostoli Seraphini sunt custodes Paradisi, vt aperiant, non Cherubini, vt claudant.* Beda.

Authore Bedâ, Seraphim *amoris incendium*, Cherubim *Scientiæ est plenitudo.* Cur existimas Cherubim, non autem Seraphim paradisi portarum custodem addictum? Quia si ministerium illud Seraphino ardentissimo amatori committeretur, contra proprij ignis naturam (sic liceat fari) ostium paradisi perpetuò muniret, ne hominibus reditus patesceret. At Cherubim, siue scientiæ plenitudo, à qua vberior amoris affectus assolet exulare, aptiùs claudit ostium non aperiendum. Petrus & Paulus potestatem accipiunt cælum claudendi, non igneâ romphæâ, sed nubium vaporibus. Damianus, *Habent Apostoli potestatem claudendi cælum nubibus.* Nubibus vtique facilè à peccatoribus vnico vel suspirio dissoluendis, facilè ab eisdem Apostolis Seraphicæ charitatis ardore dissipandis. Seraphim igitur vterque cælestis Paradisi portis præpositus, non Cherubim, quia ita claudunt, vt facilè aperiant; quin imò Seraphinorum munificentiam pertinaci indulgentia de facto superant, dum officio sibi concesso peccatorum conscientias claudunt, & aperiunt, quod ipsis Seraphinis non est datum. Sic de Petro prædicat Damianus, *Petro potestas ligandi, & soluendi conceditur, qui cælos claudit, & aperit, quod Cherubim, & Seraphim habere non legitur.* Concludit primam propositionis partem. *Cernis ergo, quia sicut oleum omnibus liquoribus antecellit, sic & Apostolica pietas omnibus eorum virtutibus antefertur.* Ex præfatis edisce eleemosynam adhibendam — *Damian.*

inopi non instar riui, qui deperit;
sed fontis perennis in morem,
vt subsidium omnino
ableget egestatem.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.

Petrus & Paulus oleum illuminans. Vbi vmbræ Apostoli salutaris elogia recenseo.

Ostendens interea eum Euangelij ministrum elucere, qui vtilitati proximi fulgorem impendit.

ILLVMINAT (pergit Damianus) *oleum, illuminant & Apostoli.* Nescio, quid diuinæ potentiæ elucet in Petro ligante, ac soluente peccatores, cælis ipsi obtemperantibus. & quasi *obediente Domino voci hominis. Erit ligatum & in cælis, erit solutum & in cælis.* Id in oleo exprimitur illuminante. Lucerna ex oleo, nocturna fax. Scio, quid in Petro nocturnum illuminans contempler, vnde diuinũ quodammodo lumen agnoscam. Referte ad memoriam Apostolum beneficâ vmbrâ ægroros saluti restituentem Contingente enim *vmbrâ quenquam illorum,* cuncti, ablegatis ægritudinibus, exultabant. Quid magis diuinum, quàm vmbram, instar lucis, illuminare? — 42. *Ex vmbra salubriter illuminante Petrus Diuinus quodammodo apparet.* Damian

Angelus ad Mariam, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. Quid Altissimi virtus nisi Diuinitas? Annon Diuinitas lumen est? Ita planè. Quonammodo igitur lumen dicitur obumbrare? Imò ex eo liquet Diuinitatis lumẽ esse, quia obumbrando illuminare potest, in pectoris humani refrigerium. Gregorius, *Dominus per Diuinitatem lumen est. Quia ergo lumen incorporeum in eius erat vtero corporandum, rectè ei dicitur: Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hoc Mariæ dicitur propter refrigerium mentis cælitus datum.* En arguitur lumen esse Diuinitatis ex eo quòd obumbrando illuminet ad hominis refrigerium. Petri vmbra refrigerando illuminat ægrotos? Quodammodo diuinitate condecoratur. — 43. *Deus obumbrat illuminando, quia Deus. Ergo Petrus quodammodo Diuus.* Luc. 1. Gregor.

Concinit Dauid, *Dixi. Forsitan tenebræ conculcabunt me; & nox illuminatio mea in delicijs meis; quia tenebræ non obscurabuntur à te, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Psalm. 138. Vbi Euthymius, *Duo hæc æquè se habent apud te, æquè lucent, æquè splendescunt.* Ita lux obumbrat, ac si vmbra existeret; adeò nox siue vmbra illuminat, ac si lux fulgurans appareret. Id autem in hominum vtilitatem. *Confitebor* (adiicit) *tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua.* Ac si diceret, Te, ô Conditor ex vmbrâ illuminante, seu obumbrante luce in hominum commodum, augustissimè magnificatum Dominum recognosco. Quid igitur Petrũ non Diuinum quodammodo prædicemus, cuius vmbra tam mirificè illuminauit, tam benigniter refecit ægrotos? Damian. *Vide quanta luce, alguerat Apostolus Petrus. In plateis ponebantur infirmi in lectulis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Oleum infinitum,* — 44. *Sicut tenebræ siue vmbra Petri, ita & lumen eius, vnde Diuinus ostendatur.* Psal. 138. Euthym. Damian.

admirabile lumen, & omni Sole lucidius, ad vmbram Apostolici corporis languores fugere, discedere infirmitates, & omnium morborum instantiam inauditâ velocitate fugari. Vmbra illuminat? Ergo lumen hoc, oleum hoc quodammodo *infinitum* est, Diuinitate Petri vmbrâ mirabiliter decorata.

45. *Paulus diuinam spargit lucem.* Psalm. 26. Paschas. Necnon Paulus, oleum illuminans, Diuinitatis quodammodo præ se fert splendorem, *Dominus illuminatio mea*, Psalm. 26. Vbi Paschasius lib. 3. in Matth. *Propheta de Domino ait: Dominus illuminatio mea. Propterea Apostoli quatenus Dij secundum gratiam intelliguntur, lux ad illuminationem huius Mundi sunt vocati.* Pauli specialiter Damianus obiicit splendorem. *Respice Paulum totum Illyricum peragrantem, suscitantem mortuos, subuertentem templa Deorum, & in splendore huius lucis totius Orbis illuminare circuitum. Cubrit Paulus, & potenti virtute sermonis, illuminat, quæ in tenebris sunt, clarus sermone, opere clarior.* Paschasius citat. *Luminis huiusce natura est, quocumque inferatur, vt tenebras foras mutat: ita & Apostoli lux in Domino effecti positi sunt, vt per eos omnes illuminentur.* Si illuminans Paulus sanitatem simul impertiendo, Petri lucidam, & medicam vmbram imitatur.

46. *Paulus clarus sermone, opere clarior.* Damian. Illud lucis Apostoli adnotandum: *Clarus sermone, opere clarior.* Ipse ideo scribebat, *Habete formam nostram, & attendite non solum quæ audistis, sed & quæ vidistis.* Vbi Damianus, *Bonus, & perfectus Magister, qui fidem facit verbis opere meliori. In huius lucis clarissimâ serenitate illuxerunt coruscationes tuæ, Deus Orbi terræ.* Opera quidem egregia in eorum, qui illuminantur, commodum exeruntur, vt Paulus Christi, obumbrando luentis ad Mundi illuminationem & sanitatem, imitator exurgat. Edisce eam fulgurationem ministrum decere Euangelicum, quæ, vmbræ Apostoli imitatrix, saluti proximorum impenditur.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.

Petrus, & Paulus oleum pascens Ecclesiam.

Vbi assero, oues à Præsule verbo, exemplo, oratione esse pascendas, reficiendósque fideles iuxta ætatis exigentiam.

47. Damian. Oleum (adiicit Damianus) *pascit, pascunt & Apostoli.* Pascit quidem Petrus (qui præfatis Iesu verbis: *Quodcumque ligaueris*, &c. potestatem, ac curam Dominici gregis

48. *Petrus oues pauit triplici alimonia.* Ioan. 21. accepit verbo, exemplo, & oratione. Dominus Petrum constituens Ecclesiæ Præsulem, bis & iterum dixit, *Pasce oues, Pasce oues, Pasce agnos,* Ioan. 21. Ac si diceret, Pasce verbo, pasce exemplo, pasce oratione. Petrus Damianus, *Epistola Petri, & sublimis illa sermonum doctrina, nunquid non mirabiliter pascit Ecclesiam? Audi, quid Saluator de hac ipsâ pastione dicat ei. Pasce (inquit tertiò) oues meas. Pasce verbo, Pasce exemplo, Pasce oratione. Pasce verbo, vt potens sis exhortari in doctrinâ sanâ: & eos, qui contradicunt, arguere. Pasce exemplo, vt quod prædicas voce, opere compleas. Pasce oratione, vt pro illis intercedas, quorum anima tibi commissa est.* Damian.

49. *Dauid celebrat huius modi omnium Petri pabula.* Psalm. 67. Bernard. Vnico Dauidis carmine illustrabo. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel;* Psalm. 67. Vox prædicatio, virtutis vox, sunt opera, gloria libata Deo preces pro populi commodo effusæ. Sic Antistes subditos verbo, exemplo, & oratione pascet. Bernardus epist. 201. *Memento dare voci tuæ vocem virtutis, & opera tua verbis concinant; imo verba operibus. Sermo viuus & efficax exemplum est operis, facile faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile, quod suadetur. Tamen, si sapis, iunges tertium studium, scilicet orationis, ad complementum vtique trinæ illius repetitionis in Euangelio de pascendis ouibus. In hoc noueris illius trinitatis sacramentum nullo frustratum à te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas & sanctarum fructu orationum.* An non oleum diuinum pastio Petri, quæ vna cùm sit, trina nobis obiicitur? In hoc noueris illius trinitatis Sacramentum.

50. *Paulus pascit primus lacte infantes, deinde pane virilem ætatem.* Damian. Paulus similiter pascens oleum ostenditur. Damianus, *Vas electionis Paulus: vide, quomodo pascit populum Dei diuersorum varietate ferculorum. Lac, inquit, dedi vobis, non escam: perfectorum autem solidus cibus est. Vides, quomodo se contemperat, & conformat, illos sublimi, hos tenerâ imbuens doctrinâ.* Nec enim fideles ad perfectam ætatem perducerentur, si è cunabulis pane, ac non lacte vterentur; siue si nutritius primorum documentorum loco sublimiora præcepta præscriberet. Ideo etiam Petro & agni, & oues pascendæ committuntur speciali commissione, *Pasce agnos, pasce oues*, vt innuatur diuerso pabulo vnum pecus, & alterum esse reficiendum.

51. *Exitialiter pascitur pane, qui lacte indiget.* Gen. 27. Exitialiter pascis pane, quem lacte nutrire deberes. Iacobo Isaac, *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*, Esau autem *In pinguedine terræ, & in rore cæli erit benedictio tua.* Gen. 27. Eadem videtur benedictio quâ iustus Iacob, & iniustus Esau donantur; sed omnino diuersa est. Iacob primò datur ros tanquam lac ad spiritualem nutritionem, vnde pinguedo panis & vini congruè iam perfecto succedit. At Esau primò datur perfectorum panis, vnde perit, quia lacte non potatus necessariò præmittendam non gessit infantiam, Iacob *in rore cæli*, Esau *in pinguedine terræ* benedictus. Origenes homil. 26. in Luc. Origen. *Puer est aliquis, & paruulus in fide? Indiget pluuiâ*, (aut rore) *sed lactis pluuiâ; sic enim dicit ille, qui sciebat pluuias in tempore dispensare. Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis. Profecit post hæc in fide, creuit ætate, & sapientia? Aptus sine dubio factus est, qui solidiorem percipiat cibum.* Iam ad locum Geneseos, *Inuenimus, quia & Isaac benedicens*

Iacob,

Iacob, dixerit.: Det tibi. Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti. *Putas-ne tale frumentum dabat in benedictione Isaac filio suo Iacob quale habent & peccatores homines*, nempe Esau? Paruis equidem Iacobo benedictio fuit, quia lactis ros præmissus. At Esau extitit panis abundantia maledictio, quia ros lactis infantum pabulum præmissum non est. *In rore cæli, & in pinguedine terræ: In pinguedine terræ, & in rore cæli.* Quàm eadem benedictio! ô quàm diuersa!

52. [*Benignè Dominus prius lac, quàm panem exhibet.* Psalm 84. Cassiod. Origen.] Dauid ad hæc, *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*, Psalm. 84. Quænam Domini benignitas? Cassiodorus, *Dabit Dominus benignitatem, id est, imbrem prosperrimum.* Præmissâ lactis irrorationē, mox terra frumenti fructibus coronatur. Origenes, *Oportet meditari doctrinam pro virium qualitate. Et dabit terra fructum suum. Est hæc secunda benedictio, quæ consequitur ad priorē*, irrorationis scilicet, seu lactis infantilis, elargitionis, ex cælesti benignitate profluentis. Habent è præfatis duplex Præsules documentum, pascendi scilicet oues verbo, exemplo, oratione; & priùs paruulis lac quam perfectorum cibum exhibendi.

OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.

Petrus & Paulus oleum inungens vulnera peccatorum.

Vbi de necessariâ Præsuli benignitate dissero.

53. [Damian.] CONCLVDIT Damianus, *Vngit oleum, vngunt & Apostoli*, vngunt equidem, vt peccatoribus medeantur. Vnctione opus, non igne ad peccatorum vulnera liganda. Honore excipiendi delinquentes, verbis alliciendi amicis, non conuitiis notandi, vt resipiscant.

54. [*Petrus verbis dulcibus Iudæos inungit, vt acquirat Saluatori.* 2 Pet. 2.] Probo ex Petri doctrinâ. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* 2. Pet. 2. Proxima particula, *populus acquisitionis* ponderanda. Acquisiuit Petrus, attraxit ad Christum Iudæos rebelles, eos benigniter inungens, verbis amicis, titulis honorificis: *Genus electum, Regale sacerdotium, gens sancta.* Perbellè Damianus, *Nonne Petrus vngit omnes, cum dicit, Vos genus electum, Regale sacerdotium, gens sancta?* Quare inungit? Vt *populus acquisitionis* Saluatori reddatur. [Damian.]

55. [*Verba dura exitialia præcipuè Regibus, dulcia salutaria.* Psalm. 48.] Exitialia comminatoria verba peccatoribus plerunque, præcipuè si Regiâ, vel Pontificiâ fulgeant hi dignitate; vnctio dulcium verborum salutaris. *Aperiam* (inquit Dauid) *in Psalterio propositionem meam.* Psalm. 48. Quid si coram Saule iniquissimo differere oporteat? Depone Psalterium, conuitia iacta, maledictiones imprecare. Certè Saul iniquus purpura indutus Regiâ fulgens dignitate facilius se ad meliorem mentem recipiet, si Psalterij musicâ fuerit inunctus, quàm si asperis comminationibus compellatus. Cassiodorus, *Quod propositum in corde prædicabo vel aperiam Regi, doceat charitate.* Vngam, psallam, O Rex, *canem mortuum persequeris?* Quid Saul? *Hæc sunt verba tua, fili mi David?* Charitatis oleum vulnera alliganda requirunt. [Cassiod.]

56. [*Spirituales viri spiritu lenitatis vtuntur, vt exurant crimina.* Galat. 6. Damian.] Porrò Petrus Damian. Paulum oleo vsum, vt vulnera peccatorum alligaret, ipsius Apostoli testimonio ostendit. *Paulus etiam ipse noane præcepit, dicens: si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite eiusmodi in spiritu lenitatis.* Gal. 6. Preme illud: *Vos, qui spirituales estis.* Ardent spiritu? Ergo exurent peccatores. Profectò viri spirituales ignem fouent; sed oleo charitatis immissum, vt ardeat. Ignis spiritualis viri delicta quidem exurit; sed oleo simul inungit delinquentem.

57. [*Spirituales inungentes exurunt.* Psal. 103. August.] Appositè Dauid, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem* Ps. 103. Præsules Angeli spiritus sint, seu spirituales, vt in spiritu lenitatis ignem vrentem crimina emittant, dum oleum peccatores emolliens profundunt. Augustinus, *Spiritus hic dicimus spirituales. Vide spiritualem factum Angelum Dei Paulum Non potui, ait, vobis loqui, &c.* 1. *Cor.* 3. *Et ministros suos ignem flagrantem, hoc est, spiritu feruentes. Cùm audis, Ignem, esse ministrum Dei, Incensurum illum putas? Incendat licet, sed fœnum tuum, id est, carnalia omnia desideria tua. Ardebat minister Dei Paulus, cùm diceret: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.* Ore ardet, dum reprehendit; charitate flagrat, dum inungit. *Ardebat,* (adiicit Doctor) *& flagrabat charitate.* Tunc enim plerumque stipulæ peccatorum exuruntur cum ipsi peccatores inunguntur, in spiritu excepti lenitatis. [*Peccata exuruntur, cum inungitur peccator.*]

PARS SECVNDA.

PETRVS SPECIATIM.

SECTIO QVARTA.

Petri Confessio.

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS circa literam.

EX IPSIVS CONFESSIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Tu es Christus Filius Dei viui.

Dum Petrus Christum Filium Dei profitetur, sese Deum quodammodo ostentat.

Vbi inuno humana loquentes homines esse, cælestia texentes eloquia Diuinitate quodammodo esse conspicuos.

1\. *Solus-ne Petrus verè & propriè Christum naturalem Dei Filium fuerit professus?* Euthym.

PROPRIE Petrus Christum Dei Filium appellauit. An sic reliqui Apostoli? Euthymius, *Prius Discipuli, sedatâ tempestate, Filium Dei confessi sunt, dicentes: Verè Dei Filius es; nec tamen beati prædicati sunt. Quid ergo dicendum est? Quod omnes, qui Dei Filium confessi sunt, aut Deum esse crediderunt, non naturâ, & propriâ hac illum esse opinabantur, sed adoptione? Solus autem Petrus verè Christum, & naturâ & propriè Filium Dei esse intellexit?* An solus tunc Petrus homo de cælo cælestis, qui verè ac propriè Christi professus est Diuinitatem?

2\. *Petrus cælestis lingua vocatur, quia de cælo loquitur.* Damian.

Petrus Damianus sermone 1. de Apost. *Sacra profectò dies, quia sacratissimo homini consecrata, & illius assignata præconijs, quem conuentus Angelicus non mediocriter veneretur. Vnus est enim, quem nobilitant singularis Primatûs insignia, cælorum lingua, Clauicularius regni, Fidei fundamentum.* Integrum inferiùs testimonium expendam. Nunc autem τὸ *cælorum lingua* premo. Appositè *lingua cælorum* appellatur, qui nunquam non cælestia loquitur, qui semper

3\. quidquid gloriosum de Filio Dei prædicatur, præconiis illustrat; qui de Christi Diuinitate differens, opiniones vulgares tacet, nunquam verò de diuinis laudibus conticescit.

Petrus gloriã Dei pro omnibus enarrantis Apostolis. Psalm. 18.

Et quidem cœlestes homines Dei gloriosa præcinunt. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Ps. 18. Cælos hîc Apostolos dixerim Christi Diuinitatem prædicantes. Augustinus, *Cæli, id est, Apostoli, in quibus Deus tanquam in cælis habitat, enarrant, annunciant, prædicant gloriam Dei, & Domini nostri Iesu Christi. In quâ* (addit Glossa) *æqualis est Patri.* Porrò Petrus *cælorum* siue Apostolorum *lingua* ex mente omnium (nec enim hîc Euthymij teneo sententiam) Christi diuinitatem profitetur. *Vos autem* (inquit Dominus) *quem me esse dicitis:* Ambrosius lib. de Incarn. Dom. sacram. cap. 4. *Vbi audiunt, Vos autem, quem me esse dicitis? statim Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Hic est Petrus, qui respondit præ cæteris Apostolis: imò pro cæteris.* Respondit præ cæteris, quia eum amoris specialissimi feruor ad confessionem properum impellebat; pro cæteris autem, quia commune esse professionis meritum procurauit.

August. Gloss. Ambros.

Hinc colligo Petrum potiùs cæleste Numen, quàm hominem appellandum. *Vt non loquatur* (ait Dauid) *os meum opera hominum.* Psal. 16. Tacebo, cum homines (Petrus inquit) loquuntur; loquar cum Dij de propriâ sententiâ examinentur: Vos autem quem me esse dicitis? siue *Vos, qui Dij estis*, ex sententiâ Hieronymi. Ambrosius, *Laudatur Petrus, quia Dei Filium credidit, quem videbat, quia se ab imperita plebis rudibus adhuc opinionibus separabat. Denique cum interrogasset Dominus, quid homines de Filio hominis æstimarent, Petrus tacebat. Ideo, inquit, non respondeo, quia non interrogor.* Nam cùm homines interrogantur, Petrus, vt qui homo non est, non visus interrogari; *Quia non interrogor, non respondeo. Legi, Vt non loquatur os meum hominum opera. Ego taceo adhuc, quia nondum interrogor. Interrogabor & ipse, quid sentiam tunc demum respondebo, quod meum est. Meum est enim fidem loqui, pietatem asserere, gratiam prædicare.* 4.

Petrus hinc potius cælestæ Numen, quã homo appellandus. Psalm. 16. Hieron. Ambros.

Cunctos Apostolos Christus interrogat, cuncti respondeant. *Vos autem*, ait, *quem me esse dicitis?* Solus respondet Petrus. Quare? An quia respondens Petrus pro cunctis Apostolicam vnitatem proferebat, subditorúmque ad Præsu- 5.

Pro omnibus Petrus respõdet, vt Apostolicam innuat vnitatẽ.

lem

lem habitudinē? Certè *semel locutus est Deus*. Filius enim hominibus pro Patre, ac Spiritu sancto loquitur; & cum Personæ plures sint, vna Verbi vox exauditur. Plures Discipuli; Dij quidem à Domino appellati: *Vos qui Dij estis, quem me esse dicitis?* At tanta eorum vnio, vt pro cunctis vnus Petrus loquatur, quia cælorum vox. Haymo: *Vos autem qui Dij estis, quem me esse arbitramini? Dicite mihi: Vnus pro omnibus respondit Petrus*, Verbi gerēs imaginem diuini.

Haymo.

6. Petrum exaudio proclamantem: *Tu es Christus filius Dei viui*; & videor mihi Patrem cum Spiritu Sancto inclamantem audisse: dùm Christus Iordanis vndis tingeretur, Spiritu Dei descendente sicut columbâ, Patris vox insonat de cælis: *Hic est Filius meus dilectus*, Matt. 3. At cùm apud Thabor medius inter Moysem & Eliam Saluator adstaret, Pater rursum proloquitur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*. Matt. 17. Cur addita nunc particula? *Ipsum audite*. Remigius hanc vocē: *Ipsum audite*, ad Moysem & Eliam dirigi existimat; *Vt illum esse ostenderetur, quem Moyses prædixerat*. En vobis, ô Mose & Elia, verum Magistrum, audite iam illum, è cuius spiritu locuti estis. Nec sine pondere τὸ *ipsum* appositum. Est enim apud Thaboris verticem cælestis alia lingua, è quâ eiusdem veritatis testimonia ediscere possetis. Adest Petrus *cælorum lingua*, Christi gloriam, si oporteret, enarratura, Patris, Filij, & Paracleti vtens eloquio. Vnde in Baptismate (authore me) haud additum τὸ *ipsum audite*. Quia licèt edocendi aderant homines, non tamen constat inibi adfuisse Petrum, qui posset eadem populum ac Dominus edocere. Dùm autem Petrus adest, Pater inquit: *Ipsum* Christum *audite* nunc. Petrus cælestis lingua alibi eadem hominibus mysteria prædicabit. Habes ex præfatis, homines cælestiloquentes Deitate conspicuos quodammodo haberi.

Clamante Petro, quasi Deus profatur.
Matt. 3. & 17.
Remig.

Observatio II.

Ad illa verba:

Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon.

Solus Petrus pro singulari confessione beatificatione ex ore Dominico donatur.

Vbi assero, obsequijs specialibus etiam in præsenti præmia respondere.

7. QVID Deo impendit obsequens creatura, quod non singulari præmio muneretur? Solus Petrus Christum Dei Filium non solùm corde, sed & ore professus (nam & reliqui corde profitebantur) & ideò solus Petrus beatitatis ineffabilis hîc gloriâ donatus est, vt singularitati confessionis muneris singularitas responderet. Chrysostomus hom. 55. in cap. 16. Matt. *Ea re Petrus beatificatur solus, quia Christum Patris Filium solus ore confessus est: Tu es Christus Filius Dei viui*, ait Petrus. Christus autem: *Beatus es Simon. Me* Dei Filium profiteris? Te beatum profiteor, qui beatorum more me cognouisti, ac vidisti sicuti sum.

Cur solus Petrus beatificatur?
Chrysost.

Certè aliquid in Petro recognosco, quò innuitur eum in lacrymarum valle ostentari beatum: Professus ille Christi cæleste firmamentum, dùm ait: *Tu es Christus*. Christus autem fatus: *Beatus es Simon, & ego dico tibi, quia tu es Petrus*, eum firmamentum cæleste, vel apud sæculum affirmauit. *Et opera manuum eius annunciat firmamentum*. Psalm. 18. Si cæli Apostoli (vt vidimus) firmamentum Petrum apposité vocitârim, fundamentum vtique Ecclesiæ. Quid non hîc cælesti firmetur stabilitate, qui Christi stabilitatem seu gloriam profitetur? Chrysostomus: *Quæ Deus concedere solus potest, vt scilicet Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius Pastor & caput piscator homo terrarum Orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet; hæc, inquam, omnia, quæ Dei solius sunt, se pollicetur daturum*. En ex firmitatis æternæ confessione cælestis adamas, seu firmamentum, constituitur. 8.

Quia Christi æternam firmitatem, seu Diuinitatem confessus est, caleste hic firmamentum constituitur.
Psalm. 18.
Chrysost.

Ad Ieremiam Dominus: *Ego dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum aneum super omnem terram Regibus Iudæ*. Cap. 1. Vbinam gentium Propheta vti columna, siue murus ostenditur? *Super omnem terram Regibus Iuda*. Id est, tota terra Iuda Ieremiam firmamentum aspexit, quia confessio Prophetæ gloriam Domini prædicantis, iuxta illud: *Loquere ad eos omnia, quæ præcipio tibi, ne formides à facie eorum; nec enim timere te faciam*. Ibid. fuit ipsius Iuda terminis circumscripta. Strabus: *Quoniam Reges Iuda (quæ interpretatur Confessio) contra sanctum virum consurgere voluerunt, fidei firmitatem habet*. Vbi asserit mysticè Prophetæ confessionem circa Dei gloriam, & potentiam, Iuda vocabulo signari, vt constet, vndenam Ieremiæ firmitas fidei coram Regibus Iuda, quia firmamentum tantùm extenditur, quantùm confessio dilatatur. In totum terrarum Orbem Petri firmamentum producitur, munerante Domino, quia eius confessio: *Tu es Christus*, personat Vniuerso. Hinc Chrysostomus memorans Ieremiæ firmitatem, ait: *Pater ad Ieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum aneum posui te; sed ipsum quidem genti vni Pater; Hunc autem vniuerso Orbi Christus*. Quia Propheticæ confessionis vox Iuda terminis circumcluditur. Apostolicæ autem confessionis accentum nulla non plaga Mundi exaudiuit. 9.

Petrus Iesum professus, toti Orbi terrarum, ponitur toti terrarum Orbi Ecclesia firmamentum.
Ierem. 1.
Strab.
Chrysost.

Alia huiusce beatitudinis Petri circumstantia, ex illâ innuitur particulâ: *Filij Dei viui*. Viuum Filium viui Parentis profitetur. Vt autem Saluator gratiam rependeret inquit: *Beatus es Simon*. Dùm adhuc inter mortuos degis, immortali quodammodo vitâ donaris; *Tibi dabo claues Regni cælorum*. An non cælo frueris, qui claudendi & aperiendi habes potestatem? Clauicularius carceris Ioseph claudebatur custodiâ, quonammodo in miserâ terrarum valle degis, qui potes cælorum portas beatis aperire. Chrysostomus: *Beatus es Simon. Vt quamuis homo esset mortalis; cælesti tamen potestate polleret, & claues haberet Regni cælorum*. Vt irroriturus 10.

Confessus Christum inter mortuos viuentem accipit Petrus inter mortuos viuere.
Chrysost.

giturus, quodammodo immortalis & gloriosus viuat, qui Christum moriturum Dei viui viuum & immortalem Filium professus est. Quàm debitum obsequium Domino! & quàm vtiliter impenditur ei, qui sine augustiori præmio nullam præterit obsequij particulam?

Observatio III.

Ad illa verba:

Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater, &c.

Petrus Filius Columbæ, seu Spiritûs Sancti, dulciter fouens, fortiter pullos defendens.

Vbi Præsulis probi officia confirmantur.

11. Vidimus *Bar-jona* idem esse ac *Columba filium.* Strabus: *Petrus filius dicitur Spiritûs Sancti, qui ostensus est in Columba.* Cur in Columbæ specie Spiritus Sanctus apparuit? Cyprianus: *Vt fraterna Christiana charitatis pax innueretur.* Spiritus Sanctus Columbæ filium Petrum fouit, quemadmodum auis oua confouere solet, vt postmodum Columbæ filius, Columba parens esset Ecclesiæ. Duplex affectus præcipuè elucet in columbâ oua fouente; nam & dulciter fouet, & fortiter defendit. Hoc Præsulis munus.

Strab.

12. Parentis Petri & Præsulum Columbæ Spiritûs Sancti recolo proprietatem. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Gen. 1. Syriacè: *Fouebat sicut auis oua.* Vnde Hieronym. Hebraicè: *mera hephet, incubabat, vel fouebat, more volucris, oua calore animantis.* Hinc colligis necessariò Spiritu illo Domini Spiritum Sanctum designari. *Intelligimus ergo non de spiritu Mundi dici, vt putant multi, sed de Spiritu Sancto, qui est omnium viuificator.* Viuificat in morem Columbæ? Fouebit dulciter, fortitérque custodiet.

Spiritus Sanctus columba fouet, & defendit pullos. Gen 1. Hieron.

13. Petrus igitur Parentis retulit proprietates, dulciter & fortiter diligens fideles. Petrus Damianus serm. 1. de Apost. postquàm duplicem gradum Dei amoris exposuit, adiicit. *Cucurrit eos gradus, Petrus pede velociori.* Amandum nobis *dulciter & fortiter: Circa hunc ferè gradum aduoluitur omnis perfectorum instantia, vtráque auis in terris est, quæ possit hunc transire profectum.* Ac si diceret. Quantumuis sis auis, columba, tunc explebis omninò naturæ columbinæ proprietates, si amaueris *dulciter & fortiter*: si dulciter diligas, quos foues: si fortiter quos diligis defendas. Inter raras aues in terris, Petrus Phœnix, columba constitutus.

Petrus amauit dulciter & fortiter Ecclesiam filiam. Damian.

14. Petri charitas sæpè ad examen vocatur, fante Domino: *Petre, amas me? Petre diligis me? Petre amas me?* Ioa. 21. Quare toties, Domine, facis de Apostolicâ dilectione periculum? Quia filiorum plurium Petrus parens erat constituendus, quos deberet & dulciter fouere, & fortiter custodire: *Pasce agnos* fouendos, pasce oues à lupo defendendas. Non semel interrogo de dilectionis qualitate, quia multiplicem charitas manifestat effectum, & confouendo filios, & simul custodiendo. Leo serm. 1. de Apost. *Hunc intrepidæ charitatis affectum, quo fouens dulciter intrepidè defendit, iam tunc profectò, ô Petre, conceperas, quando professio tui amoris multiplicas interrogationis est solidata mysterio.*

Christus varios in dilectione Petri curat affectus manifestari, quia dulciter & fortiter amare debebat Præsul. Ioann. 21. Leo.

Qui in domo Cayphæ corruit ad vnius muliercułæ vocem, an aptè filios defensabit intrepidè? Auis nostra pullus tunc haud fouens, sed fouendus, & à Domino defensandus obiiciebatur; Columbæ tunc filius terrenâ formidine captus, ad milui venit potestatem; mox verò à Columbâ fortiter liberatus fuit. Postquàm autem audiuit? *Pasce oues meas*, auis parens effectus Apostolus, dùm dulciter fouet, fortiter defendit alumnos, aduersúsque Romanam potentiam impugnantem fortissimus Imperator exurgit. Expressit magnus Leo citat. *Nec Mundi dominam times Romam, qui in Cayphæ domo expaueras Sacerdotis ancillam. Numquid aut iudicio Pilati, aut sæuitiâ Iudæorum minor erat in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebas ergo materiam formidinis vi amoris. Nec æstimabas terrori cedendum, dum horum saluti consulis, quos susceperas alendos.* Qui ergo filios accipit, gubernandos, columbæ nutrientis induatur proprietate, dulciter amet, fortiter defendat. Quàm immeritò Pontificij munus, qui altero horum orbatur affectuum.

15. *Petrus effectus parens, sine vllâ formidine pullos aduersus potentiam Mundi defendit.* Leo.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater.

Petrus Filius Spiritûs sancti ex vmbrâ ægrotis salutari.

Edocemur intereà, haud Dei filios, qui charitate in proximos non succenduntur.

Filius columbæ, siue Spiritûs Sancti. 16.
Petrus rursum, quia non ex carne & sanguine, sed ex Spiritu vtriusque parentis locum gerente fuerit spiritualiter exortus. Petrus sine carne, sine sanguine, vt decet eum, qui Filius est iam Spiritûs Sancti patris ac matris personam ineffabiliter exerentis.

Pulchrum accipe D. Paschasij testimonium: 17.
Beatus es Simon Bar-jona. Quare? Quia non reuelauit tibi ista caro, aut sanguis, quæ ex patre aut matre, quia quod caro & sanguis reuelare non potuit, Spiritûs Sancti gratiâ reuelatum est. Hinc ergo Petrus & ex confessione sortitur vocabulum, eò quòd reuelationem ex Spiritu Sancto habuit, cuius & Filius appellandus est. Nam Spiritus Sanctus Hebraeâ linguâ fœminino genere Betha *dicitur; nec inconuenienter*

Spiritus Sanctus Petri pater ac mater est, vt omninò excludas ab eo carnis ac sanguinis respectum. Pasch.

ter, quoniam ex eo vti ex patre, aut ex eâ vti ex matre (vt ita latiae loquar) omnis renascitur Ecclesia. Cur non dixit: *Nascetur*; sed *Renascitur?* Quia exorta semel ex veræ Deitatis fidei euulgatione, *renascitur*, dùm Petrus è Spiritûs Sancti pennis Columba exoritur. Spiritus Sanctus itaque Petri pater & mater ostenditur, vt excludat omninò carnis opus & sanguinis. *Caro & sanguis non reuelauit tibi.*

18. *Quia Petrus iam carne & sanguine caret, quodammodo vmbrâ sanat.* Act. 5.

Ergo Petrus carne & sanguine caret, filius vtique Spiritûs Sancti carnem & sanguinem non habentis. Hinc profectò edisces, cur Petrus vmbrâ tot sanâric ægrotos. Recolo historiam: *Magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita vt in plateas eycerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis; vt veniente Petro saltem vmbra eius obumbraret quenquam illorum & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* Act. 5. Illud expende: *Veniente Petro, saltem vmbra eius.* Petri, siue petræ vmbra hominibus salutaris, si non curat spiritu, vt Spiritus Sanctus pater & mater eius, saltem vmbrâ sine contactu corporis, sanat ægrotos.

19. *Petra vmbraculum cunctis æstuantibus exhibet refrigerium.* Isai. 42. Lyran.

Ad huiusce petræ vmbraculum, cuncti ægritudinum æstu defatigati accurrant, gratissimam sortituri requiem. De Exechia ait Propheta: *Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate, sicut riui aquarum in siti, & vmbrâ petræ prominentis in terrâ desertâ.* Isai. 32. Vbi Lyranus: *In Hebræo habetur: Et erit vir sicut absconsio à vento; & τὸ vir refertur ad Ezechiam, qui dicitur vir à virtute, sicut riui aquarum in siti sunt valdè amabiles & vtiles; sic Ezechias populo suo: Et vmbra petra prominentis in terrâ desertâ ex siccitatibus & caloribus maximis. Nam talis vmbra est valdè delectabilis hominibus ibi quiescentibus.* Sic Exechias populo suo. Liceat pro Ezechia Petrum apponere. Sic Petrus populo suo, siue vniuerso terrarum Orbi, dùm cunctos ab ægritudinum liberat æstu.

20. *Ex salutari vmbrâ Petrus Apostolorum primus omninò ostenditur.* Act. 5. Lyran.

Hinc Petri recensentur elogia. Ex vmbrâ etenim salutari inter Apostolos primus non solùm Primatu, aut Prælatu, sed & virtute ostenditur. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia.* Act. 5. Petrus autem non manibus tantùm; sed vmbrâ, quod augustius potentiæ documentum. Lyranus ad hæc: *In quo ponitur differentia Petri ad alios Apostolos in operatione miraculorum. Nam alij Apostoli curabant infirmos per tactum manuum. Petrus autem non solum per tactum, sed etiam per vmbram, quod est maius, Quod fiebat ad ostendendum, quod erat principalis Apostolus.*

21. *An gesserit opera maiora quàm Christus.* Ioann. 14.

Nec mirum Christum supra reliquos Apostolos Petrum eleuâsse, si supra seipsum opera illius ineffabilem in modum euexit. *Qui credit in me* (ait Dominus) *opera quæ ego facio, & ipse faciet; & maiora horum faciet.* Ioann. 14. Lyranus: *Dominus non legitur curâsse per vmbram, sicut Petrus. Ideò videtur impletum fuisse quod dixit. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet,* Arguitur-ne hinc Petrum fuisse Christo maiorem? Absit; sed Christum egregiam Petri fidem maioribus operibus externis manifestari voluisse, vt constaret, quàm ineffabilis fides, quam tàm noua signa sequebantur.

22. *Vt Christi Vicarius, imò alter Christus huiusmodi opere excellebat.* August.

Adde, Petrum tunc Vicarium Christi, imò & Christum egisse, cùm vmbrâ conferebat salutem. Vnde opera illa Christi proculdubio erant manibus excitata. Audi August. ad illud: *Et maiora horum faciet. Quæ sunt ista maiora? An fortè quòd ægros vmbra sanabat? Maius est enim, quod sanet vmbrâ, quàm fimbriâ. Veruntamen, quando ista dicebat verborum suorum facta & opera commendabat. Cùm enim dixit: Pater in me manens ipse facit opera, quæ opera tunc dicebat nisi verba, quæ loquebatur, & eorum verborum fructus erat fides illorum.* Sicut ergo operante Christo, Pater in ipso opera faciebat, operante & Petro Christus in ipso manens, imò Petrus effectus quodammodo Christus operabatur. Vnde vmbra sanans manus erat Christi curantis ægrotos.

23. *Id sanat in Petro, quod nihil est.* Matt. 9.

Vis huiusmodi ex vmbrâ curationis præstantiam expendam? Egregiũ facinus, quòd eo Petrus hominibus medeatur, quod in ipso nihil est, priuatio est. Properante Iesu ad domum Principis, cuius filia tunc fuerat è viuis deturbata: *Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & salua facta est mulier ex illâ horâ.* Matt. 9. Magnum profectò illud præstantis potentiæ documentum. Hilarius: *In hoc magna virtutis Dominica admiratio est, cum potestas intra corpus manens rebus caducis efficaciam adderet sanitatis, & vsque in vestium fimbrias operatio diuina procederet. Non enim comprehensibilis erat Deus, vt corpore clauderetur.* Preme illud: *Magna virtutis admiratio est.* An non admirabilius Petri opus, non ex corporis, non ex fimbriæ contactu, sed ex vmbræ (quæ nihil Petri est) salutari obumbratione? *Maius est* (inquit Lyranus) *curare leprosum solo verbo, quam tactu, & per vmbram, quàm per verbum: verbum enim aliquid est procedens ex homine; sed vmbra nihil est ipsius, sed tantùm priuatio lucis ex interpositione corporis.* Maius est curare vmbrâ, quàm fimbriâ, quia vmbra haud aliquid est procedens ex homine, fimbria aliquid est hominem contingens. Ergo virtutis admiratio est vberior, cùm ægroti vmbra sanantur, quàm cùm sanguis vestimenti contactu sistitur. Quid non curabit Petri lux, cuius vmbra tàm salutaris ægrotis existit?

Hilar.

Lyran.

24. *Petra Petrus ex salutari nomine Iesu sanat vmbraticè transcurrens in terrâ.* Deut. 32.

Petræ denique Ecclesiæ ex nomine Iesu sanitatis virtus addicitur: *Constituit* Dominus populum *super excelsam terram, vt sugeret mel de petrâ, oleúmque* nominis salutaris *ex saxo durissimo.* Deut. 32. Hæc petra, cui Iacob Iesu nominis oleum infudit, quam inunctam *erexit.* Non-nè salubriùs procumberet, vt contingeret vulneratos? Non opus Petro iacere, cuius supra cælos conuersatio, erectus lapis hic oleum infudit, dùm vmbra eius demittitur ad vulnerum sanitatem. Beda: *Et quia Petrus figura est Ecclesiæ, ipse rectus incedit; sed vmbra iacentes* ex virtute nominis Iesu *erigit, quasi vmbraticè transcurrit in terrâ.* Non opus Apostolico viro terram contingere, vt salutem proximis impendat, rectus incedat, *vmbraticè* in terrâ transcurrat, fratres curans ad superna eleuare; nec enim Spiritûs Sancti filius ostentatur, qui proximorum non studet mederi infirmitati.

Beda.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, &c.

Petrus filius Columbæ, siue Spiritûs Sancti, ex impauidâ fortitudine haud mortis timore superatâ.

Adnoto, Iesum egregijs operibus honorificari debere ab eo qui fidei aut religionis gloriam prauis actionibus deturpauit.

25. *Petrus filius Columbæ & gratiæ.* FILIVS denique Columbæ, siue Spiritûs Sancti Petrus meritò appellatur, qui spirituali roboratus promptitudine mortis ipsius tela despexit. Alij *Bar-jona* filius columbæ, alij *Bar-joanna*, id est, filius gratiæ. Ericus: *Vtrumque nomen ita valet intelligi, vt Petrus dicatur filius Columbæ, id est, Spiritûs Sancti; & filius Ioannis, id est, gratia Dei, per qua dona spiritualia figurantur.* Non Petrus pauidæ filius columbæ, sed Spiritûs Sancti à carnis infirmitate alieni, totus spiritus à Spiritu exurgit, corporeo immunis à timore. (Eric.)

26. *Tam à timore Petrus moriturus immunis, vt vinctus inter hostes dormiret. Act. 12.* Tam à timore Petrus recedens, vt vinctus, illigatus, & compedijs in hostibus obdormiret. *Cum Petrum* (ait Lucas) *producturus esset Herodes, nocte illâ erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, &c.* Act. 12. *Dormiens* aderat? Ergo non timebat; si, Ausonio authore, *metus ablegat somnum. Inter duos milites* soporatur? Haud pauore concutitur. *Catenis* dormit illigatus? Fortis ergo & mortis timore non superandus, Angelus eum ad periculum declinandum impellit: *Ecce Angelus Domini; &c.* Quid non Petri impauidum spiritum Spiritus Sancti filium prædicabat? Chrysostomus hom. 26. in Act. *Vide Petrum dormientem, nequaquã in mentis agone constitutum. Illa nocte quà producturus erat eum Herodes, vt occideretur; dormiebat, & dormiebat inter duos milites, & catenis duabus vinctus, & ita grauiter dormiebat, vt eius latus percuteret Angelus, & diceret: Surge velociter.* (Chrysost.)

27. *Petrus non timet, cum mente libero est.* Cùm mente tam libera Petrus non erat, timuit: cùm omninò tenebris expeditur, minimè corripitur timore! Elisæo ab exercitu Regis Syriæ circumuallato; seruus timore cœpit affici, qui posteà apertis oculis de Angelico conscius præsidio, à formidine liberatur: Petro accommodat Ambrosius orat. quæ habetur ad calcem Epist. 32. *Elisaus quærebatur à Rege Syriæ, missus erat exercitus, qui eum caperet; circumuallatus erat vndique. Cœpit timere eius seruulus, quia non erat libero mentis & potestatis. Petiuit aperiri oculos eius Propheta, & respexit, &c. Vbi autem Petrum Herodes quæsiuit, & capit in carcerem; non enim recesserat Dei seruulus, sed steterat timoris ignarus; Orabat pro eo Ecclesia, sed Apostolus in carcere quiescebat, quod est indicium non timentis.* Petrum enim seruulum respexerat Dominus, liberæque mentis oculis vsus Apostolus cuncta pericula despiciebat. (Ambros.)

Vndenam tibi Apostolorum vertex, tanta fortitudo nisi à Spiritu Sancto parente? Somno grauatis Discipulis apud hortum, Petro Dominus: *Sic? non potuisti vnâ hora vigilare mecum? Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Matt. 26. Cuiusnam spiritus promptus, infirma caro? an Apostolorum, vel Christi? Hilarius ad Apostolos refert: *Non de se hoc dicit; ad eos enim hic sermo conuersus est.* Remigius autem de Domino exponit: *Dicit spiritum suum promptum esse ad patiendum, carnem verò infirmam timere dolorem passionis.* Addo ex Hilario id præcipuè Petro Dominum profatum. *Petrum præ omnibus arguit.* Et quare de Petro conqueritur, dùm carnis exprimit infirmitatem. *Caro autem infirma?* Quia *assumpto Petro*, ait Textus, *cœpit contristari?* Matt. 26. Marcus: *Cœpit pauere.* Petri pauorem, seu fragilitatem carneam Dominus assumpsit, vt eum diuinâ fortitudine, Spiritûsque sui promptitudine muniret. Vnde Dominus ex carne Petri assumpti pauore corripitur, inhonorante quodammodo Apostolo mortem Saluatoris. At spiritu donatus Petrus, tàm intrepidè à Dominica passione exurgit, vt ipsa promptus carnea fragilitate Domini honoraret passionem, qui eam illiusmodi tarditate (si fari liceat) certo modo obscurauerat; erat enim Petri illa formido. *Caro autem infirma.* Audi Ambrosium citatum: *Petrus nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in portà Christum occurrere, vrbémque ingredi, ait: Domine, quò venis? Respondet Christus: Venio iterum Cruci affigi. Intellexit Petrus, ad suam Crucem diuinum pertinere responsum. Intellexit, quod iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per Crucem suam honorificauit Dominum.* Dominum, inquam, honorificauit, sponte currens ad carcerem, ad Crucem, qui repugnante carne à Domino assumptus, ipsum quodammodo dedecore affecerat. 28. *Honorauit fortitudine Petrus Christi passionem, quam deuenustarat quodammodo infirmitate. Matt. 26. Hilar.* Ambros.

Videor mihi Saluatoris Passionem proclamantem audire: *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem, quasi Tabernacula Cedar, quasi pelles Salomonis.* Cant. 1. Chaldæus sic interpretatur: *Quando Israelita fecerunt vitulum, denigrata sunt facies eorum sicut Æthiopum, qui habitant in Cedar: & quando egerunt pœnitentiam, & dimissum est eis peccatum, multiplicatus est splendor gloriæ vultûs eorum, sicut vultus Angelorum.* Alij accommodatiùs ad Synagogam ipsam sententiam referunt, conquerentem scilicet, quòd Hebræorum crimine denigrata aut deuenustata fuisset eius facies; attamen ex pœnitudine ipsorum rursum splendore coruscans, iam admodum profitenti: Nigra ex filiorum sum crimine; formosa ex pœnitentiâ, qui deturparunt me peccato, pœnitentiæ decorant affectu. Haud aliter Passio Dominica. Nigra sum ex Petri infirmitate ad vnius ancillulæ vocem recedentis, ideò clamito carnem infirmam. *Caro autem infirma*, quia Petri assumpsi fragilitatem. At iam *formosa* ex Petri 29. *Passio Christi ex Petri infirmitate nigra, ex fortitudine formosa. Cant. 1. Chald.*

constantia

cōnstantia inter milites dormientis, ad Crucem vltrò nec properantis: *Statimque correptus per Crucem suam honorificauit Dominum.* Deuenustasti religionem iniqua actione? egregiis operibus honorari cura.

SECTIO QVINTA.

Petri Cathedra.

TEXTVS.

VERS.18 ET ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; &c.

In Petrum

PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS circa literam.

EX APOSTOLI CATHEDRA.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, &c.

Petrus verè Petræ continet firmitatem, ne vacuam acciperet appellationem.

Curandum etenim, mores nostros nomini, seu opinioni respondere.

1. *Petri firmitas Christi firmitudinem imitatur.* Ambrof.

FIDEI firmitas prædicatur in Petro, ne vacuum nomen à Domino accepisse videatur. Ambrosius serm. 84. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cùm vocaretur Simon, per hanc deuotionem vocatus est Petrus. Legimus, dicente Apostolo, de ipso Domino: Bibebant de spirituali petrà; petra autem erat Christus. Rectè igitur, quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, vt qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis Dominici vnitatem.* Nec enim Dominus Simonem amicissimum nomine Petræ nobilitaret, si non simul petræ donaret firmitudine propter fidem minimè deficientem, qua Domino associatur: *Cum Domino fidei societatem habebat.*

2. *Mutato nomine Abram, eius increscunt cum appellatione magnalia.* Gen 17.

Mutans Deus Diuorum nomina, eorum præstantiam ad significationem nominis immutauit, ne vacuis appellationibus insigniret. Abram à Domino fuit *Abraham* compellatus. *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium* *constitui te,* Genes. 17. Vt igitur Abraham nomine inani non vtatur, ipsum multiplicari oporter, siue in multitudinem dilatari: *Faciam te crescere vehementissimè.* Caietanus, *Iuxta Hebræum habetur, Et crescere faciam te in valde valde.* Vt crescente nomine, ex Dei ore, viri maximi virtutes dilatentur. Caietan.

3. *Mutato nomine Iacob, morum gloria increscit.* Gen 32.

Postquam Iacob Angelum debellauerat, nomine Israel fuit nobilitatus, dicente Domino, *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Quia si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Genes. 32. Israel idem est, ac *Deus dominabitur.* Prævalebis semper, nunquam non victor euades, in medio inimicorum exercens dominatum; ne vacuam accipias *Israel* appellationem. Caietanus, *Israel appellaberis, hoc est, Deus dominabitur.* An vanâ significatione? *Ad significandum, quod Deus pugnat pro te aduersùs omnes, & prævalebis.* Caietan.

3. *Bernardus hortatur Eugenium, ne Patris nomen vacuum accipiat.* Bernard.

Quidam vir illustris nomine Bernardus, ad supremam Sedem est eleuatus, mutatâ Bernardi in Eugenium appellatione. Porrò Eugenius *Patrem*, ac *Dominum* significat. Nouum ergo Pontificem hortatur Bernardus alter, Clareuallensis scilicet Abbas Epistol. 3. ne vacuum Patris, Dominique nomen accipiat, adductisque & Abrahæ & Iacobi, & Petri exemplis, profatur, *Non vocaberis filius, sed vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Nam quemadmodum Abram in Abraham, sicut Iacob in Israel, Simon in Cepham; sic filius Bernardus in Patrem Eugenium promotus est. Digitus Dei est iste de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Omnium Pater est Pontifex appellatus? Tam egregium se gerat Patrem, vt Ecclesiam omnium Matrem veraciter constituat.

Deus ad Abraham, *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram*, Genes. 18. v. 61. Hieronymus, *Causa mutati nominis est, quia antea dicebatur. Princeps mea, quasi vnius tantum familia Mater; postea vero absolutè dicitur Princeps.* Ecclesia igitur, ô Eugeni, te Patre, ac Principe, omnium sit Mater, ac Domina; ne vacuo nomine compellatam dicamus. Bernardus, *Superest* (adiicit) *vt facta hac mutatione tui, ipsa quoque, quæ tibi commissa est, Domini tui Sponsa mutetur in melius: & iam nequaquam Sarai, sed Sara de cætero nominetur. Ne dixeris dilectam Dei, Principem meam, sed Principem.* Quid Principem meam, quid absolute Principem Ecclesiam nominari? *Nihil in Ecclesia tibi vendicans, nisi quod pro eâ, si oportuerit, & iam animam dare debes.*

5\. *Ne item Domina vacuo nomine, tur, sed Ecclesia Dominium tuea- tur.* Gen. 18. Hieron. Bernard.

6\. Plures testes adhibeo. Adsunt Iacobus & Ioannes, quos Dominus *Boanerges* appellauit: *Imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filij tonitrui.* Marc. 3. An impleuerint nominis significationem? Chrysostomus respondet, *Filios Zebedæi nominat Boanerges, propter hoc, quod magna, & clara Diuinitatis edicta debebant Orbi terræ diffundere.* Sed quare Iacobus & Ioannes hoc deinceps nomine appellati non sunt? Existimo tūc appellatos à Domino Boanerges, vt zelum Apostolorum, quo tonitrui filij in hostes aliquando descendere fulmina precabantur, exprimeret. Postmodum autem tantâ erga homines mansuetudine prædiri sunt, vt minimè possint verè Boanerges appellari: quia nominis à Deo impositi significatio operibus assolet respondere. Hieronymus pulchrè, Iam non Filij tonitrui vocitantur, *Dominus enim fulgura in pluuiam fecit, vt extinguat misericordia, quod iudicium vrit.* Petrus itaque Petra appellatus, petreâ donatur fortitudine. Vt edoceamur, nominis augusti significationi haud dissimiles exhibere mores.

Iacobus & Ioannes filij tonitrui verè appellati. Marc. 3. Chrysost.

7\. *Cum fulgura in pluuiam fiunt, iam non vocantur Boanerges.* Hieron.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus.

Petrus est quodammodo Christus.

Interim innue confirmari fidelem in bono, præstantissimæ benedictionis locum obtinere.

8\. Dixerat Dominus, *Tu vocaberis Cephas* nunc autē, *Tu es Petrus* Non solùm Christo ex nomine assimilaris, sed re ipsâ comprobaris petræ firmitate Christi referre fortitudinē. Ambrosius, *Petra pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur. Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis.*

Ambros.

9\. Parum esset Simonem Petram nominari, si Petra non esset, si Christus alter cum socio Paulo proclamare non posset. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* In Petrum igitur non solum nomen Domini effusum, sed persona. *Oleum effusum, nomen tuum*, (Ecclesia clamat) *trahe me, post te curremus*: Cant. 1. *Curremus.* Quinam current? Christus & sponsa, Dominus & Petrus, quia in ipsam, quia in ipsum, & nomen & persona simul profusa. Bernardus serm. 15. in Cant. *Particeps nominis sum, frater Christi sum. Et quid mirum, si Christi essusum est nomen, cum ipse quoque effusus sit.* Petrum Christum ostendo.

Petrus Petra, seu alter Christus. Cant. 1. Bernard.

10\. *Tu es Petrus*, Christum petram firmissimam imitaris. Ambrosius serm. 47. *Petra dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat.* Hieronymus, *Quia tu mihi dixisti, Tu es Christus Filius Dei viui: ego dico tibi, non sermone casso, & nullum opus habente, quia meum dixisse, fecisse est) quia tu es Petrus.* Te fidei stabilitate dono. Petrus Petra iam fuerat a Domino appellatus, fante Marco, *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* Cap. 3. Rursum nunc Petrum *non sermone casso* appellat. Si iam non casso sermone Petram appellârat, quid nunc Sermone non casso impendit Apostolo? Respondeo, illud ipsum confirmare Dominum, quod in Petro fuerat operatus, (si tunc non solùm promisit appellandum Petrum, sed appellauit) præmium esse maximum deuotionis, largæ benedictionis locum obtinere, canente Vate, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, Psalm. 67. An non confirmari gratiam singularis est benedictio?

Petrus Christi stabilitatem imitatur.

11\. *Confirmauit Iesus Petri stabilitatem, quam iam ille acceperat eum egregio munere donat.* Marc. 3. Psalm. 67.

12\. Post Iacobi pugnam cum Angelo institutam, sic Patriarcha, *Non dimittam te*, nisi benedixeris mihi. Curans autem Angelus Iacobum benedictione donari, ait: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel; quia si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis.* Gen. 32. Caietanus, *Iuxta Hebræum, Dominatus es cum Deo & cum hominibus potuisti.* Præualuisti apud Laban, vt ipse exponit Cardinalis. Quæris, quanam hic fuerit Iacob donatus benedictione? An apud homines præualere? Profectò iam apud Laban præualuerat. Dico igitur fuisse Patriarchā prima in benedictione confirmatum, & hoc præstantissimæ gratiæ locum obtinuisse. Do & quæstionem, & solutionem Thomæ Angelico. *Quæres, Quid facit hoc ad benedictionem, cum bonum iam habitum potius astruatur, quam bonum aliquod nouum detur? Dicendum, quod istud est benedictio confirmans donum gratiæ primo datum.*

Confirmauit Deus Iacobi fortitudinem, manifestissimè benedixit. Gen. 32. Caietan. Thom.

13\. An cælestis benedictio aduersitatum tolerantia? Respondet Paulus, *Cum infirmor, tunc potens sum*, 2. Corinth. 12. Petrus, *In Christo modicum passos, ipse confirmabit*, 1. Epist. 5. Ergo confirmari in laboribus acceptis specialis est benedictio. An Apostolica prædicatio cælestis benedictionis locum gerit? Respondet Lucas, *Verbo plurimo consolati sunt fratres*, Act. 15. Addit: *Et confirmauerunt.* Ergo confirmatio prædicationis benedictio est. Num Eucharisticus panis è munificâ Domini manu loco benedictionis nobis profluxit? Ita planè. At ex confirmatione benedictio præstantior est, fante Vate, *Et panis cor hominis confirmat*, Psal. 101. Quis dubitet Spiritus sancti missionem nobis in benedictionem cessisse? At quam ex confirmatione munus egregium? *Spiritu principali confir*

Gratiam datam confirmari, maxima benedictio est. 2. Cor. 12. 1. Petr. 5. Act. 15. Psalm. 101. Psalm. 50.

confirma me, Psalm.50. Quis denique non videat præstanti benedictione hominem pœnitere? At Iesus Petro, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, Luc.22. Vidisti prædicta munera benedictionum nomine præcipuè insigniri, quia homines in accepta virtute confirmant. Incognitus confirmat etiam cogitationem fatus, *Deus suos electos confirmat multipliciter. Confirmat per aduersitatis tolerantiam; confirmat per prædicationem Apostolicam; confirmat per Eucharistiæ efficaciam; confirmat per Spiritus sancti gratiam; confirmat per salutarem pœnitentiam.* Cunctæ enim præfatæ benedictiones inde præstantiores ostentantur, vnde gratiam confirmant à iostis acceptam. Petrus hodie cælestibus nouis benedictionibus donatur, dum factus Petra, factus quodammodo Christus, in accepto munere confirmatur, cælestique gratia amplius stabilitur.

Incogn.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus.

Quàm celsa, quàm absoluta Petri iudiciaria potestas!

Vbi de Sacerdotalis dignitatis præcellentiâ.

OBSERVATIONIS proximæ argumentum, nempe Petrum esse quodammodo Christum roborabo. Petrus planè Saluatorem refert qui Ecclesiæ est Vertex, viuorum, ac mortuorum Iudex. *Tu es Petrus*, ac si diceret: Tu es omnium fidelium caput, quod est Christus. Idem enim Ecclesiæ Caput ac Petrus.

14. Profatur Ecclesia, *Caput eius aurum optimum*, Cant.4. Aliter, *Aurum Cephas*, siue *Petrus*. Ambrosius serm.15. in Psalm.118. *Christus est caput suæ plebis. Caput eius aurum, Cephas. Vnde & Aquila Petrum aurum* dixit. Vt *Caput aurum* idem sit ac *Petrus aurum*. Quisnam *Petrus aurum*, nisi *Caput* Ecclesiæ aurum, seu aureum? Quodnam Ecclesiæ Caput? Est Christus, est Petrus, quia Petrus virtutum gloria Christum imitatur.

Petrus alter Christus: imo idem quodammodo caput Ecclesiæ

Cant 4.

Ambros.

15. Miraris Petri potestatem ligandi, atque soluendi? Certè si Caput Petrus in capite Christo adest adeò, vt quodammodo vnicum caput extollatur, non mirum, & manus Petri adeò Christi manibus copulentur, vt eadem eis adsit operandi potestas. Profectò manus Dominica in manu est Petri vt supremus Iudex id scribat, ad quod Petri manus dirigit manum & calamum Saluatoris. An nō sententia absolutionis, quæ dirigente Petri manu scribitur? *Orietur timentibus vobis Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Mal. 3. si iustitiæ Sol, vndenam in calamo sanitas; Quia sub mano eius, siue sub pennis eius *manus hominis*, Ezech.1. Calamum, imo manum Christi Solis iustitiæ scribentem Petri dirigit manus, vnde Sol iustitiæ iam medici in morem pennarum calamis, Petri manu præscribit sanitatem? & vt vulgariter exponam, *Las sentencias de muerte, ya son recetas de vida.* Pulchrè Petrus Damian. in D.Petr. *O quam potens dignitas, quam digna potentia! iudicat Petrus, & Petri iudicia confirmat Omnipotens, & est in manu Petri manus Altissimi.* Absolutionis ergo scribat sententiam.

Caput Petrus Christo capiti adhærescit: & Petri manus manibus Saluatoris. Vnde Medicus salutaria præscribit medicamina.

Malach. 3.

Ezech 1.

Damian.

16. Quid dico Petrum manum Altissimi scribentem dirigere? Petrus scribit, & eius sententia Saluatoris sententiam præcedit. Vidisti alumnum à magistro obiectum exemplar calamo imitarî? Quid si sententiam præscriptam à Petro Dominus subscribens imitetur? *Quod ligaueris, erit ligatum: quod solueris, erit solutum.* Ergo Petrus præscribit, subscribit Saluator. Vidit Abraham Dominum aduersùs Sodomitas Iudicem insurgentem, & ait: *Si fuerint quinquaginta iusti in Ciuitate, peribunt simul, & non parces loco illi propter quinquaginta iustos? Absit a te, vt rem hanc facias.* Tunc Dominus: *si inuenero quinquaginta iustos in medio Ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* A tua, ô Abraham, stabo sententia, quodcumque præscripseris, confirmabo. *Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint?* Ac si diceret, Non deleas, si quadraginta quinque iusti fuerint inuenti. Cui Dominus, *Non delebo.* Genes. 18. Vides Deum suam ad Abrahæ iudicium sententiam accommodantem? Superat profectò Abrahamum Petrus, si Sodoma conflagrauit; peccator autem absoluente Petro, proculdubio absoloitur, Damianus appositè. *Adest Petrus, & ad eius arbitrium Orbis vniuersitas soluitur, & ligatur. Et præcedit Petri sententia sententiam Redemptoris; quia non, quod Christus, hoc ligat Petrus: sed quod Petrus, hoc ligat Christus, ipso id ipsum attestante, Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis:*

Sententia Petri præcedit, Christo subscribente. Abrahamo potentior ostentatur Apostolus.

Gen 18.

Damian.

17. Num Petrus Deus, qui tam absolutâ potestate in iudicio ferendo vtitur? Profectò Dei consiliarius Regali hærescit tribunali. Attamen tam absolutus Consiliarius, vt Deus quodammodò esse videatur. De Christo Isaias, *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis.* Cap.9. Vocaberis, ô Cepha, *Consiliarius admirabilis* quidem, quia simul quodammodo *Deus, Fortis* appares. Quæstionem excitat Damianus, *Quid est, quòd Angelorum, & hominum agminibus exclusis, solus Petrus in consortium diuinæ Maiestatis, & cum Domino residet Præsidente?* Respondet, *Consilium speciale Petri, & Dei, vbi mortalem hominem Deo copulat, & counit.* Petrus Deo copulat, & counit mortalem hominem. At actio illa ex Dei & Petri consilio exoritur. Petrus enim, Ministri in morem, Regem adit, aperitque quidquid ipse circa negotium disposuerit, proculdubio approbandum à Rege. *Consilium speciale Petri & Dei.* Priùs *Petri* apposuit, quia Petrus proponit quod gerendum, Deus dispositionem approbat.

Petrus Dei Consiliarius tam absolutus, vt Deus esse videatur.

Isai 9.

Damian.

18. An absolutâ Petrus vtitur potestate in hominum ruinam? Certè in communem vtilitatem potestas illa exeritur. *Consummatus honor* (Damianus inquit) *& dignatio gloriosa, hominem in terris positum cælis imperitare, & inter Angelorum choros iudiciariæ potestatis exercere virtutem. Sedet Dominator Dominus inter agmina lucidiori luce fulgentia: & de Throno ad Cherubim aduolans vices sessorianas intermutat. Et licet assistant Angeli Præsidentis*

Petri potestas in hominum solutionem.

Damian.

imperium expectantes, & Spiritus administratorij assignata sibi ministeria sortiantur, nullus tamen eorum ligandi, atque soluendi possidet potestatem. Adest Petrus, & ad eius arbitrium Vrbis vniuersitas ligatur, & soluitur. Quare Petro, & non Angelis illa potestas commissa? Quia Angelica natura facile ligaret, non facilè solueret. Rex Angelis profatur, *Ligatis manibus, & pedibus, mittite in gehennam.* At homines facilè soluunt, non facile ligant. Christus Apostolis, *Soluite eum, & sinite abire.* Vt autem huiusmodi humana ad soluendum facilitas, seu dexteritas innueretur, Petrus mansuetissimus Præpositus solutirorum efficitur, cuius pietatem posteri imitentur. Non est homo, qui ad soluendum proximum innato pondere non defertur.

Hominis est soluere. Angelica natura ligare.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Christus Petrum in petram solidissimam conuertit.

Quam lapideus (ostendo interea) debeat esse Prælatus, quàm scilicet constans, super quem Ecclesiæ exædificatio innititur.

19. Euthym. EVTHYMIVS, *Et super hanc petram, super hanc firmitatem ædificabo Ecclesiam meam, siue, te ponam fundamentum credentium.* Illud preme: *Super hanc firmitatem.* Non debile Petrus fundamen, quidquid de negationibus, quidquid de dubitatione maritima sit, firma Apostoli fides. Vnde Damianus, *Petrus* meritò *fidei fundamentum.*

20. *Christus verè Petrum conuertit in petra soliditatem.* Conuersus enim solidissimam est conuersus in petram, *Tu es Petrus.* An cassus Dei sermo? Suum semper sortitur effectum. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Fatur, *Tu es Petrus?* Ergo Apostolus solidissimum mutatur in lapidem. Ericus. Ericus, *Et ego dico tibi, non sermone casso, & nullum habente opus; sed dico tibi veraciter, quia tu es Petrus.*

21. *Conuersus est Petrus in petram Christum.* In quamnam, ais, petram conuersus est Simon? In Christum profectò, quia *petra erat Christus.* Paulus aiebat, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter* id, *quod positum est Christus,* 1. Corinth. 3. (1 Cor. 3.) Ergo si Petrus Ecclesiæ fondamen, duplex Ecclesiæ fundamentum apponitur? Respondet Ericus (Ericus.) non aliud esse fundamentum, quàm *quod erat positum*, quia Petrus non fuit conuersus in aliam petram, sed in Christum. *A Petrà, hoc est, à se ipso dedit nomen Petro. Tu es Petrus, id est firmitas fidei. Et super hanc petram Petrum, id est, super me ædificabo Ecclesiam meam.* Vnum est fundamentum si Petrus quodammodo mutatur in Christum.

22. *Tentatio Petrum soliditatem effeci...ale fragilitatis ablegatis.* Quid de abnegationis fragilitate? Potuit-ne cum lapideâ firmitate componi? *Simon* (ait Dominus) *ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua,* Matth. 26. (Matth. 26.) Cribratio hæc ad id dirigetur per me, vt te efficiat mundiorem, & ablegatis infirmitatis paleis solidius Ecclesiæ fundamentum. Ambrosius ad Psalm. 43. (Ambros.) *Ad Petrum dictum est: Simon, ecce Sathanas expostulauit, vt ventilet vos sicut triticum. Ego autem rogaui Patrem meum, vt non deficiat fides tua. Vide, quid dicit, & intellige. Ventilatur Petrus, vt Christum negare cogatur. Quædam locutus est quasi plena palearum, sed locutus est verbo, vt fi...dattor esset affectu. Denique fleuit, & paleas suas lauit.* En cribratio Petrum à paleis, ab infirmitate tandem liberauit.

23. *Cribratio ad fragilitatem ablegandam vtilis admodum.* David, *Dedisti nos tanquam oues escarum, & in Gentibus dispersisti nos,* Psalm. 43. (Psalm. 43.) Vbi Ambrosius (Ambros.) loco illius: *Et in Gentibus dispersisti nos,* legit, *Ventilasti nos.* Vt qui fidei fundamina vbique terrarum futuri eramus, ab omnium palearum infirmitate, irruentibus tentationibus, ac tribulationibus, liberaremur. *Qui ventilati sunt* (ait Pater) *ad probationem peruenire meruerunt: sicut enim triticum, si ventilatur, & à paleis separatur, mundum est: si autem ventilatum non fuerit, mundum esse non potest, sed est paleis concretum, atque permixtum. Ita etiam homo nisi tentationibus fuerit ventilatus, fragilitatis quæque, veluti paleas, à se non potest separare.*

24. *Petrus panis Dominicus est confirmans fratres.* O quàm fortis post cribrationem Petrus ad Ecclesiæ fundamen! *Et tu* (inquit Dominus) *aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Matt. 16. Annon, ô Petre, post cribrationem triticum à paleis separatum obiicitur? Hoc fratres confirmauit; *Panis* enim est Dominicus *cor hominis confirmans.* Ambrosius (Ambros.), *Denique Petrus Ecclesiæ præponitur postquam tentatus a Diabolo est. Hunc dixit: & tu conuersus confirma fratres. Conuersus est ergo Apostolus ad bonam frugem, & ventilatus est sicut triticum, vt esset Domini vnus panis, qui nobis esset alimentum,* & cor hominis confirmaret. O quanta soliditate fidei fulgeat necesse est, quam inuicta constantia, qui Ecclesiæ fundaminis, seu Præsulatus munere fungitur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Tibi dabo Claues Regni cælorum.

Quàm meritò Petrus supremam Ecclesiæ Cathedram occupat.

Vbi prælati probi conditiones recensentur.

PRÆMITTO Damian. serm. 1. in Petr. *Vnus est Petrus, quem nobilitant singularis Primatus insignia. Clauicularius Regni, Fides fundamentum.* Triplici obseruatione sententiam expendam. Insignia equidem singularis Primatus Petrum nobilitant, singularis ipse assurgit, inter Præsules. 25. Damian.

26. *Prælatum Christum dilectione sequatur, vt subditis prosiciens existat.* In primis id singulare in Petro, quòd Christum perfectè sit sequutus, à quo audierat, *sequere me.* Abrahamum vberrimi populi Præsulem

sulem ac Patrem excitandum Deus edocuit, quonammodò rectè subditos gubernatet. *Ambula coram me.* Genes.17. Me dilectionis affectu sequi cura, vt Præsulatus munus aptè exercere valeas. Beda sic de Apostolo: *Ideo Petrus qui Christum est vero amore secutus, specialiter claues regni cælorum, & Principatum iudiciariæ potestatis accepit.* Difficilè planè regni cælorum claustra terricolis reserabit, qui verà Christum dilectione non sequitur. *Si non lauero te, ò Petre, non habebis partem mecum*, tibi commissa hæreditatis meæ Præfectura: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Et cur non traditur Petro hæreditas, nisi post pedum ablutionem? Quia omnino debet humanitatis respectus exuere, totúsque diuinæ dilectioni conformari, sequendo nempe Saluatorem, qui subditis præficiendus est. Ambrosius lib. de iis, qui myst. initian. cap.6. *Mundus erat Petrus, sed plantam lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantauit serpens, & persuasit errorem; ideo planta eius abluitur.* Vt scilicet non aberret à Domino, nec opus sit Dominum inclamare: *Petre, vbi es?* Sicut olim errante hominum Patre, clamârat: *Adam, Vbi es?*

Ambros.

27. *Percallebat mentes subditorum.* Matt.16.

Deinde singulare in Petro Ecclesiæ Magistro, adeò mentes, sensúsque subditorum percallere, vt pro omnibus respondere valeat. *Vos, quem me esse dicitis? Tu es Christus Filius Dei viui*, Matth.16. Interrogatis omnibus, vnus Petrus respondet: Singulari enim Prælato singulorum mentes exponuntur. Ericus, *Omnibus generaliter interrogatis, Petrus cunctorum in se personam assumens, respondit; Et re verà ita expediebat, vt ille, qui futurus erat Vertex Ecclesiæ, ore posset loqui totius Ecclesiæ.* Dum scilicet subditorum vota percalleret; quod Prælati arguit benignitatem, cui subditi mentes haud reuelare subterfugiebant.

Ericus.

28. *Spiritus debet esse.*

Tertiò singularis Præsul Apostolus, quia spiritus est. Nec enim aptè suo munere fungeretur, nisi spiritum esse comperiretur. *Prouideat Dominus spirituum (aliter spiritum) omnis carnis.* Christus ad Petrum, *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi.* Vbi Eusebius Emissen. *Bar-Iona filius columbæ interpretatur.* Sed quare Præsul summus *filius columbæ?* Num quia felle caret? Num quia sinceritate plenus? Num quia horribilis aduersarius accipitris? Num quia mundus? quia feruens charitate? Omnia vera sed aptiùs Præsul columbæ, siue Spiritus sancti Filius appellatur; quia oportet Prælatum singularem mutari in spiritum, vt aptè valeat gerere ministerium. *Sanctum* (ait Emissenus) *Spiritum super Christum Dominum nostrum in specie Columbæ apparuisse narrat Euangelista. Huius columbæ Filius est Petrus, qui tam spiritualem sensum habet.* Totus ergo Præsul, spiritûs instar, toto in subditorum corpore adsit, & totus in qualibet actione. Non curet de visibilibus, mundialia despiciat, haud diù à subditis recedat, contemptibiliora membra viuificet, reliquaque obeat munia, quæ spiritum decere videantur.

Emissen.

29. *A tributis subditos liberat.*

Quartò singularissimum in Præfecto nostro subditos à vectigalibus liberare: non quotidie nouis eos grauare tributis. Ad Christum ministri Cæsaris tributi exigendi gratiâ accedunt:

Christus autem Apostolicæ familiæ Præsul Petro eiusdem futuro Antistiti profatur, *Vade piscatum, in ore piscis reperies staterem, sumens da* Publicanis *pro me & te.* Matth.17. Cur non dixit: *Da eis* pro meis, tuísque subditis: sed *pro me & te.* An Christus Petrusque debitores? subditus debet, non Princeps. Profectò singularis Præsul Christus, singularis & Petrus, dum se se, non subditos, reputant vectigalium debitores. Quæstio suboritur si apud Iudam commune Collegij Apostolici marsupium, cur miraculum sine necessitate excitatur? Quid opus piscatione, si communia aderant subsidia, vnde vectigalia rependerentur? Profectò bonus Præsul bonis subditorum non vtitur ad huiusmodi ministerium; sed se, & Petrum Ecclesiæ Antistitem tributorum solummodo reputat debitores. Acutè de more Caietanus, *Notandum est, quòd Iesus, quamuis loculos communes habuerit penes Iudam, noluit communibus vti ad proprium personaléque debitum persoluendum.* Debet Princeps? Haud grauetur subditus impotens, ne omnino corruere cogatur.

Matth.17.

Caietan.

30. *Sanat subditos, & soluit.*

Quintò, Pontifex singularis Petrus ligat, & soluit: vulnerat, & sanat; imo vulnerando sanitatem impertit. Primum Petri miraculum Claudi curatio fuit. Quare priùs fragiles pedes roborauit? Præsul priùs discipulum aut subditum stabilitate donat, quàm ad altiores virtutes adducat, ne ob stabilitatis defectum corruat exædificatio. A Domino didicerat sanè, *Tu es Petrus*, seu Petra. Vbi Ambrosius ser. 69. *Primum signum mirabilium suorum Petrus fecit Claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: si ergo Petrus petra est super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat. Vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet: ita & in homine fundamenta confirmet. Rectè, inquam, in Christiano pedes curat primum, vt non intrepidus, nec imbecillis, sed robustus possit incedere.* Sic soluit, & sanat.

Ambros.

31. *Ligat & percutit sanando.* Luc.22. Ambros.

Ligat autem, & percutit. Famuli Principis Sacerdotum Petrus apud hortum amputauit auriculam. Quare? Respondet Ambrosius lib. 10. in Luc. cap.22. *Tollit Petrus aurem. Cur Petrus? Quoniam ligandi idem, & soluendi adeptus est potestatem. Tollit malè aurem audientis. Tollit autem gladio spirituali, aurem interiorem malè intelligentis. Caueamus ne cui tollatur auricula.* Quàm singulariter benignus ex vulnere? Amputauit enim Apostolus Malchi auriculam, ne existeret ei maioris causa damnationis. Deus olim extruentium turrim filiorum Adam *linguas confudit*. Gen. 6. Beneficus quidem loquelæ vsum alligauit, ne malitiæ pondus augeret. Ambrosius, *Fortassè ideo Petrus aurem tulit, ne ampliùs delinquerent audientes. sic & aliquando confudit Deus linguas extruentium turrim, ne se audirent, & opus suæ impietatis augerent.* Attamen misericordia sæpe vulneris author, non semper seueritas Antistitis.

Gen 6.

Ambros.

32. *Paruulos gremio excipit.* Luc 12.

Singularissimum denique in Petri Præsulatu, paruulos gremio charitatis excipere. *Fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram*, Luc. 12. Quonam in tempore? Paruis quidem tempore, iuxta indigentiam, Petrus

ouibus pabula ministrat. An solis ouibus? Agniculos simul ducit ad pastum. Ambrosius

Ambros. lib.5. de Fid. ad Grat. cap. 1. *Quisnam est fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam? Est Petrus ipsius Domini ad pascendum gregem electus iudicio, qui tertiò meretur audire, Pasce agniculos.* Meretur quidem, quia iudicio Domini adeò fidelis, vt paruulos excipiat singularis affectu benignitatis.

33. *Ex proprij delicti recordatione Præsul paruulos studet amplecti.*

Ideo Petrus paruulos vberiori fouet affectu, quia se meminit deliquisse. Quælibet negatio Petro est dilectionis præceptum. Ter Dominum abnegauit, ter à Domino audiuit, *Pasce oues, pasce agnos, pasce ouiculas.* Id est, paruulos singularis dilectionis amplectatis affectu, dum te Dominum abnegasse memoriâ voluis.

Ambros. Mediolanensis adhuc Antistes. *Tertiò verùm Dominum diligat, interrogatur; vt quem tertiò ante Crucem negauerat, tertiò fateretur. Pasce agniculos, pasce ouiculas. Itaque pascendo bene*(benigniter, fideliter) *culpam lapsus prioris aboleuit.*

Observatio VI.

Ad illa verba:

Tibi dabo claues Regni.

Petrus Regni cælorum Clauicularius est.

Vnde ediscimus Sacerdotem, qui spirituali potestati præficitur, debere speciali in Deum dilectione decorari.

34. Damian.

DAMIANVS, *Petrus Clauicularius Regni.* Non facile munus, quod quidem egregiè Petrus obiuit, vt sacerdotibus magisterium impendat, quonammodo spiritualis potestatis debeant munus exerere.

35. *Vt Abrahæ filij stellæ sunt in cælo, Petrus aperit cælestia claustra.*

Vt probet Hieronym. Epist. de vera circum. tom. 9. Petrum cum Abrahamo componendum, ait: *Illi dicitur: Vt stella erit semen tuum. Huic dicitur: Tibi dabo claues Regni cælorum.* An idem clauibus cæli potiri, ac stellæ in morem apud cælorum Regna fulgere? Ita planè. Quàm

Hieron. verè cæli Clauicularius, qui præstantissimo fulget splendore? Num maiori, quàm Ioannes? Attende precor. *In principio creauit Deus cælum, & terram. Fiat lux,* ait, *& facta est lux. & factum est vespere, & manè dies vnus.* Ad quartæ diei molitionem se se Author accingit:

Gen. 1. *Fiant luminaria in firmamento.* Gen. 1. Rogas, num, Lux hîc de nouo creata? Primâ die facta lux, quartâ donatur incremento. Asserit Petrus

Damian. Dam. serm. in Apost. Pet. & Paul. Ioannis diem primariam lucidissimo fulgore micare; at quartâ die ex Petri solemnitate adhuc lucis incrementa apparere. Aliter expendo sententiam: Abrahæ dicitur: *Vt stella erit semen tuum. Petro dicitur, Tibi dabo claues Regni cælorum.* Si filij Abrahæ stellæ futuri sunt è terrâ auolantes, cælos penetrare non possunt, nisi Clauicularius Petrus

Hieron. aperiat. Hieronymus, *Petrus est alius Abraham, nescio an maior, Abrahæ enim pro filijs claritas monstratur Astrorum; sed Petro traduntur regna cælorum. Vt videlicet in ea fine Petro nec filij Abrahæ possint intrare.*

Petro quidem claues commissas ex specialissima in Iesum charitate Damianus affirmat. 36.

Ob præstantiam dilectionis Petrus Clauicularius efficitur. Damian.

Ideo post periculum tertiò factum de dilectione *Amas me, Amas me, Diligis me?* cura ei gregis committitur: *Pasce oues meas.* Ioan. 21. Principis ergo amantissimus clauem auream accepit. Apud nostrates, *Es de la llaue dorada.* Quo munere dignissima profectò Petri charitas. *Adolescentula dilexerunt te nimis* Cant. 1. Cant. 1.

Assolet adolescentia ardētiori flammâ flagrare? Petrus cum senex ad primęuam recurrit ętatem: *Alius cinget te senem, & ducet quò non vis.* O Petre me nimis semper diliges, adolescentularum in morem. Damianus, Anima Petri *vna est* (seu vnica, siue *vna est columba*) *de adolescentulis, quæ dilexerunt eum nimis: sola adolescentia, vt ardentissimus ignis, incandescens, eclipticum amorem non recipit* Ideo Petri amor cum senectute non senescit; sed ad robustiorem semper recurrit ætatem. Vnde senex Cruci suffigitur, vt præstantissimum ardentissimæ dilectionis documentum exhiberet.

Nec enim Clauicularij laboriosum admodum geret laudabiliter ministerium, qui amoris igne minimè exardescit. Ideo Apostolis Dominus, queis Petri claues committendæ, *sedete in Ciuitate, quo ad vsque induamini virtute ex alto.* Luc. 24. Id est, donec Spiritus sancti igne donemini ad Apostolici muneris difficultates superandas. Clauicularios enim Regni esse idem est ac ad aciem pugnaturos properare. Ideo dilectionem sub armorum metaphorâ promittit. 37.

Charitas Clauiculariumdoceat cælum claudere, & aperire. Luc. 22.

Maldon. Maldonatus, *Milites erant Christi, Regnum* (cuius claues habebant) *expugnaturi,* dum portas iustè & aperiunt, & claudunt. *Noluit ergo milites suos inermes in aciem prodire.* ait

Chrysost. Chrysostomus apud D. Thom. in Cat. Et Bernardus serm. de Spirit. sanct. *Ipse est* (inquit) *qui*

Bernard. *Apostolos corroborauit, vt indueret virtute ex alto; feruentissimâ scilicet charitate. Hac nimirum Apostolicus ille chorus loricâ se se induit ad faciendam vindictam in nationibus.* O quàm necessaria vindictam hanc facturis præstantia dilectionis, vt claudant cælos pietate, vt illigent miseratione: vindicta quæ non tam ad homines quàm ad ipsa crimina dirigatur.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

Benignissimus Clauicularius Petrus circa Purgatorij carceris vinctos.

Vbi Sacerdotis affectus ad animas Purgatorij leuandas accenditur.

HAVD euacuata vis sententiæ Damiani: *Clauicularius Regni Petrus.* An vt circa 38.
existen

Potestas Petri ad aperiendum Purgatorij ostium.

Dam an. Concil. Constant.

existentes apud Purgatorium ignem sub Regni vestibulo suam Petrus exerat potestatem? *Quidquid solueris super terram*, Saluator indixit. Ergo sub terrâ animæ constitutæ non soluuntur a Petro. Verùm enim Concilium Constantiense V. sic de Petri potestate. *Hoc scilicet, Quodcumque ligaueris, &c. non solùm de viuis intelligendum est. Sancta enim Romana Ecclesia quosdam Episcopos etiam post mortem anathematizauit.* Vnde constat sub morte constitutos Petri subijci potestati, cui clauis abyssi à Domino commissa est, de quo plura Doctores.

40. *Esuriens Petrus animarum salutem, etiam post mortem absumere intendit.*

Non igitur de potestate dissero à fide præscriptâ, sed Petri affectum circa vitâ functos studeo commendare, à Sacerdotibus vtique imitandum. Petri quidem fames magna fideles vitaliter absumendi. Tria millia Iudæorum ei absumenda apponuntur, mox quinque millia; nec tamen satiatur. En cælum, apposita mensa, Apostolum inuitat ad conuiuium, vase quodam splendido, veluti linteo magno à Superis immisso, in quo aderant quadrupedia ac repentia terræ & cæli volatilia. Tunc Petrus audiuit: *Occide, & manduca*, Act. 10. Ambrosius serm. 68. *Tu in Iudæos solus esuris, ecce famem fidei tua cunctarum gentium diuersitate reficio.* Nùm expleta Petri esuries? Non quidem sufficiunt tantæ fami viuentes vniuersi. Quid igitur? *Occide, & manduca*? Etiam post mortem tuæ deseruient satietati. Absumendos tibi trado, non viuos solos, sed & mortuos à te in Superos è Purgatorio traiiciendos. Pulchrè Ambrosius: *Pransuro Petro desunt coquorum apparatus, sed quod est melius, ministeria diuina non desunt, & vtilioris communionis Sanctorum, quod deest in terris abundat in cælis.* Communio Sanctorum vocitatur hic animarum fidelium apparatus, qui à Petro absumendus apponitur. Adijcit Ambrosius: *Mirandum cur sanctum virum ex oratione fames sequatur, cùm soleat fames oratione depelli.* An non quia spirituales viri ardentiori affectu in Purgatorij animarum deferuntur auxilium? An non quia Angeli custodes appositis animarum epulis, Sacerdotes orationibus ac sacrificijs addictis ad orandum, ad offerendum sacrificium denuò excitant pro defunctis? *Legimus in Scripturis* (Doctor ait) *Eliam in deserto coruis ministrantibus pastum. 3. Reg. 17. Quantò melius Petrus, cui non paruam escam terra auis porrigit, sed integrum conuiuium multitudo Angelica subministrat. Post orationem ergo esurit Petrus.* Cùm orationi, ô Sacerdos, addiceris, vel cùm sacro gerendo incumbis, Angelos custodes contemplare, qui *integrum conuiuium ministrant*, cunctos scilicet fideles, non solùm inter viuos commorantes, sed & apud Purgatorij carcerem residentes illigatos, vt absumendo soluas, ablegatísque vinculis ipsi ad Patriam possint auolare.

Act. 10. Ambros.

41. *Sacerdotes spirituales viros allicio ad animarum fidelium obsequium.*

SECTIO SEXTA.

Petri errores inaurati.

TEXTVS.

TV es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam.

In Petrum

PANEGYRICVS MORALIS SEXTVS circa literam.

Ex ipsius erroribus inauratis.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam.

Petrus auocare Christum intendit à Cruce, feruens quidem amator.

Vbi ostendo lapsus ex amoris affectu magis veniabiles.

1. INSVRGIT obiector clamans, non aptè Ecclesiæ, fideíque fundamentum subiectum Apostolum, qui arenam se fragilem non semel ostendit. Cui quidem ostendere contendam, quàm Petrus ex ipsis erroribus aurum, quàm ex fragilitate fortis, quàm ex deuiatione quodammodo rectus existat.

2. *Dubitatio Petri circa passionem ex amore orta, excusabilis.*

Militat in primis aduersus Apostolum, quod de Dominicæ necis conuenientiâ dubitauerit. Id quod Ambrosius lib. 5. in Luc. cap. 7. ex affectu amoris ortum duxisse asserit: *Religiosus lapsus amoris fidem non impedit.* Dubitatio hæc Petri lapsus omninò amoris, quia ex nimio charitatis ardore cupijt ne Iesus morti traderetur. *Propitius tibi esto, Domine, ne fiat hoc*, inquit Christo Petrus de passione disserenti. *Dubitauit* (Ambrosius adijcit) *Petrus, dicens: Propitius tibi esto, Domine, non fiet hoc? Ille fidei Princeps, cui se Christus nondum Dei Filium*

 dixerat,

dixeras, & tamen ille crediderat; de morte Christi nec Christo credidit. Pietatis affectus, non indeuotionis est lapsus. Alibi lauari sibi pedes recusat, dum mysterium non agnoscit, dum Dominico grauatur obsequio. Fidei Princeps tunc cùm dubitat, vocitatur? Ita planè, quia pietatis affectus excusabilem reddit dubitationem.

3. *Petri dubitatio circa passionem ex simili Præcursoris dubitatione illustratur.*

Luc 7.

In Præcursore huiuscemodi dubitationis exemplum exhibeo. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex Discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus est, an alium expectamus?* Luc. 7. Curant Doctores Ioannem a dubitationis notulà liberare, varijs excogitatis solutionibus, quas alibi expromam. In præsenti autem crediderim, plusquàm Prophetam incredibili erga Christum charitate affectum de conuenientià Dominicæ necis quodammodo subdubitasse, cogente amore, vt omnimodam Christo incolumitatem cuperet. Es tu, qui venturus est ad subeundam Crucem? Non dubitatio fidei, sed amoris cunctatio est,

Ambros.

Ambrosio profante: *Nonnulli de ipso Ioanne sic intelligunt magnum Prophetam, ita vt Christum agnosceret, annunciaret remissionem peccatorum futuram; sed tamen non tanquam dubium; sed tanquam pium Vatem, quem venturum crediderat, non credidisse moriturum. Non igitur fide, sed pietate dubitauit.* Quasi credere noluisset, amatum moriturum, ob ardentissimæ pietatis præstantiam. Concludit Pater: *Lapsus itaque amoris fidem non impedit.*

4. *Et ex Magdalena non credente Christi resurrectionem.* Ioann. 10. Gregor.

Non credebat Magdalena Christum resurrexisse, nec tamen taxabilis ex eo capite dubitatio, quia ex amoris præstantià putabat minimè optatis effectum respondere. *Conuersa retrorsum* Maria, *vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus esset.* Ioann. 20. En subdubitatio amantis vitio ei non vertitur, sed præmio donatur. Gregorius hom. 23. *Notandum, quod Maria, quæ adhuc de Domini resurrectione dubitabat, conuersa retrorsum est, vt videret Iesum. Quia amabat, & dubitabat, videbat.* Id est, quia dubitatio illa ex amoris affectu oriebatur, non solùm non supplicio afficitur; verùm visionis Dominicæ præmio donatur. *Videbat.*

5. *Petrus instar Mariæ, specialiter resurgentis gloriâ fruitur, ob piam dubitationem* 1. Cor 15 Ambros.

Quid si dubitatio, aut cunctatio Petri circa Dominicam necem, specialiter fuerit resurgentis visione munerata? Paulus: *Tradidi vobis, quia Christus mortuus est, & quia sepultus est, quia resurrexit tertiâ die, & visus est Cephæ.* 1. Cor, 15. Cur specialiter visum Dominum à Petro asserit, si a cunctis Apostolis visus est? Quia resurrectio Dominica speciali gloriâ Petrum donauit. Ambrosius: *Quomodo soli Cephæ visum diceret, si ab omnibus erat visus. Petrus vidit solus Dominum.* Quia scilicet cor suis muneribus ex Dominica resurrectione affectus, ac si ipsi soli resurgentis gloria præpararetur. *Deuotio enim* (adijcit) *parata semper, & prompta credebat.* Non fuit dubitatio fidei, sed amoris cunctatio, quia semper Petri deuotio credidit, si dilectio curauit Christum à patiendi studio remouere. *Religiosus lapsus amoris fidem non impediens*, quàm veniabilis est! Quid mirum, si lapsus cùm sit, *Religiosus* potest vocitari?

Observatio II.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Petrus ad Crucem rapitur non volens, vt obedientiæ, humilitatis, mortificationisque documentum exhibeat.

Innuo, nec ad Martyrium nos debere accurrere, nisi iuxta diuinæ voluntatis præscriptionem.

6.

DEINDE contra firmitudinem Petri, seu petræ, illa obijcitur ad Crucem subeundam repugnantia, de quâ Dominus: *Amen, amen dico tibi; cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Ioann. 21. *Quò tu non vis?* Ergo repugnanter Petrus, non vltroneus sese Cruci tradidit. Ioan 21.

7. *Hæc Dominus dixit Petro gratiam referens de perfectione dilectionis.* Ioann 21.

O Petri gloria ex præfata fulgurans sententia! Christus hæc Apostolo prædixit de amoris ipsius in Christum perfectione gratiam referens. Ergo ex huiusmodi sententia potiùs commendabilis. *Simon* (ait Dominus) *diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine tu scis, quia amo te: Iterum* & *tertio* interrogauit: *Diligis me? amas me?* Postquàm autem Apostolicæ charitatis perfectionem fecit ostentari, præmio virtutem donaturus adiecit? *Cum senueris alius cinget te.* Ambrosius lib. 20. in Luc. cap. 24. *Quasi perfecto in omnibus* amatori, *quem caro iam reuocare non posset a gloria passionis, corona decernitur: Cùm senueris alius cinget te, & ducet quo tu non vis.* Ambros.

8. *Senectus hæc matura fortitudo.* Ambros.

Præterea τὸ *Cùm senueris*, non exponendum de imbecillitate ad pugnandum, sed de matura fortitudine. Ambrosius ita: *Cùm senueris, Bona senectus, non vitæ longanitas imbecilla ad vsum, sed maturitate virtutis ad Martyrium præparata, quæ lasciuiam corporalium reprimat voluptatum, nec cupiditatibus indulgeat.*

9. *Illud, Quò tu non vis, carnis repugnantiam innuit, non spiritûs.* Gal 5. Ambros.

Illa autem particula: *Quò tu non vis*, ad carnis repugnantiam naturalem referenda. *Caro* enim *concupiscit aduersus spiritum.* Gal. 5. At infirma carne renuente, repugnante, spiritus ad Crucem auolabat. Vnde carnis infirmitas non obscurabat pugnæ gloriam, sed materiam suggerebat triumpho. *Caro* (ait Ambrosius) *concupiscit aduersus spiritum, & transuersarios tramites gradiendi quò velit, diuersarum sibi inuenit voluptatum. Bona verò mentis senectus, quæ non id quod suaue corpori, sed quod menti vtile putat eligit, nec voluptario corporis rapitur appetitu; sed repugnandi moderamine quasi iniusta reuocatur.*

10. *Se Petrus curauit frangere, vt repugnantiâ adhibitâ gloriosior esset Crux.*

Quid si ad animum ipsum hæc repugnantia spectare videatur? Tanta erat Apostoli affectio ad Martyrium, vt vellet sese mortificationis

vulnere

vulnere afficere, dũ toto homine naturaliter repugnãte totus patibulo addicitur. Quid facilius, quam libenter mori? Curat ergo mori quasi repugnanter dum id quodammodo non vult, ad quod spiritus tam concitato gressu rapiebatur. Excogitatio hæc eundem Ambrosium sortitur

Ambros. authorem: *Petrus etsi paratus erat animo subire Martyrium, tamen vbi periculum aduenit, constantiam mentis inflexit. Capit enim nos suauitate sui cælestis vsus muneris: nam quis Martyrium non eligeret, si libenter mori posset?* Animum inflectit, seu curat constantiæ aliquam haerere repugnantiam, & à culpâ & infirmitate alienam, vt animus quasi frangatur, ac tàm velociter de more ad passionem currat, maiorique gloriâ, repugnantiâ adhibitâ, eius certamina munerentur.

11. *A Christo didicit.* Non-nè Dominus auolante affectu auolabat ad Crucem? *Baptismo* (inquit) *habeo baptizari, ô quomodo coarctor, donec perficiam!* Proditori autem: *Quod facis, fac citius.* Attamen

Matt. 26. dùm sibi mortis periculum exhibetur, quasi repugnans clamat: *Pater, si possibile est, transfer à me calicem hunc. Veruntamen non voluntas mea, sed tua fiat.* Matt. 26. An hoc infirmitatis documentum? Blasphemus affirmârit. Si autem fiat Dei voluntas, & non Christi, ducetur Christus quò non velit. Quid hoc? Profectò tàm rapido cursu Dominus ad Crucem properabat, vt quodammodo studuerit cum tantâ spiritûs promptitudine illam repugnantiam copulare, vt Crux crudelior sibi existat, nec ex tàm feruido moriendi desiderio, minùs verbera

Ambros. vulnerent, minùs claui configant. *Et quid mirum* (Doctor adijcit) *si Petrus nolit, cum Christus dicat: Pater, si fieri potest, transfer a me calicem hunc. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Ergo ductus *quò non volebat.*

12. *Extendit manus? Ergo promus suffigitur.* Cæterùm ipse corporis habitus spiritûs prætendit promptitudinem. *Extendes manus tuas, & alius cinget te.* Alius quidem clauis perforabit, vt patibulo affigat. Qui extendit manus, qui libenter offert carnifici suffigendas, vult

Ambros. subire Martyrium. Adhuc Ambrosius: *Ergo & Petrus videtur nolle, sed parat vincere.* Parat vtique, dùm manus Cruci illigandas offert perforaturo.

13. *Non audet iam velle mori, post ruinam.* Denique Apostolus humilitatis egregius extitit prædicator; se solùm ad mortem iturum olim pollicitus, miserè corruit. Non igitur audet polliceri, non voluntati hæreſcit, nec fidit solitudini. Pulchrè Ambrosius perficit argumentum: *Post tentationem præsumptionis suæ, Petrus iam non audet voluntatis perseuerantiam polliceri, sed quasi ad solatium sui consortium quærit alterius: Alius cinget te.* Hactenùs Præsul Mediolanensis Apostoli Encomiastes.

* * *

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Dùm se Petrus haud Christum negaturum promittit, ipsum honorauit.

Vbi dilectio nos mutans in Christum commendatur; præsumptio carpitur Magistrorum.

PVNNITVR tertiò Apostolo illic præsumptionem innuens sermo: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Et cùm Dominus trinæ negationis calamitatem prædixisset, Petrus adiecit: *Etiamsi oportuerit me mori tecũ, non te negabo.* Matt. 26. 14. Matt. 26.

Quid hinc carpere Apostolum intenditis? Charitas omnia superat, *patiens est*; se agnouit Petrus charitatis vulnere saucium, ac consequenter suam fortitudinem lapideam ad sustinendum fore existimauit. Hieronymus: *Ego* (ait Petrus) *nunquam scandalizabor. Non tamen est temeritas, nec mendacium; sed fides Apostoli Petri, & ardens affectus erga Dominum Saluatorem.* 15. *Putauit Petrus se ex charitate lapideum.* Hieron.

Præuidens (obijcis) Dominus affirmat. Ergo delinquit Petrus, id quod Deus prædixit, abnegando. Profectò Petrus amando denegauit, iudicans quippe impossibile tanto amori tantum facinus admittendum. Pulchrè Remigius: *Quod Christus dicit præuidendo, Petrus denegat amando?* Quid non facile amanti? quid non ei impossibile eorum, quæ contra dilectionis obijciuntur affectum? *Attamen instruimur* (Pater adijcit) vt quantùm confidimus de ardore fidei, tantùm de carnis fragilitate timeamus. Timere debuit Petrus (fateor) sed an omninò temerarius confidit, qui ex ore Dominico audierat, *non sermone casso*, vt ait Ericus: *Tu es Petra?* 16. *Amando negauit quod Iesus præuidendo prædixit.* Remig. Eric.

Addit Apostolus *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Vbi Origenes ansam exhibet illustri in Petrum elogio: *Hic Petrus nescit, quid loquatur. Cum Iesu enim mori prò omnibus moriente, hominum non erat.* Postquàm Euangelista asserit Petrum respondisse: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, adijcit idem reliquos Discipulos protulisse: *Similiter & omnes dixerunt.* Duplex hinc quæstio suboritur. Vna quidem, si omnes simul Discipuli hæc verba vsurparunt; cur Origenes Petrum solum carpens dicit: *Hic Petrus nescit quid loquatur.* Certè solus Petrus carpitur, quia soli Petro dictum fuerat à Domino: *Tu es Petrus*, siue *Tu es Christus*, vti ex Erico dedimus. Vnde licèt reliqui Discipuli cum Iesu morerentur, nullus crederet coadiutorem redemptioni addictum. At si Petrus cum Saluatore occumberet, aliquis cogitaret duplicem Christum pro hominibus oblatum. Ideò solus Petrus carpitur de sententiâ: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* 17. *Solus Petrus carpitur, non quia deliquit, sed quia necessum fuit solum taxari, ne Christus haberetur.* Origen.

Cùm

18. *Imperat impunè abire Apostolos, ne Petrus alter Iesus comprehenderetur*

Cùm apud hortum esset illigandus, inquit ministris Sacerdotum: *Quem quæritis?* Respondentibus autem eis: *Iesum*, Dominus adiicit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Matt. 26. Si te quærunt, ô Domine, Discipulos negligent, hi abibunt impunè. Quid ergo clamas? *Si me quæritis, sinite hos abire*: Quia ibi aderat Petrus, quem in se quodammodo transmutârat. Vnde illigantes Iesum, consequenter Petrum comprehensuri videbantur. Ideò Christus priusquàm illigetur, quasi pactione initâ, Petrum emittit ex horto, ne Christo illigato alter Christus trahatur ad vincula. Aiebat Chrysostomus (Chrysost.): *Si me quæritis, sinite hos abire. Quasi dicat: Nihil vobis ad hos commune est. Ecce me trado, dilectionis conseruantiam demonstrans.* Si dilectionis meæ erga Petrum (mitto nunc Ioannem & Iacobum) fortassè conscij, cùm me quæritis, eum consequenter requiritis; nihil vobis ad hunc commune sit, obsecro. Haud Petrum in Iesu morantem requiratis: *Ecce me trado.*

19. *Solus Petrus corruere permittitur; eius præsumptione in negationem, vt solus Iesus immolari videretur.* Paschas.

Petrus nihilominùs Christum secutus, non posse se diuelli affirmauit. Hinc altera quæstio, *Non te negabo, similiter & omnes Discipuli dixerunt.* Quid? *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Hæc verba disputationi committenda, præmissis Doctoribus asserentibus, Dominum permisisse Petri casum, vt propriæ infirmitatis conscius de præsumptione lueret pœnas. *Ideò vt corrigeretur*, inquit Paschasius lib. 12. in Matt. *Doctor & Magister, prouidè satis iudicio Dei iusto permissum est, vt negaret Dominum.* Iam requiro, cur omnes Discipuli permissi non sunt corruere, si *omnes similiter dixerunt: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*; vt scilicet omnes Doctores & Magistri Ecclesiæ corrigerentur? Respondeo. Petrus Christum secutus est. *Petrus sequebatur eum à longè.* Si tentatus persisteret, si Christum profiteretur, cum Christo simul raperetur ad Crucem. Corruere ergo solus permittitur, quia solus Petrus petra, fundamen Ecclesiæ, Præsulum pater, Sacerdotum vertex cum Christo Cruci suffixus, aut ingeret dubitationem, an duplex Christus moriatur, aut saltem an Dominus redemptionis coadiutorem admiserit. Igitur si, authore Hieronymo, sententia illa: *Non te negabo*, pietas fuit commendabilis. Petrus, si præsumptionis præbet specimen, permissio leuis illius culpæ, imò & grauis piaculi negationis, eò tendebat, vt solus Dominus Agnus immolaretur. Ex præfatis innuitur, quàm ex dilectione fideles Domino possint illigari; quàm noxia præsumptio; quàm solus pro hominibus Christus cupiebat offerri.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Dùm apud Thabor Petrus extruere Tabernacula intendit, deuotionis, & obsequij exhibet documenta.

Vbi innuo, hominem mundialia despicere omnino, si in conspectu cælestium constitutus sit.

NON semel vidi Petrum taxatum, eò quòd apud Thabor transfigurato Domino clamarit: *Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria Tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Matt. 17. Alter verò Euangelista eum ignorantiæ arguens, dixit: *Nesciens quid diceret.* Non est ergo, hinc arguant indocti, ad Ecclesiæ summum Magisterium aptus, qui inscitiæ fragilitate laborat. 20. Matt. 17.

21. *Christi voluntati subiecit Petrus propositum extruendi Tabernaculum.* Paschas.

Dic mihi, an sese Petrus accinxerit ad Tabernaculorum extructionem, priusquàm diuinam requireret voluntatem? Priùs dixit: *Domine, si vis.* Proponit igitur, non disponit, tentare aggreditur, non exequitur laborem. Paschasius lib. 10. in Matt. *Faciamus hic tria Tabernacula, inquit Petrus, nesciens (Euangelistâ testante) quid loquebatur. Tamen remedium est erroris, quod Magistri, priusquàm inciperet facere quod erroris est, deuotè requiritur voluntas.*

22. *Dilectio Petrum ab errore liberat.* Rom. 8. Paschas.

An non dilectio Petrum ab hoc liberauit errore? Paulum audite: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. Dilectionis ergo in Deum Magistro quonam modo in malum pius ille error cooperaretur? Paschasius: *Debemus confiteri, quia omnia Petro cooperantur in bonum. Ipse somnum patiebatur, Luc. 9. Vnde licèt in hoc ignorantiam Petri non approbemus, sic præcipuum amorem illius erga Dominum veneremur, & feruorem fidei, quam sæpissimè apertis indicijs idem validissimus dilectionis suæ executor iustus celare non valebat; sed flagrabat foris ardor, quem intùs gerebat. Hæc omnia de feruore fidei, & ardore pij amoris in Christum veniebant.*

23. *Hic Petrus omnimodâ sapientiâ præditus.*

Omnimodâ quidem Petrum in præsenti sapientiâ præditum assero. Sapientiæ enim egregiæ documentum magno pretio habere cælestia, pili ducere mundialia. Petrus sapientissimus etiam cùm clamitat: *Bonum est nos hic esse.* Quia ex solâ Saluatoris fulgente facie tot callet mysteria, vt quasi lumine gloriæ donatus videat quod satis, ad cuncta mundialia despicienda, imò quo à morte, à Cruce mentem auertat. Rursum Paschasius (Paschas.): *Pium est cogitare, si visâ Domini vultûs claritate, vult deinceps in monte manere, respuit gloriam Mundi, & totum quod in Mundo blanditur; sola ei claritas, quæ de Christi facie resplenduit, placuit, quid putare possemus,*

possemus, quomodo placeret ei; si talem tunc posset intueri per corpus mortale, qualem nunc cernit exutus iam mortalitate. Præstantissimæ sapientiæ indicamentum est ea penetrare in Christo, ex externo lumine oculis corporeis obiecto, eaque circa mundialia affici obliuione, quæ sufficiat ad optandam æternam iuxta ædificata Tabernacula mansionem, ac si animus gloriæ lumine donatus beatâ visione frueretur.

24 *Laborare Petrus intendit.* Paschas.

At verò quid Petrus intenderit? laborare planè dùm sese accingit Tabernaculorum extructioni. Attigit hoc Ambrosius; sed vberior Paschasius: *Quam sanè gloriam bonam esse, nec laudâsse sufficit; sed etiam deuotione præstantior impiger operarius occurrit, & pollicetur communis obsequij ministerium. Qui, quamuis nesciret quid diceret, offerebat tamen seruitutis officium, quo non inconsulta petulantia, sed præmatura deuotio fructum exhibebat, accumulare sibi cupiens mercedem laboris. Nam quod ignorabat, quid diceret, conditionis fuit humanæ: quod verò promittebat, deuotionis obsequium.*

25. *Præmio afficitur Petri obsequium. Ergo commendabile.*

Ex præmio denique colligo, nùm Deo placuerit Apostolici obsequij promissio. *Faciamus* (inquit) *tria Tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* An extructor ipse sine Tabernaculo manebis? *Nubes lucida*, adhuc eo loquente, *obumbrauit eos.* Ne Petro desit Tabernaculum, nubes vnica cunctis Thronus lucidissimus præsentatur. Tantùm ex obsequij promissione placuit Apostolus, vt eius gratiâ Deus omnibus capacius Tabernaculum extruxerit. Eleganter Rathbertus Abbas argumentum absoluit. (Rathbertus.) *Petrus à Domino non reprehenditur, quia etsi displicuit ignorâsse quid diceret, placuit tamen tanta deuotio Deo. Et ideò inter hæc verba facta est nubes, quæ ipsos tegeret, lucidissima. Vt sciret Petrus, quia non necesse erat tria Tabernacula fieri, cùm eos videret nube cælesti obtectos, & quasi sub vno Tabernaculo cooperiri, Vnde consequenter ait Euangelista: Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Si adhuc loquens cælesti Tabernaculo excipitur, indicamentum quidem non solùm ex verbis non taxandum Apostolum, sed è verbis admodùm efferendum. Nec enim lucida sedes exciperet dùm erraret, sed postquàm ab errore prosiliret. Edisce, hominem cælestibus addictum, illicò mundialia despicere.

OBSERVATIO V.
Ad illa verba:
Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Petrus à longè secutus Christum, se cælum seu firmamentum esse profitetur.

Vbi innuo, maioris virtutis documentum esse, timentem non vinci, tentatum non recedere, persecutionibus actum non frangi.

26. IN Petrum inuehunt alij, eò quòd fuerit Dominum à longè secutus: *Petrus autem sequebatur eum à longè vsque in atrium Principis Sacerdotum.* Matt. 26. (Matt. 26.) A longè sequebatur? Ergo & ipse (aiunt) à Domino elongatus extitit.

27. *Etiam cum timet, non deserit.* Chrys. Pasch.

Chrysostomum præmitto, & Paschasium. Ille apud D. Thomam: *Multus erat* (ait) *feruor Petri, qui cùm alios fugientes vidisset, non fugit, sed stetit, & intrauit.* Hic autem lib. 12. in Matt. *Petrus*, inquit, *præ omnibus adhuc ex feruore fidei sequitur, quamuis à longè.* A longè, ais, sequitur, quia timebat. Ex hoc igitur capite potiùs commendabilis, quàm taxandus obiicitur, quia licèt timeret, attamen secutus est. Ambrosius: *Secutus est eum, etiamsi cum timeret.*

28. *Petrus Ioannem affectu, vel à longè secutus superauit.* Psalm. 27.

Ioannes profectò sine controuersiâ, inquis, commendabilis obiicitur, qui sine timore sequitur Saluatorem. Reor de Petro ac Ioanne è longè secutis Dominum, Dauidem præciouisse: *Et qui iuxta me erant de longè steterant.* Ps. 27. Et à longè secutum Petrum Ioannem secutum à longè superâsse. Quia Petrus timore perculsus à longè steterat; Ioannes notus Pontifici nullo timore affectus, non à longè debuisset sequi vestigia Saluatoris. Chrysostomus: (Chrys.) *Petrus non fugit, sed stetit, & intrauit. Si autem & Ioannes intrauit, tamen notus erat Principi Sacerdotum.*

An (Ioannis pace) non magis egregium fortitudinis documentum, timentem Petrum intrare, quàm Ioannem nullo timore correptum?

29. *A longè secutus passionis imitator ostenditur.* Remig.

Addo, Petrum ex eo quòd licèt à longè Dominum secutus est, eiusdem Passionis fieri imitatorem. Remigius: *Per hoc significatur, quod Petrus Dominum ad passionem euntem erat secuturus, id est, imitaturus.* An Petrus ouis dispersa Christum percussum Pastorem potest imitari? Imò hinc colligo, Petrum nequaquàm dispersi gregis ouiculam, sed semper in munere persistentem Pastoris, Dominum imitatum: *Percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis.* Matt. 26. (Matt. 26.) Petrus non dispergitur, non fugit, sed Pastorem sequitur: *Petri*, inquit Paschasius lib. 10. (Paschas.) *maior constantia quam cæterorum Apostolorum esse videtur, dum illi fugiunt: iste, quamuis procul, saltem à longè sequitur Saluatorem.* (Isai. 53.) Ergo Pastor persistit, non ouis dispergitur.. Altius quid licet excogitare?

30. *Ex illâ à longè insecutione Petrus cælum seu firmamentum exceptorum Christum videtur.* Ambros.

Quid si ex illâ *A longè* insecutione Petrus cælum siue firmamemenium appareat, aptissimum planè Ecclesiæ fundamentum? A tergo Petrus sequitur Christum, vti fortè cadens è persecutorum vulneribus, in cælo, in firmamento, Throno equidem Deitatis excipi valeat. In cuius probationem præmitto terrenos homines in terram excidere; cælestibus verò occumbentibus cælum præparari, fante Ambrosio: *Qui terrenus in terram cadit; qui cælestis, cælo inhæret; & si corpore cadit, virtute non cadit. Vtinam isti* hostes *Christum excepissent, sicut excepit Ioseph, qui sepeliuit eum in monumento; quod exciderat in petrâ.* Cecidit Dominus super Petrum expectantem Domini è Tabernaculo terrestri depositionem. Ergo Petrus cælum est, firmamentum est, petra est solidissima: si cælestis supra cælum necessariò cadit; si Dominicum corpus monumento lapidis fortissimo excipitur. Ambrosius ad hæc: *Ergo persecutor super terram cadit, Christus*

super

super resurrecturos. Retro erat Petrus, & sequebatur eum, cum a Iudæis ad Cayphæ domum duceretur. Retrò nempe erat, vt cælum firmissimum petra immobilis Christum occumbentem exciperet.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba.

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Maximo Petrus beneficio Principis Sacerdotum ministri amputauit auriculam.

Innuo intereà, aptum ad diuinum obsequium ingenium feruore flagrans.

31. Matt. 26.

CONTRA Petri aptitudinem ad fundamen Ecclesiæ sic vltrò argumentor. Gladio ministrum Pontificis vulnerauit. *Et ecce vnus ex his* (ait Matthæus) *qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Cap. 26.

32. *Quàm feruorem sese ostendit Petrus Malchum vulnerans, solus sufficiens ad defensionem Saluatoris.*

Hinc profectò potiùs colligerem, Petrum aptissimum Ecclesiæ fundamentum à Domino assumendum. Fundamentum-ne aptum ex fortissimo lapide? Quid hoc facto Apostoli fortius: sed cur a Domino taxatur? *Conuerte gladium tuum in locum suum* Quia Christus intendit exprimere se non infirmitate cogente comprehendi, sed voluntate paternàque obedientiâ. Vndenam id probauit? An Patrem rogando, *vt plusquam duodecim legiones Angelorum* expugnaturos exhiberet? Minimè, sed Petrum solum gladio vti permisit. Id quod tantâ Apostolus præstitit fortitudine, vt apertè hostibus constaret, comprehensionem illam ex voluntate, ex obedientia, nullatenus ex infirmitate ortum duxisse. Pulchrè rem Magnus Albertus attigit: *Hic ostenditur hanc comprehensionem non esse infirmitatis, sed dispensationis. Per auxilium scilicet, quod Petrus exhibuit.* O quàm ad Ecclesiæ defensionem aptus, qui tot paratus, si Dominus permitteret, nec vlteriùs suam aperiret voluntatem, erat cateruas aggredi? *(Albert.)*

33. *Post vulnus aptus ad fundamentum Ecclesiæ, sicut Moyses ad Synagogæ.* *(August.)*

Moyses olim fundamentum Synagogæ electus post percussum Ægyptium. An ad regimen aptus homicida? Quis dubitet Mosem meritò assumptum; dùm emendabili animositate indicabat, quid Pastor effectus in odium præstaret iniquitatis. Ex hoc Augustinus lib. 22. cont. Faust. cap. 70. Petrum cum Moyse composuit, fatus: *Quid indignum, si Petrus post hoc factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium, factus est Rector Synagogæ? Vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate regulam excessit, vterque odio improbitatis alienæ.* Hæc de feruore.

34. *Petrum percussit, quia opus Dei noluit negligenter agere.*

Iam Apostolum hic sui ab erroris notâ immunem ostendo. Vidisti sæpè Petri feruorē morarum omninò impatientem. Desidiam odio prosequebatur, illud menti obijciens: *Maledictus qui opus Dei facit negligenter.* Rogant Discipuli, irruentibus turbis, nùm opus esset gladio vti? *Domine, si percutimus in gladio?* Respondit: *Sinite vsque huc.* Ac si diceret. Permittite accedere vsque ad me, vt comprehendant, nec eos gladij vulnere fugare curetis. Inter moras huiuscemodi Discipulorum interrogationis, Petrus feruore accenditur, memórque Dominum commutatione tunicæ, gladium emere præcepisse, ratus est, licere gladio vti in veritatis expugnationem. Paschasius lib. 12. in Matt. *Si nolebat eos gladio ferire, cur præceperat vt venderet quisque eorum tunicam suam, & emeret gladium? Illud, quod interrogant, Domine, si percutimus in gladio? priùs intelligendum est, quàm Petrus gladium eximeret: sed inter moras verborum interrogantium, dum colloquuntur ad Dominum, Petrus more suo ex feruore fidei & charitatis, quam semper habebat in Dominum, ex auiditate defensionis pij Magistri, & maiori pro Domino commotione impulsus ad vindictam parum attendit, quid cæteri dicerent, vel quid agerent, etiam vel quid Dominus responderet. Inter has igitur moras dictorum, percussit seruum Principis Sacerdotum.* *(Paschas.)*

Si pia actio Petri, cur Dominus clamat; *Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Sic expono: Non tu, ó Petre, humanissimus cùm sis, illos pro grauitate flagitij dignè percuties. Gladio ditiori eos vulnerabo, oris mei percutiam sententiâ: *Discedite maledicti.* Sic Paschas. interpretatus est: *Tamen eos omnes qui aduersùm Dominum gladijs armati, & fustibus processerant, non humano, sed gladio oris sui perempturus erat. Ideò Petro gladium suum in vaginam recondere mandat.* 35. *Christus impedit vulnera, quia grauius Iudæi vulnerandi.* *(Pasch.)*

Adde, Dominum Petri impetum inhibuisse, non quòd impius esset; sed quòd Sacramento redemptionis obstaret. Non benè conueniebat capi nolle, qui redemptoris munus agere cupiebat. Ideò pium Petri conatum impediuit. D. Leo serm. 1. de Pass. *Dominus zelantis Apostoli pium motum progredi vltrà non patitur. Vnde sequitur. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum. Contra Sacramentum erat redemptionis nostræ, vt qui mori pro omnibus venerat, capi nollet.* 36. *Impedit Petri impetum, non quod impius, sed quod Sacramento passionis obstaret.* *(Leo.)*

Quòd si mysteriorum vela pandamus, quàm felici volatu accedemus ad littora *Si fides ex auditu*, resecans aures non audiendi, vt à Domino aures audiendi efficiantur, maximo beneficio afficit vulneratum, Synagogæ quidem simulacrum gerentem. Hilarius apposite apud D. Thomam cat. *Seruo Principis Sacerdotum auricula ab Apostolo resecatur, populo scilicet Sacerdotio seruienti per Christi Discipulum inobediens auditus exciditur, & ad capacitatem veritatis hoc quod erat non audiens amputatur.* Tollit ergo Petrus aurem non audientem, vt Iesus audituram restituat. *Solus est Dominus,* ait Paschasius, *qui præscisa sanat, solus qui ex Iudæis quamplurimis auditum reddit.* 37. *Aperuit Petrus aur. ei Synagogæ.* *(Hilar.)* *(Pasch.)*

Malchus idem est ac *Rex*, Hebraico idiomate. At cùm *seruus* esset, percussus a Petro est, vt seruitus tolleretur, Regnum sine seruitute maneret. Paschasius; *Qui peccat seruus est peccati,* 38. *Resecat Petrus à Regno Iudæorum seruitutem.* *(Pasch.)*

cati, Ioan.21. *Et trisi essent serui, qui regnare debuerant, auricula eorum nunquam à Petro amputaretur.* Et paulo superius, *Seruus ipso rectè vocatur Malchus, Malchus namque Rex interpretatur. Quia populus Iudæorum, quamuis à Domino in Regnum sit electus, ipsi se seruos exhibuerant, culpis exigentibus, sempiternos. Et ideo præciditur ab eis auditus dexter, cum aufertur intelligentia diuini Verbi. Nec immerito Petrus abscidit eius auriculam, quia accepit claues regni cælorum.* Quod si Petrus non gessisset, seruitute permanente, Regno pereunte, omnes *adhuc hodie* (ait ille) *surdi remansissent.* Ergo percutiens Petrus aptus muneri apparet, non quidem segniter, sed feruenter Dei opera gerenda suscepturus.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Dubitans Petrus inter fluctus obiicitur, ne Deus ab hominibus habeatur.

Vbi fidei vim maximam commendo.

39. TEMERITATIS Petrum arguere potest quis, cùm sese ad pelagum emittentem aspiciens. *Simon Petrus, cum audisset, quia* (Ioan.21.) *Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare*, Ioan.21. Iam olim ad idem se accinxerat opus vti apud Matthæum legimus, (Matth.14.) *Domine, si tu es* (ait Petrus) *iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit. Et cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitâsti?* Cap. 14. An non cum se sine Dominici imperij præscriptione iactat in mare, temerarius? cum dubitat, seu timet, vt parum fidelis obiicitur? Non ergo ad Ecclesiæ fundamentum, ad magisterium fidei aptus apparet.

40. *Petrus fideliter rogat, cautus dubitat.* Attamen quid minus infidele, quàm eum qui iustè dubitat, interrogare? *Domine, si tu es.* An Maria infidelis quæ nullo modo de potentiâ Dei dubitans ab Angelo interrogauit. *Quomodo fiet istud?* Quinn rogat Petrus, *Si tu es*, non de potentiâ dubitat, quam ingenuè profitetur adiiciens: *Iube me venire ad te super aquas.* (Paschas.) Paschasius, *Ne mireris, quod cum fide rogat, & dubitat. Dubitat non quasi infidelis; sed quasi cautus, & veteranus explorator, ne facilis ruat in ruinam. Nihil dubitat de potentiâ, nihil de virtute. Nimis temerarium est, eum arguere, cui pro meritis fidei suæ soluendi, atque ligandi potestas attribuitur*

41. *Non dubitauit, sed affirmauit.* Imò non dubitauit, sed affirmauit Christum esse nmnino. Deus olim ad Moysem. Ego sum, qui sum. Hæc dices filiis Israel. Qui est, misit me ad vos, Exod. 3. Petrus ergo cùm ait: *Si tu es*, affirmat: siquidem tu es, qui est, iube me, pelagi Dominator, ad te super aquas accedere. Apptimè Abbas Rathbertus, (Rathbert.) *Petrus retinebat animo, ipsum esse, quem locutum olim ad Moysem nouerat: Ego sum, qui sum. Ad quam sanè vocem Petrus cùm audisset: Ego sum, consolanter respondit, Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. Si tu es, qui est, iube me venire ad te. Senserat enim in eo quod ait: Ego sum, ipsum esse, cui est semper essentialiter idem esse. Et ideo ait: Si tu es. Ac si diceret: Quia si tu es, qui semper cum Patre vnus, idémque es, iussio tua exhibitio est virtutis; quoniam omnipotens es.*

Cur autem fidelissimum Petrum Dominus *modicæ fidei* vocitauit? Magnam fidem Petri modicam sapientissimè appellat. Audi ex ore Paschasij magnitudinem fidei Apostolicæ. 42. *Petri fides magna grano sinapis modico comparatur ob efficaciam.* *Qui dicit, Domine iube me venire ad te, credidit potestatem. Ingens hæc credulitas fuit, vt audaci saltu, & de naui intrepido descensu,* (Paschas.) *profundissimo se crederet elemento, & inusitatam gressibus viam securus intraret. Quod ex omnium consistentium numero iuberi sibi super aquas, vt ad Dominum veniat, precatur, feruor est amoris, & fortitudo fidei, & præsagium futurorum.* Ergo hæc ingens fides modica commendatur: *Modica fides.* Magna & simul modica est. Fides grano sinapis comparatur. Fides magna potens montes transferre, veritate testante, granum sinapis est? Non igitur modica fides, quia exigua; sed quia efficax, grani instar sinapis. *Modicæ fidei Petre.* Ac si diceret: Tua fides in morem grani sinapis, omnium fidei Apostolorum continet efficaciam. Non fugit Paschasium excogitatio nostra. *Nemo modicam potest vocare fidem Petri, qui omnes vbique in fide antecellit. Nemo tamen potest negare exiguam, quem Dominus modicæ fidei fuisse adnotat. Tamen fides, quæ supra grano sinapis comparatur fides omnium Apostolorum est, & modica videtur, quia iuxta quantitatem grano exiguo comparatur.*

Chananææ Dominus, *O mulier, magna est* 43. *fides tua*, Matth.15. *Numquid illa mulier maiorem quam Petrus, fidem habuisse creditur?* (loquor cum eodem Abbate) *Credo, quod hoc nemo audet asserere.* Quomodo ergo magna admodum fides Petri modica potest appellari? De sinapis efficacia vidisti; audi aliam Paschasij solutionem. *Talis, tantaque fides quanquam rectè magna credatur, in comparatione tantarum rerum, quarum est fides, & iuxta magnitudinem earum, vt mihi videtur, modica est fides. Et ideo non incongruè vocatur fides Petri modica in comparatione tantæ Maiestatis Dei, de quo est fides.*

Modica est magna fides Petri, si cum Maiestate Dei, de qua est fides, comparatur. (Math 15. Paschas.)

Aquis mergitur, ergo infideliter dubitauit. 44. Quam falsa illatio! quàm hinc Apostolus commendabilis! Profectò tantus Petrus, vt opus fuerit eum vndis submergi, ne maris, ventorúmque appareret Dominator. Ad hæc præfati Doctoris acumen. *Necesse poscebat ratio iuxta fragilitatem humanam, vt eum terreret ventus, & perturbaret vnda suis collisio-*

Submergitur Petrus, ne Dominator maris haberetur. (Paschas.)

nibus, ne inter Deum, & hominem nihil videretur discrepâsse, & esset ob hoc inter homines non minima dubitatio, si Petrum hic vidissent facere, quod Christus suâ fecit potentiâ. Nec igitur honos debitus Deo redderetur, quia non esset mirum a Deo factum, quod & ab homine videretur effectum. Præcipue cùm Dominus ex eo redderetur Discipulis admirabilis, quòd pelagi comprimeret, aut laxaret habenas. *Quis est iste, (aiunt) cui venti, ac mare obediunt?*

Observatio X.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Petrus dum se in mare iactat, periculis peruenit ad Christum.

Vbi ostendo in Euangelij ministris præstantissimum, non per securitatem, sed per pericula tendere ad Saluatorem.

45. Ioan. 21. ALTERIVS testimonij ex Ioanne obiecti enodationem persequor. *Simon Petrus cum vidisset, quia Dominus est, tunicâ succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare*, Cap. 21. Num temeritatis effectus? Beda. Beda, *Eodem ardore, quo & multa alia fecit, Petrus venit ad Iesum.* Non quidem improuido, ac repentino motu se se misit in pelagus, qui priùs vestimentis modestiæ studiosus, operitur. Theoph. Theophylactus, *Quod verò se præcinxit Petrus, pudoris est signum.*

46. *Periculis profecit Petrus.* Ambrof. Hoc profectò egregium in Petro, quod non, vt alij, captâ securitate, sed vndique irruentibus periculis tetendit ad Christum. Ambrosius de Fide Petr. *Petrus tentationibus suis proficit, periculis suis crescit. Sic namque in mari, dum super vndas viator ingreditur, mutat incessu; sed conualescit affectu. Ambulabat in mari Petrus magis dilectione, quàm pedibus.*

47. *Petri alumni non possunt fugere pelagi pericula, nisi securi.* Gen 17. Felix illius status, qui propriæ solummodò vacans perfectioni effugit vndas, vbi assolent fortes quique periclitari? Petri socius ad proximorum salutem vocatus haud potest illiusmodi quiete potiri. Illum expectant vndæ, pelagus excipiat necesse est. Abræ dictum: *Ambula coram me, & esto perfectus*, Genes. 17. Perfectio hæc non in tabernaculo moranti, sed ambulanti promittitur; at coram Domino ambulanti. Caietan. Caietanus, *Ambula tam tu, quàm semen tuum coram me, & eris perfectus: & nihil tam tibi, quàm semini tuo deerit ad vestram felicitatem.* Felicissimus qui ambulat, si Christi in conspectu gradiatur. Petro pelagus scapha fuit, quia Christum sequebatur. Ambrof. Ambrosius, *In naui Petrus positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare. Non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia: & dum Christum respicit, non respicit elementum. Iactetur licèt fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbatur Petri semita, qua ducit ad Dominum.* Quam sine perturbatione graditur, qui quæscumque tentetur periculis, ad Dominum pergit!

Sunt qui viam maris arripiant: sed pacatam, sed vndis huc illuc recedentibus. Num Petrus minus tutus medijs constitutus in fluctibus? Ambrosius, *Legimus in veteri Testamento filios Israel per mare rubrum siccis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium, ne laberetur vnda, in soliditatem quandam eam fuisse mutatam. Quanto hoc melius, vbi, ambulante Petro, nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit? Melius, inquam, est, vbi eadem vnda, quæ fluctuat, & sustentat.* Vos testor Apostolicos viros, Petri alumnos, quos conseruant discrimina, quibus vnda quies, pelagus portus. 48. *Vnda fluctuans Petrū, ac suos alūnos sustentat.* Ambrof.

An non plus ministri vocitari debent ad pelagus immissi, ad pericula, ad estuantes peccatores, quàm qui captatâ fruuntur securitate? Paulus ait: *Israelitæ sunt?* genus electum. *Et ego. Israelitæ sunt* ab Ægypto discedentes? *Et ego. Semen Abrahæ sunt*, perfectionis studiosi, coram Deo ambulantes? *Et ego. Ministri Christi sunt? Et ego, (vt minus sapiens dico) plus ego*, 2. Corinth. 11. Vbi acutè Caietanus, *Sum plus ego minister Christi, quàm ipsi.* Videnam se plus ministrum Christi esse probat? quòd ipse est plus minister Christi à perpessis propter Christum periculis. Ideo adiicit Apostolus, *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari*, Ibidem. *Periculis*, dixit, *in mari*, vt cunctorum periculorum summam obijciat. Plus minister Petrus eiusque asseclæ, qui per pericula festinant ad Dominum. Ambrosius, *Igitur fratres, Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad Dominum, ostendens nobis, quod non nisi per pericula properatur ad Christum.* Securitatem captans ad Christum molliori tendis gressu: per pericula properas, quæ inis necessariò, qui ad proximorum salutem aduocaris; at nunquam tam securus, quàm cum ex præscripto instituti in conspectu Domini te periculis tradis. 49. *Plus ministri sunt, qui per pericula iactantur.* 2. Cor. 11. Caietan. Ambrof.

* * *

OBSER

Observatio IX.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

An Petrus ex modo negationis commendabilis appareat?

Vbi ostendo vix posse vitari delictum, ex prauorum societate: instiq; animi esse proximorum inaurare delicta.

50. PETRO denique opponitur, ter Dominum abnegâsse. Quid minus aptum ad Ecclesiæ fundaminis stabilitatem, quàm toties miserè corruisse? At sicut Petri *tenebra, ita & lumen eius*, quem ipse quodammodo negationis modus commendat, lapsus extollit, stabilit infirmitas. Ambrosius lib. 10. in Luc. c. 22. *Error Petri doctrina iustorum est: & titubatio Petri omnium Petra est.* Quid senserim circa Petri abnegationem, abiurationémque tom. 1. expressi. In præsenti tamen quid de communi Ecclesiæ parente Ambrosius & Paschasius senserint, exponere decreui, vt omnibus constet, quanta illum pietate etiam vbi culpabilis est, reuereantur.

Ambros.

51. Audi Matthæum, *Petrus autem sedebat foris in atrio.* Foris sedebat? Quid magis alienum à petra, quàm timor? Imò eo laudabilis, quia timore affectus apud hostes sedet. Paschasius lib. 10. ad cap. 26. Matth. *In hoc mira Petri perseuerantia cum Domino, qui quamuis timeret, tamen non reliquit. Venit enim timor à natura, sed cura de affectu pietatis. Alienum est, quod timet; suum, quod non fugit.*

Petrus timidè nō recedebat ab hostibus. Paschas.

52. Accessit ancilla, dicens: *Et tu cum Iesu Galilæo eras.* Mulier accedit tentatura? Quid Petrus non negaret? Ad Protoplastum mulier accessit, quæ viri fregit constantiam. An maiori Petrus infirmitate, quàm Adam laborauit? Respondet Ambrosius, *Quomodo non erraret, quem intromisit ostiaria, & interrogauit ostiaria? Malè Eua induxit Adam, malè Petrum induxit fœmina. Sed ille in paradiso labitur, vbi non veniabilis culpa: hic in prætorio Iudæorum, vbi difficilis innocentia. Illi interdictus lapsus, huic prædictus error. Ille commissus huic praiudicauit, hic illum resoluit.*

Fecit eū corruere mulier, quæ Adamū deturbauit. Ambros.

53. *Petrus sedebat foris in atrio.* In atrio-ne *domus Domini?* Minimè, sed in atrio Principis Sacerdotum. Quid mirum, si abneget, si abduret inter deprauatos homines constitutus! Rem illustrat Paschasius; *Considerandum est, vbi negat Petrus. Non in monte, quo fuit cum Domino: non in templo; non in domo suâ: sed in Prætorio Iudæorum, vel in domo Principis Sacerdotum. Ibi negat, vbi veritas non est, vbi Christus ligatus est. Idcirco magis veniabilis culpa Petri est, quàm Adæ fuerit in Paradiso.* Quid inter corruptorum morum homines disceret, nisi negationem?

Excidit in atrio Iudæorum, vbi non erat iustitia, nec veritas. Paschas.

In mari stetit Petrus piscium exempla secutus, qui nouerunt seruare Prophetam: in terra corruit prauorum quidem sociorum impulsu. Ambrosius lib. 5. Exam. cap. 11. *In mari pietatis exemplum; quoniam exceperunt pisces, quem homines refutârunt. Petrus in mari titubabat, sed non labebatur: & confessus in fluctibus, negabat in terris.* Confessus in fluctibus inter pisces admodum pios Ionam seruantes: negabat in terris inter ministros persecutores Christi constitutus. Prauo hîc rapiebatur exemplo, vti ibi pietatis exemplo alliciebatur. Non facilè exempli praui vincula comminuuntur. 54.

In mari stetit piscium exempla secutus, in terra excidit in praua societate. Ambros.

Marcus addit, *Et sedebat cum ministris ad ignem*, Cap. 14. *Frigus erat*, (ait Ambrosius) *vbi Iesus non agnoscebatur: vbi non erat, qui lucem videret: vbi negabatur ignis consumens. Mala flamma Iudaica.* Ac si diceret; à flammâ improbâ sociorum, potiùs quàm à Petro hæc cæcitas, hæc prodiit caligo. Vitulus olim, ex flammâ auróque idololatrarum, in conspectu Aaronis Sacerdotis magni excitatur. Qui quidem quando à Moyse corripitur, huiusmodi obiicit excusationem: *Ne indignetur Dominus meus. Dixerunt mihi: Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Quibus ego dixi: Quis vestrûm habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus*, Exod. 22. Pende illud: *Egressus est hic vitulus.* Ego minister, fateor conflationis; at illi & aurum, & ignem porrexerunt. Non negabo Petrum negationis ministrum, sed ex igne Iudaico: *Mala flamma Iudaica*, ex quâ vitulus talis conflatus exoritur. 55.

Ex igne Iudæorum potius quàm ex Petro negatio conflata prodyt. Marc. 14. Ambros. Exod. 22.

Confirmat pulchrè Ambrosius profatus: *Tu Iudæorum elementa condemnas? Non condemno elementa, quia non sunt Iudæorum elementa, sed Christi. Sed alia est, quam condemno, flamma perfidia. Hanc flammam condemno Iudæorum. Foco & auro Iudæorum caput vituli figuratum est. Malus focus, qui quandam Sanctorum mentibus fuliginem erroris aspergit, iuxta quem etiam Petri interiores oculi caligârunt.* Petrus itaque solum quodammodo minister negationis, quàm ignis Iudaicus (in malæ societatis exemplum) parturiuit.) 56.

Petrus minister solummodò negationis. Ambros.

Iam ad negationes ipsas propiùs accedam præmittens Ambrosium. *Videamus negandi tenorem, quem inter Euangelistas video esse diuersum.* Quid Matthæus? *Accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras? At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis.* Iterum, *Non noui hominem.* Rursus, *Cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem*, Cap. 26. Marcus autem, *Nescio, nec noui quid dicas: Iterum negauit.* Denique, *Cœpit anathematizare, & iurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis*, Cap. 14. Porrò Lucas, *Mulier non noui illum. Et post pusillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es.* Petrus ait: *O homo non sum.* Rursus, *O homo, nescio, quid dicis*, Cap. 22. Denique Ioannes, *Numquid & tu* (inquit ancilla) *ex Discipulis es hominis istius? Dixit ille: Non sum.* Iterum eadem, atque iterum verba vsurpauit, 57.

Quodammodo Euangelista nō potuerunt comprehendere Petrum potuisse peccare. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Cap. 18. Quare igitur tam diuersimodè Euangelistæ negationis historiam expresserint? Pulchrè respondet Ambrosius, *Negandi tenorem inter Euangelistas video esse diuersum. Ita nouum fuit Petrum potuisse peccare, vt peccatum eius nec ab Euangelistis potuerit comprehendi.* Ambros.

58\. *Negauit Iesum Nazaræum, aut Galilæû, non cælestem Dei Filium.* Ambros.

Expendo singulas negationes prout diuersimodè ab Euangelistis adnotantur. Primò ex Matthæo, & Marco: *Nescio, quid dicis.* Nescio Christum Nazaræum aut Galilæum, quem Dei Filium agnosco. Ambrosius, *Quid negauerit considera. Ex illis vtique se esse, qui cum Iesu Galilæo erant, vel cum Iesu Nazaræo. Numquid negauit eum Dei fuisse se Filio? Hoc est dicere: Nescio Galilæum, nescio Nazaræum, quem Dei Filium noui.* Iesus Saluator vt sic, cælesti ex Patria, non ex Nazareth, non ex Galilæa exortus agnoscitur. *Habeant* (adiicit) *homines locorum vocabula, Dei Filium patria non potest nuncupare, cuius Maiestatem locus nullus includit.*

59\. *Negauit se Deum esse.* Exod. 3. Ambros.

Non sum, ait, ex illis, qui erant cum Iesu. Illud verbum *sum, est*, ad æternitatem, ad Deitatem quadam ambiguitate tendit. *Non sum* cum Iesu, Iesus solus *est*, quia Deus est, fante Mose: *Qui est misit me ad vos.* Exod. 3. Acutè Ambrosius, *Interrogatus Petrus: Et tu ex illis es, qui cum Iesu erant, verbum æternitatis refugit; non enim erant, qui esse cœperunt. Hoc est dicere: Ille solus erat, qui in principio erat. Denique ait: Non sum ego. Illius est enim esse, qui semper est. Vnde Moyses ait: Qui est misit me ad vos.* Vrgetur Petrus *ex illis esse* secundùm Marcum, quod quidem negauit. Quid abnegauit, Iesum, an socios Iesu? *Negauit* (ait Ambrosius) *ex illis se esse, non Christum negauit. Negauerat hominum consortia, non Dei gratiam.*

Negauit socios, non Iesum. Ambros.

60\. *Nescire se hominem purum asserit, non Christum.* Ambros.

Cæterùm ex Matthæo, *Nescio*, ait, *hominem.* Id quod cum iuramento affirmauit. Quàm verè hominem purum negat, quem Deum simul verum profitebatur? Ambrosius, *Bene negauit hominem, quem sciebat Deum, Denique vbi iusiurandum est, cauta responsio est. Nam etsi negauit Petrus, non tamen peierauit: quia nec Dominus peieraturum esse memorauerat.*

61\. *Se hominis negauit Discipulum, non Christi.* Galat. 1.

Ioannes affirmat interrogatum ab Ancilla Petrum, vtrum ex *illius hominis* Discipulis esset, respondisse: *Non sum.* Verè quidem Nec enim Discipulus erat puri hominis; sed Christi hominis & Dei. Paulum exaudite. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem: sed per Iesum Christum, & Deum Patrem* Gal. 1. τò *Non per hominem, sed per Iesum Christum* preme. Si Christus homo est, & electus à Christo, quomodo *non per hominem?* Quia vocabulum *homo* pro homine puro supponit, Christus autem homo purus non est, sed Deus & homo. Ambrosius, *Non erat Petrus hominis Apostolus, qui erat Christi. Denique Paulus hominis Apostolum se esse negauit. Itaque non Christi Discipulum se negauit, sed hominis negauit esse Discipulum.* At Malchus affirmauit visum à se Petrum *cum homine illo.* Petrus autem: *Non fui.* Quod exponit Ambrosius, *Cum illo, quem hominem, nuncupatis, non fui; sed à Dei Filio non recessi.* Ambros.

Denique Lucas, *Non noui illum. Non sum, Nescio, quid dicas.* Quæ quidem ad bonum sensum Mediolanensis transfert Antistes adiiciens, *Bene dixit Non noui illum. Temerarium quippe erat, vt diceret, quia nouerat eum, quem mens humana non potest comprehendere. Nemo enim nouit Filium, nisi Pater.* Rursum ait, *Non sum ego. Maluit videlicet se negare, quam Christum. Aut quia videbatur negare Christi societatem, vtique se negauit. Certè cùm de homine negat, in Filium peccauit hominis, non in Spiritum sanctum.* Tertiò interrogatus ait: *Nescio, quid dicas. Hoc est, sacrilegia vestra nescio.* 62.

Trina ex Luca abnegatio excusatur. Ambros.

Sed quàm inaniter excuso, quem Dominus acriter reprehendit, *Ter me es negaturus.* Certè non solùm quia iniquè abnegauit, feriendus reprehensione erat, sed quia sermonis vsus inuolucris. Euangelij enim ministrorum Pater futurus nudè debuerat veritatem profiteri. Perficiat Ambrosius argumentum. *Nos excusamus, Dominus ipse non excusauit. Non enim satis est inuoluta responsio confitentis Iesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba inuoluere, si videri vis negasse?* Ex præfatis obserua vix casum vitari posse in sociorum aspectu prauorum: animoque iusto adnatum esse, errantium commissa inaurare, flagitia minuere. Sic errorem Petri à Sanctis inauratum vides. 63.

Reprehenditur, quod vsus esset inuoluto sermone.

Observatio X.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Quàm abundè Petrus, seu negationis, seu simulationis, aut sermonis inuoluti delictum lacrymis abluit!

Vbi adnoto pœnitentiæ lacrymas in silentio efficacissimas.

DO corde non abnegasse, minimè peierauisse, non cecidisse à fide. Porrò inuoluto sermone vsum, dum apertè debuisset profiteri, Petrum ineptum ostendit fortè ad Ecclesiæ fundamen, ad fidei firmissimæ exædificationem. Enim verò quàm à delicto immunis post casum qui tam amarè fleuit, qui Dominici gregis suscepit curam! Iam aptus fundamini. 64.

Si petra illa ex negatione infirmata est, ex lacrymis fuit ad soliditatem pristinam restituta. *Egressus foras fleuit amarè*, Matth. 26. Chrysologus serm. 107. *Nec quisquam in Apostolo imbrem irrigui luctus accuset. Ipse est custos fidei, petra Ecclesiæ.* Vide an redditus Petrus ad fidei custodiam, ad fundamen Ecclesiæ ineptus, si tam fortis ex lacrymis, vt ipsæ custodes fidei, & Ecclesiæ fundamina vocitentur. 65.

Lacrymæ Petrum fundaminis solidæ petram efficiunt. Matth. 26. Chrysol.

Eleuisse

66 Fleuisse legi, *Fleuit amare.* An aliquid in delicti excusationem fecit profatus? Nihil locutus est, quia delictum excusare non intendit. Malè locutus Adam, *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3. Annon Petrus verè: Ostiaria me corrupit Ancilla? O quàm ex humili silentio Petri pœnitudo commendabilis! Ad hæc Ambrosius de Pœn. Pet. serm. 46. *Diabolus in paradiso Adam per Euam superat, hic Petrum vincit per ostiariam. Est eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit; quoniam eadem est similitudo mandati. Accepit à Domino vterque mandatum, Adam ne tangeret, Apostolus ne negaret. Transgrediens vterque præceptum, pari modo delinquunt. Gustat ille, quod non licet: loquitur iste, quod non decet. Ergo Petrus prorupit ad lacrymas, nihil voce precatus. Inuenio quod fleuerit, non inuenio quod dixerit. Lacrymas eius lego, satisfactionem seu* excusationem *non lego. Rectè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari.*

[... excusat elus Adam. Gen. 3. Ambros.]

67. Loquendo deliquerat? Quàm appositè tacuit, a sermone abstinens, qui fuerat negationis instrumentum: *Petrus* (loquor cum Ambrosio) *iam non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat; ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum. Ac per hoc maluit causam suam flere, quàm dicere. & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.* An non Magdalena capillos libidinis instrumenta effecit materiam pœnitudinis? *Capillis tergebat.* Luc. 7. Cur ergo Petrus voce non vtitur ad confessionem, qua fuerat vsus ad negandum? Quia capilli lacrymis tincti omnem exuunt suspicionem? at vox Petri non poterat lacrymis ablui, vnde omnino expiata, solum iusta verba proferret. Ideo tacet. O vis lacrymarum!

[*Pœnitet tacendo, qui loquendo deliquerat.* Ambros. — Luc. 7.]

68. Addo tacuisse, ne minùs verecunda pœnitentia obiiceretur. Quod expressit idem Ambrosius fatus. *Inuenio, cur tacuerit Petrus: ne tam cito veniæ postulatio per impudentiam plus offenderet, quàm impetraret. solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundus deprecatur. In omni ergo culpa ante flendum est, sic precandum.* Quonam modo, ô qui quotidie Altari hærescens mox post delictum sine fletu confiteri festinas, veraciter aperient delicta labia illa, quæ instanti proximo, osculo meretricio detur pabantur? *In omni ergo, culpa antè flendum est, sic precandum*, sic confessio instituenda.

[*Tacuit, vt pœnitentiam præ se ferret verecundam.* Ambros.]

69. Age, vim lacrymarum in Petrâ fluentium ponderemus. Occidit nisi Apostoli genas lacrymarum profluxu legimus. Hinc collige, quàm fuit à negationis crimine ablutus. Ad primæ lacrymæ fluxum, mundus omnino, instar Regis illius, cui Dominus, *Vidi lacrymam tuam.* si ex prima abluitur lacryma, quid per totius longioris vitæ cursum diluuium præstaret lacrymarum? Vt Ambrosius ostendat lib. de Dau. cap. 7. Regij vatis delicta vberrimè fuisse dimissa, ad memoriam adfert continuum lacrymarum profluuium. *Fuerunt mihi Lacrymæ meæ panes die ac nocte*, Psalm. 101. *Lauabo per singulas noctes lectum meum*, Psalm. 41. Recurrénsque ad Petrum semel plorantem mox post negationem, inquit: *Si, quia Petrus semel fleuit, veniam reportauit. Quantò magis David, qui lauabat per singulas noctes lectum suum, cui erant lacrymæ panes die, ac nocte?* Iam sic arguo: Si quia Petrus semel fleuit, veniam reportauit, si ex primo lacrymarum fluxu delictum negationis abstersit: quid efficeret tam diuturna lacrymarum profluxio, obdurescente, obcallescente gena?

[Psalm. 101. & 41.]

Porrò ardentes lacrymæ ex amoris affectu ad obruenda crimina valentiores. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Petr. 4. Charitas Dauid culpam operuit, operuit & Petri, trino amoris affectu trinæ respondente negationi. Ambrosius, *Sic Dauid dilexit Dominum, vt nimiâ charitate peccatum omne tegeret, atque absconderet. Etenim sic Apostolus Petrus lapsum suum confessione charitatis aboleuit: & ille interrogatus à Domino dicente ei tertiò: Simon Ioannis amas me? vt quem tertiò negauerat, tertio fateretur; atque ita trino quodam dilectionis velamine lapsum trinæ negationis absconderet.* Ex huiusmodi charitatis affectu ardentissimæ lacrymæ profluebant. 70.

[*Lacrymæ Petri ex charitate operientes delicta.* 1 Petr. 4. Ambros.]

Observatio XI.

Ad illa verba:

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Plura è Petri casu & pœnitudine, Ecclesiæ obuenere emolumenta.

Adnoto è perfectionis vertice viros periculosius ruere. Præsulemq; memorem sui casus ouibus misereri.

NEc minus commendabilis Petri infirmitas & solidatio ex fructu, quem percepit Ecclesia. Præmitto Ambrosium serm. 47. de pœnit. Petr. *Ecce nihil Apostolus nobis nocuit, quòd negauit: & plurimum profuit, quod emendauit.* 71.

Difficilis planè medicina iis, qui è præcelso perfectionis statu ruunt in crimina. De quibus Propheta, *Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Hi tenaciter vitiis implicantur: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt* (tenaciter) *stercora*, Thren. 4. Huiusmodi delinquentibus Petrus ex Apostolico vertice excidens spem veniæ præmittit. Bernardus serm. in Petr. *Apud Petrum aliud habeo, quod apponam, eo charius, quo rarius. Peccauit Paulus, sed ignorans fecit: Petrus cùm cecidit, apertos habebat oculos. Eorum, qui peccant, antequàm Deum nôrint, antequàm iugum suaue portarint, vt onus leue, copiosa redemptio. At eorum, qui post conuersionem suam peccatis implicantur, perpaucos inuenias qui post hac redeant in gradum pristinum, sed magis in sordibus positi sordescant adhuc. Super quod Propheta deplorat: Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Nec tamen si quis huiusmodi,* (siue vti Petrus) *est, desperamus de eo.* 72.

[*E perfectionis vertice periculosissimè ruentes, Petri exemplo pœnitentiæ sperant medicamen.* Thren. 4. Bernard.]

73 *Mox huiusmodi surgant cum Petro illicò pœnitendo.* Psalm 136. Bernard.

Ac mox post lapsum, Petrum sequamur egressum, vt pœnitentiæ operam daret. *Beatus, qui allidet paruulos ad petram.* Psalm. 136. *Qui allidet ad* Petrum, seu ad eius exemplum mox surget a crimine. *Quis so enim diutius* (loquor cum Claræuallensi Abbate) *permanebit, tanto eaedes difficilius. Beatus verò qui tenebit, & allidet paruulos Babylonis ad Petram. Etenim si creuerint, vix poterunt superari, Petrus post tam grauem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis. Quis de cætero desperet, si tantum egredi voluerit a peccatis. Attende, quod scriptum est. Egressus foras, fleuit.*

74. *Ex lapsu didicit, subditis misereri.* Ambros. Ioan. 21.

Adiicio ex lapsu Petrum didicisse vtiliter admodum subditis corruentibus misereri. Vnde acute Ambrosius citat, adnotauit trinum dilectionis examen allusionem innuere ad negationem trinam, tuncque tertiò à Domino Petro commissam ouium curam *Pasce agnos meos, Pasce agnos meos, Pasce oues.* Ioan. 21. Vt scilicet ex memoria negationis disceret ouium erronearum misereri. Et addit, *Qui præuaricator extitit, Pastor assumptus est* & *alios regendos accepit, qui prius se ipsum non rexit.*

75. *Petrus vnus leuatur à Domino, quasi in Petro omnes leuentur, quia memor lapsus, omnium miserebitur.* Paschas.

Mediis in fluctibus titubat Petrus, & leuatur a Domino. Vbi (authore Paschasio lib. 7. in Matth.) Petri peccatum, & pœnitudo figurata est. Iesus igitur è fluctibus Petrum excipit Ecclesiæ Pastorem. Addit Abbas, *Cum esset Christus singularis redemptio vniuersorum, primum, & vnum Petrum redemit* (ex aquis leuando) *sicque demum Petrus ipse Dei auxilio leuatus, probatione, ac multiplicatione virtutis instructus est, vt alios antebret.* Si Christus singularis redemptio vniuersorum, quonammodo vnum quodammodo Petrum ex vndis eleuat? Quia Petrus e periculo ereptus, ex vndis exceptus, memor periculi Christi agens Vicarium omnes vndis commissas curabit eleuare, ac redemptionis fructu frui.

Profectò illud ipsum Petrum infirmitate laborasse, fuit reddi solidissimum Ecclesiæ firmamentum, ouium quidem protegens incolumitatem. Vidisti petras scindi passionis instātiā? *Petræ scissæ sunt.* Matth. 27. simul Petrus, Petra inquam scinditur. Inutilis ergo lapis pronunciatur. Profectò illum scindi, elaborari fuit, vt fundamini adaptaretur, adeò, vt fragilitatis memor firmamentum ouium fieret, Ecclesiæ vtique fundamen. Maximus homil. 4. *Petrus tentationibus suis profecit,* (en scissio lapidem cælans) *Tanquam bonus enim Pastor Petrus gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.* 76 *Illud [illegible] frangi Petram, quasi aptari fuit ædificio, Pastore benignissimus Pastorum nemine donato.* Matth. 26 Maxim.

Denique Apostolus nos ad pœnitentię vberrimos fructus procurandos excitat. Post grauissima flagitia vix sufficiens dolor cum proposito oritur sufficienti. Clemens Alex. lib. 4. Strom. asserit pœnitentis dolorem Martyrij morem gerere oportere. Hinc ineffabilis pretiosus Petri post ruinam dolor exuberat. Drogo de Sacra Passion. *Attendite* (inquit Dominus) *& vide, si est dolor similis sicut dolor meus. Vide,* (pergit ad Petrum) *quis grauiora pertulit opprobria, Christus foris in corpore, an Petrus in corde?* Quantus Petri pœnitentis dolor, si ab audaci piè Drogone cum Christi tormentis comparatur? Ideo Apostolus *lacrymarum amaritudine* (vt ait Damianus serm. 56.) *dulcedinem antiqua dignitatis instaurat.* 77. *Nos Petrus ad dolorem excitat redundantiam.* Clem. Alex. Drogo. Damian.

PARS TERTIA.

PAVLVS PARTICVLATIM.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad Caput Decimum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA literam.

IN PAVLVM APOSTOLVM.

PROLVSIO.

VÆNAM *oratio sufficiet* (exordior cum Theodoro Daphnopata) *Pauli factis enarrandis? Aut quænam lingua poterit consequi huius encomia? Siue enim Prophetæ præclarum aliquid effecerunt, siue Patriarchæ, siue Apostoli, siue Martyres, hæc omnia Paulus adeò summè habet comprehensa, vt nullus magis illorum possederit id, quod habeat bonum.* Exorientem-ne Panegyridem è nido deturbabo, quippe quæ degeneri visu haud magni luminaris ausa est sphæram intueri? Absit. *Sæpe enim*

(verbis

(verbis vtor Chrysostomi) *fulgido cæli globo delectatus oculus ad spectaculum, oppositi e regione luminis sese violenter intendit: & licet sentiat aciem suam imparem radiorum esse certamini, desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inaccessibili Orbis radiantis reluctatur corusco.* Tale igitur quippiam ego ipse perpetior, qui cùm videam propriæ mentis oculos ex radiis Apostolici splendoris hebetari; cupio tamen Pauli animam miro fulgore virtutum rutilantem, velut eminùs intueri; *& contra importabiles Solis micatus contentiosa subire certamina.* Hactenus hic orat. 8. in Paul. ille Encom. ipsius Apostoli.

MATTH. CAP. X.

VERS. 16 ECce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ.

17. Cauete autem ab hominibus: Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos.

18. Et ad Præsides & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis & Gentibus.

19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.

20. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

PARAPHRASIS.

16. *MITTIMINI, fateor, velut oues inermes, simplices, innoxij in medium luporum, sed à me mittimini. Non est magnum vlcisci in malos, sed illorum animos in bonum vertere difficillimum. Proinde duo quadam copuletis oportet: Serpentis prudentiam cum simplicitate Columbæ. Det Columba simplicitatem, vt neminem prouocati lædatis; det Serpens prudentiam, ne quam ansam eis præbeatis doctrinam calumniandi.*

17. *Cum huiusmodi hominibus, imò lupis veraciùs, cautiùs vobis agendum, & animus aduersùs omne malorum genus præparandus. Tradendi enim tanquam malefici concilijs eorum, & in conciliabulis eorum tanquam flagitiosi flagris cædendi estis.*

18. *Quin etiam vt Reipublicæ subuersores producemini ad Præsides & Reges, non ob vestra demerita, sed meâ tantùm causâ. Fieri hæc omnia patiar (cùm prohibere liceat) vt omnibus perspicuum sit, illos suopte vitio perire, qui post tot miracula, beneficia, doctrinam, vestrámque mansuetudinem, tàm odiosè salutem reiecerint.*

19. *Cùm igitur ad tàm multos pauci, ad tàm potentes infirmi & inermes, ad tàm eruditos, idiotæ aliquando producemini, ne sollicitudine afflictamini, quomodo causam vestram sitis acturi. Etiam nihil præmeditatis dabitur in tempore oratio non ornata; sed prudens, sed efficax, sed digna Euangelio.*

20. *Non enim humanum negotium geritis, sed diuinum, cuius vos non authores, sed organa. Nec planè vos illic loquemini, sed per ora vestra Patris vestri Spiritus eloquetur. Huius igitur præsidio freti non vllis malorum procellis commoueamini.*

21. Trader autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.

21. Tantis tumultibus Mundus adversus meam doctrinam insurget, vt frater germanæ charitatis oblitus, fratrem sit adducturus in mortem, vt pater immemor naturalis pietatis, filium capitis accersat, vt filius omni abiectâ reuerentiâ aduersus parentem vtrumque irascatur, eosque morte afficiat, à quibus vitæ sumpserat initium.

22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum; qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

22. Omnibus denique inuisi reddemini propter odium nominis mei, Mundo corruptissimo doctrina mea non ferente puritatem. At qui inter hæc mala perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Neque enim oportet vllis fractos terroribus Euangelij negotium relinquere.

SECTIO SEPTIMA

Ouis, Serpens, Columba.

TEXTVS.

VERS. 16. ECCE ego mitto vos sicut Oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Ouium similitudine.

1. *Hæc prima in missione dicta.* ECCE *ego mitto vos sicut Oues.* Omnia hæc & Apostolis & Discipulis septuaginta primâ in missione dicta fuisse assero. Quia licèt ad primam hanc missionem cuncta hic adnotata necessaria non essent, tamen omnia expressa à Domino, quòd Apostoli ac Discipuli non ad eam solùm, sed ad omnes futuras instruerentur, vt Maldonatus adnotauit. Maldon.

2. *Confortantur, quia à Domino mittuntur.* Euthym. & alij. Paschas. *Ecce ego.*] Vim verbis, & Discipulis animum addit, Euthymio, Chrysostomo, & Theophylacto authoribus. Audi Dominum ex ore Paschasij, lib. 6. in Matt. *Licet vos pauci & exigui, viles, & indocti sitis, ecce ego sum qui mitto vos, sicut oues in medio luporum: quod si terret luporum immanis & innumerabilis sententia, confortamini, quia ego mitto vos.*

3. *Quænam oues, quænam lupi?* Hieron. Carthus. *Sicut Oues.*] Oues quidem innocentes, [illegible] Dei, inermes Apostoli, Discipuli, operarij Euangelici. *In medio luporum.*] Lupi autem *Scribæ & Pharisæi*, authore Hieronymo. Nimis stricta Patris sententia. Lupos etiam interpretor omnes Euangelij repugnatores. Carthusianus Dionysius: *Ecce ego mitto vos sicut Oues in medio luporum ad prædicandum, id est, sicut mittuntur homines pij, innocentes, ac simplices, qui ouibus comparantur, inter rapaces, voraces, crudeliésque homines, qui more luporum opprimunt innocentes*, iuxta illud Isaiæ: *Quare* Isai. 3. *atteritis populum meum, & faciem pauperum commolitis?* cap. 3. Sicut oues aptè mitti dicuntur, qui inermes pergunt ad tyrannos. Caietanus: *Mitto vos non sicut leones, sed inermes omnino, tàm ad offendendum, quàm ad defendendum, sicut oues in medio luporum.* Caiet.

4. *Ad quid in medium luporum oues immissas.* Nùm ad lupos in agnos conuertendos? Quis dubitet? Sed præcipuè, eodem Cardinale adnotante, ad recuperandas oues perditas, non hinc solùm aut inde, sed existentes in medio luporum inimicorum vestrorum. Illud autem: *In medio luporum*, phrasi Hebræa idem sonat, ac *In medio luporum*, siue *Inter lupos.*

§. II.

De Serpente, & Columbâ.

5. *Ad quidnam prudentia & simplicitas?* ESTOTE *ergo prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ.* Vt caueatis luporum insidias, & fugiatis cùm fuerit opus, prudentiam Serpentum imitari studete. Ne autem illis vllam vobis nocendi occasionem præbeatis, vel, vt vlciscamini iniurias, insurgere conemini, innocentiam ac synceritatem columbarum induite. Sic Chrysostomus, & Author Imperf. Egregius loci Commentator Paulus noster: *Estote prudentes in bono, & simplices in malo.* Rom. 16. Id quod premens Paschasius, ait: *Præmisit prudentiam, vt tuta possit esse simplicitas: & sequitur simplicitas, ne stulta videatur in nobis prudentia apud Deum.* Plura Patres, tàm circa literalem quàm mysticum huius Chrys. Imperf. Rom. 16. Paschas.

huius loci ſenſum. Inferiùs plura.

6. Do in præſenti pulchrum Caietani teſtimonium. *Tres* (inquit) *ſunt hominis partes, corpus, affectus, & intellectus. Quantùm ad corpus, mittit paſſuros ſicut oues; quantum ad intellectum, præcipit prudentes eſſe ſicut Serpentes; quantum ad affectum, præcipit ſimplices eſſe ſicut Columbas. Vt præparent ſe ad tria; ſcilicet patientiam, prudentiam, & ſimplicitatem: patientiam quidem ouilem, hoc eſt, omninò inermem: prudentiam ſerpentinam, hoc eſt; ad ſeruandum caput, ad ſeruandum id quod præcipuum eſt, fidem, ſpem, charitatémque Chriſti; ſimplicitatem columbinam, hoc eſt, ſine admiſtione fellis amaritudinis definiunt.* Alias expoſitiones Panegyrici in Paulum & Barnabam inferiùs indicabunt.

Sententia expenditur, & roboratur. Caiet.

7. *Eſtote prudentes ſicut Serpentes.*] Hieron. *Ad cauendas inſidias; ſerpens enim toto corpore occultat caput, ne feriatur. Et nos toto corporis periculo, Chriſtum, qui caput noſtrum eſt, cuſtodiamus.* Auguſtinus lib. de ſalut. docum. cap. 28. *Serpens* hibiturus aquam euomit priùs omne venenum. Eſto ergo tu hic ſerpens, & odium omne *proijce abs te. Et ſimplices ſicut columbæ.*] Hieronymus: *Habentes Spiritum ſanctum, qui ſpeciem columbæ habuit.* Auguſtinus autem: *Columba nullum prorſus animal occidunt.* Author innominatus hom. 24. *Cum infidelibus eſtote ſerpentes, cum fidelibus columbæ: ſerpentes ad malum intelligendum, columbæ ne malum faciatis.* Simon de Caſſ. lib. 3. cap. 20. *Non imitemini ſerpentis tortuoſitatem, bifidam linguam, variam pellem, greſſum ſuper terram; ſed ſolam prudentiam.* Hugo Cardin. *Sicut ſerpentes, quia ſerpens erat callidior cunctis animantibus. Et ſicut columba, quia oculi eius ſicut columbarum ſuper riuulos aquarum,* &c.

Varia Patrū immuntur expoſitiones. Hieron. Auguſt. Anon. Caſſ. Hugo.

In Paulum

PANEGYRICVS MORALIS SEPTIMVS circa literam.

Ex Oue, Serpente, & Columbâ.

Observatio I.

Ad illa verba:

Ecce ego mitto vos.

Pauli infantia ſpiritualis diuinâ eſt excitata potentiâ, ob mirabilem viri mutationem.

Adnoto hominem repentè ex peruerſo fieri ſanctum, opus eſſe diuinæ omnipotentia.

8. CHRYSOSTOMVS: *Suam virtutem oſtendit, dicens: Ecce ego.* Et quidem particula, *Ecce*, index cuiuſcumque à diuinâ potentiâ miraculi excitati. O quàm elucet Dei omnipotentia in Paulo nouæ Religionis infante! *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Quia è lupo repentè ouis, de perſecutore illicò prædicator.

Nemo repentè ſummus.

9. Iſaias celebrat: *Babylon dilecta mea poſita eſt, ait Dominus, mihi in miraculum.* Cap. 5. Babylon, quæ calicem iniquitatis propinabat, vas effecta electionis? Non autem temporis longo interſtitio, ſed præcedenti inſtanti: *Babylon*, proximo ſuccedenti, *dilecta mea*, miraculum prorſus à Numinis omnipotentiâ excitatum. Auguſtinus ſerm. 21. de ſanct. *Venit Ananias, baptizauit Saulum, & fecit Paulum, baptizauit lupum, & fecit agnum, & cœpimus habere prædicatorem, quem habuimus perſecutorem. Dum intrat lupus rapax in ſtabula pecudis, ſubitò & ipſe factus eſt ouis. Dum intrat lupus?* Illud ipſum intrare lupum eſt in ouem mutari. O *mutatio dexteræ Excelſi!*

Babylonem Saulum fieri repentè vas electionis in miraculum prorſus poſitum eſt. Iſai. 5. Auguſt.

10. Magnum profectò potentiæ Domini documentum fuit, ex piſcium captoribus hominum piſcatores effeciſſe: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò ſecuti ſunt eum.* Matt. 4. Non dixit: Facio vos, ſed *Faciam fieri piſcatores*. Quia licèt *continuò* ſecuti ſunt Dominum, non continuò hominum piſcatores ſunt effecti. At Paulus dumtaxat lupus, ſubitò & ipſe factus eſt ouis, & prædicator, dùm piſcis piſcator oſtenditur. Theodorus Daphnop. in Encom. Paul. *Quomodo quidam piſcator ſedens ſuper altam petram, & ex alto tenens arundinem hamum mittit in mare; ita etiam Dominus, qui piſcatum oſtendit ſpiritualem, ſedens tanquam in altâ petrâ cælorum, tanquam hamum vocem ſuam emittens deſuper: Quid me perſequeris? ſic capit hunc magnum piſcem*, mox vtique piſcatorem, quia *Vas electionis eſt mihi iſte*, non erit, ſed eſt. *Cupio videre Saulum captum introduci Damaſcum.* Vt ſcilicet Domini piſcantis in morem, voce, veluti hamo, capiat ad Chriſtum, quos piſcis magnus, vndis concitatis, aduerſus eundem concitârat.

Repentè fit Paulus ex piſce piſcator hominum. Matt. 4. Theodor.

11. Illud expende: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum. Eſt* quidem vas electionis, non *futurus*: eſt illicò Paulus lumine Dominici nominis coruſcans. Cæcatur ille, ſed cæcitas ipſa lucem attulit, authore Ambroſ. lib. de Ioſeph. cap. 8. *Quando miſit Iacob filios ſuos in Ægyptum ad emenda frumenta, reliquit domi Benjamin, ne infirmaretur in viâ. Hic typus fuit Pauli, qui erat ipſius Tribus, de cuius infirmitate meritò dubitauit Iacob, quia infirmatus eſt, vt ſanaretur. Cæcitatem paſſus eſt, ſed illa cæcitas lucem attulit.* Quonam modo cæcitas ipſa radios emittit? Certè quia tàm propero curſu ab ægritudine in valetudinem, à cæcitate in illuminationem

Ipſa cæcitas Pauli quaſi cæcos illuminat, ob properam conuerſionem. Ambroſ.

minationem exſurrexit, vt ſimul æger & valens, ſimul cæcus & videns eſſe videatur. En Lazarum, de quo Dominus: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Ioann. 10. Quia Paulum ouem quodammodo eſſe, quando lupus, dùm perſecutor prædicatorem, dùm cæcus cæcos illuminantem, potentiſſimæ dexteræ Excelſi eſt documentum.

Ioann. 10.

12\. Hæ *Sagitta potentis acuta*, de quibus Pſaltes: *Sagitta tua acuta.* Pſalm. 44. Huiuſce potentiſſimæ Sagittæ effectus tàm ſubitò lupum in ouem commutare. Auguſtinus: *Blaſphemabat Saulus Chriſtum, erectus erat; ſupplicabat Chriſto, cecidit, proſtratus eſt: occiſus eſt inimicus Chriſti, vt viuat Diſcipulus Chriſti. De cælo emiſſa eſt ſagitta, corde percuſſus eſt Saulus, & dixit: Domine, quid me vis facere? Modò ibas ad Chriſtianos alligandos, & modò dicis Chriſto: Quid me vis facere? O ſagittam acutam potentiſſimam, quâ acceptâ cecidit Saulus, vt eſſet Paulus.* Illam particulam preme: *Modò ibas ad Chriſtianos alligandos, & modò dicis: Domine, Quid me vis facere? Modò*, id eſt, præſenti perſequeris inſtanti. Et eodem dicis: *Modò*, Domine, quid me vis facere? An eodem temporis inſtanti poteſt Saulus, & Paulus eſſe lupus, & ouis, perſecutor, & obediens miniſter? An non contradictionem inuoluere videtur? *Modò*, eodem, id eſt (vt exponam vulgariter) *En el miſmo agora ſer lobo y oveja?* *O ſagittam acutam potentiſſimam!* Tàm illicò Saulus reſurgit à crimine, vt eodem quaſi inſtanti lupus & ouis apparuerit.

Hæc potentiſſima ſagitta Domini fructus. Pſalm 44. Auguſt.

13\. Vnâ Pauli mutatione multæ mihi mutationes Excelſi dexteræ obijciuntur. Audi Chryſoſtomum hom. 2. in Pſalm. 50. *Conſidera Saulum perſecutorem, peruaſorem, zizania, lupum, plumbum, piratam, diſperſorem ouium, euellentem vineam*, diſſipantem. Mox autem vide eundem *Annunciatorem, diſpenſatorem, frumentum, paſtorem, aurum, gubernatorem, promiſſorem Eccleſiæ, vineæ plantatorem, ædificantem.* Tot vno inſtanti mutationes, vnius diuinæ potentiæ documenta. Repentè homo ſummus effectus poſitus in miraculum.

Vna Pauli mutatio multiplex. Chryſ.

Observatio II.

Ad illa verba:

Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.

Vnius Pauli reductio totius Orbis quodammodo conuerſio eſt.

Oſtendo vnum Euangelij miniſtrum infatigabiliter laborantem, totius quodammodo Orbis reductioni ſufficere.

14\. Qvodnam maius potentiſſimæ manus mittentis inſigne, quàm vno iactu totum terrarum Orbem excurrere, piſcium vniuerſitatem expiſcari? Quodnam dexteræ præcelſæ auguſtius documentum, quàm lupum Saulum effectum ouem, totum luporum cœtum ouium gregem efficere? Chryſoſtomus apud Theodor. in Encom. Paul. *Quis loquetur potentias tuas, Domine? Quoniam non ſiniſti Paulum latere, quoniam talem virum oſtendiſti Orbi terræ: laudauerunt te omnes Angeli, quando aſtra feciſti, & quando Solem: ſed non ſic vt quando Paulum oſtendiſti vniuerſo Orbi terræ. Propterea terra fuit cælo latior, quoniam hic eſt latior ſolari luce.* Vnus Sol cunctis ſufficit Aſtris? Vnus Paulus illuminandæ toti ſubeſt Eccleſiæ.

De S. Xauerio Indorum Apoſtolo.

Chryſ.

Beniamin (ait Iacob) *lupus rapax manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.* Gen. 49. Lupus Saulus paſtor efficitur, inter lupos, iam ex ſolâ illius curâ oues effectos, queis diuidit eſcas, ad gramina dirigens ſalutaria. Ambroſius lib. de bened. Patr. cap. 12. *Plurimos lupos habet diabolus, quos ad Chriſti oues dirigit. Et ideò intelligibilis Iacob, vt oues ſeruaret, lupum Paulum faciens Doctorem; qui lupus venerat, paſtor eſt factus.* Si plurimos lupos diabolus habet, quonam modo vno lupo Paulo, paſtore effecto, oues ſeruantur? Quia cuncti lupi doctrinâ Pauli Dominicas mutantur in oues: *Vt oues ſeruaret lupum Paulum fecit Doctorem.* 15.

Vnus lupus factus agnus totum luporum cœtum, gregē ouium regit. Gen. 49. Ambroſ.

Dominus de ouiculæ vnius reductione: *Amen dico vobis, quòd gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. Cur ſuper vno gaudium omnium Cælicolarum? Quia vno Saulo lupo in ouem mutato, totus luporum cœtus in Dominicum gregem conuertitur. Tantus Doctor totum Orbem ad fidem adducet. Chryſoſtomus citat. *Si propter vnum peccatorem pœnitentiam agentem eſt gaudium in cælis, Paulus ſufficit ad efficiendum vt cæli exultent*, qui totum Orbem terræ percurrit tractus, lapidibus appetitus, vt vinctus vinctos omnes ſolueret, & ad ſe traduceret. Completur ergo Cælitum gaudium, vno Paulo conuerſo, ſi omnium in vno reductio præparatur. *Paulus* (adijcit ille) *ex primâ concione venatus eſt quinque virorum myriades. Quonam modo inferiores Virtutes gaudio vnus non compleret infinito.* Tàm certa-ne peccatorum reductio, Paulo prædicante? *Neque enim tanquam pugnans ſic res confecit, ſed tanquam ad promptam & paratam victoriam veniens, ſic erexit trophæa, deſtruens, diruens, deijciens diaboli munitiones, & machinas dæmonum.* Quod & vni Xauerio noſtro Iaponiorum Apoſtolo, Paulo quidem alteri, nouo Orbi ſufficienti, potiùs victori quàm pugnaci, non incongruè aptârim. 16.

Vnus Paulus conuerſus eſt gaudium omnium Cælicolarum ex peccatorum conuerſione. Luc 15. Chryſ.

Tantæ Pauli potentiæ parum, totum Orbem reducere, niſi ex hominibus in dæmonia merito peccatorum conuerſos efficeret Angelos. *In cuius nomine* (ait Paulus) *omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Phil. 2. Vbi Chryſoſtomus hom. 1. de Paul. *Quia ſeipſum Paulus conſecrauerat Deo, etiam Orbem vniuerſum ſtuduit offerre. Qui terram videlicet ac mare, Græciam ſimul & Barbariem, omnémque regionem quaſi volitans circuit, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens, quin imò & ipſos homines quaſi ex dæmonibus in Angelos prouehens.* Vnde Chriſti nomini cæleſtes, terreſtres & infernos obſequentes addixit. 17.

Paulus Deo adducit cæleſtia, terreſtria, & inferna. Phil. 2. Chryſ.

Arca Noëmitica aues, homines, animantia continebat. 18.

Paulus melior Arca Noe plures continens ad vitam. Gen. 6 Chryſ.

continebat. Gen. 6. Totus Orbis per Paulum ſeruatus ad vitam. Fatur idem Chryſoſtomus: *Noe iuſtus ſe ſeruauit cum liberis; Paulus autem nuncio ſaniori inundante diluuio, non Arcam coaptando, ſed epiſtolas componendo, non quinque cognatos, ſed vniuerſum prorſus Orbem mergo periclitantem ex medijs fluctibus liberauit.* Quis crederet fragili papyraceâ cymbâ cunctos fideles incluſos è tàm horribili diluuio euaſuros incolumes? Addit pulchrè Præſul: *Et hinc quoque illam vicit Arcam, quia illa quidem coruum recipiens, coruum etiam emiſit, & includens lupum feritatem eius non potuit mutare. Hæc verò accipitros miluoſque ſuſcipiens, fecit columbas; & excludens omnem irrationalitatem atque feritatem, manſuetudinis ſpiritum introduxit.*

19\. *Vno Paulo à Domino vulnerato totus Orbis cadit, & reſurgit.* Pſalm. 44. Auguſt.

Dum igitur potentiſſimus. Dominus vnum Paulum ſagittâ vulnerauit, totum Orbem vitaliter ſauciauit. Cecinit Dauid: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent:* Pſalm. 44. Vno vulnerato Paulo, cuncti populi cadunt ſurrecturi. Auguſtinus: *Populos videmus ſubditos Chriſto; cadentes non videmus.* Et vnde ceciderunt? Profectò, quia vnus Paulus eſt vulneratus, omnes populi cadentes Domino ſubijciuntur. *De cælo emiſſa eſt ſagitta, corde percuſſus eſt Saulus, cecidit in corde, & dixit: Quid me vis facere? O ſagittam acutam potentiſſimam, quâ acceptâ cecidit Saulus, vt eſſet Paulus. Populi,* ô Apoſtole, *ſub te*, ſeu *poſt te*, tuo miniſterio *cadent in corde inimicorum Regis.*

20\. *Videtur Apoſtolus pro gladio diuina vti potentia.* 2. Cor. 4. Chryſ.

Tot hoſtes Regis in corde ceciderunt Pauli miniſterio, vt diuinâ potentiâ pro gladio vti Apoſtolus videatur, ipſo fante: *Arma noſtra non ſunt carnalia.* 2. Cor. 4. Adijcit cauſam: *Noſtra non talia ſunt*, id eſt, carnalia; ſed *potentia Deo.* Ad quæ Chryſoſtomus hom. 21. ad Encom. Paul. *Et qualia arma carnalia? Diuitiæ, gloria, potentia, facundia, authoritas, adulationes, ſimulationes, & alia id genus. Sed noſtra talia non ſunt; ſed potentia Deo. Conſidera illius humilitatem, non enim dixit: Nos potentes, ſed Arma noſtra potentia Deo. Non nos talia efficimus, ſed Deus ipſe.* Paulus abſtinuit à verbo, *Dei*, & dixit, *Noſtra potentia Deo*, ne potentia Pauli Dei eſſe potentia videatur; ſed dicens: *Noſtra potentia Deo*, aſſerit tantam eſſe Apoſtoli potentiam, vt eâ ipſe Deus omnipotens vti valeat, ad omnipotentiæ ſuæ manifeſtationem.

21\. *Chriſti potentiam reſidere in Paulo eius geſta affirmant.* Iob 39. Gregor.

An non Chriſti potentiam in Paulo reſidere geſta Apoſtoli affirmant? De Chriſto Iob: *Numquid alligabis Rhinocerotem ad arandum loro tuo?* Cap. 39. Ad Chriſtum pertinet totum Orbem percurrere, aratro verſare; fœcundare, quem quidem laborem, in glorioſo degens ſtatu, Paulo commiſit, vt diuinam gerens potentiam, omnes voluntates Altiſſimi exequatur. Gregorius lib. 31. Mor. cap. 10. *Rhinoceros iſte Paulus eſt, cuius fortitudinem omnis venator extimuit. Rhinoceros iſte naro geſtabat cornu, quo percuteret, quia minarum & cædis in Domini Diſcipulos ſpirans, poſtquàm præſentes interfecerat, abſentes quærebat. In Rhinocerotis huius fortitudine fiduciam Deus habuit. Cui labores etiam, quos ipſe in carne pertulerat, dereliquit, quia conuerſum illum vſque ad imitationem traxit. Dereliquit* illi curam laborum, operarum animarum conuerſionis, vt Paulus pro Chriſto impaſſibili pareretur.

22\. *Cæleſti in throno conſtitutus adhuc laborat.* Bernard.

An poſt aſcenſum ad Superos Paulus à labore recedit? Profectò Paulus in gloria conſtitutus adhuc ſtudet laborare. Bernardus ſerm. in Conu. Paul. *Meritò conuerſio Doctoris Gentium ab vniuerſitate Gentium feſtiuis gaudijs celebratur. Multos enim ab hàc radice ramos prodijſſe videmus. Conuerſus Paulus conuerſionis miniſter factus eſt vniuerſo Mundo. Multos adhuc viuens conuertit; ſed nec adhuc ceſſat ab hominum conuerſione. Dico autem exemplo, oratione, & doctrinâ.* Epiſtolas teſtor, quibus Apoſtolus ſuam in operando vim reliquit, vt pugnent opera, triumphante Duce, Pauluſque ſimul laboret, & quieſcat, Sancto Xauerio cuncta facilia accommodantur.

OBSERVATIO IIII.

Ad illa verba:

Sicut oues in medio luporum.

Paulus Ouis ſapientiſſima, Eccleſiæ nutrix. Vbi lac pro ſanguine profluens è vulnere commendatur.

Oſtendo interim, magnâ indigere patientiâ, qui pueros accipit edocendos, in noſtræ elogium Societatis.

23\. Imperf.

IMPERFECTI auctor. *Sicut oues: Non humanæ naturæ beneficium tollo, ſed ouilis patientiæ opus iniungo.* Quænam ouilis patientia? Nùm iniurias ſolummodò tolerare? Profectò & agniculos enutrire. O quanta patientia, ouis indiget myſticam ad agniculorum nutritionem! Quoties mulgens agnus matrem vulnerat ouem?

24\. *Toties ouis magiſtra vulneratur, quoties mulgetur.* Ambroſ.

Certè toties ouis magiſtra vulneratur, quoties mulgetur. Dùm doces paruulos, percuteris; dùm lac ex vbere elicitur, quaſi ſanguis ex vulnere promanat. E vulnerato collo Pauli lac profluxiſſe, eius canit hiſtoria. Quid cauſæ? Nutritor Paulus Eccleſiæ totius lac pro ſanguine ſudit, vt oſtendat, quàm aptè vices gerat Martyrij Diſcipulorum cura nutriendorum. Do Ambroſium mentis meæ illuſtratorem. *De Pauli ceruice*, inquit ſerm. 69. *cùm eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis vnda, quam ſanguis, Quæ quidem res in Paulo ſtupenda non eſt. Quid enim mirum, ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ?* Ac ſi diceret. Si nutritor Eccleſiæ eſt, ſi Doctor, quid mirum lac accurriſſe ad vulnus, vt pro ſanguine flueret ex agnorum mulſione, quæ vulnus quidem ſemper eſt? *Res* quidem *non eſt ſtupenda.* An ſtupendum lac elici ab vbere? Minimè verò. Tàm congruè è vulnere Martyrij lac pro ſanguine profluit, quia idem quodammodo vbera ad agniculos nutriendos demulgeri, ac collum gladio ad efflandum ſpiritum vulnerari. Hinc noſtræ Societatis puerorum curæ incumbentis, patientia commendabilis exurgit.

25\. Lactis Pauli expendo præſtantiam. Nam

Apoſtolum

Apostolum terram repromissionis vocitabo? *Dabo vobis* (inquit Deus) *terram fluentem lac & mel.* Ex lacte Pauli nutritoris Ecclesiæ quies fidelibus repromissa. Ambrosius citat. *Hac est planè repromissionis illa terra, quam Patribus Deus promisit. Non enim de hàc terrà locutus est, quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, tumque permiscet; sed de illa terrà Pauli, quo iugiter purum suauèque lac distillat. Quo Pauli Epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ Epistolas tanquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem.*

26\. *Lac Pauli alumnos cælestes nutrit, quia ipse cælestis. 1. Cor. 5.*

Lac è Pauli vulnere profluit, non sanguis. Nutritor noster nos homines cælestes efficiet, quia adhuc degens in terris, quasi carne & sanguine non indutus, totus homo de cælo cælestis obijciebatur. Bellè idem Apostolus: *Caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt.* 1. Cor. 5. An vbi caro & sanguis non est, Regni est possessio? Ita planè. Ergo Paulus sine sanguine degens, possessor Regni præsentatur. Ambrosius: *De ceruice Apostoli pro sanguine lac manauit, Legimus in ipso, quoniam caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt. Igitur iam Paulus possidet Regnum, quoniam caret & sanguine, qui impedire dicitur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris positus tuam in Regni cælestis substantiam transformatur.* Vnde cælestes alumni è cælesti nutritore redduntur.

Ambros.

27\. *Vel ipse gladius rationabilis, & cælestis efficitur ex lacte Apostolico. 2. Cor. 3. Chrys.*

Nec mirum illos, quibus Apostolus: *Lac potum dedit.* 1. Cor. 3. cælestes exurgere, si vel gladius ipse vulnerans à lacte intinctus rationalis obijcitur cælestibus incolis admirabilis; terricolis, vt cælestis reuerendus? Apud Metaphrastem Chrysostomus: *Quisnam ensis tantum gustur peruasit, discernendi maxima potestate, proditum instrumentum, quod à cælo habetur in admiratione, & quod terra reueretur.* Si gladius vulnerans lacte madens rationabilis, & cælestis, quidnam vulnerantes vbera paruuli ex doctrina Pauli? Dixerim etiam ex Iesu vberibus Societatis, quæ quidem quasi sanguine carens, puerorum studet, sine pretio, sine spe gratitudinis institutioni, totà lacte cælesti redundante, vt cælestes suos reddat alumnos.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Sicut Oues in medio luporum.

Paulus etiam cùm lupus erat, quodammodo commendabilis.

Vbi diligentia etiam in gerendis sæcularibus negotijs aliquo ex capite laudabilis obijcitur.

28\. QVID mirum Paulum cõmendari Ecclesiæ ouem nutricem, si quãdo lupus quodammodo commendabilis obijciebatur. Maximum præmitto hom. 3. in Apost. *Quantũ in Apostolatus sui ministerio complacuisse Christo credimus Paulum, qui tantùm placere potuit persecutor? Placuit enim, quia non iniqui pectoris studio, sed simplicis ignorantiæ incautâ deuotione certabat.*

Maxim.

29\. *Saulus lupus pascit Ecclesiam.*

Ouem lac agniculis præbere quid magnum., si animal mansuetissimum vberum pondere quæritat agnum? Magnum prorsus ad lupina vbera agnos accurrere. Profectò cùm Saulus lupus erat, Ecclesiam nutrimento donabat. Quid Iacob? *Beniamin lupus rapax manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia.* Gen. 49. Lupum qui prædam absumat, qui gregem disperdat, sæpè vidi; diuidentem autem spolia ouibus, nunquam aspexi. Talis equidem Beniamin lupus rapax ouem nutriens, quam disperdit. An id de Beniamino filio Iacob? Minime; sed de Paulo prænunciatum est. Origenes: *Beniamin ille nunquam fuit lupus rapax, nunquam in vesperam dedit escam: sed Paulus qui natus est in Tribu Beniamin, prædicabatur lupus rapax, comedens, & simul dans escam.* Quonam modo dat escam, dùm comedit? Quia dùm oues persecutionibus consumuntur, spiritualiter saginantur? Certè zelo pristinæ legis accensus Paulus, dùm ignorans persequitur, & absumit Christicolas, eos pascit; tunc enim grex Dominicus comedit, satiatur, saginatur, crescit, cùm à lupis discerpitur. At conuenientius argumento, dùm diripit, pascit oues, quia ignoranter legem Moysis propugnans tantâ adhibitâ diligentiâ edocet Euangelij ministros, quonam modo gerenda Numinis negotia.

Gen. 49.

Origen.

30\. *Eligitur, quia diligens persecutor, & decent Christicolas diligentiam.*

Ideò reor Saulum à Domino electum, dùm vas plenum veneno, instar Babylonicæ fœminæ, propinandum obijcitur, quia aliquid quodammodo eluxit in vase: vnde aptum salutari nomini portando videretur. *Calix Babylon in manu Domini.* Capacissimum vas in domo Christus contemplatur. Venenum profundam, ait, nomine implebo salutari. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum.* Tunc eligitur, quando veneno plenum. An ex capacitate placuit? Zelus ille feruens contra Discipulos profunditur, vt zelus eosdem propugnaturus infundatur. *Quomodo potest quisquam* (ait Dominus) *intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem?* Matt. 12. Vndenam tibi, ô Domine, cura diripiendi vasa, Diaboli in domo constituta? Video ad nomen salutare, cuius oleum non defuit, etiamsi vasa deficiant, vas immensurabile; vnde profuso veneno ad domum meam transferri curaui. Augustinus de verb. Dom. secund. Matt. serm. 12. *Paulus vas erat in domo illius malè fortis, cùm esset Ecclesiæ persecutor; sed ille qui alligauit fortem ab eo vas perditionis eripuit, & vas electionis effecit.* Vas enim immensurabilis zeli noxij capax, immensurabilis zeli salutaris capax erit. En quonam modo (vti ex Maximo dedimus) *Placere potuit persecutor.* Sæcularis diligentia ad spiritualem frugem se recipiens digna commendatione, quia aptior addicitur ministerio. Diligenter Apostoli capturæ piscium antè vocationem incumbunt? *Venite* (inquit Dominus) *post me, faciam vos piscatores hominum.* Vti eandem diligentiam capiendis hominibus impendatis.

Matt. 12.

August.

Obser

Observatio V.

Ad illa verba.

Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

Paulus simul serpens & columba, siue totius collegium sanctitatis.

Ostendo, Deum Euangelij ministros cunctis virtutibus decoratos requirere.

31. Ambros. AMBROSIVS lib. 3. de fid. cap. 7. *Sunt serpentes Euangelici, qui exuunt veterem vsum, vt induant nouos columbæ more, sicut scriptum est. Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, &c.* Col. 3. Paulus Euangelicus serpens, vetere homine exutus, columbam induit. Nemo ius homo Apostolus, domicilium omnium virtutum, quæ huiusmodi hominis constituunt nouitatem.

32. *Paulus cunctis virtutibus adductur in exemplum.* Chrys. Chrysostomus curans nos ad cuiuslibet virtutis allicere exercitamenta, semper Pauli obijcit exemplum, quia Apostolus cunctarum virtutum collatio fuit. Obijciens itaque sibi Doctor, cur tam continuò Paulus ore vertetur, hic re[illegible] *Ea [illegible] amore huius viri, & pro[illegible] [illegible] in hoc viro miram [illegible] amoris in [illegible] h[illegible] perfe[illegible]* [illegible]

33. *Ager [illegible] Paradisus [illegible]* Chrys. A[illegible] mentis plenum, an Parad[illegible] Solum sic [illegible] Chrysostomus hom. 1. de [illegible]. *Nemo pro[illegible] errauerit, qui præ[illegible] quoddam [illegible] tutum, & Paradisum [illegible] in Pauli animam nuncupauerit. Tam mi[illegible] in gratia floruit, tamque huic gratia congruente [illegible] perfectionē resplenduit. Vnde & mira[illegible] nobis fluunt genera, non [illegible] Para[illegible] quale [illegible], sed malò etiam [illegible], & quotidie fl[illegible], nec terram rig[illegible] ad [illegible] producendum virtutum [illegible] Quis ad explicand[illegible] genera [illegible] sus, ad explicanda istius merita [illegible] sufficiet*

34. *Paradisi Pauli impossibile germina recensere.* Gen. 2. Thom. Illud adnoto: *Nihil errauerit, qui Pauli animam Paradisum* nuncupauerit. Cur non [illegible] sit Pater hunc Paradi[illegible] germinat? Quia [illegible] possibile eorum præstantiam oratione [illegible] re? Asserit Moyses: *Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis à principio.* Gen. 2. V[illegible] Diuus Thomas: *Sic, inquit, [illegible] Deus secit hortum diuersis plantis consitum, [illegible] delicijs*. Si tertiò de P[illegible] planta[illegible] tum diuersitate ornatus [illegible] gloria verbis exprim[illegible]? [illegible] vix potest dig[illegible] verbis æquiri [illegible] commendatur. Paulus Paradisus [illegible] cibus ex virtutum germine, vt non possit eius præstantia oculis præsentari. Chrysostomus: *Nequaquam possumus huius Paradisi explicare præstantiam, nec tamen idcirco reticebimus, quin potius pauca dicemus. Est enim hoc maximum laudis genus, cum orationi copiam virtus exuberat, & magnitudo laudatæ.* Paradisus Paulus appelletur, nec tamen germina numero addicuntur, quia assumptum impossibile explicatu. Chrys.

Illud in Deiparâ mirabile, quòd mare cùm sit redundans omnium gratiarum, minimè redundat exteriùs, vt vas scilicet capacissimum ad omnium virtutum complementum & redundantiam apposi[illegible]. An Paulus Dominam imitetur? Simare non est. Arca quidem est adeò capax, vt omnium virtutum vim contineret [illegible] deatur, *Cur te* [illegible] ait Chrysostomus *) im[illegible] veteris Testamenti, aut [illegible] comparare? Omnium quippe virtutem [illegible] in Arca quadam; sed cum multo pl[illegible] cumulo, condidisti.* Cumulum efficiunt Pauli [illegible] virtutes suæ, [illegible] mensura non [illegible] coagitata, sed supereffl[illegible], sed ne exceeat si perabundantia capacitatis [illegible], instar aquarum Iordanis, superius adhæ[illegible] continentur. 35. *Paulus vas plenum, & redundans.* Chrys.

36. Omnes æquat, omnes Paulus Ecclesiæ proceres videtur superare. Aur[illegible] oris pulchram accipit sententiam, hom. 8. in Paul. *Paula secundas Abel, veram non [illegible] per [illegible] los die immolatas. Paulus alter Noe, [illegible] que Arcâ insurgentes ad [illegible] Paulus a[illegible] modo a patria, vel gente [illegible] suam ab ipsa etiam [illegible] ab[illegible] Paulus alter Iacob, quasi [illegible] tatis alimentarius tribuens. Paulus alter [illegible] tes at tyranni le diaboli [illegible] Paulus alter Aaron [illegible] Paulus alter [illegible] Iudæorum, atque [illegible] quasi fornicationem mentium [illegible] fidei [illegible] con odiens. Paulus alter Dauid, qui [illegible] dam Goliam in certamine diabo[illegible] Paulus alter Elias clarius [illegible] Paulus alter Elisæus, qui G[illegible] ab [illegible] lepra [illegible] mundauit. Paulus alter Ezechias, qui ad [illegible] fidem Christi diuersos populos attraxit. Paulus alter Iosias, qui abominationes Gentium dissipauit ac perdidit. Paulus alter Ioannes pro Christo capite truncatus. Paulus alter Petrus de cælo vocatus ad credendum. Paulus alter Gabriel, qui Christi ortum cunctis Gentibus annunciauit. Paulus alter Michaël, qui Christianorum Dux esse sortitus est. Etiamsi A[illegible] orum, etiamsi iustorum hominum circumvol[illegible] in choros, non iniucunda comparationem, cui eo tamen cumulo meritorum Paulus occurrat.*

37. *Omnium chorum inferiorum collectis su[illegible].* Chrys. Quid dico, cunctos æquat, singulos superat? Profectò toti choro [illegible] totum simul [illegible] (Virginem Deiparam si excipias, quâcum nulla vnquam comparatio) quodammodò præferendus obijcitur. Audax pie cum Chrysostomo adijciente: *Denique etiamsi totum contraxisti aliqui in totum appendas chorum, ô Paule, invenies truinam virtutum ponderibus à tua parte de[illegible]*

38 *Dum gloriam de se prefert, humiliter loquuntur.* Mirabar aliquando Paulum sui ipsius commendatorem. *Hebræi sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego. Ministri Christi sunt? & ego.* Imo *plus ego.* An taxandus Apostolus ex arrogantiâ? Certè laudandus ex clarissima expressione veritatis. Tanta enim Pauli sanctitudo, tantus excessus, vt illa eloquutio modestissima sit sententia humilitatis. Belle Chrysostomus, *Chrysost.* *Cum videris magna de se ipso sonantem similiter admireris, ac si illum videas semetipsum de prementem.* Totum enim illud gloriæ, quod exprimit tantæ est particula sanctitatis, vide dum amplius non proferret, nihil humilius potuit recensere. Hoc vas electionis, ad nomen deferendum: sic Euangelici ministri ad prædicationem præparandi. Nec e[illegible] sanctitudine vacuos [illegible] lebunt auditores.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba

Et simplices sicut Columbæ.

Pietas Paulum Columbam effecit.

[illegible] concionatorem, pietate in proximos efferuescere debere: veraque pietatis recensentur conditiones.

B[illegible] D.Thom.in Cat. *Simplex [illegible] columba vel [illegible] sibi aduersarius sit, co[illegible] bene de ille me[illegible] accipio Apostolo [illegible] acies [illegible]* nulla expendam Apostolicæ [illegible] 2.

4 [illegible] impulit vt in [illegible] domum resectam [illegible] Pauli [illegible] as interior obiicitur? [illegible] capax in [illegible] exciperet [illegible] Pauli [illegible] capacior est. Chrysostomus [illegible] in A[illegible] *ubi erat ma[illegible] in hospit[illegible] [illegible] ura pau[illegible] Pa[illegible] eam sibi a[illegible] inferiorem docerans [illegible] ta to inferiorem, quanto [illegible] Quam enim ille curam [illegible] hanc iste animabus [illegible] Illius quidem omni aduersus [illegible] vero anima [illegible] patebat [illegible] fide [illegible] benigne [illegible] dicent: Non unguistiam [illegible] angustiamini autem in [illegible] visceribus Ch[illegible]th.*

4[illegible] *Tam [illegible]* O quanto pieta[illegible], quod vna proximo laborantis lacryma debellabat [illegible] *[illegible] afflictio, an angustia, an [illegible] periculum, an gladius.* Roman. *Rom. 8* Tam [illegible] potentia conterendo. Pon[illegible] adamantina præcordia, fluens è laborantis [illegible] tre lacryma co[illegible] *Act. 12* ait, *flentes, & cor meum conterentes?* Actor. 12. Illustratum Theodorus fatus: *Theod* *Qui aduersus [illegible] nem fuit audax Paulus, qui adamantinus, qui firmus, qui immobilis, qui inflexibilis, qui dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi, &c. qui in terra, & in mari suam ostendebat audaciam, qui adamantinas stridebat mortis portas, is postquam vidit lacrymas quorundam* dilectorum, *adeo fuit fractus, & contritus, vt ne celaret quidem affectionem, sed diceret, Quid facitis flentes, & cor meum conteritis? O miraculum! Non contriuit eum abyssus aquarum, & pauca cum lacrymæ contriuerunt, & fregerunt? Dic mihi: adamantinum illam animam potuit conterere lacryma? Certè, inquit: magna enim est vis charitatis, ea me vincit, & superat [illegible] omnibus, præterquam charitati.* Pulchre.

41. *Sol [illegible] cuncti* *Malach. 3.* Solis virtus fouentis animantia decantatissima. Angeli equidem Sole accenso dulciter concinuerunt. Quid cum Sol Paulus salutaris exoritur Orbi: Malachias, *Orietur vobis timentibus Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius,* Cap. 3. E Sole quid non salutare? Chrysostomus *Chrysost.* [illegible] Epist. ad Philippens. *Laudarunt te simul omnes Angeli, cum creare Solem. Veruntamen [illegible] Paulum [illegible] toto [illegible] acce. Propterea [illegible] Sol [illegible] lumine [illegible] Quantum hic [illegible] unde [illegible] que inde [illegible].* Pendet illud. *Pie[illegible]* pietate plenus, sed pietati [illegible] cit omnis parens benignitatis. *S[illegible] quid ex arborum [illegible] Paulus [illegible] etiam [illegible] peccatis marce[illegible] re[illegible]tuit.*

An non ipsa pie[illegible], P[illegible] lum [illegible] late præp[illegible] *Bo[illegible] certamen [illegible] manus. De cætero reposita est mihi [illegible] quam reddet mihi Dominus [illegible] inde.* 2. Timoth. 4. Qua autem [illegible] xerit, sibi repositam affirm[illegible] *Non solum autem mihi, [illegible] adue[illegible] eius V[illegible]* 43. [illegible] 4 *Chrysost.*

44 [illegible] gehennæ [illegible] Apostolus, donec fra[illegible] *[illegible] fratrum suorum.* Non [illegible] verùm & [illegible] immo[illegible] ad [illegible] non [illegible] *anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Rom. 9. *R[illegible] 9.* Id quod expen[illegible] Theodoretus, *Mihi est* *Theod.* *optabilius [illegible] incidere, quam fratres videre non credentes. Qui autem gehennæ [illegible] supplicium, [illegible] omnes Iudæos adducere, [illegible] quod hoc [illegible] affectus, [illegible] lebantur in blasphemiâ, vitam egit grauiorem.* Igitur non solum Paulus se se voluntario affectu [illegible] addixit, sed effectu quodammodo tormenta sustinuit ob singularis pietatis [illegible].

45. *Curabat minuere delicta inimicorum vt à supplicio liberaret.* [illegible] vt filios Iudæos ingratissimos à gehennæ [illegible] liberaret, curabat eorum operire, seu [illegible] delicta, ne quodammodo tam fœda in conspectu Domini apparerent, inter verberum plagas, inter vulnerum [illegible] psallentem audiui ac si voluptatibus afficeretur; [illegible] non torqueret, non cruciari, iam pœnâ vulneratores valeret eripere. Ac si diceret, Potius ô Domine, hi donandi sunt præmio, quam

quàm supplicio percutiendi, si mei gaudij, ac voluptatis actores. Chrysostomus homil. 8. in Paulum, *Delectabat siquidem quicumque illum propter Euangelium vulnerabat: non minùs plagis suis gaudens, quàm Regijs triumphis, honoribus, quos ei verbera sæpiùs inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis, tribulationibus vt delitijs vtebatur.* Quàm egregia pietas, curare, vt potiùs inimici præmia reciperent, quàm supplicio afficerentur? Edoceantur spirituales parentes, quàm sint natis debitores.

Chrysost.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Et simplices sicut Columbæ.

Columbæ in morem Paulus humilitate enituit.

Vbi innuo humilitatem Concionatoris Euangelici esse virtutem: veraq́; humilitatis exprimo conditiones.

46. Cæsar.

CÆSARIVS dialog. 4. *Per Serpentem paradiso excidimus, per Columbam in cælos subducti sumus.* Serpens præ se fert insigne superbiæ; Columba autem diluuij rumentis demissionem indicens, humilitatem signat, quâ ad superos redimus, vnde nos superbia deturbârat. Huiusce alis columbæ Paulus volat ad Superos.

47. *Etiam cum loquitur de se magnificè, humilis existit.* 2. Cor 1. Ambros.

Obstare videtur Apostolicæ humilitati titulus ille magnificus: quo in Epistolarum inscriptionibus vsus, ait: *Paulus Apostolus Iesu Christi*, 2. Corinth. 11. Vbi Ambrosius, *Quæritur, cur in omnibus Epistolis primo suum nomen ponat, imo & nomen magnificum maximam præ se ferens dignitatem?* Respondet, *Hæc authoritas Apostolici Ordinis, quia minoribus scribit. Adijcit Paulus, Per voluntatem Dei. Non autem hominum voluntate.* Apostolus sum. & hoc nomine illustri insignior non ob voluntatem hominum ad celsitudinem inhiantium; sed ob Dei voluntatem, & me ad Apostolatûs dignitatem efferentis, & sic me inscribere disponentis eiusdem gradus Apostolici gratiâ.

48. *Se omnium seruum appellat. & effecit.* 1. Cor. 9.

Quàm liber à vanitatis supercilio cum se Apostolum nominat, qui etiam se seruum omnium veraciter appellabat? *Cum liber sim ex omnibus, omnium me seruum feci*, 1. Corinth. 9. Non dixit: Seruus omnium natus sum, sed, Me liberum natum omnium seruum feci; vt huiusmodi seruitus non necessitatis esset, sed virtutis. Dominus sic: *Qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Haud exinanitus natus à Patre, sed semetipsum exinaniuit, ac seruum effecit. Ambrosius, *Liber ex omnibus est; seruum autem sic se omnium factum Paulus dicit, dum semper humilitatem similem omnium mente imbecillium exhibuit.*

Ambros.

49. *Se reum profitetur, ob crimina vinctum.*

Parum erat humillimo Apostolo se appellare seruum, & haberi curare, si non se peccatorem in vincula coniectum ob crimina reputari prætenderet. Paulo incluso, carcer commouetur, vincula comminuuntur, custos euigilans se se gladio conatur addicere. Quid plura? Paulus clamat? *Nihil tibi malè feceris, vniuersi enim hic sumus*, Act. 16. Vniuersi quidem vincti, cuncti isti. Cur non Paulus iactat: Hæc propter me vnum mirabilis excitata commotio! O Apostoli humilitatem! Iucundum duxit, se vinctis immisceri, gloriosoque vincti, ac rei titulo cohonestari. *Vides* (ait Theodorus) *quàm hic sit à vanâ gloriâ, & superbia alienus. Non dixit, Propter nos hæc facta sunt; sed tanquam vnus ex reis dicit. Omnes hic sumus.* Act. 16. Theod.

Adhuc demittitur Paolus se huiusce sæculi faciens purgamentum. *Tanquam purgamenta huius Mundi facti sumus*, 1. Corinth. 4. Mundi in maligno positi, sanie redundantis quàm detestabilia purgamenta! Se fecit Paulus ipsius purgamentum stercoris: *Purgamenta facti sumus.* Id est, nos fecimus purgamenta. Aliud enim est Paulum ab aliis purgamentum Mundi æstimari; aliud se se facere purgamentum. Philippensibus hæc: *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora*, Cap. 3. Legit Ambrosius, *Æstimor stercora. Æstimor, inquit. Non est hæc mea, sed aliena sententia.* Cur affirmat Apostolus haud hanc esse suam, sed alienam sententiam? Quia se dixit ab aliis stercus appellari. Altiùs se se Paulus demitteret, si suam sententiam aperiret. Vocaret enim se ipsius stercoris purgamentum: *Purgamenta huius Mundi facti sumus*, cuius omnia bona, *arbitror vt stercora.* 50. *Se purgamentum purgamenti ipsius appellat.* 1. Cor 4. Phil. 3. Ambros.

Profectò purgamentum vile quid est; sed aliquid, nihilum autem se æstimauit Apostolus. Ambrosius profatur: *Paulus ostendit, nullam habere se in hoc sæculo portionem.* Quandonam id ostendit? *Ego enim à vobis debui commendari; nihil enim minus fui ab ijs, qui fuerunt supra modum Apostoli*, 2. Corinth. 12. Si nihil minus fuisti ab iis, qui Apostolicâ dignitate funguntur, quonammodo te nihilum potes æstimare? Imò, quia se Apostolicâ celsitudine decoratum videt, se nihilū veraciter esse cognoscit, vt inde humilitas Pauli mirabilis obiiciatur, vnde Mariæ emicuit humilitas, quæ Regina cælorum ac hominū Dei Mater appellata se veraciter agnouit ancillam. Hinc meritò Paulus cuncta cælestia bona possidet, qui quasi nihilum, omnibus vacuum se se deprehendit. *Quasi nihil habentes, & omnia possidentes*, 2. Corinth. 6. Nihil sum, Paulus ait. Ideo igitur omnia bona possidere obiiceris. Chrysostomus homil. 8. *Vnde incipiemus aliunde* (Pauli merita recensere) *nisi ab hoc ipso primùm, vt ostendamus eum bona omnium possidentem?* Initium laudationis Apostoli est illum supponere omnium Diuorum bona possidere! Cùm ostenderimus Paulum omnium Cælicolarum possidere bona, tum *incipiemus* eius elogia recensere? Quid cum diuturnus sermo terminabitur? 51. *Se nihilū esse profitetur.* Ambros. 2. Cor. 12. 2. Cor 6. Chrysost.

Cæterùm eò Pauli humilitas commendabilior, quò plures se se efferendi fortitus occasiones. An non potuit ex Sapientia eleuari? *Scientia inflat*, 1. Corinth. 8. An non ex ieiunio extolli? Pharisæus iactans inclamat: *Ieiu-* 52. *Plures habebat Paulus se efferendi occasiones.* 1. Cor 8. Luc. 18.

no bis in Sabbatho, Luc. 18. Ea verax humilitas, quæ mediis superbiendi occasionibus præsentatur. Chrysost. Chrysostomus vbi suprà, *Neque alius quisquam tantas, non dico occasiones, sed prorsus necessitates habuit arrogantiæ. Neque tamen vllus alter ita se mundè ab omni iactantià subduxit. Scientia quidem inflat: At tanta in Paulo erat scientia, quanta in vllo vnquam fuerit; neque tamen se extulit insolenter, qui se in in hoc ipso humiliat, dicens: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, & non me arbitror comprehendisse. Ieiunium inflat, idque fecit Pharisæus manifestum. Sed Paulus non modò ieiunans, verum etiam famem propter Christum patiens, se etiam abortiuum vocat.*

53 *Cum Paulus extolli videtur, humiliatur.* Chrysost.

Quid si ipsa superbia arma Paulo adeò consecrarit, vt ipsa iactantiæ verba ex ore Apostolico humilitatem halare videantur? Cùm se ipsum laudat, se se prorsus humiliat. Quod quidem superiùs innuimus, & in præsenti ex Chrysostomo roboramus. *Hæc autem tam opportunè, aptéque faciebat, vt magis mereretur loquendo de se, quam tacendo laudari. Qui nisi fecisset istud, culpabilior esset illis, qui se ipsos importunè laudare didicerunt. Ampliùs tunc Paulus placuit gloriando, quàm alter laudes proprias occultando. Nec tantum quisquam profuit, cùm sua merita celaret, quàm cum iste proderet.*

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et simplices sicut Columbæ.

Columba Paulus ex vero in Deum amore commendabilis.

Innuo charitatem, Euangelici ministri virtutem: veriq; amoris exprimo proprietates.

54. Paschal. COLVMBA denique simplicis aut sinceri typus amoris, fante Paschasio, *Columba sinceritatem amoris, quia fel non habet, sine amaritudine intus custodit.* Vim Apostoli dilectionis ostendam infirmis equidem argumentis.

55. *Christi Paulus fuit Beniamin, amplius dilectus.* In primis Paulus singulariter fuit à Domino dilectus: ergo singulariter ille dilexit Saluatorem, qui amatus semper redamat, iuxta illud: *Ego diligentes me diligo.* Antecedens illustro: Fuit Paulus domus Dominicæ Beniamin præ cæteris dilectus. An minùs Christo charus, quia minimus siue post duodecim aduocatus? Num non Beniamin post decem fratres vocatus, duplicem tamen ex Iosepho accepit portionem? An non illud præstantioris dilectioois documentum? Ambrosius lib. de Ioseph. cap. 8. Ambros. *Sine Beniamin Patriarchæ primò perrexerunt, sine Paulo Apostoli. Vterque non primus aduenit; sed accersitus à primis, vberiorem mercedem priorum suo fecit aduentu.*

56 *Cuncti fideles Iudæi chari Domino per Paulum.* Tam charus Deo Paulus, vt omnes fideles qui ex Iudæis Christi fratres nominantur, ideo à Iesu benignè excipiantur, quia Pauli merita, incredibilémque illius erga ipsum Dominum amorem sibi obiiciens, Iudæos fideles quasi cum Paulo ad se venientes intuetur. Cùm nondum accessetat Beniamin, Protex iam gratus Patriarchis ostenditur? Non planè propter se, sed gratià excepti ob fratrem iuniorem. Ambrosius citatus cap. 9. *Quando fratres Ioseph soli venerunt, cognouit eos, sed quia sine Beniamin aduenerant, ab iis se auertebat. Quando autem cum illis ascendit Beniamin, mansuetè loquitur, eósque ad prandium inuitat. Iam videntur Hebræi, & videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando cum Paulo veniunt, & loquitur illis mitia, atque mansueta, vt pariter cibum sumant. Supra autem quia sine Beniamin venerunt, auertebat se ab eis, & loquebatur dura. Pauli igitur merito profecerunt, quem Dominus Iesus quasi iuniorem fratrem ex eadem matre generatum amplius cæteris fratribus diligebat.* Ambros. Egregiè Doctor.

Nec exiguum huiusce amoris indicium, eum vas salutaris nominis constituisse: *Vas electionis est mihi iste*, Act. 9. Ex eo plana Iosephi erga Beniamin dilectio, quia ei vas tradidit. An noo vt ipsum discedentem ad se reuocaret, & per ipsum reliquos fratres adduceret? Paulus ad Gentiles discedit, *vt portet nomen meum.* Scyphus illi committatur, passioois calice donetur, vt discedens, simul mecum valeat commorari. Ambrosius vbi suprà cap. 11. *Scyphus argenteus soli sacco Beniamin inseritur. Nesciebat hoc Beniamin. Fallebatur Paulus, sed vocabatur. Mittitur post eum manè. In huius sacco positus est scyphus, vt Paulum quem diligebat, pià semper fraude reuocaret.* Falleris, si a Iesu ad Gentiles immissus, dum proximorum saluti operam impendis, putas & à Christo, quo in contemplatione fruebaris, diuelli: passioois calicem portans combibis cum Domino. 57. *Dilectissimo Paulo Christus scyphum passionis exhibuit.* Ambros.

Deinde perspicuum Apostolicæ dilectionis argumentum perlegens Pauli epistolas inuenio. 58. Tertio enim quoque verbo aut Christi, aut Iesu vocabulum exprimit. Difficilem expendo locum. *Vt simus in laudem gloriæ eius nos qui ante sperauimus in Christo, in quo & vos, cum audissetis verbum veritatis (Euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis*, Ephes. 1. Bis posuit τὸ *in quo*, cum semel apposuisse sufficeret. Quare igitur superfluentem particulam addidit? Tam affectus Paulus erga Christum, vt salutaris nominis relationem sine necessitate, imò quodammodo cum sermonis vitio gesserit. Quanto ardore afficiebatur, qui opportunè, imo importunè nominis amati vult replicari relationes? Ex Hieronymo do elegans testimonium. *Videtur iuxta ordinem lectionis non stare sententia, nec ei quod prælatum est.* In quo & vos audito verbo veritatis Euangelij salutis vestræ, *redditum aliquid, quod sequatur; quia statim secundò ponitur In quo; quod quia superfluum est, sublatum è medio potest textum reddere lectioni. Hoc autem patiebatur Paulus de nimio amore Christi, vt eum semper, quem diligebat, etiam superfluè, & extraordinariè nominaret. Quod potest absque nobis in omnibus epistolis eius lector diligens inuenire. Vnde nunc secundò positum* In quo, *ordinem deprehenditur turbasse sententia, & anteriorem promissionem reliquisse pendentem.*

Sæpe nomen dilecti vsurpans Paulus, dilectionis suæ præstantiam manifestat. Ephes. 1. Hieron.

Denique

59. *Dilectio Paulo erat ei gloria. Chrysost.* Denique Paulus adeò dilectioni Dominicæ addictus, vt ei esset amare Iesum, quasi gloriâ æternâ potiri. Quid non tenaciter dilectioni beatæ adhæresceret? Chrysostomus homil. 55. in Act. *Nec desiderabile illi aliud erat, nisi placere amato. Non dico, quia nihil præsentium desiderabat, sed neque ipsorum aliquid futurorum. Quod enim erat maius, Christi amore fruebatur, cum hoc beatiorem se cunctis putabat; sine hoc autem neque Dominatuum, neque Potestatum socius esse cupiebat; sed cum hac dilectione magis esse extremus putabat. Hoc enim esset illi maximum, & singulare tormentum ab hac charitate discedere, hac illi esset gehenna, hæc sola pœna. Sicut enim perfrui charitate Christi hoc illi vita, hoc Mundus, hoc Angelus, hoc præsentia, hoc futura, hoc Regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera. Præter hæc verò nihil non in tristium parte ponebat.* En perfectæ dilectionis conditiones, compati dilecto, eius sæpe nomen memoriâ obuoluere, nihil præter illum verum bonum æstimare. O quàm pauci veraces amatores!

SECTIO OCTAVA.

Apostolica Prædicatio, Persecutio.

TEXTVS.

VERS. 17. CAVETE autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos. 18. Et ad Reges, & Præsides ducemini propter me in testimonium illis, & Gentibus. 19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini. 20. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. 22. Et eritis odio omnibus propter Nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Præcipit Dominus, vt ab hominibus caueamus.

1. *Præmissorum conclusio. Paschas.* CAVETE *autem ab hominibus.*] Præmissorum adhibet conclusionem, Illud, *autem* idem sonat in præsenti ac *ergo*, vti cap. 2. noster vertit Interpres. Paschasius lib. 6. in Matthæum, *Ad hoc totum valet, quod præmisit: Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut Columbæ. Et ideo cauete per prudentiam, ne amittatis simplicitatem Columbæ*, ex hominum quidem impugnatione.

2. *Mundani homines, omnium quidem malum, diabolo peiust. Matth. 16. Hugo.* *Ab hominibus.*] Explicat, quosnam lupos appellarit. Homines quidem, non omnes, sed mundani hìc innuuntur, iuxta illud: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Matth. 16 iidem lupi, quos fugere debent discipuli. Sed quare nobis ab hominibus cauendum? Hugo Cardinalis, *Sufficerat dicere: Attendite vobis, sed addit, Ab hominibus; quia præ omnibus malis homo est pessimum malum: Vnaquaque enim bestia vnum, & huic proprium; malum; homo autem omnia. Denique* (adiicit) *homo malus peior est, quàm diabolus. Diabolus enim, si videt iustum, non audet accedere: homo malus illum non timet, sed contemnit. Sicut homo sine armis non potest aliquid contra hostes: sic diabolus sine homine non potest aliquid contra Sanctos.*

Ad huiusmodi lupos immittimini Ouiculæ. 3.
Igitur vti Serpentes cautè vobis prospicite, & *Caueant, ne mala inferāt inimicis.*
instar columbarum, eis pro malo malum non
inferatis. Dum scilicet, *Tradent vos in Concilys, & in Synagogis flagellabunt vos*, &c. Hugo, *Hugo.*
Tradent vos. In hoc sitis columba, non ad mordendum vti serpentes, sed ad mansuetè sustinendum; quia in patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.

Caueant itaque Apostoli ab hominibus, 4.
non vt eorum impetum vitare valeant, cum *Locus expenditur.*
tradendi eis, & flagellandi à Domino immittantur; sed ne prauis illorum sensibus, siue persuasionibus decipiantur, vel corrumpantur.
Caietanus, *Non cauere debent à flagellis, Synagogis, Regibus; sed ratio cauendi à persuasionibus humanis, est præuisio malorum subsequentium eorum constantiam, cauendo ab humanis persuasionibus. Ac si apertiùs diceret, Cauete ab humanis suasionibus, præsciendo, quòd vos cautos tradent in Concilys, & in Synagogis flagellabunt.* Si cauti adhuc traduntur; ergo cautio non ad traditionem vitandam; sed ad vitandam Tyrannorum suasionem indicitur. Paschasius, *Hoc est cauere ab hominibus, non vt non tradamur, quod veritas futurum pronunciat; sed vt non decipiamur vllis insidiarum fraudibus.* Caietan. Paschas.

§. II.

De Apostolicâ tolerantiâ hostium impetu.

5. *Quonammodo Apostoli Concilijs tradendi, in Synagogis flagellandi?* Euthym.

TRadent enim vos in Concilijs, & in Synagogis flagellabunt vos.] Quidam sic: Tradent vos in Concilia, id est, Gentium tribunalia: & in Synagogis, id est, in Iudæorum conspectu flagellis percutiemini. Aptiùs sequor Euthymium Concilia, & Synagogas ad Iudæos referentem. Iudæi enim publicam totius populi concionem habebant, vbi qui flagris digni, flagellabantur; & Concilium, vbi grauiores decernebantur causæ. De Gentilium enim tribunalibus mox agit, dum inquit: *Et ad Reges, & Præsides ducemini.* Caietanus, *Describitur progressus Iudæorum futurus persequendo Apostolos gradibus multis. Primò singulares personæ tradent vos Concilijs publicè examinandos & iudicandos. Patet in Stephano. In Synagogis flagellabunt vos; tanquam malefactores. Testantur plagis cæsi Apostoli, Paulus flagellis vulneratus. Ad Præsides autem ductus Paulus, ad Regem denique Iacobus ab illo occisus.* (Caietan.)

6. *Quinam Discipuli ad Præsides adducendi?* Caietan.

Et ad Reges, & Præsides ducemini propter me.] A queisnam Apostoli, ac Discipuli ad Reges, & Præsides adducendi? Existimo apud Iudæam ab Hebræis, quia (vti Caietanus, adnotauit) Iudæi non habebant illo tempore potestatem exercendi iurisdictionem ad mortem, prout ipsi testantur: *Nobis non licet interficere quemquam*, Ioan. 18. (Ioan. 18.) *Et propterea non contenti flagellis*, (ait ille) *volentes vos occidere, ducent vos ad Præsides, & Reges habentes potestatem occidendi.* Testor Christum à Concilijs Iudæorum ad Præsidem Pilatum, ad Herodem Regem adductum, vt morte damnaretur.

7. *Duplex verborum sensus innuitur.*

In testimonium illis, & Gentibus.] Duplex sensus. Vnus, Vt testimonium, fortiter patiendo, de me præbeatis. Intelligent enim, non esse rem vanam, pro quâ vos mori viderint præparatos. Vnde Martyres Christi testes Actor. 22. appellantur. Alter, Vt vobis ea res sit in die iudicij testimonium, quod vos excuset; illos accuset. Sic Hilarius, Imperfecti Auctor, & Euthymius. (Hilar. & alij.) Audiendus Beda hæc ad Gentiles & Iudæos iudicandos hunc in morem accommodans. (Beda.) *Hæc in testimonium sunt illis Gentibus* (non Discipulis illis, vti Maldonatus) (Maldon.) *de peruersitate Iudæorum, & de correctione Gentium. Mors quippe iustorum bonis in adiutorium est, malis in testimonium. Vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplum capiunt, vt viuant.* Iam mentem meam expono. (Authoris m.n) Vestra, ô Discipuli, ad Concilia traditio, in Synagogis flagellatio, à Præsidibus, & Regibus illata nex fiet Gentilibus in testimonium & Iudaicæ peruersitatis, & propriæ ipsorum correctionis: si quidem se se ob vestram constantiam, exempla, miracula, ad meliorem mentem recipient. Adduco ad hanc expositionem Dionysium Carthusianum, (Carth.) *Vestra innocens adductio, iniustaque passio testimonium perhibebit, & declarabit, illos esse damnabiles, qui credere noluerunt, & vos persequuti sunt.*

---

§. III.

Præmeditatio verborum Discipulis prohibetur.

CVm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini.] Num omnem præmeditationem vetat? Minimè, sed eam solummodò, quæ diffidentiam diuinæ prouidentiæ, & opis habeat: quæque nimio metu, ac solicitudine, liberam Euangelij prædicationem impediat. 8. *Quonam præmeditatio prohibetur?*

Nolite cogitare quomodo, id est, *vtrum facundus* (cum Paschasio loquor) *sit sermo, aut luculentus, aut simplex, & incompositus. Quid loquamini? id est, de quare. Tantum vt de conscientiâ bona, & fide non fictâ; ita vt prudentia serpentis vos præcedat, & simplicitas Columbæ non effugiat.* (Paschas.)

Addiderim fortasse Dominum intendisse, Discipulos à tristitiâ, quâ corripi vincti assolent remouere. Cùm tradent vos, nolite velut pincerna, præpositúsque pistorum, esse cogitabundi. Hæc rogabit Præses, sic respondebo. 9. *Authoris sententia.* Collegi ex Hugone sante, *Cum tradent vos. Prædicit tristitiam*, ex comprehensione scilicet, *ne euanescant inanibus videlicet cogitationibus.* (Hugo.)

Dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.] Id quod Lucas expressius: *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* 10. *Datur eloquium Euangelij ministris. Martyribus responso.* Euthymius sic, & Hieronymus fatus, *Offerte voluntatem pro Christo, ipse pro se loquetur.* (Hieron.) Hilarius nos vult ad opus nobis à Christo iniunctum accingi, licèt difficile, sine incommoditatum præmeditatione. Habes in Abrahamo exemplum. Offerre in victimam filium imperatur, nec præmeditatus est Pater, quonam modo à Deo promissa in Isaac possent impleri. *Dabitur vobis, quid loquamini. Sic enim* (loquit ille) *Abrahamo non defuit aries ad victimam.*

Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.] Interlinealis, *Quia non ex ingenio, vel arte vestrâ procedunt verba, sed ex Spiritus sancti gratiâ.* 11. *Organum Dini. Spiritus sancti loquentis.* *In vobis*, Interlinealis, *organis.* (Inter l.) Id quod expendens Hugo Cardinalis inquit: (Hugo.) *Sicut organa emittunt modulationes ad nutum temperantis: ita homo loquitur ad voluntatem Patris inspirantis. Nec mirum Apostoli loquantur à Spiritu Patris, cum ipse Iesus, teste Ioanne: Et ego, ait, quæ audiui à Patre, hæc loquor in Mundo*, Cap. 8. (Ioan 8.) Vult denique (auctore Paschasio) (Paschas.) *vt cor Doctoris pendeat in Deum, & ad gloriam Dei ex donis eius operetur, aut loquatur in cunctis.* Denique Auctor Imperfect. sic vim sententiæ expendit: (Imperf.) *Non est vestra causa, sed mea, & Patris vestri, qui in cælis est. Quare Paracletus, id est, meus Patrísque aduocatus, etiam vobis obticentibus, respondebit.* Doctori subscribo.

§ IV.

§. IV.

De grauiorum certaminum prædictione.

12. *Tradet pater infidelis filium fidelem.* Strab. Gregor.

TRadet autem frater fratrem.*] Vbi Strabus: *Præmissa consolatione prædicit grauiora pericula: Tradet frater fratrem, pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.* Vndenam grauiora ista? Respondet Gregorius: *Minorem enim dolorem ingerunt mala, quæ ab extraneis; maiorem, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus, quia cum damno corporis damna nos cruciant charitatis amissa.* Quonam autem affectu filij in parentes, parentes in filios, frater in fratrem, insurgent? Hieronymus: *Hoc in persecutionibus fieri crebrò videmus.* Non dubium, quia sæpè infidelis parens, fidelis filius. Vnde fidelis filius à patre infideli tradi assolet, & è contrà. *Quoniam* (fante Paschasio) *nullus est fidus affectus carnis, vbi diuersa est fides.* Attidet Dionysij Carthusiani Commentarius: *Tradet frater infidelis fratrem fidelem in mortem Martyrij, & pater infidelis filium fidelem, & insurget infidelis filius in parentes fideles. Hæc omnia contigisse frequenter in sanctis Martyribus, multa testantur historia.*

Hieron. Paschas. Carthus.

13. *Quonam modo omnibus hominibus Discipuli inuisi?* Paschas. Chrys. Carthus.

Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.] Paschasius: *Exaggerat in tempore persecutionis pressurarum angustias, cùm in nullo nisi in solo Deo spes relinquitur: dum etiam ipsi filij dicuntur insurgere in parentes.* Adiiciens autem: *Eritis odio omnibus, quod est multo horribilius*, ait Chrysostomus, *apposuit.* In robur autem sententiæ, Quæris, quonam modo hominibus omnibus odibiles Discipuli esse potuerint; qui quidem à fidelibus magno charitatis fuerint affectu excepti? Hominum-ne appellatione solummodo peruersi mundiales intelliguntur, & non absolutè omnes; sed multi, Scripturarum more. Carthusianus sic: *Omnibus hominibus, id est, aliquibus de omni genere hominum, puta cunctis peruersis, de quibus dicit Apostolus: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Caietanus: *Et verè omnibus hominibus, hoc est, sapientibus, quæ hominis sunt, non quæ Dei: hi odio habent Christi imitatores.* Paschasius autem: *Omnes cùm dicit, non eos dicit qui audierunt nomen, sed omnes, qui è contrario aduersati fuerunt.*

14. *Authoris placitum.* Paschas.

Ego autem non solum de inimicis interpretor, sed ad amicos, ad fideles extendo. Veritas odium parit iis qui eius haud sunt amatores. Diuitiarum affluentia odibilis inuidenti. An nominis Iesu gestatio vel ipsis amicis fidelibus, non semel inuisa? Paschasius fauet: *Nomen magnum est, ex quo scandalizantur plurimi. Quod sanè nomen, quia in vobis erit, persequentur audientes quique.* Fideles vtique, & infideles; illi pietatis, hi autem inuidentiæ prætextu.

---

§. I.

De perseuerantiæ coronâ.

15. *Perseuerantia operum.* Chrys.

QVi autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.*] Perseuerantiæ vtique virtus perficiens opera commendatur. Chrysostomus: *Quoniam enim consueuerunt multi in principio esse vehementes, posteà verò dissolui; propter hos ait: Quoniam finem requiro. Quæ enim vtilitas est seminum in principio quidem florescentium, postmodum autem tabescentium.*

16. *Quænam perseuerantia?* Remig.

Quænam autem perseuerantia requiratur? An in fide? An in virtute? An in pugnâ? Existimo Martyres, in præsenti, futuros Discipulos, ad perseuerantem fortitudinem excitari. Remigius: *Quia persecutionibus non defeceris, saluus eris. Quia pro persecutionibus terrenis percipies præmia Regni cælestis.*

17. *Loci expositio roboratur* Pasch.

Luculenter Paschasius locum interpretatur, cuius sententiam confirmationis loco exhibeo. *Quatuor hic commendantur salutis elementa Primum, expellitur à nobis temeritas elationis, cùm dicitur: Qui perseuerauerit, ne vllus de suis præsumat viribus. Deinde cùm ait: Saluus erit, spes præstatur, quacumque morte Martyr consummatus fuerit. Tertium, cùm dicitur: Vsque in finem, duo simul ostendit, quòd omnis tribulatio finem habeat; sed præmium boni laboris nullum habeat finem. Et ideò in fine laboris vel certaminis, benè addidit: Saluus erit, vt intelligas, in æternum, in quo nullus finis erit. Alioquin finienda commendaretur æternitas, in eo quod ait: Saluus erit, si esset & finienda salus, sicut finitur temporaliter certamen agonis.* Hactenùs Abbas. Plura in Panegyrico.

In Paulum

PANEGYRICVS MORALIS OCTAVVS circa literam.

Ex Apostolicâ prædicatione & persecutione.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba.

Cauete autem ab hominibus: Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos, &c.

Paulus Dux fortissimus ab omnibus humani generis hostibus tentatus, non victus.

Vbi Euangelici ministri constantiam & mortificationem necessariam ostendo.

18. Impatf. IMPERFECTI Auctor sic locum expendit. Dixit: *Attendite vobis ab hominibus quasi à quibusdam pessimis malis, & super omnia mala malis. Nam si bestijs comparare volueris, eis peiores inuenies eos.* Paulus ab omnium malorum conspirantium in eum crudelitate vulneratus est, tentatus, sed triumphans, percussus, sed nunquam non perferens insigne victoriæ. Descendant primùm in campum cuncta præter hominem excogitata mala. An victor Apostolus?

19. *Cuncta clades Paulum impetunt victorem.* Æstus, gelu, verbera, lapides, bestiæ, fluctus, reliquáque naturæ lues signa conserant cum Apostolo, omnia vincet. Obiicias, quæso, Iacobum seruientem tot calamitatibus actum; sed memorare Paulum mirum in modum vincentem Patriarcham. Chrys. Chrysostomus hom. 1. de laud Paul. *Iacob admiratur Scriptura. Et quænam illa est adamantina prorsus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? Neque enim bis septem annorum, sed totius vitæ seruitium pro Sponsa pertulit Christi, non adustus solùm æstu diei, & noctis gelu, sed tentationes mille perpetiens. Et nunc quidem verberibus, nunc verò lapidibus cæsus, atque collisus, & nunc quidem cum bestijs, modò autem cum fluctibus pugnans, modo nimia reluctans fami diebus & noctibus inter certamina vbique resiliens, captas oues ex diaboli faucibus extrahebat.*

20. *Cum Diabolo sæpiùs confligit Iobo validior.* Diabolus cum Apostolo confligit; sed validè ab hoste Tartareo percussus, constantissimus euasit: sed a Pauli constantiâ vincendus. Rursum Chrysostomus citat. Chrys. *Stupent Iob omnes homines, & meritò. Est enim ille athleta mirabilis, & qui Paulum ipsum velut ex aduerso possit aspicere, ob patientiam, ob testimonium Dei, propter illam cum diabolo fortissimam pugnam, propter victoriam, quæ pugnam secuta est. At Paulus non mensibus tantum, sed annos plurimos in agone perdurans, tàm clarus emicuit, non terra glebâ saniem eradens; sed in ipsius intelligibilis os leonis frequenter incurrens, & pugnans aduersus tentationes innumeras, omni erat lapide tolerantior.* Lapis Iob: sed radens saniem vulnerum, carneum aliquid ostendebat. Paulus autem *omni erat lapide tolerantior.*

21. *Non fractus lapis, sed sanguineo sudore perfusus.* Sudat quidem lapis noster, sanguineo ex diaboli impugnatione sudore rubescit, perspicuam exhibens ingentissimæ tribulationis toleratæ documentum, sed minimè perfringitur. Ineffabile Iesus præbuit argumentum sustinentiæ, quando *factus est sudor eius velut gutta sanguinis decurrentis in terram.* O quàm à diabolo vndique pressus Paulus sanguinolentum sudorem emisit; Chrys. Bellè Chrysostomus: *Moyses quidem Pharaoni, Paulus autem quotidie diabolo repugnabat. Et ille pro vnâ gente, iste pro vniuerso Orbe certauit, non sudore, sed sanguine vice sudoris vndique profluente.*

22. *Mortem vincit quotidie.* Veniant ad manus Paulus & ipsa mors. Mortuus planè Apostolus; sed non solùm vti homines reliqui, quibus *statutum semel mori.* Frequenter suum diem obibat. Testor ipsum profitentem: *In laboribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* 2. Cor. 11. 2. Cor. 11. Ad quæstionem affero: Quonam modo potuerit Paulus mori frequenter, si *omnibus statutum semel mori*? An quia sæpè interfectus resurrexit? Profectò Apostolus in laboribus frequenter versatus, frequenter supra modum in plagis vi dolorum victâ naturâ, debuit frequenter mori, si misericorditer, imò & potenter non fuisset à Deo è periculo ereptus. Ita sentit Theodorus in encom. Paul. Theod. *Quid dicis? Nouum quid est, & admirabile id quod a te dicitur: licet-ne mortem sæpè subire? Certè, inquit, si non experientiâ quidem: at voluntate, docens nos, quòd assiduè talia adibat pericula, quæ mortem ei pariebant; sed Dei gratia in ipsis medijs periculis conseruabat athletam.* Certè mors non crudelis ex illo spiritûs discessu, sed ex tormentorum dolore. Frequenter mortuus, qui frequenter exitialia tormenta sustinuit. Ex corporis autem animíque diuisione potiùs expetibilem Diuis mortem ipse Paulus testatur: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Sustinuit igitur mortem frequenter, ex quâ parte est terribilis, siue instantaneâ, aut præsentaneâ assecutione illius boni, illius felicitatis æternæ, vnde est omninò desiderabilis.

In Abrahamo mirabilis fuit immolatio filij, à Domino tandem seruati. Quid de Paulo sese millies immolante? Chrysostomus adhuc: *Caput bonorum, eiúsque culmen Philosophia est, quod filium voluit immolare. Hic quoque inueniemus Paulum primatum tenentem, qui non filium, sed semetipsum millies immolauit.* Pluries immolauit, quàm millies, qui quotidie moriebatur. *Quotidie,* inquit, *morior.* 23. *Se millies immolauit.* Chrys.

Imò millies quotidie diem agebat nouissimum, cruciatus ob continuæ studium mortificationis. Semel sacrificium obtulisse, Abelem præstantibus dignum est efferri præconiis. Quid Paulum frequenter quotidie seipsum immolâsse? Ad hæc Chrysostomus ibid. *Abel obtulit sacrificium, & vnde laudatur; sed si Pauli hostiam adducamus in medium, quantum cælum à terrâ, superior apparebit. Non enim vna tantùm est Pauli hostia; siquidem semetipsum per dies singulos immolabat, quam tamen hostiam multipliciter immolabat, cùm quotidie moriens, tùm corpori suo mortificationem sine intermissione circumferens.* Cæterùm intendens Doctor ostendere, quonam modo quotidie moreretur Apostolus, ait: *Nam ad pericula iugiter parabatur.* Cupiens autem demonstrare Paulum sæpiùs immolatum quotidie, adiicit: *Et naturam in se mortificando carnis, nihil minus quam immolata hostia Deo munus implebat. Vnde dicebat; Ego enim iam immolor.* Haud mora, in quocumque instanti constitutus *iam* immolabatur, per singula momenta efflans spiritum sub mortificationis continuæ tyrannide. Edoceris constantiam aduersus hostes inuisibiles, aduersus Mundi calamitates, & quonam modo ex mortificationis exercitamentis valenter moriaris. 24. *Quotidie sæpè mortem moriens vincebat.* Chrys.

* * *

Obser

Observatio II.

Ad illa verba:

Cauete autem ab hominibus.

Homines (malum horribilius) fortissimum, haud victum, insurgunt in Paulum.

Innuo interim, acrius certamen cum homine, quàm cum feris institui.

25. Imperf. REcolo Imperfecti sententiam: *Attendite vobis ab hominibus, quasi à quibusdam pessimis malis, & super omnia mala malis.* Quid aduersùs Paulum suprema hominum sæuitia potuerit, videamus.

26. *Cum propria confligit Paulus humanitate.* Chrys. Cum propria primùm humanitate confligit dùm à seipso athleta deseritur, vt à cunctis hostibus impetatur. Id quod Abrahæ memorans historiam pulchrè Chrysostomus ponderauit, hom. 1. in Paul. *Abraham mirantur omnes, qui cùm audisset: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & domos reliquit, ac patriam. Quis Paulo possit æquari, qui non modò patriam, cognatos, ac domum, sed seipsum reliquit, imò etiam cælum, & cælum cæli.* Vt sine protectore quodammodo decertaret. Vicem tuam doleo, virorum maxime, dùm video te ab hominibus tentandum, à teipso quodammodo desertum: sed gratulor plus, cùm video victorem.

27. *Omnium hominum crudelissimorum exercitus in Paulum exurgit.* Psalm 2. Iam in Paulum vnum omne hominum crudelissimorum collegium conspirauit. Dauidicum certamen audite: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Psalm. 2. Quisnam Dominus? Certè Christus Iesus. Quemnam autem Christum Domini vocitauit? Paulum, non incongruè, me iudice, qui clamabat: *Viuit in me Christus.* Omnes igitur homines, Iudæi, Pharisæi, Sacerdotes, Gentiles, maris tumentis in morem, aduersus Christum Domini Paulum fremuêre. Accipite ex Chrysostomo hom. 8. in Paul. (Chrys.) *Considera priùs pelagi sæuientis furorem, & tunc demum vim gubernatoris intelliges; sicut enim in quodam freto, ita Paulus medijs in fluctibus æstuabat, ac mille discriminum vrgebatur procellis, Iudæorum populi mouebantur, Pharisæorum latrabant gressus, indignabatur conspiratio Sacerdotum. In huiusmodi bello Iudæi sociabantur, & Gentes, Reges igiturid ipsum bellum gerebant.* Quid plura? *Paulo totius hoc Mundi bellum omni erat pace iucundius.*

28. *Iterùm atque iterùm parturientis fœminei sexus sustinuit dolores.* Gal. 4. Chrys. Christus quidem passionis suæ tormenta sub parturientis fœminæ similitudine expressit: *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Ex humanitate dolor hic supremus morti comparatus, passionem Christi exprimens durissimam, in Paulum pugnaturus exurgit. *Filioli mei*(ait)*quos iterùm parturio.* Gal 4. Ac si diceret. Non semel vos singulos parturiui, sed iterùm atque iterùm, *donec* in Christum efformemini. Bellè Chrysostomus hom. 1. *Vnde iuges ex eo lachrymarum fontes, non diebus solum, sed & noctibus effluebant, omnique muliere parturiente vehementiùs affligebatur in singulis:* τὸ *In singulis*, preme. Non dixit: *In omnibus*, vt parturitione vnà cunctos fideles eniteretur: sed *In singulis*, vt quemlibet fidelem pariens, omnis mulieris parturientis dolores sustineret. *Omnique muliere parturiente vehementiùs affligebatur in singulis.* Iam expono. Plus affligebatur Paulus, singulos parturiendo, vnicum enitendo, quàm cunctæ fœminæ simul sumptæ omnes educendo, horribili parturitione natos.

29. *Vel vnius scandalo exuritur Paulus Vnde ab amicis hominibus torquetur.* 2 Cor 11. Theod. Confirmo ex vnius scandalo Paulum discruciante. *Quis* (inquit) *scandalizatur, & ego non vror?* 2. Cor. 11. Accenditur Apostolus, exuritur, horribilibus addicitur flammis, non solùm ob omnium, sed ob vnius filiorum scandalum. Ideò ait: *Quis?* Indico huiusce incendij vim. Omnia simul supplicia vincit incendij huiusce flamma. Id quod elegáter Theodorus expressit: *Famem, sitim, nuditatem, naufragia, metus, insidias, carceres, plagas, alia omnia quæ sustinuit Paulus, nihil arbitror oportere dicere; sufficiebat enim vnumquodque eorum ad valdè conturbandam & frangendam beatam illam animam. Quando autem dicit: Quis scandalizatur, & ego non accendor? hoc est, quod omnium maxime perpetuam, & intolerabilem ei præbebat animi ægritudinem. Si enim in vnoquoque eorum, qui scandalizabantur, ipse accendebatur, non poterat ardor ille extingui ex illius animâ. Non deerant enim qui scandalizabantur, & igni præbebant materiam.* Si maximum primo ex vnius scandalo excitatum incendium, quanta ex vniuerso scandalizatorum igne conflagratio erit? Vidisti non solùm ex hominum inimicorum odio in Paulum; sed ex ipsâ dilectione & charitate Pauli erga illos virum fortissimum extorqueri.

30. *Ab ijs ipsis quos ardenter amabat, discruciatus est.* Matt. 10. Gen 4. Profectò (quod vix iustâ possum staterâ librare) Paulus calamitatibus affectus est ab ijs ipsis, quos ardenter amabat. Vt exaggeret Dominus arctissimam contra Ecclesiam persecutionem. *Tradet*(inquit)*frater fratrem.* Matt. 10. Quid hoc vulnere crudelius? Truculentum profectò Martyrii genus pertulit Abel à fratre percussus. Gen. 4. An non horribilius mortis genus Pauli à fratribus & à filiis simul interempti? Abel nullis, quæ nouerim, Cainum fratrem beneficiis illigârat, & tamen crudele nefas fratrem in fratrem surrexisse. O quantis Pauli beneficiis cumulati, impediti, illigati fratres, filii, sese ad vulnera, ad necem communis fratris ac patris expedierunt! Chrysost. appositè inibi (Chrys.): *Abel à fratre, vt nihil à se læso, ita nullis affecto beneficijs, interemptus est, Paulus verò ab eis* fratribus & filiis *interfectus est, quos innumeris malis cupiebat eripere, & propter quos sustinuit vniuersa quæ passus est:*

31. *Salutares ipsis tribulatoribus Pauli labores.* Chrys. Illam pende particulam: *Et propter quos sustinuit vniuersa.* Obiicio, quàm salutares hominibus oppugnatoribus inimicis, Apostoli extiterint labores ex ore Archiepiscopi Const. hom. 25. in Epist. 1. ad Cor. *Sustinuit naufragium, vt naufragium totius Orbis auferret. Noctem ac diem in profundo fecit, vt nos à profundo erroris extraheret.. In molestijs fuit, vt laborantes refocillaret. Verbera sustinuit, vt à*

diabolo

diabolo percussos sanaret. In carceribus conuersatus est, vt in carcere & tenebris sedentes in lucem produceret. Et in mortibus sæpè, vt à grauioribus mortibus liberaret. Virgis cæsus est, vt sub virgam & baculum Christi mitteret verberantes. In solitudine fuit, vt à solitudine liberaret. In itineribus, vt sisteret errantes, & viam in cælum ferentem aperiret. In ciuitatibus periclitatus est, vt supernam Ciuitatem ostenderet. In fame & siti, vt auferret maiorem famem. In nuditate, vt turpiter agentes stolâ Christi indueret. Arsit, vt extingueret ignea tela diaboli. Si igitur, quos tot salutaribus Paulus laboribus donauit, acres eius persecutores, quidnam hoc Martyrio crudelius potest excogitari?

Observatio III.

Ad illa verba:

Et ad Reges & Præsides perducemini propter nomen meum in testimonium illis, & Gentibus.

Gloria tribulationum Pauli illustratur, dùm ei quasi fœlicitas æterna hîc extitere.

Laborum beatitudinem obijcio.

32. *Gloriosum admodum pati pro Iesu nomine.* QVAM dulcia tormenta ei qui propter dulcissimum Iesu nomen patitur. Vnde Abacuch. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat. Ficus non florebit, & non erit germen in vineis.* An tot malis irruentibus conturbabaris? *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Cap. 3. (Abac 3.) Dulces proculdubio tribulationes, mors ipsa omne gaudium ei qui propter nomen Iesu tribulationibus agitatur. (Chryſ.) Chrysostomus ad Matt. *Ducemini, inquit, propter nomen meum. Hinc apponitur consolatio.*

33. *Labores Paulo peperere gloriam hoc in sæculo consistenti. Act. 9.* Labores Paulo non consolationem solùm, sed gloriam peperere. Iam à cunabulis ad beatos labores, vnde vulnerati beantur, Dominos Paulum excitabat: *Saule, Saule, quid me persequeris.* Act. 9. Cur de cælo aduocat? An quia ad labores inuitat, ob Iesu nomen sustinendos? Et cur, ô Domine, æterno gaudio immersus, te tribulatione aut persecutione actum proclamas? *Quid me persequeris?* Respondeo. se persecutione actum clamare, vt ostendat labores & gloriam posse copulari. De cælo autem aduocare Apostolum, vt inuitari ad gloriam ostendat eum, quem ad patiendum multa pro Iesu nomine inuitabat. *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Heus, Saule, iam seruulus mei nominis es. *Vas electionis est mihi iste*, ac consequenter datus laborum agitationi, quasi cæli incola efficieris, quia labor iusto velut superna patria est. Ideò de cælo aduoco quodammodo apud Superos (imò hic apud cælum tertium) constitutum. Confirmo ex Abrahami historiâ: *Vocauit Angelus Abraham de cælo, dixitque: Abraham, Abraham.* Gen. 22. Cur Abraham iam iam filium (Gen 22.) iugulare festinantem Deus de cælo vocauit? Chrysostomus: *Quia videbat iustum iam accinctum ad immolationem, sacerdo vocauit eum de cælo.* (Chryſ.) Vulneratus quidem Patriarcha, vulneratuto gladio iam laborum sustinentiâ quasi Cælicola effectus, gloriâ mox potiturus. Vnde necessum fuit de cælo, vbi scilicet quodammodo commoratur, vocari. Quid Pauli pro Iesu nomine sustinentia? An non veracius constitueretur Paulus in cælo pro ipso Iesu nomine passus, quàm Abrahamus pro typo Domini vulneratus? Ideò sicut Dominus de cælo inclamauit: *Abraham, Abraham*, ita Saulum aduocans, dixit: *Saule, Saule.*

34. *Paulus actus laboribus Christo potitur. Virginæ fruitur præsentiâ. Psalm. 22. Chryſ.* Iam clamitet Paulus: *Si ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Psalm. 22. Se Apostolus beatum appellat persecutionibus circumactum, quia Christi præsentiâ fruitur: *Tu mecum es*, & virgâ Deipara & baculo: vtique in gratiâ confirmatione, ex cognitione peccatorum. Aptè Chrysostomus: *Apostolus quando inter falsos fratres ambulabat in medio vmbra mortis incedebat; maledicebatur, iniuriam patiebatur, virgis cadebatur, quando ista patiebatur, cum illo erat, qui ei de cælo (vti Abrahæ) clamauerat, dicens: Saule, Saule. In medio ergo vmbræ mortis vita est tentationis. Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. In virgâ intelligitur Virgo Maria, in baculo ostensio peccatorum.* Potitur Christo, & Deiparæ societate fruitur, in gratiâ vtique, ob ostensionem peccatorum (ne ex ignorantiâ iam delinqueret) obfirmatus, dùm laboribus agitatur. Quàm beata laborum sustinentia!

35. *Vel vnius Pauli labor gloriâ redundat, quid simul cuncti? Iac. 1.* Id ostendam ex innumeris Pauli laboribus beatis, vnius molestiæ pandens beatitudinem. Iacobus: *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Cap. 1. Omnes tentationes, omne gaudium, seu gloriam hîc efficiunt. At eiusmodi sunt Pauli labores, vt vnica eum tribulatio plenâ redonet beatitudine. Obiicio vincula Apostoli, & quærito, nùm Paulus ad tertium cælum raptus, arcanorum conscius diuinorum beatior erat, quàm cùm vinculis illigatus est? Soluit sic Chrysostomus hom. in Iob quæstionem: (Chryſ.) *O beata vincula, ô beatas manus, quas ornauit catena illa Paulo circumdata! Non tàm pretiosæ erant manus, quæ claudum in Lystris erexerunt, quam vinculis circumdata. Non enim sic dico beatum, quod tertium vsque ad cælum, & in Paradisum raptus est, quemadmodum quòd in vincula sit coniectus. Non eum sic beatum dico, quòd audiuit arcana verba, quemadmodum quod vincula sustinuerit.*

36. *Paulus vincula gloriam nominauit, sicuti Dominus. Ioann. 17. Chryſ.* Vinciendus Christus, inquit: *Glorifica me, Pater.* Ioann. 17. Clauis pro dilecto illigati gloria Domino? Piaculum Paulo, si vincula gloriam non etiam æstimaret. *Hoc Apostolus cogitabat* (Chrysostomus adhuc) *& meritò; si Christus propter me factus seruus, gloriámque euacuans, non sic in gloriâ esse putabatur, quàm cùm propter me affigebatur Cruci. Quid me pati non oportet? Audi ipsum dicentem: Glorifica me Pater. Pro dilecto patior, meritóque hæc eadem gloriam existimo, si Dominus meus misericors, & ærumnatos amans, gloriam Crucem vocat,*

cat, *multò ipse magis hæc vincula gloriam existimare debeo.*

37\. *Nostra gloria ex dissolutione, Pauli ex alligatione.* Aliter quàm reliqui homines Paulus gloriæ ac præmij rationem instituit. An non cunctos beat dissolui, & esse cum Christo? Profectò Paulus ex eo beatus, quòd non assequatur quod cupit. *Cupio enim* (clamabat) *dissolui, & esse cum Christo.* Phil. 1. Attamen certaminibus vlteriùs implicor, quia hoc ipsum me adhuc à Christo remorum decertare, mihi præmium, æternàque quodammodo fœlicitas est. Qui semper pulcher, nunquam aspectu fastidiosus. Chrysostomum audite hom. 2. in Paul. *Coarctatus carcere habitabat cælum, ac libentius verbera excipiebat, & vulnera, quàm alij brauia diripiunt. Et dolorem non minùs quàm præmia diligebat, cum ipsos vtique dolores duceret loco præmiorum, propterea enim & illos gratiam nominabat.* Si dolores loco præmiorum ducebat, cur eos gloriam non appellat, sed *gratiam*. Non-ne gratia ad gloriam dispositio? Ita plane. Et Paulus tam cupidus tolerandi labores, vt loco præmiorum ducat eos, in quantum gratia sint ad gloriam disponens. *Præmium certè* (adiicit) *erat dissolui, & esse cum Christo; permanere autem in carne certamen, sed tamen propter Christi desiderium præmia differebat, cupiditate certaminis.* Ac si diceret. Eligebat desiderare Christum, id quod horribilis certaminis locum gerebat, eratque Pauli huiusmodi desiderium, executioni non mandatum præmium præstantissimum, quia cum maximâ afficiens tristitia absentia dilecti, maximâ simul patientem implebat voluptate. Pulchrè concludit: *Esse cum Christo erat præmium singulare. Paulus autem propter Christum maluit anathema esse à Christo, quàm illud eligere. Et quæ nobis sunt causa tristitiæ, hæc illi maximam voluptatem pariebant.*

38\. *Paulus se videns patientem gloriabatur.* Alijs excitatur. Non solùs Paulus ex [illegible] ne sua gloria [illegible] & videns [illegible] latum [illegible] Christi [illegible] tis pro[illegible] videres [illegible]. I. co clamat Sponsa: *Egredimini, & [illegible] Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater eius.* Cant. 3. Vbi Lyranus, & coronationem & de[illegible] nem ad passionis Domini [illegible] onem [illegible]. Cur Sion filias ad [illegible] lum aduocat? Quia [illegible] spectatores [illegible] Paulus ex hoc Saluatori patientis imaginem. Non [illegible] ipse ex vulneribus [illegible] verùm & Sion filias Angelos [illegible] cælesti complet exultatione. Theodorus belle: *Angeli è cælis vident Paulum [illegible] introducti, exultabant.*

Cant. 3.

Theod.

39\. *Ex laboribus solum emolumentum, ab ipsum pati.* Et videntem Paulo beati labores, [illegible] quia ex eis nullum aliud expetebat emolumentum, quàm pro Domino pati. *Gloriamur* (inquit) *in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem.* Rom. 5. Non-ne veriùs diceret: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio* præmium, gloriam, requiem operatur æternam? Haud sic: *sed scientes quoniam tribulatio patientiam operatur*; probationem, spem; sufficit mihi loco præmij ipsius patientiæ, ipsius probationis vulneribus frui. *Probatio vero spem.* Nec post probationem obijcit sibi gloriæ possessionem. sed *spem*, quo mihi labori [illegible] quia dilata de [illegible] tia vehementer attolens exercitare. [illegible] ex qua [illegible] ipse mira exultatio[illegible] ne perfundatur.

Rom. 5.

40\. *Sancti Pauli recludi, quàm ad dexteram Christi sedere.* O tribulationis osores, si laborum beatitudinem menti obijceretis, proculdubio ipsam ad dexteram Domini sedem, tribulationum sustinentiæ duceretis quodammodo postponendam. Dictum-ne liberiùs? Audite. Zebedæi filij ore sic materno locuti. *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in Regno tuo.* Quibus Saluator: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* At illi: *Possumus.* Iesus denique: *Calicem quidem meum bibetis.* Matt. 20. Quare taxauit eos, quòd curarent ad Iesu dexteram collocari? Quid dulcius; quid expetibilius, quid iucundius? Non, me iudice, reprehensione affecti, quia Iesu petebant dexteram; sed quia laborum calici præponendam iudicabant: sedere vultis, quando calicis adhuc participes esse potestis? *Nescitis quid petatis.* Ideò Paulus eligit calicem epotare, plusquàm Iesu dexterâ potiri. Theodorus: *Si quis ardet amore Domini, & nouit vim vinculorum. maluerit esse vinctus propter Christum, quàm cælos habitare. Fortè est hoc præclarius, quàm sedere ad dexteram eius. Si quis mihi daret optionem, aut vniuersi cæli, aut illius catena, quâ Paulo vincta fuit manus, illam ego præponerem. Si quis me collocaret, aut supra cum Angelis, aut cum Paulo vincto, carcerem elegissem. Si quis me faceret, aut confessorem illorum, qui sunt circa Thronum Potestatum, aut eiusmodi vinctum, madem esse talis vinctus.*

Matt. 20.

Theod.

41\. *Cum Paulo incarcerato Curia cælestis.* Paulus etenim magis taliter se vinctum volebat, quàm Throno addici, quia qui in superis Diuos beat, ad Paulum incarceratum descendit; Christus enim descendit cum Paulo *in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Si quis* (adijcit Theodorus) *mihi concederet vt viderem Paulum de cælo descendentem, aut è carcere, mallem è carcere. Qui enim sunt in cælo, ad eum veniunt, quando est in carcere. O beatè vinctum!* Sed cur Doctor [illegible] carcere [illegible] carcer idem ac cælum? Potius diceret debuisset. Æque mallem è carcere, ac è cælo. Profectò aliquid carcer pe[illegible] aris quodammodo [illegible] net gloriæ supra [illegible] ale gloriæ pondus. Habet enim Cælicolarum fælicitatem descendentium ad vinctum Apostolum. Habet vlteriùs ipsam laborum beatitudinem, quâ actualiter in cælo beati non fruuntur, quia *ibi labor non erit vltra.* Quid mirum, à Paulo vinculis præponi Altissimi dexteræ, si apud foueam Deus, Angeli, Deipara vt vidimus, ipsaque vinculorum beatitudo. *O beata vincula!*

Theod.

* * *

Obser

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, &c. Non enim vos estis, qui loquimini.

Paulus Christi concionatoris imitator, liber veritatis Præco.

Edocens, quàm liberi, ab adulatione alieni debeant esse concionatores, & à munere accipiendo.

41. *De perfecto Concionatore.* Remig. QVI muneri prædicandi incumbitis, vos non loquimini, sed Christus in vobis. Remigius: *Vos verba editis, sed ego solum qui loquor. Hinc Paulus: An experientiam quæritis eius, qui in me loquitur, Christus.* Sententiam illustro.

43. *Paulus concionatur liberè, quia ab omni animi vitio alienus.* Loquitur in Paulo Magister. Quàm omni ex capite perfectus Concionator Iesus humilis corde. Paulus ab omni vanitate alienus, Verbum planè non se prædicauit. *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Non enim* (inquit) *spiritum huius Mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* 1. Cor. 2. Quonam modo constantiâ polleat Concionator ad carpenda crimina, si populari aurâ hùc illùc agitatur? Hinc Augustinus lib. de spit. & lit. Cap. 13. *Non spiritum huius Mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est; vt sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Quis est autem spiritus Mundi huius nisi superbia seu vanitatis spiritus?* Hoc *ait ipse constantis [illegible] gratiæ Prædicator.* Nec constantissimus posset appellari, si vanitatis spiritu hùc illuc [illegible].

1. Cor. 2. Aug.

44. *Nec auram captabat, nec quidquam temporarium requirebat.* Liberè Apostolus veritatem manifestauit, quia neque adulationis auram captabat, [illegible] vt indigens subsidium temporale [illegible]. *Non sum* ait *Apostolus? Non sum [illegible] Nonne Iesum Dominum nostrum vidi.* Liberè loquitur, vt decet Apostolum, quia Dominum Iesum liberè [illegible] antem audiuit. *Saule, Saule quid me persequeris.* Liber plane, qui nulli [illegible] ab adulatione recessit. Ambr[illegible] *[illegible] sese [illegible], quia nullius [illegible] quid co[illegible] pitus, neque [illegible] adulatione de[illegible].* Poterat planè P[illegible] temporaria subsidia [illegible]. *Quis enim [illegible] it) mil at [illegible] quando? Qui plantat vineam, & de fructu eius [illegible]? Qui pascit gregem [illegible] de [illegible] percipit?* Attamen [illegible] *limes [illegible] demus Euang[illegible]* [illegible] liber, qui nil temporalium [illegible] expectat. Ambrosius *[illegible] tolle, cum liceret accipere, [illegible] authoritatis torpesceret. [illegible] enim peccantibus blandiebantur volentes accipere.*

A[illegible] 10.

45. *[illegible]* An liberè prædicabat, cùm vinculis addiceretur? Audisti[illegible] ucrem carceri [illegible] adie tam liberè canentem? Sic Paulus inclusus. Imò quemadmodum dum i[illegible], ata canens a[illegible] recentes incarceratos [illegible] edocet canere. Sic Apostolus vinctus, liberè canens Concionatores etiam edocet liberè veritatem proferre. Vnde ipse. *Plures è fratribus confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* Phil. 1. Quod expendit Chrysostomus hom. 7. de laud. Paul. *Cum sapius varia pericula sustineres, fiebat audacior. Nec ipse solum, sed etiam Discipuli propter ipsum. Videntes enim ipsum ligatum, & nihilominus in carcere prædicantem, maiorem profectò fiduciam colligebant. Vnde dicit: Ita vt plures è fratribus confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Magis modo, quam cum essem liber à vinculis, fiducialiter prædicabam.* Hinc alibi: *Alligatus sum; sed verbum Dei non est alligatum.* 2. Tim. 2. Chrys. 2. Tim. 2.

46. *E lingua Pauli omnes armatura fortium.* Chrys. Vim sermonis Apostolici quis exprimere queat? Iesum gerentem ore gladium imitatus est. Chrysostomus hom. 25. in 1. ad Corinth. *Sicut athleta quidam [illegible] luctans, currens, & pugnam agens, vel miles muros oppugnans, in campo prælians, & in nauibus bellgerans; ita omne genus pugnæ tractabat, vnâ linguâ omnes euertens.* Omne genus pugnæ? Ita planè. *Mille enim clypei pendent ex ore Pauli, omnis armatura fortium.* Vbinam ignis: *Quasi flamma in calamis* (addit) *in suam naturam, quæ [illegible], transfert, sic & ille omnes inuadens, omnia ad veritatem transferebat.* Vbinam tubæ afferentes muros ad ruinam? *Non sic multa tuba in Ierichuntinorum vrbis lapides irruebant, & destruebant illos, vt Pauli vox resonans diabolica in humum trahebat subsidia & aduersarios ad se transferebat.* Vbinam lapides cum impetu emissi? *Dauid Goliath vno solo lapide deijciebat. At Pauli præclara opera scrutatus fueris, pueri fuerit opus illud, & quantum inter puerum & Pastorem distat, tantum videbis discrimine. Hic loquens omnem diaboli destruxit [illegible].* En omnis fortium armatura ex vnâ Pauli voce [illegible] Edocentur Concionatores liberè ab adulatione, à munere alieni, vt [illegible] possint auditores suos de[illegible].

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini.

Paulus alios lactabat, alios pane, virorum cibo reficiebat.

Debet enim Concionator sese auditorum captui accommodare.

47. *Maxim.* PAVLO ad tertium cælum rapto datum eloquium, quo *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, posset iuxta auditorum captum Concionator egregius cuilibet re. Maximus hom. 2. in [illegible] & Paul. *Quid fratres, hoc Doctore perfectius; qui in cœlo didicit quod in terris doceret.* Id quod Apostolus didicit, à Magistro Patre accepit, hominibus eu[illegible]gabat. *Verba, ait, quæ loquor vobis, à me ipso non loquor.*

Non

48. *Singulos Paulus iuxta captum pascebat.* Ambros.

Non omnia Paulus cunctis auditoribus aperiebat, sed in præcórdijs abscondebat, quæ captum audientium excedere videbantur. Ambrosius in Psalm. 46. *Neque omnibus Paulus omnia disputabat. Alijs nihil prædicabat nisi Christum, & hunc crucifixum, non in persuasione patientiæ verbi, sed in ostensione spiritûs atque virtutis. Inter perfectos autem sapientiam loquebatur, quia non capiebat vniuersus populus percipere sapientiam, quæ in mysterio abscondita est. Ideò enim eam Christus abscondit, vt eam stulti non intelligant, prudentes studiosiùs quærant, & enarrent in progenie alterâ, quæ spiritûs foret virtute perfectior.*

49. *Abscondebat subtilia mixta indoctis.* Psalm. 118. Ambros.

Dauid: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Psalm. 118. Piaculum concionatores eloquia Domini non abscondere, si eulgatio subtilium coram indoctis semper inutilis, sæpè perniciosa. Apposite idem Doctor: *Erat homo abscondens sermones suos Paulus, qui norat quid loquatur singulis, & quando quid loqui debeat. Vnde & Corinthijs dicit: Lac vobis potum dedi; non escam: nondum enim poteratis. Ideo hos in transitu vidit; mansit autem apud Ephesios. Benè fecit, qui abscondit eloquia Domini, sicut Dauid, sicut Maria, quæ conseruabat omnia verba Iesu in corde suo.*

50. *Angelorum creationem alios docuit, ab aliquibus abscondit Moses, ita & Paulus.* Act. 17.

Moses sic Mundi creationem describit: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Gen. 1. Quare nullam Angelorum memoriam gessit, qui simul cum Mundi fuere opificio creati? Nû quia coram carnalibus Iudæis, qui spiritualia, non curabãt, disserebant? Ita Doctores. Disputat Paulus cum Atheniẽsibus, & morem Moysis gerens, *Deus*, inquit, *qui fecit Mundum.* Act. 17. Exprime, ô magne Prædicator, qualnam Deus in superis ac in terris excitârit creaturas. Non tunc capaces auditores. Ad Colossenses sic:

Coloss. 1.

In ipso creata sunt omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terra visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia in illum, & per illum creata sunt. Cap. 1. Cur ergo, ô Paule, Athenienfibus non aperis Cælicolarum spirituum mysterium, Colossensibus referas? Existimo, quia hi capaces iam doctrinæ, illi minime, ostentabantur.

Chrys.

Chrysostomus hic, *Moyses nihil de inuisibilibus virtutibus differit, neque dicit: In principio fecit Deus Angelos. Iudæis enim loquebatur, qui præsentibus rebus inhiabant. Paulus disputaturus cum Atheniensibus, à visibilibus doctrinam cæpit. Ad Colossenses scribens, aliter eum eis loquitur. Haud dignum erat, & congruum, vt solido pascerentur cibo, quibus adhuc lactis alimonia opus erat.* Apposità id expendit similitudine. *Nam quemadmodum magistri ludi pueros, qui à matribus sibi commendantur erudiendi, prima tradunt elementa, quos qui ab illis postea [illegible], perfectioribus doctrinis imbuunt, ita & Moyses & Doctor Gentium fecerunt.* Paulus accepit à Mose, hun [illegible] iam naturam puerilem adhuc imbuendam, priùs nouo lacte, postea solidiori [illegible] [illegible].

Observatio VI.

Ad illa verba:

Dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.

Quàm auditoribus vtilis Pauli prædicatio!

Edocet, Concionatores soli auditorum saluti incumbere debere.

DATVR à Deo Concionatori, quid loquatur? Quàm salubriter proferet eloquia, quàm vberes fructus germinabuntur! Dùm contemplantur auditores Concionatorem perfectioni vacare, à vulgari tumultu abstractũ contemplationi studere, libenter excipiunt, diligenter exequuntur quod à Christo indictum esse priùs Concionatori existimant. 51.

52. *Loquutus in Paulo Dominus.* 1 Cor 11. August.

Loquutum in Paulo Dominum ipse Doctor Gentium affirmat: *An vultis experimentum eius accipere, qui in me loquitur Christus.* 1. Cor. 13. Vbi Augustinus serm. 16. in Matt. *Christus in Apostolo, Christus in Euangelio, Christus vtrumque dixit, vnum ore suo, alterum ore præconis sui. Quia quando præco de Tribunali aliquid dicit, non scribitur in gestis. Præco dixit: sed ille dixisse scribitur, qui præconi quod diceret imperauit.*

53. *Amplectamur Pauli doctrinam dictatam à Christo.* 1. Tim 6. August.

Christi in præcone Paulo loquentis, quis doctrinam non amplectatur? Difficilis illa Pauli doctrina: *Radix omnium malorum est cupiditas.* 1. Tim. 6. Durus sermo; sed gratus redditur eis, qui ex ore Pauli Dominum protulisse contemplantur. Augustinus hom. 6. de dil. char. *Audiamus consilium illius, in quo Christus Dominus loquebatur, & quantum possumus studeamus amaritudinem auaritiæ fugere.*

54. *Quàm vber fructus Apostolicæ prædicationis.* Luc. 15.

Quantus ex prędicatione Apostolicâ fructus! Christus loquutus aliquos ad meliorem mentem adducebat, quod ipse exprimens vsus est vnius filij reuertentis, vnius ouiculæ inuentæ, vnius drachmæ recuperatæ similitudine. Luc. 15. At multorum populorum conuersionem, reductionem Mundi, ore præconis operatur. Paulus ergo Angelorum compleuit voluptatem, qui super vno peccatore pœnitentiam agente exultantes, super tot à Paulo adductos ineffabili gaudio redundarunt. Chrysostomus serm. 4. in Epist. ad Philipp. *Angelos Paulus multâ affecit voluptate. Nam si super vno peccatore resipiscente gaudium fit in cælo, ipso verò cùm primâ mox concione multos venatus sit, quomodo non gaudio cælestes Potestates repleuerit? Et quid dico? simpliciter Paulum loqui sufficiebat, ad hoc vt cæli exultarent, & lætarentur.* Quia nunquam loquutus fuit, quin peccatores pœniterent. *Si ergo cùm ex Ægypto egressi essent Israelitæ, montes exultabant sicut arietes; quando in cælum ex terrâ transferebantur homines, quantum putas esse gaudij?* Quandonam in cælum homines transferebantur? quando vel *simpliciter* loquebatur Apostolus.

Chrys.

Nec mirum in Ægypto Gentilitatis constitutos 55.

Auctore Escobar & Mendoz. Tom. IV.

Paulus resinam, & mel portans in Ægyptum. Genes. 43. Ambrof.

tutos de constractione, de infirmitate conualuisse, si verus Beniamin Paulus Ægyptum ingreditur *portans resinam, & mel,* Genes.43. Id quod ad Apostolum sic transfert Ambrosius lib. de Ioseph, cap.9. *Beniamin bonis odoribus comitatus aduenit, portans secum resinam, quâ lapides marmorum connectuntur: eo quod prædicatione propriâ, tanquam spirituali resinâ, viuos lapides etiam ipse connecteret. Portans etiam mel, quo noxia vulneris interius exeduntur, sine aliquâ acerbitate sectionis. Talis Pauli prædicatio, vt putrem aboleret affectum, corruptúmque euacuaret humorem, disputationis suæ sinceo vrere magis ægra mentis viscera cupiens, quam secare.*

56. *Totus Paulus moritur, quoties concionatur.*

Rogas, an Paulus ex tam assiduâ prædicatione defatigaretur, laboraret; seu potiùs tantâ id præstaret agilitate, vt nullâ molestiâ afficeretur? Profectò Apostolus tot mortes pertulit, quot dies in concionandi munere insumpsit. *Vos estis* ait Dominus) *lux Mundi.* An non insumitur lucerna dum spargit splendorem? Lucens Paulus insumitur, moritur quoties concionatur. Chrysostomus homil.1. de laud. Paul. *Abel dolo germani percussus occubuit, atque hinc effectus est clarior.* Lucet enim dum insumitur. *Vt ergo innumeras tibi ostendam mortes, tot vtique Paulus pertulit, quot dies beatus iste in prædicatione vixit.* *Chrysost.*

57. *Et tamē concionando, viuit. & si non concionatur, moritur. 1 Cor 9. August.*

Hinc colligo, adstrictos nos Apostolo, quando id quod tam molestum erat illi, tam assiduè, tam diligenter impendit, ac si ei necessaria esset ad vitæ conseruationem prædicatio, *Si euangelizauero*, inquit, *non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit*, 1. Corinth.9. Vbi Augustinus lib. de oper Monach. cap.3. *Væ erit mihi, inquit, si non euangelizauero, quia fame cruciabor, & vnde viuam, non habebo.* O viri difficilis incolumitas! Si concionatur, moritur: si non concionatur, spirituali fame perit. O mirabilis Apostolus! concionaris vt viuas, & viuis, vt concionando moriaris. Tibi munus concionandi mors; sed te viuere concionando affirmas, quia nobis vita, tua est prædicatio.

58. *Merces concionā Pauli fuit, prædicasse sine mercede.*

Nonnulli sic sententiam præmissam: *Necessitas mihi incumbit*, exponunt, vt asserant Paulum ex ministerio concionandi subsidia temporaria accepisse. Profectò subsidium Paulo solum fuit, non grauare auditores, accipiendo illud, quod sanctè poterat, ad vitæ alimentum; sed id renuncians, vt gratis impenderet, quòd gratis à Domino acceperat. *Quæ ergo merces* (rogat Paulus) *mihi erit?* Ad quæ appositè August. citatus, *Quæ ergo tibi merces erit, Apostole, quando mercedem istam terrenam etiam euangelistis bonis debitam, & oblatam ex Domini ordinatione tu non accipis?* Quæ tibi ergo merces erit? Vide quid respondeat. Vt euangelizans, sine sumptu, inquit, ponam Euangelium. Id est, vt non sit fidelibus sumptuosum Euangelium. Et vt vulgatiter exponam: *Mi premio es, auer seruido de valde.* Vtinam multi Pauli adsint imitatores! Vereor, ne profundatur sermo pro munere; ne suggesta ambiantur, vt cathedræ ob mercedis redditum, potiùs quàm ob animorum reductionem, *1. Cor 9. August.*

Observatio VII.

Ad illa verba.

Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Paulus-ne Spiritus?

Innuo Euangelici ministri lucem, castimoniam, patientiam, velocitatem; vnde D. Xauerium commendo.

59. *S. Xauerius commenda. Imperf.*

SPIRITVS diuinus semper in vobis loquitur, quia in ipso viuitis, & operamini, quasi in eundem Spiritum conuersi. Imperfecti Auctor, *Ad maiorem consolationem Apostolorum non dixit: Spiritus Patris vestri, qui loquetur in vobis; sed, qui* loquitur. *Vt ostendat, quia non solum tunc, sed nec modo aliquid sine spiritu Dei faciunt, aut loquuntur.* Nihil faciunt sine Dei Spiritu, qui in Spiritum transformantur. Hinc Paulus, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Si nihil sine Christo operor.

60. *Vti Spiritus Paulus circa puritatis virtutem.*

Spiritus proculdubio Paulus nihil gerens, quod carnem sapere videatur. Ideo Chrysostomus Paulum cum castissimo Iosepho componens ait homil.1. *Sed & Ioseph pudicitiæ virtute decoratus est. At ego vereor, ne iam ridiculum sit, hinc velle Paulum laudare, qui semetipsum Mundo crucifigens, non solum humanorum corporum pulchritudines; sed etiam omnia, quæ videntur clara, atque decorata ita cernebat, quemadmodum nos fauillam, cineremque despicimus, qui quasi mortuus prorsus ad mortuum immobilis permanebat. Itaque cum tantâ animo curâ comprimeret incentiua vitiorum, & naturæ, nihil humanum ab aliquo aliquando perpessus est.* O Paulum spiritum! Expende τὸ *Quasi mortuus ad mortuum immobilis permanebat.* Ac si diceret: Corpus Pauli quasi mortuum se se ad libidinis stimulos ostentabat. Paulo datus carnis stimulus, fante ipso. *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Stimulus planè, sed *mortuus ad mortuum.* Nam si mortuus Paulus ad stimulum carnis, mortuus proculdubio Paulo carnis stimulus. O corpus sanctissimum in spiritum prorsus immutatum!

61 *Spiritus in morem, velocissimum, Solis comparatur. Chrysost.*

Nulla ergo corporis memoria coram Paulo geratur, spiritus totus est. Non defuere qui Solem spiritum esse opinarentur cursus velocitatem contemplati. Porrò Paolus quasi Sol sine corpore, vel intelligentiâ Solis dirigens gressus proculdubio ostenditur. Chrysostomus hom.8. in Paulum, *Sol quidam est hominibus Paulus, qui totum prorsus Orbem fulgentibus lingua suæ radijs illuminauit. Quippe vniuersas circumeundo Gentes cursum omnino Solis imitatus est, ac Mundi regiones omnes, quasi libero à corpore animo peruolauit.*

62. *Hospitem Paulus animo excipiebat, quia totus spiritus.*

Quàm pulchrè ait Doctor, *Quasi libero à corpore animo!* Actiones gerebat non Paulus, sed animus Pauli quodammodo, quia quasi liber à corpore animus peruolabat, seu (aptiùs dixero) totus Paulus animus, spiritus erat. Ideò homil.

Chrysost. homil. 1. idem Doctor scripsit. *Quid in Dauide præcipuum reperitur? Proculdubio hospitalitas, atque erga Deum seruens amor. Et quis amplius, imò quis ita vt anima Pauli hæc vtraque compleuit?* Vtraque compleuit anima? Amoris anima capax quidem, non corpus, Paulus totus spiritus quodammodo est, quo modo amoris capax hospites capere videtur.

63. Hinc collige, quàm dira Paulus tormenta subiret, qui animo vulnerato dolebat. An Iob patientissimus victus à Paulo? Ita planè, quia Iob tormenta corpore, Paulus autem grauiora ipso in animo sustinebat. Pulchrum accipe Chrysostomi citati testimonium. *Vermes atque vulnera sanos ac intolerabiles Iob inferebant dolores, fateor. Sed si per tam multos annos Pauli verbera, &, cum iugi fame, etiam nuditatem, catenas, carcerem, insidias, periculáque considerés, quæ à domesticis, ab extraneis, à Tyrannis, à toto patiebatur Orbe: videbis quàm erit omnino saxo durior anima ista perpetiens. Quæ enim Iob corpore, hæc Paulus mente tolerabat.*

In animo Paulus est passus, quia totus anima erat.
Chrysost.

64. Iam Paulum Angelum contemplemur. Dauid, *Potentes virtute, facientes verbum illius*, Psalm. 102. En Angelus præstat in obsequenti diuini præcepti executione. *Qui facit Angelos suos spiritus*, Psalm. 103. Ecce Angelus in cursu excedit velocissimo. Paulus igitur Angelus est. Consequentiam Chrysostomus concedit fatus, *Paulum Angelis comparemus. Quid in Angelis magnificum prædicamus; Quia cum omni cura obediunt Deo. Hoc in Paulo planè animaduerti potest cum omni diligentiâ seruatum. Quid aliud in Angelo? Qui facit Angelos spiritus, & ministros ignem. Hoc etiam in Paulo possumus inuenire, qui velut ignis, ac spiritus totum terrarum percurrit Orbem, percurrendóque purgauit.*

Paulus Angelus.
Psal. 102.
Psal. 103.
Chrysost.

65. Cur existimas ad tertium cælum eleuatum Apostolum? Quia Angeli socium hîc peregrinantem videntes rapuêre, ac veluti errantem quondam ouiculam ad Angelicum gregem reduxerunt. *In Paradisum* (inquit Constantinopol. Præses) *raptus, & in tertium cælum sublenauit, ineffabilis arcani fecit esse participem Deus Paulum, solúmque mysteriorum conscium, quæ nulli hominum fas fuerit confiteri. Nec immeritò, si quidem Paulus in terrâ gradiens, sic se agebat in cunctis, quasi Angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantísque fragilitatibus subditus, in nullo inferior superioribus virtutibus apparere certabat.* Socius noster es, Paule, quid apud terricolas commoraris? Ad Angelorum veni domicilium.

Eleuatur ad calū à socys Angelis.
Chrysost.

66. E superis quidem reuersus Paulus Angelus, vt sit custos Ecclesiæ. Perficiat Chrysostomus argumentum. *Angelis sæpè diuersarum Gentium cura commissa est. Sed nullus illorum ita creditum sibi populum gubernauit, vt Paulus gubernauit vniuersum Orbem. Michaeli gens commissa est Iudæorum, Paulo verò terra, ac maria, atque vniuersi Orbis habitatio, ipsúmque desertum. Et hoc non ad iniuriam, (quod absit) Angelorum; sed ostendimus esse possibile illis hominem copulari, iuxtáque illorum merita consistere.* Quæ quidem omnia ad nostrum Xauerium Iaponiorum Apostolum tam velociter cursum immensurabilem consummantem terræ, maris, deserti, veluti custodem Angelum, Solem fulgentissimum, Spiritum omnino vel à carnis stimulo liberum, non difficile transferre.

Paulus Angelus, seu totius Orbis custos.
Chrysost.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus, &c.

Quid de diuinitate Pauli homines senserint?

Ostendo humilitate homines quasi diuinos reddi.

PAVLVM vidisti spiritum, Angelum. 67.
Quid si Spiritus diuinus appareat? Profectò quasi Deus potuit Apostolus ab hominibus iudicari propter egregia innumera. Ob vnam autem humilitatis virtutem ad Deitatis quodammodo thronum assumptum ostendam.

Sic ille Corinthiis, *Timeo, ne quis de me cogitet, super id, quod videt in me, aut audit ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet*, 2. Corinth. 12. Quæ videntur in Paulo, tam egregia sunt, vt necessum illi se hominem proclamare, ex indice viliori humanitatis, scilicet ex concupiscentiæ stimulo. Nec ideo potuit hominum reprimere errores cogitantium diuinitate eum condecorari. Audi Origenem homil. 25. in Lucam, *Nolebat Paulus omnia de se indicare, quæ nôrat; ne quis de eo plus arbitraretur esse, quam cerneret: & mensuram honoris excederet, dicens quod dictum fuerat de Ioanne, quia ipse esset Christus. Vnde in tantam nonnulli audaciam proruperunt, vt noua quædam, & inaudita super Paulo monstra confingerent.* Alij dicunt, *quòd Paulus sedeat à dextris Saluatoris. Alij legentes, Mittam vobis aduocatum Spiritum veritatis, nolunt intelligere tertiam Personam Mundo promissam, sed Paulum Apostolum. Figmenta sunt hæc hominum.* Fateor, sed indicantia quanti merita Pauli ab hominibus æstimarentur.

68.
Operit Paulus quid sit, ne Deus habeatur.
2. Cor. 12.
Origen.

Porrò illa ipsa humilitas, quâ Paulus curabat egregia, *quæ de se nôrat* operire, ne Deus ab hominibus falsò haberetur, eum quodammodo fecit posse Deum vocitari. *Habeo*, inquit, *gloriam in Christo ad Deum*, Rom. 1. Vbi Ambrosius, *Gloriam habere se dicit apud Deum per Christum Iesum. Hinc est, vnde gloriam se ostendit habêre ad Deum. Seruiens enim Christo, gloriam habet ad Deum, in tantum, vt indigere non habeat aliquid diuina virtutis, quod sibi præstitum non sit.* Ac si diceret, Nihil habeo, quod non à Deo per Christum acceperim, nihil apud me rutilauit, vnde Deus posset excitari ad huiusmodi mei electionem, qui terra sum prorsus vacuà, & inanis. Porrò tam salutaris Apostolo huiusmodi humilitas, vt Dei quodammodo fuerit omnipotentiâ donatus.

69.
Ex ipsa humilitate, ducitur peregrina natura, Deus scilicet.
Rom. 1.

70. Expendo efficacius Pauli submissionem. Peccatoribus se sanctissimus Apostolus posthabendum duxit. *Iam, inquit, saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis, & vtinam regnetis; vt & nos vobiscum regnemus*, Rom. 5. Cur non se priùs regnaturum dixit: *Vt & vos nobiscum regnetis?* Se se peccatoribus inferiorem efficit, vt diuinâ potentia fulgere videatur.

Peccatoribus se posthabendum Paulus ducens potentia Dei fulget.

Rom. 5.

Ambros.

Ambrosius, *In quibus tanta vitia arguit, regnare illos dicit. Sic tamen ordo fuerat dicere: Vt nobiscum regnetis. Regnare autem est de spe, & promissis Christi securum esse, & gaudere in ijs, quæ aduersa propter nomen Christi accidunt. Cùm infirmor autem, tunc potens sum.* Me infirmum agnoscens, me cunctis peccatoribus submittens, ad diuinæ omnipotentiæ quodammodo fastigium extollor. Ex adnata quidem humilitatis celsitudine.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

Qua ratione diuinæ filiationis imago reluceat in Paulo?

Vbi assero, dilectionem inimicorum nos quasi Christos Dei Filios efficere.

71. CVR non dixit, *Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis*, sed, *Spiritus Patris vestri?* Vt ostendat Apostolico spiritu donatos, quasi filios Dei effectos fuisse, Christi vtique fratres, seu Christos. Porrò Paulus Dei quasi filius, Christi Domini frater; imò Christus Dominus ipso clamante: *Viuit in me Christus.* Quam perfectè Iesum Apostolus referat, paucis confirmo.

72. De Christo Dauidis vaticinium: *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius*, Psalm. 18. Hieronymus, A summo cælo egressio eius, à Patre non temporalis; sed æterna, quia de Patre natus est. Augustinum sequor sic exponentem: *Verbum caro factum non permisit, vllum mortalium excusare se de vmbra mortis, & ipsam vmbram penetrauit calor Verbi.* Quonammodo Christus ab Orientali in Occiduam plagam se contulit, iterum illinc ad locum priorem rediturus? Certè quia iter hoc perfecit in Paulo in quo viuere affirmatur: *Viuit in me Christus.* Hieronymus lib. 2. in cap. 5. Amos, *Paulus ab Oceano vsque ad Oceanum currit, imitans Dominum suum, & Solem iustitiæ, de quo legimus. A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Quomodo Christum imitatur Paulus Solem vtique iustitiæ, si Christus non ex Oceanó in Oceanum auolauit? Profectò Christus ab Oriente in Occidentem cucurrit in Paulo, quia in Paulo viuens perrexit in Paulo, & Paulus simul cum Christo currens, Christum, à quo velocitatem accipit, imitatur.

In Paulo Christus à summo cælo in occasum currit.

Psalm. 18.

Hieron.

73. Dixerat Apostolus, *Timeo, ne quis de me cogitet super id, quod videt in me*, 2. Corinth. 12. Nihilominus id præcelsum manifestat. *Viuo ego, iam non ego: viuit in me Christus.* Videmus igitur Christum in Paulo. Obsecro itaque, fratres, vt videntes in me Christum viuentem, nihil de me cogitetis *suprà id*, quod videtis in me. Nullus audeat affirmare me Christum, sufficit me Christi domum electam reputari. Pulchrè Origenes (quem supra retuli) hom. 25. in Luc. *Nolebat Paulus, omnia de se indicare, quæ nouerat, ne quis de eo plus arbitraretur esse quam cerneret, & mensuram honoris excedens, diceret: Quia ipse est Christus.* Proculdubio argumentum perspicuum erat Christum viuere in Paulo, vt Christus posset reputari ab indoctis: *Ne ergo quis de me cogitet super id, quod videt in me.* In te videmus Christum, ergo si de te possumus cogitare iuxta id, quod in te videmus, ô Paule, Christus es. Minime, Corinthij fideles; sed domus Christi: Viuit in me Christus; & ne Christus à vobis habear, iam hîc ego non viuo. O Apostole, quàm difficilem suscipis prouinciam, curans te Christum non reputari, si priùs dixisti: *Viuo ego, & viuit in me Christus*, addens, *Iam non ego.* Si viuit, iam non Paulus & tamen viuis. Ergo viuis Christus, qui viuit in te iam non te.

Videntes in Paulo Iesum viuentem, merito cogitamus Paulũ esse Iesum.

2. Cor. 12.

Origen.

Opera Apostoli recenseo, è quibus efficacius ostendo Christum debere reputari. Dilectionem inimicorum edocens Saluator ait: *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est*, Matth. 5. Vbi Chrysostomus homil. 3. in Paulum, *Diligere Deum, nobisque familiares, commune est. Propterea Dominus, Orate pro calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri. Vis videre an* Spiritus Patris Pauli loquatur in Paulo: *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis? Patris vestri* dixit? vnde Paulus Dei filius specialissimè est ex inimicorum dilectione: *Vt sitis filij Patris vestri. Hoc igitur* (adiicit Doctor) *& Paulus intelligens, cunctorum caput esse bonorum, omni in se studio exprimere curauit. Nemo enim ita dilexit inimicos, nemo erga insidiatores suos tam beneficus fuit, nemo pro afflictoribus suis tanta perpessus est.* 74.

Ex amore inimicorum Paulus Dei filius videtur.

Matth. 5.

Pondero τὸ, *Nemo ita dilexit inimicos.* Dauid præstans dilector inimicorum, attamen *iniquitatem odio habuit*, insaniã inimicorum odio est prosequutus, licèt naturam amore amplecteretur. Non parum est in filio phrenetico naturam humanam diligere, licèt non ametur insania. *Vt aliquis* ait Chrysostomus *indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesi comprehensum, ita Paulus.* Profectò Apostolus excedit patris indulgentissimi dilectionem non solùm amans insanos inimicos, sed & ipsam miseratione prosequens insaniam. *Orate* (adhuc Chrysostomus) *pro persequentibus vos. Nemo ita ac Paulus amauit inimicos. Non illa enim, quæ patiebatur, sed naturæ copulam cogitabat.* Magnum dilectionis documentum, insani naturam amauisse. En maximum, *Quantò amplius efferabantur inimici, tanto magis eorum miserabatur insaniam.* Quis ita inimicos dilexit? Cuiusnam amor sic naturam communem inimicorum transgrediens ad ipsam vsque efferatam insaniam miserando penetrauit? Quàm verè Paulus Dei filius, quàm Christus videatur. 75.

Paulus non solùm insanos peccatores, seu insanorum naturam amauit, sed & ipsam eorum insaniam miseratus est.

Chrysost.

Observatio X.

Ad illa verba:

Sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

Num vno in Paulo omnia contineantur.

Vbi adnoto quàm sit omnimoda perfectionis homo capax.

76. Cuncta in Deo adeò adsunt virtualiter creaturæ, vt contineat eminentissimè omnium perfectiones. Vnde *Deus & omnia* verè appellatur à Bernardo. Profectò Deum decens appellatio decorauit etiam Apostolum authore Theodoro, *Paulus denique erat omnia.*

Theod.

77. Quænam *omnia?* Elementa, cælum, animantia, homines, Angeli, virtutes, Paradisus. Hæc omnia Apostolus. Paulus in primis elementa continet. An ignem? Theodorus, *Paulus flammam lingua emittens, erat dæmonibus intolerabilis.* Quod si ignis totum à superiori plagâ circuit terrarum Orbem, Paulus circulo totum Orbem complectitur. Chrysostomus serm. 1. de Paul. *Paulus velut ignis totum terrarum Orbem percurrit, percurrendóque purgauit.* An Aër? Si Paulum obiicis huc illúcque gradientem, eum vento velociorem iudicabis Theodorus, *Ad hos currebat, ad illos veniebat, ad hos transibat, ad illos resiliebat, vento inuadens celeriùs.* An Aqua? Respondet Chrysostomus homil. 55. in Act. *Cui comparauerit quis Pauli verba? Mari, an Oceano? Sed nihil par est, illo sunt verba eius copiosiora, puriora, & profundiora. Et sic non peccabit quis, si cor Pauli mare dixerit, cùm ob puritatem, tum ob profunditatem. Mare est, nauigantes non à ciuitate in ciuitatem, sed à terrà in cælum vehens. Si quis in hoc mare nauigauerit, secundà aurà nauigabit, &c.* An Terrà? Theodorus prægnantem scripsit sententiam. *Neque vllus poterat ad Paulum accedere vno corpore totum Orbem terra occupantem.* Quare vno corpore nullus posset accedere ad totum Paulum An quia inexorabilis? Nihil eo mitius, & benignius. Cur igitur? Quia Paulus totum quodammodo terrarum Orbem occupabat. Hac exaggeratione ostendit Doctor Orbem esse terrarum, & quodammodo immensum Orbis comprehensorem.

Paulus continet Ignem, Aërem, Aquã, Terram. Theod. Chrysost. Theod. Chrysost. Theod.

78. Deinde Cælum Apostolum ostendo continere. Chrysostomus eum omnibus cælis aduocat sublimiorē homil. 55. in Act. *Cælum erat ille Solem habens iustitiæ, atque adeò vir ille cælo melior est.* Cælum-ne hoc Astrorum domicilium? Supra vidimus Solem Apostolum. Reliqua-ne cælestia bona reperiuntur in Paulo? Doctor idem respondet, *Inueniet in eo omnia bona, quæ sunt in regno cælorum, & poterit fieri Rex, & totum Mundum accipere, inque summo honore esse,* quicumque Paulum inuenerit.

Paulus Cælum. Chrysost.

79. Præterea Paulus animantia cuncta. Volucris fuit, qui tanquam alatus hùc illùc peruolabat, Theodorus, *Tanquam si alatus esset, omnia faciebat.* Leoni animantium principi eum idem Auctor comparat. *Tanquam Leo rugiens, sic inuadendo, erat dæmonibus intolerabilis, & in omnem partem assiduè transiliebat.* Ouis appellatur ab Augustino in serm. Conuers. A Gregorio suprà citato non ad direptionem, sed ad gregis custodiam, *lupus* *Aries* denique à Chrysostomo *Equus*. Mitto plura.

Paulus cuncta animantia. Theod. August. Gregor. Chrysost.

80. Cæterùm vno in Paulo hominum sanctissimorum Collegium adest. Ideo Theodorus, *Siue Propheta præclarum aliquid effecerunt; siue Patriarchæ; siue iusti; siue Apostoli; siue Martyres. Hæc omnia Paulus adeò summè habet comprehensa, vt nullus magis illorum possederit id, quod habebat bonum.*

Paulus sanctorum Collegium. Theod

81. Iam superiùs vidisti Paulum Angelis exæquari, imò præferri. Addit Theodorus, *Quando quæcunque sunt bona inter homines, ita vna comprehendit anima, & omnia insigniter: non solùm autem, quæ sunt hominum, sed quæ Angelorum, quomodo assequemur laudum magnitudinem?*

Paulus Angeli. Theod.

82. Quid denique de virtutibus cunctis in vno Paulo colligatis attexam? Appellabo eum omnium virtutis germinum paradisum? Chrysostomus homil. 1. de Paul. *Nihil prorsus errauerit, qui pratum insigne virtutum, & Paradisum spiritualem Pauli animum nuncupauerit. Tam mirà enim gratià floruit.* Perficit Theodorus argumentum. *Qua ergo non fuerimus digni condemnatione, si cum vnus homo omnia in se bona sit complexus, nos ne minimam quidem eius partem imitari studeamus?*

Paulus cunctæ Virtutes. Chrysost. Theod.

Observatio XI.

Ad illa verba:

Sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Paulus omnibus omnia factus est.

Assero cunctis cuncta fieri, qui vera dilectionis igne succenditur.

Parum esset, Paulum omnia esse ad Dei Patris imitationem, si non simul omnia omnibus fieret. Deus enim *tribuens omnia* nuncupatur. Paulus itaque omnibus omnia factus est, etiam ad Dei imitationem. 83.

Vas electionis Apostolus plenum omnibus se in omnibus profudit. Chrysostomus homil. 1. in Paulum, *Quoniam Paulus vas electionis effectus est, largissimè in eum sancti Spiritus munus effusum est.* Au sibi retinuit plenitudinem? *Vnde*, addit, *& mirabiles nobis fluuios genuit, non secundum Paradisi fontes, quatuor tantùm; sed multò etiam plures, & quotidie fluentes.* 84.

Vas plenum Paulus omnibus profundit liquorem. Chrysost.

Tam adnatum Apostolo omnibus omnia dare, vt accipiens dona vas nominetur; dans autem, Paradisi fontibus aut fluuiis vberior asseratur 85.

Testetur ipse, *Factus sum Iudæis, tanquam Iudæus, his, qui sub lege erant, tanquam sub lege essem. Factus sum infirmis infirmus. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos,* 1. Corinth. 9. Vbi Chrysostomus, *Omnem homi-*

Paulus omnibus omnia fit, vt à Deo om... Paulus ... 1 C...

nem Deo exhibere cupiebat, & omnes, quantum ad ipsum spectabat, exhibuit. Quid præstabo (ait Paulus) vt omnes homines salute donentur? Fiam Iudæis Iudæus, Gentilitati Gentilis quodammodo; vt, me aspiciens Dominus in Iudæis & Gentilibus, eorum gerentem personas, sibi vtrique (vt spero) gratum, & donandum salute, illos simul mecum ad vitam excipiat.

86. *Paulus suam sedem supernam relinqueret, vt alius fratrũ sederet?*

Quid, ô Paule, si tibi ac tuis simul sedes superna non adsit? Sedeant illi, licèt ego cælicum non ascendam ad thronum. Num non feruens charitate Moses, qui vel suis ignosceit, vel se cum illis voluit è vitali libro deleri? *Aut ignosce eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Longè superior Paulus, qui deleri voluit, vt sui scriberentur. *Optabam ego* (ait) *anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Quàm bellè Chrysostomus citatus! (Chrysost.) *Moysem Paulus satis eminenti virtute transcendit, cuius inter multa præclara, illud est fastigium meritorum, quod pro Iudæorum salute deleri elegit ex libro vitæ. Sed Moyses cum cæteris elegit perire, Paulus pro cæteris. Non enim cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarentur alij, ipse de gloria æternitatis decidere.* Ac si diceret Paulus, Si sedes vel vna cælestis desit vni, numero Prædestinatorum expleto, sedeat obsecro vnus ex fratribus, ex filiis, licèt ego (ô charitas!) cum stultis virginibus sine sede relinquar.

87. *Paulus ipsa est Charitas, qua omnibus omnia.* 1. Cor 13.

Quid mirum si Paulus ipsa Charitas est? *Si habuero,* ait, *prophetiam, & nouero mysteria omnia, & omnem scientiam, & omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum,* &c. 1. Corinth. 13. Nihil sine charitate Paulus. At cum charitate quid? *Omnibus* prorsus *omnia factus sum.* Vis ostendam me cum charitate omnia omnibus fieri? Mundus æger meâ indiget medicantis patientiâ? *Charitas patiens est.* Peccator inueteratus benignitatem requirit? *Benigna est.* Per submissionem sanandus superbiâ affectus? *Non inflatur.* Pellenda auaritia? *Non quærit, quæ sua sunt.* Ambitio superanda? *Non est ambitiosa.* Phrenetico Mundo tolerantia & mansuetudo adhibenda? *Non irritatur.* Falsa hominum comprimenda iudicia? *Non cogitat malum.* Alliciendi à me homines Iudæi ad mandatorum iugum, Gentiles ad veræ Deitatis cognitionem, ad spem futurorum? *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat,* quia omnibus omnia facta est. Porrò Paulus charitas ipsa effectus charitatis refert proprietates. Perpulchrè Chrysostomus hic. (Chrysost.) *Vt missum in ignem ferrum totum ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas.* Quonam Mundi fructu? *Qui quasi totius Mundi communis esset pater, ita amore hominum ipsos eorum imitabatur parentes; imo cunctos pietate, & mansuetudine superabat.* Paulò superiùs, *Quasi vniuersum Mundum ipse genuisset, sic perturbabatur, sic curabat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo, orando pro ipsis, corruptores animarum fugando, aliquando epistolis, aliquando præsentia, nunc sermone, nunc per Discipulos, nunc per semetipsum, conabatur erigere iacentes, stantes firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare.* O Pauli charitas omnimoda cunctis omnia!

88. *Voluntas bona Pauli ad omnium salutem extenditur. Dei referens conditionem.* 1. Cor 9.

An in Apostolo personarum acceptio? Omnes allicere curabat ad Christum ex præfatæ charitatis affectu. Angeli concinuerunt, *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* Luc. 2. Pax hæc omnibus præparatur, quia bonæ voluntatis, seu charitatis est omnibus subuenire. Pauli munificentia omnibus impenditur, quia bonæ voluntatis est. *Væ mihi,* ait, *si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo,* 1. Corinth. 9. *Volens vtique omnes saluos fieri* (vt Dei referam conditionem) euãgelizo, vt omnia per voluntatem, seu charitatem omnibus fiam. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 14. (Ambrof.) *Vide voluntarium executorem cælestis arbitrij, Liber erat ex omnibus, & omnium seruus est factus voluntate,* seu charitate, *vt plurimos lucraretur. Infirmus infirmis factus est, vt infirmos assumptione infirmitatis propria sustineret. Omnibus omnia factus est voluntatis obsequio.* Et quando non bona voluntas; seu perfecta dilectio omnibus omnia facta est?

PARS QVARTA.

BARNABAS PAVLI.

PARAPHRASIM, COMMENTARIVMQVE literalem ad Caput Decimum Matthæi, à proximâ Parte tertiâ perquire.

PANEGYRICI MORALES
IN BARNABAM APOSTOLVM.

PROLVSIO.

PAVLI encomijs Barnabæ necessum mihi elogia copulare; & quia inseparabilis societas gesta communia suscitauit, & quia Euangelij eadem lectione vnus & alter collaudatur. *Diffusa est* (loquor cum Alexandro Monacho apud Sur.) *oratio nostra, dùm admirabilem, diuinum, & optatissimum Apostolum Barnabam laudibus extollere cupit. Huius admirabilis viri laudes maiores sunt, quàm vt nostra oratio illas attingere possit.* Vnde diuinis literis concedamus, *Vt Barnabæ semper decantati, & celeberrimi socij Pauli, ei quidem simillimi, caput magnifico illo præconio coronent. Erat Barnabas vir bonus, & plenus Spiritu Sancto, & fide.* Act. II. *Quid huic præconio par, aut vnquam fuit simile?* Hactenùs Monachus.

SECTIO NONA.

Barnabas, Ouis, Serpens, Columba.

TEXTVS.

VERS. 16. ECCE ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

In Barnabam
PANEGYRICVS MORALIS NONVS
circa literam.

Ex Oue, Serpente, & Columbâ Apostolo.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ecce ego mitto vos, &c.

Barnabas electus, imò prælectus Apostolus à Christo impassibili, à Deo Patre.

Vbi ostendo præcelsum beneficium è melioribus præligi, ad Religionis claustra.

STRABVS sic exponit sententiam: *Ecce ego mitto vos, congruit quod secundum Ioannem: Sicut misit me Pater ad passionem, sic & ego mitto vos, non ad gaudia, sed ad passiones.* Ego passibilis vos ad passionis tolerantiam immitto. Omnes certè Apostoli (Paulum & Barnabam si demas) vel à Christo passibili, r. Strab.

ſibili, vel Apoſtolicâ electione aſſumpti fuere. Hæc auguſta Pauli & Barnabæ gloria, fuiſſe à Chriſto impaſſibili electos.

2. *Barnabas & Paulus à ſolo Deo electi in Apoſtolos.* Abul.

Abulenſem quæſt. 25. præmitto, quærentem: *Quomodo dicitur, quod fuerint duodecim Apoſtoli, quia præter iſtos fuit Matthias Apoſtolus, fuit etiam Paulus & Barnabas. Ergo quindecim fuerunt Apoſtoli.* Reſpondet autem: *Apoſtoli ſemper ſunt duodecim, ſicut Chriſtus elegit eos duodecim.* Ad obiectionem autem de Paulo & Barnaba, necnon de Matthia, hæc ſubiicit: *De Paulo & Barnaba dicendum, quod Apoſtoli ſunt, non autem pertinent ad illum numerum, nec adduntur eis; ſed ſunt Apoſtoli per ſe pertinentes ad aliam modum Apoſtolatus, & diſtinguuntur ab alijs Apoſtolis in multis.* Attende, precor: *Primò in electione, quia alij fuerunt electi per Chriſtum manentem in carne, vel per alios Apoſtolos, ſicut Matthias, qui fuit electus ab vndecim. Paulus autem & Barnabas fuerunt electi à Deo, id eſt, non à Chriſto hic in carne manente, nec etiam ab alijs Apoſtolis, ſed à ſolo Deo per reuelationem. Act. 11. Vbi dixit Spiritus ſanctus, ſegregate mihi Paulum & Barnabam in miniſterium, ad quod aſſumpſi eos.* Sic innuit ipſe Paulus ad Galatas: *Paulus Apoſtolus* (factus ſcilicet) *non ab hominibus, nec per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem,* cap. 1.

Act. 11. — Gal. 1.

3. *Barnabæ Apoſtolatus ad altiorem ordinem excogitatum à Chriſto impaſſibili videtur pertinere.* Auguſt.

Hinc Barnabæ rutilat gloria. Eius enim Apoſtolatus ad alium ordinem excogitatum à Chriſto impaſſibili videtur pertinere. In cuius expoſitionem Auguſtini ſerm. 39. ad frat. elegans commentarium ad illud Dominicum: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos;* accipite: *Eſt enim ſenſus talis: Non vos me elegiſtis; ſed ego omni modo eligendi elegi vos. Sunt enim tres modi eligendi, electio, ſubelectio, & prælectio. Electio eſt, quando de multitudine bonorum & malorum eligitur bonus; ſicut de torculari oleum ſeparatur. Subelectio eſt, quando de bonis electis eliguntur meliores. Poſteà quando de melioribus optimi eliguntur, prælectio eſt.* An non Barnabæ electioni adnata ſententia? De multitudine bonorum & malorum bonus eligitur. Diſcipulus à Chriſto mortalem vitam agente, mente ſubeligitur de bonis in Apoſtolum. At quia ad alium ordinem Apoſtolatus pertinebat, iam à Ieſu impaſſibili & immortali de melioribus inter optimos adnumerandus præeligitur.

4. *Barnabas ſicut Aaron electus eſt è melioribus, prælectus quidam.* Auguſt.

Exemplo confirmabo. Ex omnibus hominibus ſub cælo degentibus populum Deus Iſraeliticum elegit. Ex electo Iſraelis genere Leuitica Tribus Tabernaculo miniſtratura ſubeligitur. Ex melioribus denique Leuitis Aaron & filij eius, in Sacerdotes prælecti celebrantur. Auguſtinus: *In hanc prælectionis ordinem electus eſt Aaron, & filij eius, vt Sacerdotio fungerentur coram Domino. Primò enim Dominus ex omni Natione, quæ ſub cælo erat, Iſrael elegit in populum peculiarem ſibi; de ijs autem ſubelegit filios Leui. De quibus prælegit filios Aaron.* Barnabas ſit tibi Aaron ex melioribus ad optimorum numerum prælectus, *vt oblationibus* (adiicit Doctor) *ſuis indignationem Domini in populum placaret.* An non maximum Dei beneficium? Num non in egregiam prælecti commendationem?

Inde ijs qui ad Regulare inſtitutum aduocantur, Auguſtinus ſubſcribit documentum. *Ad hunc ſanè modum elegit nos,* ab improbis ſcilicet ſegregans. *Subelegit, cum in ſortem Sanctorum vocauit nos, & in ordinem Clericatus: ſed cum in ſtatum Heremitarum promouit nos, prælegit nos. Magnum eſt enim, fratres, quòd elegit nos. Maius eſt, quòd ſubelegit, ſed maximum, quòd prælegit.* Caue ergo, ne poſt tantum beneficium acceptum ingratitudinis arguaris. 5. *Religioſi maximo beneficio Domini è melioribus ad ſupremos aduocantur.* Auguſt.

Observatio II.

Ad illa verba:

Ecce ego mitto vos.

Chriſtus, qui Agnus fuit, ad lupos immiſſus, obiecto exemplo, Barnabam ouem ad lupos immiſit.

Vbi aſſero, eum qui dicit non faciens, Doctorem, & non Doctorem eſſe.

CHRYSOSTOMVS: *Ecce ego mitto vos, malorum erat eis conſolatio mittentis virtus.* Virtutem-ne dicam, an patientiam? Mittentis certè patientia Diſcipulis malorum conſolatio. Vnde Strabus: *Sicut miſit me Pater, mitto vos, non ad gaudia, ſed ad paſſiones.* Quia me Pater ad paſſiones immiſit. Ego, ô Barnaba, qui Agnus, Paſtor pro omnibus occubui, te Paſtorem; ouem, inquam, à lupis communiendam emitto. 6. Chryſ.

Non efficax Magiſter, qui moleſtiam fugitat, quam curat Diſcipulos edocere. Ieiunium (ex gr.) perſuadere intendis? Ieiuna. Raphaël ieiunij virtutem coram Tobia commendauit: *Bona eſt oratio cum ieiunio.* An ipſe prædicator ieiunij à cibo abſtinuerit? *Videbar quidem, ait, vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inuiſibili vtor.* Tob. 12. Nec Angelus auſus eſt ieiunium prædicare, niſi ſe perfectè abſtinentem oſtendiſſet. Baſilius orat. de ieiun. *Quemadmodum oleum obliniit athletam, ita ieiunium robur addit ei qui ad pietatem exercet ſeſe. Ne quis igitur ſemet excludat à numero ieiunantium, in quo omnis ætas, omnes dignitatum formæ cenſentur, Angeli ſunt, qui praſcribunt,* ſeu prædicant ieiunium, *ac recenſent ieiunantium capita.* Quam imbellis prædicatio ieiunij, ſi Angeli proferentes verbum haud exemplo præiuiſſent. 7. *Magiſter indicens ieiunium curet ieiunare. Sic Raphaël.* Tob. 12. Baſil.

Doctor & non Doctor appellatur, qui verbis curat, non operibus perſuadere. Paulum audite: *Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos, linguis loquens, quid vobis prodero, ſi non loquar vobis in doctrina?* 1. Cor. 14. Vbi quæris, quid doctrina addat linguæ? An non idem eſt Apoſtolum linguis, ſiue diuerſitate ſermonis, ab Spiritu ſancto accepta docere, ac doctrinâ fideles inſtruere? Si igitur voces profundit, diffundit & doctrinam. Ergo lingua & doctrina prorſus idem. Ambroſius: *Hæc omnia* (ſcilicet lingua & doctrina) *idem ſignificant.* Profectò doctrina quædam eſt, quæ ſine doctrinâ 8. *Doctor non Doctor vocandus qui loquens minimè operatur.* 1 Cor. 14. Ambroſ.

ctrinâ traditur; & doctrina est, quæ cum doctrinâ impenditur. Qui docet ieiunium, non ieiunans, castitatem impurus, diuitiarum despectum auarus, doctrinam sine doctrinâ tradit. Qui autem docet, & efficit, doctrinam nouit cum doctrinâ copulare. Quia doctrina non est, sed sonus linguæ inanis, quæ non priùs Doctorem adduxit ad operandum.

9. *Doctrina sine opere sonus vacuus.* 1. Cor. 14.

Confirmat Apostolus, subiiciens: *Quæ sine animâ sunt vocem dantia, siue tibia, siue cithara, si distinctionem sonituum non dederint, quomodo cognoscetur, quod per tibiam canitur, aut citharizatur? Etenim si incertam vocem dat tuba, quis se parabit ad prælium? Ita & vos per linguam nisi significantem sermonem ediderits, quomodo scietur quod loquimini?* 1. Corinth. 14. Significantem sermonem appellat Magistri operationem cum doctrinâ copulatam. Vnde doctrina nuda, haud significans sermo, non ineptè vocabitur. Ambrosius citat. *Si incertam vocem dat tuba, quis se parabit ad prælium? Quoniam exempla faciliùs suadent, quàm verba.* Aptè ergo Dominus post passionem toleratam in Superis residens Barnabam immittit ad pugnam.

Ambros.

10. *Barnabam ouem mittit ad lupos, qui Agnus ad lupos missus fuit.* Matt. 27.

Lupis-ne ouis tradatur? Lupis traditus Agnus sine maculâ fuit. Pilatus, dilutis manibus Agnum Iesum *tradidit voluntati eorum.* Matth. 27. Quia sine rectâ Iudicis sententiâ, sine causæ perfectione neci addixit. Quàm verè Agnus lupis traditus, à quibus, direptoribus quidem, omninò iustum exulat Tribunal. Barnabas ergo Iesu instar Agni, non iudicio occumbit, sed sine Iudice luporum præda ouis efficitur. Antoninus part. 1. t. 6. cap. 14. *Comprehendentes Iudæi Barnabam multis iniuriis affectum ad Iudicem trahere festinabant*, sicut olim Iesum. *Timentes autem ne liber dimitteretur à Præside, funem in collum eius miserunt, & eum trahentes extra Ciuitatem* Cyprum *combusserunt.* En Agnus & ouis in medium luporum, quibus rabida fames præscribit leges, immittitur.

Antonin.

Observatio III.

Ad illa verba:

Sicut oues in medio luporum.

Barnabas ouis ad lupos mittitur, vt eos mutet in oues.

Assero, beneficio societatis bona vel diabolum quodammodo conuerti.

11. Chrys.

CHRYSOSTOMVS serm. de Pentec. *Quis vnquam pastor mittit in medio luporum? sed magis si viderit lupos, congregat oues. At verò Christus è contrario facit. Oues ad lupos direxit, & vulneratæ à bestiis non sunt, sed magis lupi ad ouium mansuetudinem sunt conuersi.* Ingerunt se Apostolicæ oues lupis peccatoribus, vt in oues conuertant, beneficio vtique societatis.

12. *Facillimum lupum ouem fieri ex ouis societate.*

Cur existimes maledicto percuti eum, qui inter oues existens, lupus perseuerat? Quia dum oues lupis addicuntur, facillimè posset lupus in ouem mutari. Vnde non conuerti impœnitudinis efferatæ documentum est. Dominus Mosi: *Anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit proximo suo depositum, &c.* Leu. 6. Legit Cyrillus lib. 4. *Et mentiatur proximo suo pro societate.* Et adiicit: *Sanctorum socios nos dicit Apostolus. Hanc societatem abnegat, quicumque malis actibus suis ab horum coniunctione separatur. Post hæc de rapinâ dicitur. Raptores sunt boni & mali. Boni raptores illi, de quibus Saluator: Regnum cælorum diripiunt. Sunt autem & mali raptores, de quibus Propheta Isaias, cap. 3. Et rapina pauperis in domibus vestris est.* Quàm adnata maledictio ei, qui iniuriam irrogat societati, dùm inter oues rapientes Regnum cælorum, lupus temporalium bonorum raptor existit.

Leu. 6. Cyrill.

13. *Vel Diabolus fit ouis ex ouium consortio.* Caiet.

Fremit *Lupus*, aut *Leo* diabolus, qui *circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes.* 1. Pet. 5. Societas bona eum vtique debellabat, aut resistendo fortiter, aut benignè ad meliorem naturam alliciendo. De fortitudine resistente Caietanus: *Cui resistite fortes, scientes easdem passiones tentationum vestræ fraternitati non nocere.* De societate autem alliciente, lupum ad ouis naturam, sic pulchrè Ambrosius serm. 77. *Ipse diabolus producitur de sua captiuitate captiuus; & qui prædam paulò antè ceperat; ipse subditur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per Sanctos socios fieri, omnibus notum est.* Si diabolus lupus ouis quodammodo efficitur præda aliis lupis obiicienda, Sanctorum societate, quid lupus homo oui Dominicæ adhærescens?

Ambros.

14. *Saulus lupus fit ouis ex Barnabæ societate.* Alexand.

Lupus equidem Saulus coram oue Barnaba, in ouem conuertitur. Apostoli enim Barnabam ad Saulum de Tribu Benjamin rapacem lupum, eius ignorantes mutationem immittũt, vt frangeret, vt ex ouis societate verteretur in ouem. Alexander Monach. apud Surium. *Cum Paulus Ierosolymam reuersus esset, dabat operam vt Iesu Discipulis adhæreret, quem tamen omnes illi multùm eius sæuitiam formidantes fugiebant. At magnus Barnabas illi accurrens, ait: Quousque tandem, Saule, pergis esse Saul? Quare ita petulanter beneficiorum authorem Iesum persequeris? Hæc cùm audisset Saulus ad pedes Barnabæ se deiecit: Ignosce mihi, inquit, lux luminis, & veritatis Magister, Barnaba. Expertus enim sum, & re ipsâ cognosco, vera esse quæ tu dixisti.* Quare, ô Proceres, Petrum non mittitis Dominici gregis pastorem ad lupi sæuitiam confringendam? Fugit-ne ille mercenariorum more? Minimè verò ipse Petrus ouilem Barnabæ callens innocentiam, eum mittit ad lupum, non terroribus vincendum, sed societatis beneficio mutandum.

* * *

OBSER

Observatio IV.

Ad illa verba :

Sicut oues in medio luporum.

Barnabas ouis quidem ; sed quæ in morem Pastoris & canis, non mutatos in oues lupos vulneret & comminuat.

Vbi peccatoris pœnitudinem differentis damno securitatem.

15. *August.* Avgvstinvs elegans commentarius : *Agnos suos Dominus ne fieri in medio luporum misit, id est, homines iustos in medio hominum peccatorum, ad prædicationem Euangelij tempore hominis suscepti, ab inæstimabili diuina sapientiâ, vt nos ad iustitiam a peccato vocaret.* Illam particulam : *Tempore hominis.* premo. Quodnam *hominis tempus* ? Quo hominibus frequenter licet operari, seu pœnitudinem gerere, toto scilicet vitæ curriculo. Ex quo quidem tempore Deus (cuius omne tempus) in peccatorum supplicium assolet sæpè nouissimum articulum accelerare, ita vt æger mente captus, non possit iam, quamuis antea potuerit, ad meliorem se mentem recipere. *Cum accepero tempus, ego iustitiam iudicabo* Mittit ergo Deus oues suas ad lupos, Euangelicos operarios ad peccatores, vt tempore hominis iustitiam inire procurent. Caue, ne Domino tempus accipiente, vt fatua virgo miserè deturberis à thalamo. Vnde mox aduentantibus ouibus pœnitudo à te instituatur, oportet.

16. *Abortiua pœnitentia sera.* Psalm. 1. Dauid cecinit : *Quod fructum suum dabit in tempore suo.* Psalm. 1. Quodnam ligni tempus? Cum debito tempore fructus germinantur. Caietanus : *Tertia conditio est, in fructu continens, & productionem fructus proprij, & tempore debito, ad excludendos fructus abortiuos.* Abortiui fructus vocitantur qui post fructuum tempus hyemi comminuendi obiiciuntur. Abortiua sæpe pœnitudo nouissima. Ideò Paulus : *Nouissime autem tanquam abortiuo, &c.* Nouissima equidem pœnitentia plerumque abortiua est, Domino ægritudinis tempus accelerante, in pœnitentiam differentium vindictam.

17. *Hic aperiri cura cæli portam, mox respondendo, ne sero respondisse videaris.* Matt. 16. Tertull. Petro Dominus : *Tibi dabo claues Regni cælorum : Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis* Matt. 16. Hic aperiendi potestas non post discessum. Tertullianus adu. Gnost. cap. 10. *Si adhuc clausum putas cælum, memento claues Regni eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse, quas hic vnusquisque interrogatus & confessus feret secum.* Interrogatus & confessus ? Quare ergo non mox prepetrato crimine agis pœnitentiam ? Cùm instet discessus, nouissimâ correptus ægritudine interrogabor. At quisnam cælestis tibi affirmauit, te tunc ex ægritudine fortasse mente captum interrogatum responsurum. Multi profectò interrogantur, qui non respondent. *Interrogatus, & confessus* ait ; quia interrogatio non sufficit, si non & confessio sequatur. Postquàm igitur Dominus tempus illud accepit, idem fortè erit, huiusmodi ægritudine capi, ac post vitam de confessione esse sollicitum.

Christo ad superos auolante comites inclamabant : *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Rogant Principes, *Quis est iste Rex gloriæ?* Respondent : *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Psalm, 25. Hinc Valentinus falsò collegit, post recessum à corpore posse hominis spiritum interrogari, & respondere, adeòque peccata aperire. Cui Tertullianus citat. *Scito & ascensum illum exinde complanatum vestigijs Domini, & introitum exinde reseratum viribus Christi, nec vllam moram, aut quæstionem in limine Christianis occursuram, qui non ignosci habeant illic ; sed agnosci; nec interrogari, sed admitti.* Quæstio ad excitandam pœnitentiam, ante spiritûs egressum e corpore. Quod si necessariò ante obitum debeas interrogatus profiteri ; vide num nouissimâ ægritudine correptus, dùm sensus interni molestiis dolorum obnubilantur, possis aptè ad cuncta respondere ? Quid si omninò mens capta in malæ securitatis supplicium Domino tempus accipiente ? *Cum accepero tempus.* 18. *Ruente homine, curandum illicò pœnitere.* Psalm 25. Tertull.

19. *Dexteritate Pastoris vna ouis ex innumeris in nouissimâ calamitate ab æterno leonis extrahitur.* Luc 23. An non in nouissimâ ægritudine constitutus peccator ouis fugitans à Pastore cælesti reuocatur ? Ita planè : sed rara ouis in terris, & non sine specialissima Pastoris dexteritate. Reuoca in mentem vtrumque cum Domino suffixum latronem : Recordare simul vnum solummodò interrogatum respondisse, quando victor leus sanguinis feruentis ac fluentis curabat efficaciam ostentare, quando ægritudinis non tanta molestia, sed integra vis rationis Vnus igitur respondet è duobus ; ex innumeris, inquam si (authore Paschasio) in reprobo latrone tota peccatorum massa designabatur. O quantâ id dexteritate, & curâ Pastoris Theophylactus : *Dominus prædatu portionem diabolicarum prædarum, ducit secum in Paradisum.* Canem quis, exempli causâ, e manu alterius rapere accedit, tenet panis particulam ; at tenente etiam alio, paruulam solummodò rapit portionem. An Dominus vi latronem ex ore Tartarei leonis extraxit ? Curabat totam abripere prædam, qui omnes vult peccatores liberari : sed tenente diabolo, particulam illam portionem dumtaxat, eamque ineffabili dexteritate obtinuit Theophyl.

20. *Barnabas accepit tempus ingratorum, qui miserè periere.* Antonio. Vbinam ineffabilis Pastoris pietas ? Sæpè irascitur, & deserit, & vulnerat, qui peccatores aspicit temporis dati consumptores. Barnabas *consolationis filius* Antonino authore 1.p.tit.6 cap. 18 Mitem semper Dominum imitatus, sed eundem sequutus punitorem lethaliter vulnerauit ingratos. *Euangelium secum deferens, & illud super infirmis ponens, multos sanauit. Quadam autem die cùm videret viros & mulieres nudos, simul currentes, & sua festa celebrantes, indignatus tantâ inhonestate, maledixit Templo, & subitò pars eius corruens multos illorum oppressit.* O Dominicæ ouis sæuitia aliena ! Quando Euangelij pacis profers vitam, æternam peccatoribus mortem indicis ? Christus tempus accepit sibi, & ingratis temporis consum

conſumptoribus locum interrogandi aut reſpondendi ſæpè non relinquit.

Observatio V.

Ad illa verba.

Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes.

Virginitatis margaritam Barnabas extremi iudicij obiectu cuſtodiuit.

Oſtenditur, luxuriei ignem iudicij mortíſque extingui memoriâ.

21. *Caſtitas margarita iuſto danda.* Paſchaſ.

Paschasivs ſic expendit locum lib. 6. in Matt. *Non calliditatem ſerpentis antiqui iubentur habere: ſed ſecundum Phyſicos naturalem eorum prudentiam imitari. Dicunt enim aliqui eorum pretioſiſſimas in capite gemmas geſtare. Quos cum (vt eas poſſint auferre) velint incantare, imprimunt fortiſſime lapidi aurem, & caudâ deſuper aliam cooperiunt, ne vocem audiant incantantis. Quo ſanè facto, & quod pretioſum eſt, cuſtodiunt, & vitam non amittunt. Ita & ſancti Apoſtoli monentur margaritam ſuâ prudentiâ cuſtodire, mentémque petræ, quæ Chriſtus eſt, fortiter imprimere, aurémque carnis caudâ, id eſt, fine vitæ operire, ne vocem audiant incantantis.* Sit tibi margarita caſtitas, quam per *aurem carnis* immiſſæ prauæ cogitationes curant ſurripere. Cuſtodienda eſt caudæ, ſeu vitæ finis, mortis nempè & iudicij meditatione, obiectu.

22. *Ignis luxuriei extinguitur coram iudicij tempore.* Ambroſ.

Ambroſius ex Sabbathi legitimi obſeruantiâ, noſtræque Dominicæ diei myſterio, argumenti exprimit probationem, lib. de Elia & ieiun. cap. 19. *Sabbatho legitimo ignes libidinis adolere eſt vetitum, & Euangelij ſerie octauus dies Reſurrectionis illucet.* Quid mirum luxuriei extingui faces, ſi Reſurrectionis nouiſſimæ memoria colitur, ſi reſurgentes ad Tribunal Domini iudicaturi, ſiſtendi homines obijciuntur.

23. *Medicamen luxuriei eſt ex morte & iudicio confectio.* Ambroſ.

Æterno penè luxuriei morbo vis præſcribam medicamina? Recipe mortem, & iudicium miſce. Ambroſius: *Luxuria nec finem habet, nec obſeruantiam diſciplinæ. Luxuria ſeminarium & origo vitiorum eſt.* Imò ideò ſeminarium vitiorum, quia finem non habet, quia à finis recordatione amouetur. Medeor tamen morbo peſtilenti. Adhibe caudam auri tuæ, finem conſiderationc versâ. *Denique* (addit Doctor) *Propheta Ionas, qui miſſus eſt in Niniuam, vt pœnitentiam prædicaret, tempeſtate turbatur, & iactatus in mare, & exceptus à ceto eſt.* Ion. 1. Quorſum Ionæ iactati in pelagus memoria? Prædicaturus a libidine receſſum aptè ſepulchro incluſus obijcitur: ceto enim exceptus Propheta ſepulchrum figurabat: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, ſic erit filius hominis in corde terræ.* E ſepulchro ſurgens Ionas, iudicijque extremi indicens inſtantiam: *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur* Luxuriei finem non habentis, ex obiectione finis potentiam ſuperauit.

Ion. 1.

24. *Luxurioſo ægrotanti præſcribitur ſepulchri memoria.* Iſai. 22. Ambroſ.

Iſaias clamat: *Vlulate naues maris*: Ambroſius (*naues Carthaginis*) *qui ſeminabat in terrâ, non introibit in negotiationem.* Cap. 22. *Carthaginem etenim* (adijcit Doctor) *Tyrij condiderunt, & ideò Carthaginenſes ſequuntur luxuriam conditorum. Et benè luxurioſos, naues dixit. Sicut enim illa vento, ita hi vino iactantur, & cibo. Tunduntur fluctibus ebrietatis, nec per diem, nec per noctem quieſcunt. Horum mercatorum ſemen in aqua, merces in fluctibus eſt. In aqua enim labores ſuos ſeminant, vt pericula metant.* Iam naufrago luxurioſo dat non pereundi documentum. *Sed eſt & bona terra, in quâ quicumque ſeminauerit, fructus ei cæleſtis oritur.* Quænam terra hæc, ex mente Doctoris, niſi quæ nos vitâ functos præmio excipit? O bonum ſepulchrum, incendij exitialis extinctio!

25. *Qui ex memoria iudicij non ſanat, ſine medicamine perit.* Iſai. 22. Ambroſ.

Quòd ſi poſt mortis & iudicii memoriam adhuc illo quis crematur incendio, vereor ne ſine medicamine depereat. Impudici illi apud Iſaiam: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Cap. 22. E fræno inſumitis laxamentum! Finis in mentem incidens, qui caudæ in morem ab incantatione Circæâ vos deberet liberate, ad liberiorem luxum impellit? Sine medicamine ab ægritudine conficiemini. *Ipſi benè paſti* (adhuc Ambroſius) *ac luxurioſi quid ſibi ſperant, audiamus: Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Meritóque Iſaias exclamat. Vlulate naues, quia perierunt, & non amplius erunt.* Meritò ſine medicamine perit, qui de ipſo ſibi vlteriùs luxuriandi incitamentum comparauit.

26. *Barnabas puritatis gemmam ex iudicij memoria cuſtodiuit.* Alexand.

Præclarè hæc Barnabæ conueniunt, de quo Monachus Alexander: *Virginitatis Barnabas, margarita quædam pretioſa, & Berillus lectiſſimus.* In cuius expoſitionem ſuppono ex Alcazar doctiſſimo Magiſtro meo in Berillo Iudicij grauiſſimi exprimi ſimulacrum. Iam Apoſtoli prudentiſſimus aſtus innoteſcit. Vt caſtitatis cuſtodiat margaritam ipſe ſibi Berillus eſt, in morem ſerpentis, caudam ſeu finem vitæ auri carnis accommodans. O vos floribus pudicitiæ coronati, virginitatem mortis ac iudicii memoriâ cuſtodire. Quòd ſi incantatrix libido, vos hoc expoliauit theſauro, faces ſepulchrales accendite, cum feminâque quærente nummum inuenietis (ex pœnitudine) quod accuratiori prudentiâ cuſtodiatis.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes.

Prudentiſſimus Barnabas antiqui ſerpentis aſtum ſuperauit.

Vbi adnoto, quàm neceſſaria ſit prudentia Concionatori.

27. *Prudentia in Concionatore non aſtutes ſuppleri, vt potentia.* Chryſ.

Chrysostomvm præmitto. *Ecce ego mitto vos. Quaſi dicat: Non turbemini, quoniam in medium luporum mittimini. Poſſum enim facere; vt nihil mali ſuſtineatis, non ſolum lupis non ſuppoſiti, ſed leonibus terribiliores effecti. Deinde, vt aliquid, etiam à ſeipſis inferant,*

rant, & non sine causâ coronari æstimentur, subdit: Estote prudentes sicut serpentes. Christus ergo vires addit, ad pugnam roborat, non autem vult prudentiam omninò supplere; vnde inquit: *Estote prudentes*, qui dixerat: *Possum facere, vt nihil mali sustineatis.* Nihil minùs assolet suppleri, quàm prudentia, Euangelico ministro admodum necessaria. Indocti, rudes, literarum cognitionem, dùm auidè studium impendimus, tandem assequimur; prudentiam autem quis in scholis edoctus est? *Estote ergo prudentes.* Ego vos, quos prudentes esse cognosco, ad prædicationis ministerium immitto.

28 Prudentibus ergo Dominus concionatoribus aperit, quonam actu prudentiâ adnatâ vtendum, ad proximorum reductionem. *Estote prudentes sicut serpentes.* Id est, qoâ viâ serpens antiquus homines decepit, eadem eos vos ad meliorem adducere mentem procurate. Remigius: *Dominus Prædicatores serpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per serpentem deceptus est.* Ac si diceret. Qoia hostis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes sitis ad liberandum. Ille laudauit lignum, *vos laudate Crucis virtutem* Et quonammodo serpentis morem geret, qui imprudens haud callet serpentis astutias?

Necessaria est prudentia, vt alium diaboli astu vincat.
Remig.

29. Maledictionis vulnere affectus olim à Domino serpens, non omninò è medio sublatus. Decipit homines; sed concionator immittitur, vt eius prudentia opetenir, decipientem à deceptis superari. Ambros. de fug. sec. c. 7. *Quia malum Deus non fecit; sed nequitia diaboli inseruit, vindi iam Deus distulit, vt ab ipsis, quos deceperat, diabolus vinceretur. Exercentur ergo decepti, vt sumant studia virtutis, industriam cautionis. Vnde ait: Estote astuti sicut serpentes. Quare vt serpentes? Vt & ille expolietur suo, & qui alios exuere voluit, amittat quæ sunt ipsius.* Vndenam autem fideles huiusmodi astum edocentur? Adiicit Doctor: *Ipsa conteret caput tuum.* Id est, Euangelici ministri prudentiæ hiacintho calceati, in præparationem veritatis, vt ipse Auctor exponit. *Sumamus Euangelicum calceamentum, quo venenum serpentis excluditur, morsus eius hebetatur, vt simus calceati pedes in Euangelium.* O quàm pulchri concionatorum pedes, prudentiæ ornati calceamentis!

Quàm magna prudentia requiritur, vt concionator astu peruadat auditorium.
Ambros.

30 En Barnabæ iam emicat prudentiæ iubar, Surium audite *Ex vniuersis Discipulis Christi primus Euangelium in vrbe Roma prædicauit.* Quid piscatori cum prudentissimâ Vrbium Regina serpentis astu liberanda. Primus Romam Barnabas immittitur, vt tanti Concionatoris prudentia toi serpentis antiqui astus superaret. Vidit Apostolus Romam spiritu superbiæ deceptam; vnde prudenter humilitatis extitit commendator [illegible] exemplo. *Cùmque [illegible] ad Chr[illegible] [illegible]dem conuersi essent, & Barnabam [illegible] honorarent, humanâ gloriâ relictâ, clam fugiens, Româ exijt.*

Prudentissimus Barnaba astu [illegible] Romam vicit.
Sur.

Quam præstanti prudentiâ
concionator indiget, vt
cuilibet serpentis astui
adnata adhibeat
medicamina

* * *

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Estote ergo prudentes sicut serpentes.

Barnabas corporis, diuitiarum, omnísque Orbis obiectu, Christum caput tueri curauit.

Edocemur omnia despicere, ne gratiam amittamus.

CELEBRIS in præsenti Patribus æstus, quo serpens, corpore obiecto, caput satagit custodire. Hilarius solummodò nunc audiendus. *Quæ sit serpentis prudentia, contuendum est. Nescio quid in illo prudentia consilijque extet, licet quædam hinc aliqui memoriæ mandauerint, quòd vbi se in manus hominum venisse intelligat, omni genere ab ictu caput subtrahat, idque collecto in orbem corpore contegat: ô Collecto in orbem corpore.* pende. Orbis mihi pereat, dùm Christum possim custodire. *Nos hoc exemplo oportet, si quid acciderit, caput nostrum, quod est Christus, occulere.* Diuitiæ, filij, fama, omnis Orbis terrarum, vti Iobo accidit, diuino subiaceat flagello, dùm caput nostrum obseruetur incolume. 31. Hilar.

Vendidit Barnabas omnem hæreditatem sibi à parentibus derelictam, agro quodam, vnde ali posset, reseruato, cuius post Saluatoris Crucem ampliori affectus charitate, pretium Petri Apostolorúmque pedibus consecrauit. Totum Orbem affectu dimisit, seipsum periculis mortis obiecit, vt Christum thesaurum nunquam defecturum conseruaret. Describit sic Surius: *Barnabas Iudæos docebat, illis persuadere studens, Dominum Iesum esse Christum, viuentis Dei Filium,* nempè hominum Caput. *Iudæi verò furore perciti, cùm multis cruciatibus affecissent, eundem lapidauerunt.* Neci addicitur (ait Alexander) Christi serpentis corpus Barnabas vt Caput indemne tueretur. Parum erat totum Orbem terrarum propugnationi Dominicæ apponere, si non etiam ipsius corporis Orbis apponeretur. 32.

Orbem totum, idque ipsum apposuit Barnabas vulnerandum, vt Iesum caput custodiret.
Sur.
Alex.

Conuenienter Paulus: *Quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora extendens me ipsum.* Phil. 3. Ac si diceret. Me ipsum extendo ad capitis defensionem; haud de temporarijs, quæ quidem sunt retrò curans, *Priora*, id est, id est, præcipuum membrum, caput scilicet Christum, meorum omnium, ac mei ipsius obiectu intendens contueri. Metaphorâ Augustinus illustrat, Ps. 57. *Obliuiscere præterita, contemne præsentia. Si præsēs vitæ delectat, aurem, in morem serpentis, in terrâ posuisti. Si præteritis delectaris, aurem de causâ obturasti? Debes ergo ire in lucem, auditâ voce medicamentis, mědicatis à sapiente. Vt iam exultaris, dicas: Quæ retrò sunt oblitus, in ea quæ antè sunt extentus.* En Barnabæ prudentia! 33.

Cuncta temporaria pro tegendo capiti seruiant vulneranda, comminuenda.
Phil. 3.
August.

In caput Christum Iudæi insurgentes id conantur comminuere, vt diuitiarum, opulentiæque

Peccatores ad propugnationem temporariorū caput Christum vulneri exponunt. Haud sic Barnabas. Ioan 11. August. Alexand.

que corpus possint defendere. Vnde inclamant: *Si dimiserimus eum sic, venient Romani, & tollent nostram ciuitatem, & gentem*, Ioan. 11. Nonne satiùs fuisset ictui Romanorum, diuitiarum, ac corporum vestrorum orbem addici, quàm Christum caput vulnerari? *Vtique* (addit Augustinus) *qui nolebant perdere locum, ad terram contulerunt aurem suam.* Dictum est de illis, quòd auari erant, & amatores pecuniæ. Haud sic Barnabas, *qui agrum vendidit* (loquor cum Alexandro) *cúmque multum pecunia ex eius pretio accepisset, omnem pecuniam illam ad Apostolorum pedes deposuit, nec quidquam sibi reseruauit, suo exemplo omnes Discipulos ad eandem virtutem alliciens.* Prudentiam scilicet, quâ temporariorum periculo, caput est conseruandum.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et simplices sicut Columbæ.

Barnabas, Columbę Spiritus sancti retulit proprietates.

Vbi Spiritus sancti erga homines munificentiam aduoto Consolatoris officium agentis.

35. *Spiritū sanctum meliora grana eligentē Barnabas imitatur.*

SPIRITVM sanctum designari in Columbâ, tam peruium scripturas legenti, vt non indigeat probatione. Oculi Sponsæ columbis comparantur ex meliorum granorum electione. Id quod congruit Paracleto, ex fidelibus Apostolos & Discipulos meliores eligenti; ex his autem Barnabam separanti iuxta illud; Dixit Spiritus sanctus: *Segregate mihi Paulum, & Barnabam.* (Act. 11.) Barnabas ergo sicut Columba, Spiritus sancti referens ingenium *Erat* (fatur Lucas) *Barnabas vir bonus, & plenus Spiritu sancto*, Act. 11. Ad quæ Alexander (Alexand.), *Quid huic præconio par, aut vnquam fuit simile?* Si plenum esse Barnabam Spiritu sancto, iam illustre est elogium, quid ipsum Apostolum Spiritûs sancti proprietates referre?

36. *Barnabas consolationis filius refert Spiritū sanctum.* Anton. Alexand.

Barnabæ nomen expendo. Attestantibus enim Antonino, Alexandro, & aliis, idem est *Barnabas ac Filius consolationis.* Quid Spiritui sancto congruentius, Ecclesia ei inclamante: *Consolator optime?* Hinc innumeræ Spiritus munificentissimi profluunt actiones, consolationis vtique administræ, Hospitium quidem, *Dulcis hospes animæ:* Refrigeratio, *Dulce refrigerium:* Pacifica *requies in labore, temperies in æstu*, &c. E columbino nostri Barnabæ, filio consolationis, fonte innumera beneficia profluunt.

37. *Semper Columba Spiritus parit cōsolationem.* Matth. 3. Ambros.

Nunquam non Columba Spiritus sanctus hominibus parit consolationem. Cùm Dominus Iordanis vndâ tingeretur, Spiritus sanctus sub specie columbæ apparuit, Matth. 3. Vbi Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. 5. *Vultis scire, quia descendit Spiritus? Audite, quia quasi Columba descendit. Quare quasi Columba? Vt increduli vocarentur ad fidem.* Adest Spiritus sub specie Columbæ: Ergo salutarem oliuæ ramum super vndas ostendet peccatoribus.

Nil humanius dici de Filio Dei potuit, quàm quod nobis medicamine indigentibus salutaris addictus. *Filius datus est nobis*, Isa. 9 An Spiritus sanctus datus sit hominibus modo adhuc mitiori? Ambrosius lib. 3. de Spirit. cap. 2. *Datus est Filius à Patre nobis: Filius datus est nobis. Datus est autem Spiritus sanctus in nobis. Quia lectum est: Quapropter qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum in nobis.* Filius iuxta nos commoratur, vt nobis medicamen hærescat, à nobis adhibendum. Spiritus sanctus in nobis continuò dignatur habitare. An alia huiusmodi consolatione præstantior? 38.

Si Filius nobis datus, Spiritus (adhuc mitius) datus in nobis. Isa 9. Ambros.

Filius semel datus hominibus ad vterum Virginis descendens. *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis*, Isa. 9. At consolatori Spiritui non satis semel hominibus dari, nisi sæpissimè iterato cursu in nobis esset receptus. Isaias. *Dixit Dominus, qui fecit cælum, & finxit illud: qui solidauit terram, & quæ in eâ sunt: & dat populo, qui est super eam, Spiritum, & Spiritum*, cap. 9. Quid Spiritum, & Spiritum populo dari, nisi sæpe Paracletum fidelium animos informare? Ambrosius, *Ostendit Isaias Spiritum datum in hominibus. Dat populo Spiritum, & Spiritum.* Vt qui consolatore toties egemus intra nos nunquam non habeamus. 39.

Spiritus sanctus sæpe in hominibus datus. Isa 9. Ambros.

Quare Filius datus hominibus? Propheta respondet, *Ego Dominus vocaui te in æquitate,* (sic legit Ambrosius) *& tenebo manum tuam, & dedi te in testamentum generis mei, in lucem Gentium, aperire oculos cæcorum, & educere de vinculis alligatos*, Isa. 49. Illam preme particulam: *Et tenebo manum tuam.* Filius Dei manum agit, sed Spiritus sanctus curat digitorum huiusmodi manus munus exercere, vt consolationis actio tanto muneratori tribuatur. Ambrosius, *Sicut Filium Dei Scriptura dexteram Dei dixit: (Dextera tua Domine glorificata est in virtute*, Exod. 15.) *ita Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei, sicut ipse Dominus dixit: Si in digito Dei eijcio dæmonia*, Luc. 11. *Hunc enim digitum in alio libro Euangelij Dei Spiritum nominauit. Sic enim habes: Quod si in Spiritu Dei eijcio dæmonia* Dei itaque Filius, dextera data hominibus, cæcos illuminatura, sanatura ægrotos, suscitatura mortuos. At Spiritus sanctus huiusce manus se digitos effecit, vt effectus homini salutares posset operari: manus enim digitis exercet actiones. *Consolator* igitur *optimus.* 40.

Filius vt manus data in consolationem hominibus, Spiritus sanctus vt digitus huius manus. Isa 49. Ambros. Exod 15. Luc. 11.

Redeo ad Barnabam consolationis Filium. Arbitror Apostolum, nullum, quod potuerit consolatoris optimi Spiritus sancti munus prætermisisse. Alexander, *Laudetur à nobis magnus ille Barnabas, celebretur consolationis Filius ab hominibus, extollatur à quouis homine ille, qui à Spiritu sancto perfectus est. Barnabas consolationis Filius, pietatis magister, fidei columna, ac fastigium, turris firma, & immobilis, fluctuantium portus valde tranquillus, fidelis & prudens dispensator, Ecclesiarum patronus, adiutor pauperum, viduarum consolatio, orphanorum diligentissimus procurator, ac pater.* 41.

Nullum spiritus consolatoris Barnabas prætermisit officium. Alexand.

Barnabas ægrotantium medicus liberalis, sanos, & valentes homines firma, certaque animi iucunditate afficiens, Christiani gregis custos vigilantissimus. Qui fuit Gentium dux, ad Deum eas perducens, Christi gratiarum ager fertilissimus, qui vitam valde sinceram in terris transegit. Ac si diceret, qui Columba fuit Spiritus sancti referens proprietates, *A Spiritu sancto perfectus est.* Perfectus quidem, id est, Columbæ Spiritus sancti moribus informatus.

OBSERVATIO XI.

Ad illa verba:

Et simplices sicut Columbæ.

Barnabas, instar Columbæ, in simplicitate occumbens, hostibus salutaris.

Vbi Sanctorum conditionem exprimo dilectione prosequentium eos, à quibus vulnerantur.

42. Chrysost. CHRYSOSTOMVS quærit: *Quare vult eos esse simplices?* Respondet, *Vt non aduersus proditores suos malitiæ memores sint: sed diligant inimicos suos, & benefaciant persequentibus se secundum Christi præceptum. Quia non tantum non lædimur ab iniquis inimicis, quando nocemur ab ipsis; sed etiam proficimus, cùm per malitiam eorum constantia bonitatis nostræ a suo proposito victa non recesserit. Quoniam proprium est columbæ vsque ad mortem in simplicitate manere.*

43. *Barnabas in columba sinceritate occubuit.* Alexand. Barnabas planè vsque ad mortem in columbinâ simplicitate manens, hominibus munificus, ipsis hostibus salutaris. Vnde Alexander, *Barnabas Orbis terrarum propugnator inexpugnabilis, qui Christum dilexit, & quotidie pro fidelibus, pro infidelibus animam suam exposuit.* Paulum socium imitatus professum? *Quotidie morior.*

44. *Iobi instar columba seruauit ad tumulum.* Iob 1. & 2. Iobi in morem Barnabas columbinâ sinceritate sepulchro reconditur. Tot ille tribulationibus actus clamitat: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc,* Iob 1. Quam sincetitatem columbini cordis Deus commendans, ait: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam?* Cap. 2. Particulæ illius vis non effugiat. *Adhuc retinens innocentiam.* Etiam cum ad sepulchrum properat, columbinam retinet sinceritatem: ab hostibus lacessitus, vulneratus, non se præparat ad vindictam. Rem illustrat Chrysostomus Matth. 1.. apud D. Thomam in Cat.

Chrysost. *Propter quod columba vsque ad mortem in simplicitate manere. Vnde & de tolerantia Iob dictum est: & adhuc perseuerat in simplicitate.*

45. *Christus imitatur in morem Leonis, & Agni occumbentem* Apoc 5. Pugnare duæ Ioannis visiones videntur. *Vnus de senioribus dixit mihi: Ecce vicit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid aperire librum.* Mox autem adnectitur; *Et vidi, & ecce in medio throni; & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum,* Apocal. 5. Num Christus Leo simul & Agnus? Quid Agno mansuetissimo cum Leone horrore pleno? Non fugit difficultas Hugonem Cardinalem: *Quid est, quod vnus de senioribus flentes consolando, Leonem Iesum ipsum vocauit, & in exhibitione Ioannes Agnum vidit.* Hugo. Respondet, *Leo fuit fortis, & potens per diuinitatem; sed Agnus mansuetus, & humilis per humanitatem.* Magis autem arridet eiusdem Doctoris expositio, quâ Christum non solùm ex Diuinitate, sed ex humanitate Leonem dignouit. *Fuit Christus Leo in incarnatione, Leo in progressu vitæ, Leo in passione. Accubans dormiuit vt Leo.* Si igitur in humanitate, imò in occisione Leo, quonammodo simul & Agnus occisus? Vt ostendat, non esse infirmitatis, sed virtutis in Agni vsque ad necem sinceritate persistere. Vindictam ab hostibus Leo omnium fortissimus animantium assumere potens, Agnus persistens in innocentiâ immolor, quia tam adnatum agno ad mortem vsque in sinceritate persistere, quàm columbæ in simplicitate mori.

46. *Barnabas fortissimus Leo, Agnus mansuetissimus occiditur.* Imò ex eo, quòd sine vindicatione Agnus occiditur, Leonina exprimitur fortitudo. Ideo Hugonis sententia: idem Iesus vt Leo & vt Agnus occubuit, quia inibi Leonis fortitudo, vbi Agni patientia. Leo quidem Barnabas, Templum corruere efficiens idolorum, vt luxuriei impetus obrueretur, & simul Agnus sine Hugo. voce, sine querela lapidibus obrutus. Hinc coruscat Diuinitatis fax. *Iesus ascendit de aquâ,* Matth 3. *& ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut Columbam, & venientem super se* Matth. 3. Illam premo particu- *Vbi mansuetudo erga inimicos ibi Diuinitas elucescit.* lam, *Et vidit*, requirens, An de visu spirituali; an de corporeo sermo agatur? De corporeo exponendum, iuxta communem sententiam. Hinc oritur difficultas. Quonammodo Iesus visu corporeo Spiritum sanctum intuitus est? Respondeo, quia vidit Columbam ex mansuetudine conspicuam volucrem. Ambrosius lib. 2. de Sacrament. cap 5. *Vultis scire, quia descendit Spiritus?* Ambros. *Audite, quia quasi Columba descendit.* Nullum prorsus euidentius absconditæ Diuinitatis documentum, quàm sincera Columbæ mansuetudo. Barnabas igitur in Columbæ simplicitate persistens vsque ad necem, imò in ipsâ lapidatione sincerus, erga inimicos dilectione flagrans, Spiritus sancti refert virtutem. Quam Deificum, enim, qui Leonis in morem, valet vindictæ operam dare, vti Agnum, vti Columbam, occisori salutarem occumbere.

***

OBSER

Observatio X.

Ad illa verba:

Estote ergo prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ.

Serpentis sapientiam, Columbæ sinceritatem virtutes equidem veluti pugnantes, Barnabas complexus est.

Innuo, vna in sede, plerumque non morari æquè intellectum, & voluntatem: scientiam, & amorem.

47. Paschas. Paschasius apposite: *Quasi contraria iubet.* In Serpente prudentia, intellectus, astutia designatur: in Columba amor sincerus. *Fel (ait ille) Columba non habet, sed simplicitatem amoris.* Apte simplicem amorem vocitauit, quia intellectus, astutia & amor haud æquè assolent vnâ in sede collocari. An non Dominus vt discipulos duplicem virtutem, sapientiam scilicet, & amorem doceret, duplici symbolo vsus est: Vix inueniri posset animans vnum, quod æque simul vtriusque huiuscemodi virtutis documenta præberet: *Estote prudentes sicut Serpentes & simplices sicut Columbæ.*

48. *Non tanta in Seraphino præstantia intellectus quanta amoris.* Isa 6. Strab. Diuersimodè ab Isaiâ Seraphini describuntur, ac Cherubini ab Ezechiele. Ille de Seraphinis: *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius*, Cap.6. Anselmus, *Faciem eius, id est, Dei*, Caput igitur Seraphini contegunt, pectore detecto. Quare? Strabus, *Seraphim interpretatur incendium.* Contegunt itaque caput indicij ac intellectûs domicilium, dum pectus domicilium amoris apertum ostentant, quia intellectus assolet quodammodo obscurari, vbi amoris flamma magis rutilat.

49. *Imminuitur in Cherubino flâma amoris, quia crescit intellectus fulgor.* Ezech 14. Hier n. Econtra Cherubini Ezechielis, capite discooperto, corpus, seu pectus vbi cor residet, contendunt abscondere, ne defectus appareat. Et quare non caput contegunt sicut Seraphini, sed solummodò pectus, detecto vtrique capite? Hieronymus ad Isa. 6. *Cherubim multitudo scientiæ.* Elucet scientia Cherubinorum capite fulgurans. Ergo cor operiendum; quia vbi intellectus acuitur ad scientiam, cor ad dilectionem non adeo ardere assolet. Redit locus illustrandus Tom. . in Thomæ Angel. Paneg.

50. *Discipuli quia magis ardent, minus vident.* Luc 24. Pergens Dominus cum Discipulis ad Emaus tendentibus, ab eis minimè agnoscebatur, licèt cor eorum ardesceret: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via?* Luc. 24. Ardet cor in eum, quem non cognouistis? Quare non Discipuli cognouerunt Dominum, quem tam ardenter diligebant? Ardens ostentabatur cor. Intellectûs cognitio operiebatur. Strab. Quia (vti Strabus) imminuitur sapientiæ fulgor in conspectu dilectionis.

51. *Barnabas vtraque virtute coruscanit, . . . tissime . . .* Alexand. Hinc Barnabæ vtroque lumine coruscantis gloria rutilat. Petrus dilectione speciali succenditur, Ioannes velut aquila visu altiore donatur. Barnabas autem & dilectionis & intelli-

gentiæ, seu sapientiæ virtute pollet. Hinc Alexander quidquid in multis Diuis dispersum aspexit, in vno Barnabâ copulat. *Ita perfectè virtutem omnem vir vnus exercuit, vt nemo alius in vnâ aliquâ virtute profecit.* Sic intellexit, ac si non amaret: sic amauit, ac si intelligendi iubare orbaretur. *Cum Barnabam (addit) laudamus, tunc & omnium Apostolorum sacrum Collegium collaudamus.* Quia omnium spiritualem vim complexus est, Petri dilectionem, Ioannis intelligentiam, omnium sanctitatem.

Observatio XI.

Ad illa verba:

Estote prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ.

Commendabilis in Barnabâ serpentis prudentia, amor columbæ ex munificentiâ in pauperes.

Assero commendabile, illustreq; Euangelij ministris esse pauperibus fidelium subsidia procurare.

Operæpretium planè, in loci huius vberiorem expositionem, quid in antiquo serpente illuxerit, vestigare. Cibum ille veritum hominibus absumendum exhibuit. Tu ô vir Apostolice, famescenti cibos in salutem expende, moneatque te ad hoc etiam amor columbæ. Chrysostomus, *Quasi columba columbis, charitatis oscula* pauperibus *porrigatis.* Commendabilis Euangelij minister, qui spiritui dans alimoniam, & corpori famelicenti simul curat subministrari annonam. 52. Chrysost.

Præmitto Antoninum citatum sic de Barnaba scribentem: *Hic multum commendatur in Actibus Apostolorum. Fuit enim datus in socium Paulo ad prædicandum, & procurandum eleemosynas pauperibus Christicolis, præcipuè tempore famis, quæ fuit sub Claudio Imperatore per Orbem. Et ex numero Discipulorum septuaginta duorum solum de Barnaba per totum Orbem solemnizat Ecclesia.* Duplex argumenti caput huiusce. Propter eleemosynæ curam commendabili Barnabas. Ab Ecclesia solembi celebratione ideo colitur, & benedictionibus oppleri iubetur. 53. *Barnabas eleemosynarũ ministerio præ, cæteris, celebratur ab orbe* Antonin.

Caput I.

Apostolus ex eleemosyna commendabilis.

Hic multum (ait Antoninus) *commendatur, fuit enim datus ad procurandum eleemosynas.* O quàm commendabilis ex pauperum procuratione Apostolus! Ambrosius ad hæc lib.1. offic. cap 11. In Euangelio Dominus: *Si vis in vitam ingredi serua mandata*, Math 19. *Dicit ille: Quæ? Iesus autem dixit. Non homicidium facies. Non adulterabis, &c* An ex hisce officiis vir Apostolicus commendab . . . *Hæc sunt media officia quibus aliquid deest. De* . . . *ne* 54. *Nil sic commendat animam ac misericordia in pauperes* A onin. A b . Math 19.

dicit illi adolescens. Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende bona tua, & da pauperibus, & veni, sequere me. Hęc Euangelici viri commendatio, spiritui & corpori ex eleemosynarum procuratione subuenire. *Nihil* (addit) *iam commendat animã* huiusmodi Christi serui, quàm *misericordia*. Barnabas assignatus, *ad procurandum eleemosynas pauperibus*. Si non habes, quod pauperi exhibeas, aliorũ eleemosynas eis procurando, cõmendaberis ptorsus.

55. *Increscit Barnaba dignitas ex pauperũ procuratione.* Chrysost.

Discipulus ex Septuaginta duobus Barnabas; sed ex eleemosynæ procuratione, & subueniendi egenis studio, iam Apostolus numerum Apostolorum auxit. Chrysost. homil. 20. in 1. ad Cor. ostendit huiusmodi studium sacerdotalem habitum superare. *Nam qui eleemosynæ studiosus est, non ille quidem talari veste indutus, nec tintinnabula circumfert, nec coronâ redimitus est; verum humanitatis ac beneficentia stolâ, qua sanctam illam vestem commendatione superat.*

56. *Procurator pauperum diuinus apparet.* Chrysost.

An non superat Sacerdotem legis qui eleemosynæ studet, si augustiori misericordiæ coronâ redimitur, & Dei similitudine condecoratur? Dauid, *Qui coronat te in misericordiâ, & miserationibus.* Quot eleemosynas procuras egenis, tot tibi coronas præparâsti, vt illi assimilari valeas, cuius in *capite diademata multa* obiiciebâtur. Chrysostomus inferiùs, *Ad hæc coronam à commiseratione contextam habet; ait enim Scriptura: Qui coronat te in misericordiâ, & miserationibus: ac pro laminâ nomen Dei gestat; imò Dei similitudinem assequitur.*

57. *Procurans eleemosynas egenis, an commendabilior, quã qui dat?* Genes. 18. Hieron.

Illustri equidem commendatione dignus Abraham, qui vt pauperes conuiuio exciperet, *ad armentum cucurrit*, & tulit vitulum tenerrimum. Genes. 18. Vbi Hieronymus ad Pamach. *Non seruis, & ancillis imperabat, vt ministrarent hospitibus; nec bonum, quod exercebat, per alios minuit; sed quasi repertâ prædâ, cum Sara sua humanitati solus incubuit, ipse pedes lauit, ipse pinguem vitulum portauit humeris.* Et Ambrosius epist. ad Grat. *Abraham suâ manu vitulum occidit, vt hospitibus epulantibus ministraret, nec in ministerio religioso aliorum adiumenta quæsiuit.* Commendo Patriarcham dum è proprio grege vitulum dat; sed longè commendabiliorem eum arbitror, dum egenos refici per se procurat. Barnabam quoque non alieno labore, sed suo pauperibus procurantem annonam, ipso dante laudabiliorem puto.

Ambros.

58. *E cunctis Discipulis primus Barnabas ex procuratione pauperum*

Cur existimas Barnabam è cunctis Discipulis primum, & honoratiorem ostentari? Ex eleemosynarum procuratione. Basilius homil. in auaros, *Ordine primus est, & cæteris honoratior, qui pauperem nutrit, accersitur, &c.* Salomon, *Misericordia & veritas non te deserant, circumda eas gutturi tuo*, Prouerb. 3. LXX. pro misericordiâ, *eleemosyna* legunt. Chrysostomus, *Vt quemadmodum diuitum filij decus aureum circa collum gestant, illúdque nunquam deponunt, quasi nobilitatis insigne circumferentes: ita & eleemosynam nobis ipsis circumdemus oportet. Circumdemus hoc ornamento, torquem collo faciamus aureum eleemosynam dico.* Decus autem commẽdatio filiorum equitum, ministro autem Euangelij, Dei vtique filio, eleemosyna inopi præparata, commendationis gloriosæ insigne est. Non habes, quod des? Procura ex aliis.

Capvt II.

Barnabas pauperum procurator ideo celebratione colitur, & benedictionibus oppleri à cunctis iubetur.

Aiebat Antoninus, *Solum de Barnaba per totum Orbem solemnizat Ecclesia.* Quia celebre vbique nomen eleemosynis studentis. *Beatus, qui intendit super egenum & pauperem*, Psal. 40. Beati prorsus Discipuli missi in hominum magisterium, ad luporum crudelitatem superandam, in Mundi cõuersionem; sed præ cunctis Barnabas intendens in pauperes beatus appellandus est. Ambros. cit. *Neque enim quisquam magis beatus, quam qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi, atque inopis ærumnam.* τὸ *intendit super*, innuit ex Scripturarum more hominem eleemosynarum Præpositum. *Constitutus super gazas*, id est, Præpositus thesauri. Non ergo quisquam magis beatus Barnabâ super eleemosynis distribuendis & procurandis constituto. 59.

Barnabas præ cunctis Discipulis celebratur, quia procurator pauperum. Anton. Psalm. 40. Ambros.

Tam festiua procuratoris pauperum memoria, vt quodammodo solemnitati Corporis Dominici assimiletur. Postquam Isaac esuriens a Iacobo accepit alimoniã, inquit, *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*, Genes. 27. Vbi Doctor Angelicus, *Potest esse, quod ciborum allatio fuit materiale huius sacramentalis benedictionis.* Sacramentalem benedictionem appellauit habentem pro materiali cibos famescenti procuratos sollicitè. Quam meritò, si ipsa procuratio ciborum esurienti innouat Eucharistiæ in pauperum leuamen (vti Pasch. ait) institutionem. Benedictionibus igitur omnium ore est afficiendus, qui eleemosynam pauperi procurat, instaurando scilicet Dominici Corporis solemnitatem. Clem. Alex. Strom. 1. *Reuera Christi est imago homo benefaciens.* Vt quodammodo pauperum subleuator possit *reuerà* profari, Christi alentis pauperes imago sum. 60

Quam festiua procuratoris pauperũ memoria. Gen. 27 Thom.

Paschas.

Clem Alex.

Solum itaque de Barnabâ per totum Orbem solemnizat Ecclesia. An non Discipuli reliqui solemnitatis possent benedictionem efflagitare? *Num quid non reseruasti (ait Esau) & mihi benedictionem?* Respondeat Isaac Christus cibatus in paupere. *Frumento & vino stabiliui eum, tibi vltrà quid faciam?* Genes. 27. Ac si diceret, si cum Eucharisticæ quodammodo solemnitatis gloriâ decoraui, quænam reliqua aliis festiuitatis benedictio? Respondit Isaac, & dixit: *Dulce, quod* (loquor cum Chrysostomo super Genes.) *omnes benedictiones in eum effudi.* Omnium ingiæ pauperi alimoniam procurantem concelebrant. 61.

Barnabas procurator pauperum cunctas sibi vni arripuit benedictiones. Gen 27. Chrysost.

Ex fratribus cunctis solus Ioseph cunctis Orbis benedictionibus illustratur. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, & vuluæ*, Genes. 49. Cur vni cunctæ benedictiones expenduntur? Quia pauperum procurator extitit. Rupertus lib. 5. cap. 36. *Qui tempore annis vigenti, more Pastoris curâ multos pasceret populos.* Barnabam Ioseph expressit. 62.

Solus Ioseph pauperum pastor omnes benedictiones ... trahit. Gen. 49 Rupert

Rursum

63\. Rursum Dauid, *Beatus qui intelligit super egenum, &c. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, &c.* Psalm. 40. Chrysologus sermone 15. *Non dixit: Conseruat, & viuificat; sed, Conseruet, & viuificet: vt denunciantis vox ista non sit, sed rogantis. Qui audiuit rogantem egenum, ecce audit Orbe toto pro se Ecclesiam sic rogantem: Dominus conseruet eum.* Sic solum Barnabam ex discipulis pauperum Procuratorem *per totum Orbem solemnizat Ecclesia.*

Solum Barnabã per Orbem solemnizant fideles ex discipulis. Psal 40. Chrysol.

SECTIO DECIMA.

Barnabæ Prædicatio.

TEXTVS.

VERS. 17. CAVETE autem ab hominibus: tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos. 18. Et ad Reges, & Præsides ducemini propter me in testimonium illis, & Gentibus. 19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, *&c.* 22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum, *&c.*

In Barnabam

PANEGYRICVS MORALIS DECIMVS circa literam.

EX EIVSDEM PRÆDICATIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos, &c. in testimonium illis, & Gentibus.

Vt datus Barnabas à Domino Iudæis in testimonium?

Vbi innuo Dei iudicium horribile beneficia sequi.

1\. Hugo. IN *testimonium*, ait, *illis*. Id est, Iudæis Hugo Cardinalis exponit, *Vestra patientia, sanguis que profusus Iudæis erit in testimonium damnationis. Vt pereant* (addit Glossa *mali sine excusatione*. Sanguis Iesu supremum hominibus collatum à Deo beneficium, in testimonium extitit Iudæis damnationis, quia ingrati tantum thesaurum profudêre. Effusus Martyrum cruor ingratis existet exitialis profusoribus. O iudicium Dei strictum nunquam non pedissequum beneficiorum?

Gloss.

2\. Augustinus serm. 67. de Tempore profatur, *Studeo vestros animos ad timendum iudicium excitare.* Ne scilicet peccata vobis dominentur. Addit pulchrè, *Certum est fratres, quòd si semper beneficia Dei nostri, quæ nobis nullis præcedentibus meritis nostris, collata sunt, assiduè cogitamus, peccata nostra nobis non dominantur.* Curat excitare nos ad timendum iudicium, & beneficia adducit ad memoriam. An non aptius ipsius iudicij recenseret horrores? Recenset iam profectò, dum beneficiorum ponderat magnitudinem: quia tam infallibiliter iudicium & beneficia Dei pariter gradiuntur, vt beneficiorum ponderatio sit stricti indictio iudicij, cuius horroribus ad eiusdem timorem excitemur.

Ad timendũ iudicium excitamur beneficiorum ponderatione. August.

Israeli Dominus, *Dedi tibi cibum manna, quod ignorabas. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit; & pes tuus non est subtritus, &c. Vt custodias mandata Domini Dei tui, & timeas eum*, Deuter. 8. Ambrosius sic legit: *Attende, ne obliuiscaris beneficia Domini Dei tui, & iudicia.* Beneficia Domini memorantur inibi, non iudicia. Quonammodo igitur simul & beneficia Domini, & iudicia non obliuiscemur? Certè, quia inseparabiliter beneficiorum Dei comes iudicium. Vnde ex ipsius beneficij recordatione iudicij tuba insonet necessarium est. 3.

Idem est memorari beneficia Dei ac iudicia. Deut. 8. Ambros.

Faciamus (clamat Petrus apud Thabor) *hic tria Tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum*, Matth. 17. Alter Euangelista? *Nesciens, quid diceret.* Vbi Caietanus, *Dicit: Bonum est hic esse.* Tabernaculis scilicet Legislatorem, Eliámque cum Domino hærescere. *Nec mirum, quia nesciens, quid diceret, loquebatur.* An non Christo Iudici, Moysi, ac Eliæ Tabernacula præparanda? Ita planè; sed non *hic*, vbi Christus sibi retinet munera, solus luminis gloriosi perfusus radiis. Tabernacula enim iudicij apud Caluariæ montem, vbi tot hominibus beneficia impenduntur, sunt exædificanda. 4.

Tabernaculã Iudicaturo apponitur in Caluaria monte, vbi beneficia elargitur. Matth 17. Caietan.

5\. *Recitat beneficia accepta, & ssariò indies recordabitur.* *1. Timo 2.*

Recolit Paulus à Deo beneficia accepta, *Misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi.* Mox adhibet: *Regi autem sæculorum immortali honor, & gloria*, 1. Timoth. 1. Quisnam ille Rex? Christus iudicaturus, iuxta illud: *Tunc dicet Rex.* Et quare Apostolus iudicaturi Domini memoriam interposuit? Quia memorando beneficia Dei oportebat Christi iudicaturi non semouere mentionem. Apprimè Anselmus, *Christus potentiam specialis medicinæ ostendit in Saulo, vt omnes deinceps nossent, eum sanare posse cunctas infirmitates omnium. Sed inde fit* consequenter *honor Regi* iudicaturo.

Anselm.

6\. *Recensens beneficia à Domino in Iudæos collata Iudicem eum Barnabas venturum affirmat.* *Alexand.*

Vt autem nostra ad Barnabam auolet oratio, Iesum Apostolus Iudæorum Iudicem ostendit, dum beneficia in eos collata recenset. Venerabilis Alexander, *Ingressus est Barnabas in Synagogam, & Iudæos ipsos docebat, illis persuadere studens Dominum Iesum esse viuentis Dei filium, Iudicem peccatorum.* Illam particulam preme: *Persuadere studens* Christum Iudicem, quod aiebat Ambrosius, *Studeo vestros animos ad tremendum iudicium excitare.* Id quod Apostolus post necem præstitit, dum beneficia ex penu superno hominibus erogaret. *Multi homines* (ait Monachus) *spiritus immundos habentes per locum illum transibant, spiritus ipsi voce magna clamantes egrediebantur. Multi paralytici, & claudi, variisque morbis & cruciatibus vexati ad eum locum profecti peruoctabant, qui omnes curabantur. Quòd verò diuina æterni Iudicis potentia efficeret miracula in eo loco omnes cognoscebant.* Vndenam dignoscerent Iudicem cum potestate magnâ aduentantem? Quia beneficia Dei, eiusdémque iudicium pariter gradiantur necesse est.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Et ad Reges, & Præsides ducemini, in testimonium Gentibus.

Vt Barnabas Gentilibus à Domino in testimonium datus?

Vbi ardentem Christi erga Gentilitatem dilectionem recolo, in Ecclesia ex Gentibus commendationem.

7\. *Hugo.*

HVGO Cardin. *Ducemini ad Reges, & Præsides in testimonium Gentibus, ad earum vtilitatem.* Barnabas de Christo Gentilibus testimonium reddidit, dum ad Gentiles conuertendos electus est. Vnde Apostolus mirifice extollendus.

8\. *Christus non [illegible] Gentilitatem amauit.*

In cuius gratiam recolo, quàm Dominus erga Gentilitatem fuerit semper affectus. Missus ille *ad oues quæ perierunt Israel*, sæpe Gentiles exquisiuit errantes. Samaritanam testor errabundam ouiculam, quam Dominus Israeliticum addixit ad ouile. O Pastor ad oues de Israelitico grege pereuntes immisse, quid tibi cum Gentilitatis nunquam non errante pecude? Chrysostomus homil. [illegible] in Ioan. *Iudæi ad se venientem expulerunt; Gentiles alio proficiscentem ad se trahunt.* Quis Christum attrahit aliò procedentem? *Trahit profectò sua quemque voluptas* & Christum amor erga Gentiles. Chrysost.

9\. *Filiorum vocat Dominus Gentilitatem nondum conuersam.* *Ioã. 11.* *Chrysost.*

Gentiles Christus filios appellabat, etiam dum exulabant a grege. Cayphas, *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo, ne tota Gens pereat*, Ioan. 11. Quænam Christo Gens tota? Filij. Quinam autem filij nisi ex Gentilitate fideles? Chrysostomus homil. 64. in Ioan. *Filios Dei Gentes appellat Euangelista ab eo, quod futurum erat. Quemadmodum & ipse inquit: Et alias oues habeo cap. 10. Quas a futuro ita appellat.* An non præstantissimæ Iesu dilectionis erga Gentiles documentum, eos & filios, & oues, etiam cum mancipia, hœdique existebant, appellare?

10 *Gentilitas Christi instar Iosephi, filia charissima.* *Psalm 76.* *Incogn.* *Gloss.*

Imò non solùm Gentilitas filia, sed, Iosephi in morem, præ omnibus filiis ineffabilibus est nobilitata crementis. *Redemisti in brachio tuo populum tuum filios Iacob & Ioseph*, Psalm. 76. Incognitus haud putat *filios Iacob, & filios Ioseph*, sed filios Iacob & ipsum Ioseph ad comparationem adduci. Glossa, *Per filios Iacob Iudæos; per Ioseph autem Gentilem populum intellige.* Gentilitatis in Dei conspectu attende præstantiam. Cuncti filij Iacob Iudæi tibi sint. Ruben non crescit, Simeon, & Leui vasa iniquitatis, Iuda solummodo à fratribus laudatus, Zabulonis possessio æquoris litoribus circumscripta, Isachar asinus inter exiguos terminos quasi defessus accubans, Dan colubri instar, hominibus formidabilis, Gad non expeditus prælia instituens, sed accinctus, Aser deliciis vacans, Nephtali in morem fugientis cerui a domo paternâ emittitur. Quid denique Ioseph: *Filius accrescens*, Genes. 49. Ad quæ Incognitus, *Ioseph peruenit ad Gentes, & interpretatur augmentum. Ideo bene significat Gentes, ex quibus augmentatum est populus Dei.* Gentilitas igitur inter fratres à Domino speciali dilectione excepta, crementis illustribus affecta celebratur. Gen. 49. Incogn.

11\. *Christus Barnabâ filiam charissimam commendauit, in eamque quasi corporali gressu ingressus est.* *August.*

Hinc Barnabæ rutilat præconium. Christus immittens Barnabam ad Gentiles, quasi corporali præsentia venit, vt qui Israelem inuiserat, dilectam Gentilitatem inuisere posset. Memorem Archisynagogi filiæ à Iesu suscitatæ, fœminæque à fluenti sanguine liberæ, audi Augustin. serm. 74. de Temp. *Filia Archisynagogi significat populum Iudæorum, propter quem venerat Christus, qui dixit: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierant domus Israel. Illa verò mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, Ecclesiam figurabat ex Gentibus, ad quam Christus per præsentiam corporis non erat missus, Ad illam ibat, illius salutem intendebat, hæc intercurrit, tangit fimbriam quasi nescientis, id est sanatur tanquam ab absente. Dicit ille: Quis me tetigit? quasi diceret: Non noui hunc populum. Tangitur fimbria* (attende) *exigua pars vestimenti, & extrema. Fac vestem Christi Apostolos. Ibi fimbria Paulus erat. Ibi*, addo, *& Barnabas. Quidquid enim* (inquit Abulensis) *de Paulo dicitur, de Barnabâ etiam intelligendum est; quia ambos elegit Spiritus sanctus dicens: Segregate mihi Paulum, & Barnabam.* Gentilitas igitur, quam corporeo mortali gressu non lustrauerat Dominus, quia ad Israelitarum ouium recuperationem fuerat immissus, Abul.

miſſus, in Paulo & Barnabâ præſentiâ potitur Saluatoris.

Observatio III.

Ad illa verba:

Dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.

Chriſtus ex Barnabâ loquutus eſt.

Vbi innuo, Deum à nobis voluntatem exigere, ipſúmque effectûs authorem oſtentari.

12\. Hieron. — STRABVS ex Hieronymo fatur: *Voluntatem veſtram pro Chriſto offerte, Chriſtus verò loquetur pro ſe.* Cæleſtis certè poteſtatis, non humanæ, homines ad fidem conuertere, tyrannorum ſuperbiam debellare. Euangelicus miniſter ſolam iubetur voluntatem exhibere, ſeu nudum offerre miniſterium, Deo verba facturo, queis valeat victoriam reportate. Si Deus in Concionatore loquatur, ô quàm mirabiles parturientur effectus! Quàm frigeret oratio, homine ſolo verba proferente!

13\. *Miniſtri Dei Angeli ex ore Verbum diuinum loquutum eſt, vt Maria perſuaderet conſenſum.* Luc. 1. Chryſ. — Archangelus ad Virginem immittitur, conſenſum vt exquireret virgineum, ad Verbi Incarnationem. *Aue*, inquit, *gratiâ plena, Dominus tecum.* Chryſologus ſerm. 143. *Miſſus eſt Angelus à Deo, & quid dicit? Dominus tecum.* Angelus Deum loquuturum inducit, vt Virginem voti aſtrictione ad conſenſum alliciat. Vnde, Chryſologo adnotante, Deus Angelum *mittit portitorem* Verbi loquuturi, non loquentem. Ipſe Deus loquutus in Angelo, elicit à Virgine difficilem conſenſum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Luc. 1. Id eſt, prout Verbum, quod offers, in me loqui dignatus eſt.

14\. *Deus à Moſe labia exquirit ipſe locuturus.* Exod. 3. — Seſe Moſes à legatione eximere curat, quia verborum laborabat inopiâ. Cui Dominus: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Exod. 3. Cur non dixit: Erit interpres tuus; ſed *Propheta?* Vt oſtendat Spiritum ſanctum loquuturum, pro ſe quemadmodum ex Prophetarum ore fuerat loquutus. Ex te, ô Moſes, ſolam loquendi voluntatem exquirit. Caiet. — Caietanus: *Excuſauerat ſe Moyſes ab officio legationis, quòd eſſet clauſus labiis. Vide, quantum eleuet Deus impedimentum loquelæ in Moyſe. Reſpondendo enim ad impedimentum labiorum, dat ei Aaron, non in interpretem, ſed eleuat eum in Prophetam.* Vt ſcilicet non loquatur quidquid à Moyſe, vt homine, acceperit; ſed quæcumque protulerit, à Deo ſe accepiſſe cognoſcat.

15\. *Prædicator dat labia doctrinæ à Deo præſcriptæ præconi proferenti.* Mal. 2. Hieron. — Malachias ad hæc: *Labia Sacerdotis cuſtodient Scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Cap. 2. Sola Sacerdos concionaturus labia offert Deo ſcientiam reponenti, quaſi in theſauro. Præconis in morem illud Sacerdos profert, quod Iudex viuorum & mortuorum dictat. Hieronymus: *In Sacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina & veritas ponitur. Vt diſcamus Sacerdotem debere eſſe præconem Dominicæ veritatis.* Deus ponit in Concionatoris pectore doctrinam, vt inſtar præconis annunciet. Vox quidem Concionatoris eſt. Verba & ſententiæ à Domino proferuntur.

Illuſtris admodùm Barnabas miraculis, vir- 16.
tutibus, doctrinâ. Teſtor immundos ſpiritus ex hominum corporibus profligatos. Paralytici Apoſtoli medicantis virtute donati fuere ſanitate. Variis vexati morbis priſtinam valetudinem Apoſtolicis meritis receperunt. Marcum nepotem ſuum ab eius ſocietate, preſſum humanâ fragilitate recedentem, verbis efficaciſſimis compellatum, ſanctiſſimum reuocauit ad gremium. Vndenam tot tantáque prodigia? Voluntatem, manus, labia Barnabas; Deus virtutes, opera, verba præſtitit. Ex Alexandro excogitationem illuſtro. *Barnabas virtutum exercitatione inſignis, Chriſtum operantem, & loquentem in ſe habens.* Pulchrè.

Barnabas profert & verba & opera, quæ Chriſtus in ipſo loquebatur, & agebat. — Alexand.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Barnabas, inſtar Pauli, Ieſu nominis baiulus, hominibus ſalutaris illuxit.

Nomen enim hoc dulciſſimum gloria ſalutis comitatur.

CHRYSOSTOMVS ad hunc locum 17.
inquit: *Conſolationem adiunxit, cùm dixit: Propter nomen meum.* Quænam conſolatio Ieſu nomen aſſolet comitari? Saluatio. Vnde addit, *Saluus erit.* Ad lupos ouiculæ immittimini, Ieſu nomen vobis ſit in conſolationem, in præſidium, quo ab hoſtium feritate liberemini. *Quomodo* (addit Doctor) *proficiſcemus oues contra lupos?* Ouium manſuetudo non poteſt reſiſtere luporum crudelitati, luporum ſiue leonum crudelitas miteſcere neſcit. *Non veſtra* (reſpondet Dominus) *virtus aut ſolertia æſtimatur, aut laudatur in vobis; ſed nominis mei poteſtas intelligitur, vt glorificetur per vos, quia fortior eſt gloria Dei, quàm rerum natura.* Gloriam Dei Ieſu nomen appellat, quo Mundi ſalus æterna præparatur. *Saluus erit.*

Chryſ. — *Aduerſus lupos nomen Ieſu, quos protegit.*

Nunquam, mihi credite, non glorioſus nominis Ieſu portitor, Dominici gregis ouicula (Daniel) ad leones immiſſa, vt ora horribilia obturarentur, clamauit cum Dauide: *Deus in nomine tuo ſaluum me fac*, Pſalm 53. Vbi Hieronymus: *Id eſt, in nomine Ieſu, qui interpretatur Saluator, vt impleret rem nomine.* Et vndenam digoouerim, rogas, Danielem inter leones conſtitutum, ouiculam ſalutare hoc nomen inuocâſſe? Ex Ephren. accepi, profante ſerm. in Martyr. quadrag. *Ieſu nomen Daniel proclamans in lacu, etiam ferarum agreſtium fauum effugit.*

18\. *Ouis Daniel contra leones Ieſu nomine armatur.* Pſalm 53. Hieron. Ephren.

19. Et Ionas, vt ouis, datus lupo, nempè ceto horribili voraturo, ipso in ventre constitutus, Iesum inuocans liberatur? Necnon Pueri Hebræi, igni quidem vorantis flammæ, ore absumendi, inuocato Iesu nomine, crudelissimum incendium extinxere. Cecinit vtrumque Dauid: *Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Psalm. 114. Tribulationem Ionas, adolescentes dolorem inuenerunt. An salui effecti? *Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sum, & liberauit me.* Cassiodorus: *Custodiens tanquam Pastor eximius, qui gregem suum à rapacis lupi incursione defendit.* Conclamantibus tamen ouibus inter lupos, *Iesu, Iesu*, Ephren. citat. *Iesu nominis Prophetæ meminit Ionas in ventre ceti, & ab omni interitu saluata est vita eius. Ex medio ardentis ignis sanctissimum hoc nomen* [illegible]

Ionas & tres Hebræi adolescentes nomine Iesu proteguntur aduersus cetum, & ignem

Psalm. 114.

Cassiod.

Barnabam Alexander [illegible] appellauit. Vas inquam, electionis, quod nomen salutare, vt Pauli socius, portaret ad Gentes. Quid mirum, tot & Barnabæ Discipulos salute donatos? tot è periculis liberatum Apostolum gloriosum vbique, quià Iesu nomen victoriæ gloria comitatur? Alexander: *Barnabas, idem ac Ioseph, quod nomen Dei gloriam interpretari possumus. Ait Paulus: Vir non debet caput tegere, cùm sit imago gloria Dei. Quod si virum quemque imaginem Dei appellat, & gloriam, quid dicemus de hoc lectissimo Viro in rebus diuinis perfectissimo?* Semper gloriosus, quia gloriosi nominis baiulus cunctos hostes comminuit. Nunquam à periculis superati, qui Iesu nominis fortissimis armis vtuntur. 20.

Vas nominis Iesu Barnabas, eius semper, gloriosè ex lapis erepta.

Alexand.

PARS QVINTA.

PAVLI CONVERSIO.

PARAPHRASIM, ET COMMENTARIOS literales ad Caput Decimum nonum Matthei perquire ex Tomo 5. vbi de D. Benedicto.

PANEGYRICI MORALES Circa literam.

IN PAVLI CONVERSIONEM.

PROLVSIO.

SINGVLARE *diuinæ misericordiæ opus* (loquor cum Laurentio Iust) *ante mentis nostræ oculos sancta hodie exhibet Mater Ecclesia, per quod maximum spei præsidium attulit, dùm iustificationem persecutoris impij nobis voluit excitari. Exemplo vnius vniuersos erigere curauit ad spem, quatenus animi fluctuationem, & metum fiduciæ firmaret anchora, atque labentem & languidum suâ exhortatione reuocaret ad Christum. Spirat ille minas, molitur cædes, cadit, surgit verè viuens, qui mortem parans Discipulis, Magistrum haud moriturum persequebatur. Cæcus effectus visum animi comparat, faciensque peccatorum eximanitis vas nominis salutaris eligitur, omnes terricolas inebriaturum.* Dionysius Carthus. *Euangelium præsens meritò in Festo Beati Pauli Conuersionis legitur.* Nescio vndenam huiuscemodi Euangelij, cum Conuersionis solemni conuenientiam excogitârit, si multi Pauli conuersi celebratores, Euangelij fugientes angustias, Epistolam effecere Euangelium concioni. Attamen non ideò Euangelicæ lectionis seriem aufugiemus.

SECTIO

SECTIO VNDECIMA.

Apostolicæ mutationis excellentia.

TEXTVS.

VERS.27. Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?

In Pauli Conuersionem

PANEGYRICVS MORALIS VNDECIMVS circa literam.

Ex Apostolicæ mutationis excellentiâ.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ecce nos reliquimus omnia.

Hodie exultat Ecclesia, quia Paulus repentè, seu velociter ad pœnitentiam assurgit.

Vnde peccatores mox calesti monito respondentes commendantur.

1. *Cur celebretur specialiter Pauli conuersio? Causa prima.* Carthus.

QVÆRIT Dionysius Carthus. serm. de Conu. Paul. *Cur potiùs Pauli, quàm aliorum Sanctorum celebretur conuersio?* Triplicem adhibet solutionem; quam triplici obseruatione expendam. Primò quidem: *Mirabilissima* (inquit) *fuit tàm repentina & integra mutatio mentis, & voluntatis ipsius Pauli, qui de pessimo factus est optimus, de inimicissimo amicissimus, de superbissimo humillimus.* Petrus fatur: *Ecce nos reliquimus omnia.* Vocati enim incunctanter relictis retibus, te sequi instituimus. Ideò Pauli conuersio specialiter celebratur, quia inter cunctos asseclas Christi veloces velocissimus, ipse à nullo superatus. Illud enim Saulum cadere, Paulum fuit resurgere.

2. *Prodigus illicò pœnitens, post inspirationem, cælum gaudio compleuit.* Luc. 15. Chrys.

Prodigus ille, paternorum dissipator bonorum, vt primùm status miseriam contemplationi obiicit, cadens resurgit. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum.* Luc. 15. Vbi Chrysologus serm. 1. *Confessio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo.* Illud ipsum de surrectione meditari, fuit surrexisse. Vnde Patrem, iam quasi præsentē alloquitur. Iustè ergo symphonia resonat, exultante Ecclesiâ: *Epulari, & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Ibidem Chrysologus tàm acutè quàm breuiter serm. 4. *Gaude ergo, & inuentum gaude.* Quia conuersio illa, quæ propter celeritatem inuentioni rei comparata est, magnâ debet lætitiâ celebrari.

Assimilem reddit sensum ouiculæ parabola: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues. &c. Et cùm inuenit eam, imponit in humeris suis gaudens.* Luc. 15. Cur pastor exultat? Nonne quia ouem inuenit? Certè quia post longam requisitionem inuentam ouiculam mox humeris donauit, minimè reluctantem Nec enim facilè assolet ouicula post diuturnum ex ouili discessum ad ipsum reduci. Alii renuunt, cunctantur, moras meditantur peccatores. Hæc ouicula mox ac vocata est, spontè surgit, humerísque pastoris addicitur Ideò resonat exultantium Diuorum modulatio. Caietanus: *Hoc quia ouis sponte fecit, ideò Pastor gaudens describitur.* Peccator inuenitur, mox reducitur, diligenter assurgit. Quid non Christi domus lætitiâ ineffabili perfundatur?

3. *Ouicula citò reducta plausum excitauit.* Luc. 15. Caiet.

Paulus clamat edoctus: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Ephes. 5. *Surge, & exurge.* Pœnitentiæ festinationem verbum geminatum indicit. Paulum igitur velocissimè surgentem imitemur. August. serm. 9. de verb. Apost. *Quomodo Saulus tùm gratulabatur se à Christo, quia peccator erat, assumptum atque sanatum; ita & tu noli dormire in dulci stratu; sed audi ipsum Paulum dicentem: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis. Noli amare stratum peccati; Totum stratum eius versâsti in infirmitate eius. Surge,* ait, *qui dormis, & exurge à mortuis.* Si dormiens suscitatur, quomodo mortuus resurgit? An quia peccator tàm facilè à peccati morte suscitandus, si velit, quàm à somno excitaretur? Ita planè. Solemnis itaque dies resurrectionis instauretur.

4. *Surge illicò à mortuis, vt cælicolis instruas solemnem diem.*

* * *

OBSER

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Ecce nos reliquimus omnia,

Celebris hæc in Ecclesiâ dies, quia Paulus conuersus spei minister desperatis effectus obiicitur.

Quia magno peccatore pœnitente spe eriguntur, qui leuioribus aut similibus criminibus illigantur.

5. *Secunda causa celebrandi Pauli conuersionem. Caietan.*

PRÆMISERAT Dominus difficilem diuitum salutem. Mox autem adiecit. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Vbi Caietanus diuitum appellatione non solùm diuites esse tu intellige, sed etiam affectu, sicut & pauperes intellige, neque solum effectu, sed etiam affectu, quales exprimuntur Apostoli, omnia non actu solùm, sed affectu relinquentes. Possibile igitur [illegible] ait Cardinalis, *apud Deum non solum diuites in affectu, sed etiam diuites in re saluari. Quoniam diuina gratia tollit ab illis omnem inordinatum affectum, & vsum. Tunc respondens Petrus, dixit. Ecce nos reliquimus omnia.* Tuæ potentiæ documentum est, nos omnia affectu reliquisse. Si cuncta Domino possibilia, quid non sperent peccatores.

6. *Surgente Saulo nullus desperet peccator. Carthus.*

Exurgit hodie Saulus (ait Carthusianus) *vt nemo desperet de venia, & gratia ac virtutum profectu, quando tam impijssimum videt ad tantam virtutum perfectionem, ad tantam gratiæ eminentiam sublimatum.* Ideò festiuus dies instituitur. Vnde adiicit Pater ex Bernardo: *Meritò conuersio Doctoris Gentium festiuis hodie gaudiis ab vniuersitate Gentium celebratur. Conuersus etenim Paulus conuersionis minister factus est vniuerso Mundo. In memoria conuersionis Pauli peccator spem veniæ concipit, vt prouocetur ad pœnitentiam, & qui iam pœnitet perfectæ conuersationis accipiat formam.*

7. *Prodigus pœnitens post [illegible] iniquitatem [illegible] plausu excipitur.*

O peccatores Saulum secuti, *Plaudite manibus*, Cælicolas adducite ad choreas. An non iniquo ingentiori conuerso, Cælo augustior lætitia; Patrisfamilias duo filij, senior & iunior, iuxta aliquorum expositionem, peccatorem dierum malorum inueteratum, & peccatorem qui semel aut iterùm a patre Deo recedit expresserunt. Porrò in redditu inueterati delinquentis symphonia resonat [illegible] conuiuium [illegible] tui [illegible] alectus. *Epulari au[tem] & [gaudere] oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.*

Luc. 15.

L[illegible] *Tu semper [mecum] es*, Quia li[illegible] haud persi[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Ideò in gaudio recipitur. Hugo Cardinalis: *Causam gaudij ponit, cum dicit: Quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit.* Sic amoto eo, ad domum redeunte, prata del[illegible] consuetudine: *Mortuus per peccatum habitu[illegible], reuixit per gratiam.* Nec enim tanta iniquitas abolita sine tanta lætitia dignè potest celebrari.

8. *[illegible] [illegible] in [illegible] inueterata [illegible] in maiorem [illegible] quam eorum [illegible] rarò [illegible] runt [illegible] Luc. 15. [illegible]*

Post parabolam de deperdita & inuenta ouicula, dictum Dominus: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Luc. 15. Vbi acute Caietanus: *Specialis ratio gaudij pœnitentiæ huius peccatoris.* In huius expositionem particulam, *Quam*, expende. Indicat, iuxta quorumdam sententiam, eos quos iustos vocat, etiam peccatores designare, eos [illegible] qui non habitualiter, nec diu in peccato [illegible]tur, sed post crimen mox resurgunt. De quibus illud Sapientis *Septies in die cadit iustus, & resurgit.* Id est, tam illicò (authore [illegible]) resurgit, vt vix mereatur nomen amittere qui actione ipsa cadendi quodammodo [illegible] surgendi est, vt alibi illustro. Sensus igitur loci [illegible]: Maius gaudium erit in cælo super [illegible] perdito peccatore, insigniter delinquente [illegible] malorum inueterato, [illegible] pœnitentiam agit, quam super alijs peccatoribus innumeris, qui non habitualiter, nec diu delinquunt, sed semel aut iterùm maculantur. Ideò specialis ratio gaudij est pœnitentia viuus insigniter delinquentis.

Pa[illegible]

9. *Primum [illegible] [illegible] [illegible] catorem [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible]rum peccatore ali[illegible] iat. 1 Tim. 1. August.*

Primum se Apostolus peccatorem appellat, *Quorum primus ego sum.* 1. Tim. 1. Primus scilicet, seu maioribus criminibus maculatus. Me Deus primum peccatorem excepit, vt vel desperatis veniæ spes illucescat. August. serm. 9. de verb. Apost. *Quomodo ergo [illegible] Saulus, postea Paulus, gratulatur se ad Deo peruenisse misericordiam, quia primus, hoc est, [illegible] in peccatis inuentus est*; instar errantis vnicæ ouiculæ, *Et tamen*, ait, *misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem, propter eos qui credituri sunt illi, in vitam æternam. Vt dicant sibi omnes, Si [Paulus sanatus] est, ego quare despero? si a tanto Medico tam desperatus æger sanatus est, ego cur vulneribus meis illas manus non optabo, ad illas manus non festinabo?* Nonaginta itaque nouem oues dispergitur, percusso, seu a viuis ablegato Pastore, dum Paulus longè aberat à Dominico grege, ouicula errronea. Inueniuntur nonaginta nouem Apostoli Discipuli, reliqui fideles ad gregem adducuntur. Inuenitur & vnica ouicula, [illegible] non sic resonat modulatio festiuæ diei; hic symphonia personat: *Quia conuersus Paulus* (ait Carthusianus) *minister factus est conuersionis vniuerso Mundo.*

* * *

Observatio III.

Ad illa verba:

Ecce nos reliquimus omnia.

Hodierna solemnis dies, quia Paulus totius Orbis terrarum Parens efficitur.

Vbi ostendo Ecclesiæ magnam accrescere vtilitatem, insigni conuerso delinquente.

10\. *Cur ita solemnis Pauli Conuersio. tertia causa.* Carthus.

CARTHVSIANVS: *Ecce nos Apostoli reliquimus omnia temporalia & terrena, quæ habuimus, & secuti sumus te, corporis gressu, & mentis affectu, per imitationem.* Illud pende: *Ecce nos Apostoli*, piscatores hominum facti, relictis retibus; sed non piscandi munere relicto, te secuti sumus hominum piscatorem, in magnum Ecclesiæ documentum.

11\. *Exultat Ecclesia, Paulo conuerso, & tot filiorum effecto parente.* Carthus.

Iam innotescit causa tertia, cur Pauli Conuersio solemni religione colatur. *Lupus ille* (vt Augustinus ait) *ouis effectus, plurimos iterum atque iterum parturit agnos. Quid non mater Ecclesia exultet, in mensæ circuitu tot nouellas aspiciens?* Carthusianus serm. 3. in Paul. *Ratio huiusmodi solemnitatis est, præcipuus fructus, qui toti Ecclesiæ ortus est, in Conuersione Pauli. Ipse enim præ cæteris omnibus infatigabilius laborauit, ardentius institit, longius latiúsque discurrit, & per se ac suos Discipulos conuertit populos, valdè innumerabiles. Ipse quoque*, vt testatur Chrysostomus, *velut auis pennata, per totum Mundum volauit; tamque feruenter, & seriè pro omnium laborauit salute, quasi ipse totius Mundi communis Pater fuisset.*

12\. *Christo necessaria Pauli conuersio.* Luc. 15.

Toti vtilem Ecclesiæ Paulum conuersum vidisti. Quid si ipsi Christo asseram vtilem extitisse? Inuentâ oue deperditâ Pastor inclamat: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam.* Luc. 15. Cur sibi congratulari iubet, si potiùs oui inuentæ deberet agi congratulatio, quia à lupo liberata est? Equidem ouis Pastori innumeros erat agnos paritura. Tanta Pastori ex inuentione oiuculæ vnius copia gregis accrescit, vt ipsi debeat geri congratulatio. *Congratulamini mihi.* Hugo Cardinalis: *Mihi dicit, non oui. Ex quo patet, quantum de hominis humanæ reparatione gaudeat.* Quid non gauderet Pater, tot per Paulum fidelium matrem, filiis ornatus? Vidisti Pauli partus fœcundissimos, dùm *per se ac Discipulos suos conuertit populos valdè innumerabiles*, vt verbis Carthusiani vtar. Recole futuram ex Epistolis Apostoli progeniem. *Sed & per scatentiosissimas*, addit ille, *Epistolas suas a principio Ecclesiæ, vsque in præsens, & vsque in finem Mundi copiosissimè & saluberrimè instruxit instruétque fideles.* Tot filiis iam lactatis & ablactatis necessariò conuiuium lautum, siue festiua memoratio instituenda est.

Hugo.

Christus per Paulum innumeris filijs fit pater. Carthus.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?

Ex Pauli conuersione non militaris solùm, sed triumphans exultat Ecclesia.

Vbi ostendo, Angelorum lætitiam ex peccatorum pœnitudine.

QVID erit vobis, quòd vocati à seruitute ad sortem filiorum fueritis translati? quòd à morte in vitam adducti sitis? Inde præmium expetitis; vnde perpetuam actionem gratiarum instituere debueratis? Profectò tantâ lætitiâ pœnitentis peccatoris conuersio, Cælicolas afficit, vt possint quodammodo, inter alias causas, peccatores conuersi ex exultatione Angelorum obueniente, præmia sibi egregia præparare. Quid ergo erit nobis? *Sedebitis*, inquit Dominus, *super sedes iudicantes duodecim Tribus Israel.* 13.

Plorat pœnitens Saulus, Curia cælestis exultat. Bernardus serm. 88. in Cant. *Gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quòd si deliciæ Angelorum lachrymæ peccatorum, quid horum deliciæ?* Ex peccatorum delicijs luctu afficiuntur, qui ex lachrymis pœnitudinis collætantur. Ideò existimo Paulum ipsâ concionis instantiâ raptum in Paradisum. Asserit enim Iustinianus, ex quorumdam mente, Sauli prospectum atque auditum conuersionis instantiâ cælum ipsum penetrâsse, vt Christum aspiceret, vt accidentaria gloria Cælicolis accresceret ploratione peccatoris, ostendente Domino plorationis huiusmodi delicias ad Regni cælestis penum attinere. 14.

Plorante Paulo exultant Cælicolæ. Bernard.

Saulus inclamitat, *Domine, quid me vis facere?* Angelis quid hâc obedientis peccatoris voce iucundius? Carceris custos, qui Paulum Syllámque custodiebat, affectus pœnitudine, hanc vocem profudit: *Domine, quid me oportet facere?* Act. 9. & 19. Ad quæ Chrysostomus hom. 8. ad cap. 4. Ephes. *Quid hâc voce iucundius? Ipsa fecit saltare Angelos.* Si Angeli saltant, dùm custos carceris clamitat: *Quid me facere oportet?* Vberiori exultatione affecti, cùm Paulus in hanc vocem erupit: *Domine, quid me vis facere? Quid hâc voce iucundius?* 15.

Iucundissima Angelis Pauli illa vox: Quid me vis facere? Act. 9. & 19. Chrys.

Addit pulchrè Pater: *Vt hanc vocem audiret, seruus quoque factus est Dei vnigenitus.* E cælis descendit Rex, habitúque inuentus vt homo, pernoctans, domos peccatorum inuisebat à limine, dùm vocem illam tàm dulcis modulaminis exaudiret. *Quid me vis facere?* Profectò postquàm resurgens à mortuis iam non moritur, nec seruitute vllâ pergrauatur, quia prima transierunt, rursum fit quodammodo seruus. dùm inclamat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. Quid est, posse quodammodo Dominum affici persecutione, vulnerari, 16.

Vt hanc vocem Dominus audiret, seruus effectus, & persecutionibus quodammodo terendus obycitur. Chrys. Act. 9.

nerari, nisi rursus indui seruitute? Itaque *seruus quoque factus est* rursum quodammodo *Dei vnigenitus, vt hanc vocem audiret* Sauli clamantis: *Domine, quid me vis facere?*

17. *Pœnitentis Pauli vox Angelorum hymnis interseritur.* Apoc. 14.

Pœnitentium certe *vox sicut cytharædorum cytharizantium in cytharis suis.* Apoc. 14. Bernardus; *Cytharizare in cytharis suis, qui voluptatis affluxionem pœnitentiæ restrictione reuerberant.* Hi ab Angelorum choro arripiuntur cum Paulo ad tertium cælum eleuato, vt cælesti melodiæ suauissimos modulos interserant. Vnde Dauid: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Psalm. 137. Hieronymus: *Vide profectionem pœnitentis, quia post confessionem & pœnitentiam cum Angelis meretur psallere.* Mirabar aliquando tàm ineffabilem Sauli profectum, qui illa ipsâ conuersionis instantiâ ad tertium est cælum eleuatus. At si post pœnitentiam peccator *cum Angelis psallere meretur*, iam non miror.

Psalm. 137. Hieron.

18. *Semper gaudet pœnitens, id est, æternitatis delicijs fruitur.* Phil. 4.

Edoctus propriâ ex pœnitudine Paulus aiebat: *Gaudete in Domino semper*: Phil. 4. id *semper*, interminabile, cæleste gaudium innuit. Quonammodo vel in lachrymarum valle existentes possumus cælesti exultatione perfundi? An non cælestis exultatio, cum homines cytharizantes cum psallentibus Angelis collætantur? Ita planè. Gaudete igitur semper in lachrymarum valle, qui ex delictis pœnitentes lachrymas profunditis. Pulchrè Chrysostomus in cap. 2. Matt. hom. 6. *Eam proculdubio, quæ ex ijs nascitur lachrymis significat Paulus voluptatem. Gaudete semper.*

Chrys.

19. *Vt Angelorum gaudium augeatur, plorat Apostolus.* Phil. 4. Basil.

An vt gaudium Angelorum ac Diuorum augeatur? Ita equidem. Si enim non increscere ex hominum pœnitentiâ gaudium, cur Angeli lachrymas ambirent? cur Paulus nos ad lachrymas curaret allicere? *Flere cum flentibus.* Phil. 4. Audite Basilium hom. 4. de grat. act. *Vt igitur beatæ illius vitæ imaginem conemur exprimere, iussit nos gaudere semper Apostolus*, seu plorare delicta. *Et ibidem Paulus, vt cum flentibus & ipsi fleamus, permittit. Quod eiusmodi lachryma fiant seminarium quoddam, ac fœnus, quibus æternum illud gaudium increscit quotidie, & cumulatur.*

20 *Angelus efficitur, qui pœnitentiam instituit.* Matt. 8. August. Apoc. 3. Ambros.

Edisce, quonam modo non solùm cælestis hic Ierosolymæ ciuis efficiaris, sed & Angelorum numerum adaugere valeas. *Beati*, aiebat Dominus, *qui lugent.* Matt. 8. Augustinus ad frat. serm. 31. *Si hic ploraueris, iam Patriæ cælestis ciuis constitueris.* Parum effici hominem ciuem Patriæ? Efficitur Angelus. Laodiceæ Angelo ait Christus: *Æmulare ergo, & pœnitentiam age.* Apoc. 3. Ambrosius: *Ecce Angelus dicitur, cui pœnitentiæ cura conuersioque mandatur.* En pœnitentiæ lachrymis homines chorum augent Angelicum, si tot titulis Angeli exultant in peccatoris conuersione; quid non

Cælicolæ super vno peccatore Saulo
pœnitentiam agente, ineffabili
gaudio afficiantur, vt & mi-
litans & triumphans
pariter exultet
Ecclesia?

* * *

OBSERVATIO V.

Ad illa verba.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?

In Saulo peccatore an vlla eluxissent conuersi Pauli indicamenta?

Vbi feruor sæcularis aliquo ex capite commendabilis ostenditur. Opúsque omnipotentiæ esse magnum conuerti peccatorem.

NESCIO equidem, quid splendoris emicabat in Saulo Ecclesiæ persecutore, vnde spinis terra suffocata ex ipsâ spinarum tribulorúmque fertilitate futuræ vbertatis salutaris, si à Domino Agricolâ cælesti excoleretur, dabat indicamenta. Duplici id puncto confirmabo. 21.

CAPVT I.

Sæcularis agilitas, viuacitas, feruor in Saulo, futuram cælestem agilitatem, viuacitatem, feruorémque indicabat.

22. *Sollicitè ac affectu si circa res mundiales sollicitudinem vtiliter impendunt circa spirituales electi à Domino sacerdotes.*

QVid ergo erit? Ac si intenderet Petrus, vt futuri euentus à Christo colligerentur ex præsenti actione. *Reliquimus omnia, quid ergo erit?* Interlinealis: *Reliquimus omnia*, dùm retia, inopum instrumenta reliquimus, *id est, voluntatem habendi omnia.* Ex tam feruenti agilitate, viuacitate omnia habendi, dùm vilia retia possedimus, quidnam in futurum, Domine, colligis? Aptissimos vos ad cælestia ministeria video. *Sedebitis & vos super sedes iudicantes duodecim Tribus Israel.* Piscatores hominum, Iudices, Prælatos constituam, feruenti, sollicito, agili adnatos ministerio. Nam qui piscatores humiles tàm agili affectu in retibus omnia mundialia bona diligebant, quæ possunt aduocati relinquere: Ecclesiæ Proceres, affectus agilitatem circa cælestia obiecta collocantes, mirabiles fructus germinabunt.

23. *Qui actiuus valdè fuit in Iudaismo, est nunc valde in Christi Ecclesia.* Act. 9.

Saulus equidem *adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos*; Epistolas petit, properat, nullum non mouet lapidem, nihil non tentatum relinquit. O Saule, qui spiritu ambulante in tenebris actus, tàm agilis ad Christum persequendum exurgis: spiritu principali confirmatus, totam, salubriter Deo obsequens in proximorum vitam, agilitatem, totum viuacissimum impendes affectum. Carthusianus Dionys. ad hæc: *Dicitur Paulum misericordiam.* Quidnam conuenientiæ? *Fuit vtique ex naturali dispositione vir feruens, & agilis. Vnde quemadmodum antè in Iudaismo, sic; postea in Christianismo feruentissimus fuit, & valde actiuus.* Igitur, *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

Carthus.

Spirans

24. *Instar Dauidis, Paulus. Ea viuacitate qua persequebatur Ecclesiam, ipsam defendit.* 1. Reg. 16.

Spirans minarum, & cædis. Spiritus sæcularis præstans in Saulo, feruens, agilis, cædes molitur. Mutato spiritu mutat & intentionem; non feruorem, non agilitatem. Dauid in Israel Regem eligitur, quemadmodum Saul fuerat electus. In eo Spiritus sæcularis præstans, fortis, agilis, feruens. Dauid adhuc puer de Leone & vrso reportat victoriam. Electus autem à Domino sæculari Spiritu in leones & vrsos exuitur; Dei spiritu salutari populo repletur. *Et directus est spiritus Domini in Dauid* (iuxta Caietani lectionem) *à die illâ*, & deinceps, 1. Regum 16. Non ablatus est spiritus, feruor, agilitas par est; sed directus, à leonibus comminuendis, ad iniquitatem vulnerandam; vt interficeret in matutinis omnes peccatores terræ.

25. *Deus viuaces circa negotia gerenda eligit.* 1 Reg 17.

Deus planè viuaces, sollicitos, strenuos, agiles diligit milites, quos ex pugnâ sæculari ad suum transfert exercitum. *Leonem* (ait Dauid) *& vrsum interfeci, eritque Philisthaus iste tanquam vnus ex eis, qui ausus fuit maledicere exercitui Dei viuentis*, 1. Regum 17. Ex agilitate & potentiâ viuacissimâ sæculari ad leonem, & vrsum comminuendum, Vates planè suam ad Goliath trucidandum agilitatem præsignauit: *Eritque Philisthaus iste tanquam vnus ex eis.* Caietanus, *Iuxta Hebraum habetur: Quia vituperauit acies Elohim viuorum.* Cur *Deus viuorum* appellatur? Viuaces amat, agiles requirit, leonem & vrsum qui comminui, eligor à Deo viuorum, vt sic, siue eadem agilitate lapidem emittam in Philisthæi ruinam, eadem viuacitate gladium stringam, eo verticem ablaturus. Ideo & viuax Paulus eligitur.

Caietan.

26. *Viuax Sanctus, viuax Paulus.* Galat. 2.

Belle Apostolus: *Viuo ego, iam non ego; viuit in me Christus*, Galat. 2. *Ego viuo*, qui viuaciter, feruenter, agiliter persequebar Ecclesiam. Iam à Deo vocatus, non viuo ego, qui viuebam, sed alius viuo, adhuc viuax, feruens, agilis curro, sed in Ecclesiæ reparationem, vt nomen Iesu portem ad Gentes: *Viuit in me Christus.* Bernardus serm. 2. de Quadrag. *Post conuersionem ad alia omnia mortuus sum; non sentio, non attendo, non curo. Si qua vero sunt Christi, hæc viuum inueniunt, & paratum.* Qui circa negotia sæcularia agilem te præbuisti, edisce haud segniter cælestia pertractare.

Bernard.

Capvt II.

Quàm facilè Sauli constantia ad Ecclesiam persequendam, ad ædificandam ipsam, Dei operante dexterâ, emollitur.

17. *Dextera Dei opus conuerti peccatorem magnum.* Caietan.

PRæmiserat Dominus impossibilem, humanis viribus nudis à gratia, diuiti siue actu, siue affectu salutem; at Dei operante potentiâ facilem omnino. Hoc confirmans Petrus respondet: *Ecce nos* (sequor Caietanum) *reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Ecce excelsæ potentiæ mutationem! *Apud Deum omnia possibilia sunt, non solum saluare diuites in studio & affectu; sed etiam diuites in re, possibile est.* Si Altissimi potentiæ proprium Petrum aliósque Apostolos, & Discipulos à sæculo ad Christi imitationem adducere: liceat mihi contemplari non potentiæ cuiuslibet manus, sed dexteræ manus Dei opus egregium fuisse Pauli conuersionem. Alios Deus quasi sinistræ digito attraxit. At Paulum in dextera quasi potentiam faciens conuertit.

Dexteram manum expertus es ad opus agiliorem, valentiorem? Ita planè antiquum prophanorum adagium, *Opus dextera.* An non Pauli conuersio dexteræ Dei potentissimæ agilis actio? Laurentius Iustinianus serm. in Paul. Conuers. *Si totus insurrexisset Mundus, Pauli minimè valuisset animositatem flectere, euertere sensum, intelligentiámque conuincere. Verum vt cor illius tetigit Verbum, emolliuit mentem eius, sedauit furorem, placauit crudelitatem, mutauit propositum, naturam reformauit, docuit rationem, lumine circumuenit, atque sapientia totum nectare saginauit. Viderant eundem paulo antè quasi rapacem lupum manè prædam capientem; nunc vero velut ad vesperam escas diuidentem. Erat nempe grande miraculum hoc, vt blasphemus, & persecutor effectus esset eximius prædicator. Cuius namque est opus tale, nisi mutatio dexteræ Excelsi?* 18.

Pauli conuersio dexteræ Dei actio validissima. Iustin.

Iam quæris, quænam Excelsi dextera: Christus planè. Ipse accessit ad Saulum, Agnus innocens venit ad lupum. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. Paulus autem iam inclamare potest cum Dauide: *Ego dixi. Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi*, Psalm 76. Strabus, *Nunc cœpi primò sapere, & intelligere, & ad lumen splendidissimum peruenire. Hæc mutatio dexteræ Excelsi est.* Cassiodorus, *Dextera Excelsi, per quam hæc fit mutatiô, Christus est.* Quàm egregium opus, quòd Dei dextera, siue Christo potentissimo operante, excitatur! 29.

Christus Dei dextera Paulum conuertit. Psalm 76. Strab. Cassiod.

Obiicis contumax admodum Sauli cor, si opus fuit ad eius mutationem tantæ potentiæ dexteritate. Profectò non induratio hæc, sed constantia; non contumacia, sed fortitudo est. Contumacia ac durities cordis vix à Deo frangitur; constantia autẽ & fortitudo sæpè facillimè mollescit Pharaonis duritiem Dei dextera, seu Filio vtens, Spiritu sancto digito admoto (*digitus Dei est hic*, id est, Spiritus sanctus authore Augustino apud Abul. q. 10.) minimè fregit, Vnde miser ille *descẽdit in profundum quasi lapis.* Profectò *vt cor Pauli* (ait Iustinianus) *tetigit verbum* illud: *Saule, Saule*, tanquam admotæ manus signaculum, *emolliuit mentem eius, sedauit furorem, placauit crudelitatem.* Saulus fortis, non contumax: constantia præditus, non affectus duritie. Hinc collige constantiores ad diuina faciliùs allici obsequia. 30.

Cor Pauli forte, constans, non contumax, aut durum. August.

Asserit Ioannes apud desertum viros discubuisse. *Discubuerunt ergo viri quasi quinque millia* Cap. 6. Cur fœminæ ac pueri, qui plures fortassè erant, non recensentur? Mysticè respondet Cyrillus lib. 3. cap. 16. *Secutus est Euangelista Scripturæ consuetudinem, in qua nec fœmina, nec puer aliquis numeraretur. Ita veritas, atque constantia, quæ nullam habet puerilem, ac muliebrem in bonis leuitatem, in libro Dei conscribitur.* Ij profectò, qui alioqui constantes, molles ad obsequium, faciles ad pœnitudinem sunt, libro vitali conscribuntur. Petrus petra fortissima mollis post lapsum, aspiciente Domino, ad gregem reducitur. Constantia etenim contumax non est; sed ad obsequium facilis, à leuitate autem recedendi plerumque immunis. 31.

Constantes molliores ad obsequium. Libro vitali scribuntur. Ioan 6. Cyril.

Paulus aiebat: *State in fide, viriliter agite,* 1. Corinth. 19. Ambrosius, *Muliebris enim omnis inconstantia, & varietas iudicatur.* Constans stat immobiliter. Agit autem viriliter, non solùm in fide acceptâ persistendo; sed &, *vt verbum cor tangit,* ad fidem capiendam properando, mundialibus impedimentis ablegatis.

SECTIO DVODECIMA.

Pauli Regeneratio.

TEXTVS.

VERS. 18. IESVS autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui sequuti estis me in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes iudicantes duodecim Tribus Israel.
29. Et omnis, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

In Pauli Conuersionem

PANEGYRICVS MORALIS DVODECIMVS circa literam.

EX APOSTOLI REGENERATIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Qui sequuti estis me in regeneratione.

Sæculares, prauósque Sauli impetus, ac conatus Christus curat ad se conuertere, allicere.

Vbi ostendo, quàm inutiliter scientia, opes, prudentia, reliquaq́ bona insumuntur in sæculo, quæ possent saluti hominum inseruire.

1. Thom. DIVVS Thomas ait, *Quidam exponunt de primâ regeneratione, & punctant sic: Vos qui sequuti estis me in regeneratione.* Ac si vocatos esse Apostolos, sequutósque Saluatorem idem sit, ac regeneratos esse. Apostolos enim non de nouo formauit, sed reformauit: non creauit ex nihilo, seu generauit; sed regenerauit, prauos naturæ reformando conatus, ad obiectum salutare dirigendo, sollicitam piscationis temporariæ studium ad hominum capturam adducendo. Ne feruor Sauli exitialiter impendatur; reformetur, regeneretur, in idololatriæ dirigatur exitium.

2. *A sanctorum nece Christus Saulū adducit ad necem vitiorū, idololatria, &c.* Act. 9. Hugo. Persequutorem Saulum contemplere. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Hugo Cardinalis, *Me persequeris in membris, in quibus certè Christus adhuc patitur, & bene efficia recipit.* Domini Saulus persequutor, dum hominum salutem sollicitè impedire studebat. Bernardus sermone 1. *Vereor dilectissimi, ne forte sit quis & in nobis Domini persequutor. Quia manifesta docuit ratio, impedire salutem, esse persequi Saluatorem.* O conatus tam inutiliter; imò tam exitialiter insumptos! Sanctis nititur necem spiritualem inferre, qui Sanctorum regenerandorum potest curæ vacare? Laurentius Iustinianus, *Quid agis* (Christus clamat) *ò Paule? Cur miseris Sanctis necem inferre? Vt quid diuinum Nomen conaris extinguere? Desine, oro, desine perpetrare talia.* Conatus hosce regenerabo, reformabo, dirigam in Sanctorum gloriam, in Gentium salutem. Talia desine perpetrare, talia incipe gerere. Iustin.

3. *Petri gladius conuertitur ab exitio hominū ad hominū vulnus salutare.* Math. 27. Thom. Cùm Dominus comprehenderetur à Iudæis, Petrus Malchum percussit. *Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum,* Matth. 27. Cur, ô Domine, tam iustum Discipuli defendentis Magistrum conatum prohibes? An non emendos gladios Apostolos docuisti? Ingeniosè Angelicus Doctor auriculam, ait, verbum Dei audiendi, ablatam fuisse à Iudæo, vt Gentili exhiberetur. *A populo Iudæorum doctrinam spiritualium amputauit, & hoc factum fuit occasionaliter, quod Gentes receperunt dexteram, quia Petrus primò prædicauit Gentilibus, & ita amputauit dexteram, trahendo Gentiles ad fidem.* O Petre, satius istum conatum, quo auriculam materialiter amputare, hostis intendis; medicinas impendes spiritualis auriculæ hominum curationi. Conuerte ergo gladium à vulnere in vulnus. Impetum valentem non cohibeas; sed ad salutarem effectum reforma. *Paule, cur Sanctis necem inferre,* qui conuertere [illegible] ad Gentilium salutem [illegible] idol[illegible] gulare, Gentium aures audiendo aperire [illegible]

Iu[illegible]

.4 *Exitialis sitis Sauli conuertitur in Pauli sitim salutarem.* Iustin.

Iustinianus, *Proh dolor! Adhuc Saulus aspersus sanguinem Prothomartyris Stephani portabat in vestibus, adhuc sanctum lambebat cruorem, & tamen sitiebat adhuc. Talia illo agere molienti ingenti luce perfusus affuit Dominus Iesus. Vas electionis est mihi iste.* Ego illam exitialem sitim exhauriam, conuertam in sitim salutarem, vt sitiens Paulus Gentilium animos, æstum possit extinguere. Et quidem Dominus peccatoris conuersione potatur. *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, Cant.1. Honorius de dilectæ exponit conuersione. *Botrus Cypri quod conuersio sonat, fit ei, dum gaudet de conuersis baptizatis.* Paulus Christi dilectus priùs erat botrus in Cypro feruens vino furoris in sæculo. Mustum Dominus Engaddi perduxit ad vineam, adduxit ad Ecclesiam, reformauit, efficacissimum ad salutẽ Gentium regenerauit in meritum. Ipse autem sitiens prius Diuos extinguere, sitit postea Gentes conuertere. A Domino enim haustus, curat Gentes haurire.

Cant.1.

Honor.

5. *Samaritana in morem à siti defertur ad sitim.* Ioan.4.

Iuxta puteum Dominus: *Mulier*, inquit, *da mihi bibere*, Ioan.4. Vbi D.Thomas, *Petit potum, & quia sitiebat aquam propter æstum diei, & sitiebat salutem hominis propter amorem.* Christus sitiens bibit sitientem Samaritanam. At ipsa epotata mero salutis, dum Dominum epotaret, sitiens proximorum vitam, Gentiles adduxit ad fidem. *Ex ciuitate autem illâ multi crediderunt Samaritanorum propter verbum mulieris.* Addit Thomas, *E quâ Dominus aquam petierat.* Seu quam sitientem sitiens biberat Saluator. Quam vtiliter Samaritana ad puteum pergens, *iterumque* atque *iterum* sitiens epotandis Gentilibus æstum impendit. *Leuate* (clamat Dominus) *oculos vestros, & videte Regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* D Thomas, *Gentiles parati sunt ad fidem.* O Saule sitiens, vas mihi exhauriendum ad Regiones reformatus immitteris, innumerabiles Gentiles hausturus ad fidem. Edisce, quam inutiliter prudentia, agilitas, pulchritudo, bona temporalia, reliquáque, quæ hominem exornant, in sæculo insumi, quæ possent Dei obsequio, hominum inseruire saluti: quámque misericorditer à Domino in vitam efformantur.

Thom.

Observatio II.

Ad illa verba:

Qui secuti estis me in regeneratione.

Saulum fugientem Christus insecutus est, vt ad se reduceret.

Vnde diuina innotescit misericordia nonnullos insequens, & quasi circumdans peccatores, ne fugitantes pereant.

6. *Cum laboribus agitaris, circumcluderis à Deo, ne fugias.*

SEQVENTIBVS Christum meritò augusta sedes stabilitur. O Domine, liceat mihi prodigæ quodammodo misericordiæ tuæ documenta perulgare. Saulus te non sequitur, sed persequitur; tu autem Saulum sequeris persecutorem. Quid causæ? Profectò nonnullos fugientes, Deus videris insequi tam affectuosè peccatores, ac si illorum indigeres ministerio. Cur sequeris Saulum fugitantem? Vt comprehendam, eum vndique vallo communio, ne fugæ pateat locus ei, quem ad obsequium intendo reducere in maximam Ecclesiæ vtilitatem.

7. *Luce Deus Paulum circundat, quasi vallo, ne fugiat.* Act.9. Bernard.

Fatur Lucas de Saulo currente. *Subitò circumfulsit eum lux de cælo*, Act.9. Cur lux illa non dicitur fulsisse interiùs, aut exteriùs; sed circumfulsisse? An currentem fugientémque circundat, includit, ne è manibus elabatur? Pulchrè Bernardus serm de Conuers.Paul. *O verè inæstimabilis diuinæ dignationis pietas! Illustrat cælesti fulgore vel à foris intus, adhuc luminis incapacem. Qui nec dum infundi poterat, diuinâ saltem circumfunditur claritate.* Vt scilicet claudat vlteriùs fugitandi viam. Visu captus cadit Saulus, ne adhuc fugæ impendat studium.

8. *Paulus vti Dauid circumuallatur, ne via pateat fugitiui.* Psalm.138.

Horum peccatorum numerum auxit Dauid, quem Dominus fugientem persequebatur, valloque circumdabat inclamantem: *Quò ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades, &c. etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*, Psalm.138. Ac si diceret: Me tam instanter sequeris fugientem, vt vndique quasi manibus circumdedisse videatis. Eleganti comparatione Incognitus expendit: *Non est locus, quo à te, à tuâ scientiâ, à tuâ potentiâ, vel à tuâ præsentia fugere possim. Sicut enim volens fugere cælum, ad quamcumque partem fugiat, ad cælum accedit sic volens Dei præsentiam & potentiam fugere, quousque se vertat, illam inuenit.* Putabam ego, me posse effugere, dum ad infernas sedes à tuo tabernaculo cælesti dissidentes ex peccatorum multiplicatione, me recipere curabam, & inibi cælum reperire coactus sum, quia tu vbique ades, circulo cælesti me vndique claudis. Incogn.

9. *Instar Ionæ, ceto recluditur.* Ion.1. Gregor.

Quid Ionam memoriæ obiiciam? Nauis auolat, Propheta fugitat? Vndæ vndique teneant, proiiciatur ad pelagus, piscis immanis ventre circumcludatur. Orat ille, & exauditur, veniâ donatur, redit ad iter à Domino institutum. Gregorius lib.6.Moral.cap.13. *Ionas fugere elegit, sed protinus tempestas oritur, sors mittitur. Ionas in culpâ deprehenditur, in profundum maris mittitur, ceto absorbente deuoratur. atque illuc, gestante belluâ, peruenit, quo ire spontè contempsit. Ecce fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit.* Ita, Domine, ambis fugitiuum, ac si illius egeres ministerio. O diuinæ benignitatis profluentia, luce Saulum fugientem circumdans, includens, ligans, tenens; ne cælestem fugiat venatorem. Cur ò Domine, detines fugientem, qui clamas: *Si quis vult venire post me?* &c. Paulus *vas electionis mihi, vt portet nomen meum.* Adeò in Gentium Doctorem affectus Dominus, vt eius ministerio indigere videatur, vt illinc Apostolus benignitatis Dei diuitias commendaret. Cum grauiter delinquens, & à Deo fugiens, à calamitatibus inuenitis, puta à Domino te circumdari, ne vlteriùs studio fugitandi curam expendas.

Observatio III.

Ad illa verba:

Qui sequuti estis me in regeneratione.

Num Sauli flagitium ex ignorantiâ excusabile?

Ostendo difficilè ex ignorantiâ omnino excusari delinquentes.

10. ADOLESCENS ille cuius vocationis occasione, hæc Dominus Discipulis verba protulit, Iudæorum populum motibus immaturum figurabat, Hugone Cardin. authore, *Iesus autem*, inquit ille, *intuebatur eum, quia in morem insipientis, veri, ignoranter delinquebat. Vade Patri: Ignosce, ait, illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Scio inuincibilem ignorantiam omnino à crimine excusare. At experimento edocemur plerumque ignorantiam affectatione laborare. Actio itaque tantò excusabilior erit, quantò ignorantiæ inuincibili proximior apparuerit.

Hugo.

11. Paulus ne ex ignorantiâ excusabilis ostentatur? Audimus eum, Ecclesiæ licet persequutionem excitârit, ad Apostolicum thronum euectum, quòd ignoranter deliquisset. Dionysium Carthusianum audite, *Quamuis tam grauiter ante suam conuersionem peccauerit Paulus, ipse tamen ad Timotheum scribens, aliqualiter se se excusat dicendo. Ideo misericordiam consequutus sum, quia ignorans, in incredulitate feci*, 1. Timoth. 1. *Verumtamen* (addit Doctor) *ignorantia ista excusauit eum non in toto, sed a tanto. Nam & Iudæi per ignorantiam Christum crucifixerunt, dicente hoc ipso Apostolo: Si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, 1. Corinth. 2. Aliqualem huiusmodi excusationem illustro.

Pauli ignorantia expenditur persequutoris. Carthus. 1. Tim. 1. 1. Cor. 12.

12. Nesciebat Paulus, nesciebant Iudæi. Si ex eo quod nesciunt, excusabiles: ex eo, quod scire nolunt condemnari necessum. *Et omnes vias eius intelligere noluerunt*, Iob 34. Quis non errabit viam negligens agnoscere? Gregorius lib. 25. Moralium cap. 16. *Nota, quod non ait: Infirmitate non intellexerunt: sed, intelligere noluerant. Quia sæpe quæ facere nolunt, scire etiam contemnunt. Quia enim scriptum est: Seruus nesciens voluntatem Domini sui, & non faciens condigna, plagis vapulabit paucis: & seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens iuxta eam, multis vapulabit plagis*, Luc. 12. *Impunitatem peccandi, æstimabat remedium nesciendi. Nescire, ignorantia est: scire autem noluisse, superbia.* Ex superbiâ itaque huiusmodi ante conuersionem tuus Saulus ostenditur, ex ignorantiâ autè simul aliqualiter excusabilis apparet.

Ex eo, quòd quis nō vult scire, damnabilis est, ex ignorantia aliqualiter excusabilis. Iob 34. Luc. 12.

13. Expressit Dominus è patibulo clamans: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*, Luc. 23. Veniâ-ne omnino dignos ex ignoratione restantes? Dum ait: *Ignosce illis*, asserit deliquisse. Qui autem addit: *Quia nesciunt, quid faciunt*, si non omnino excusat, non penitus accusat errorem. Augustinus lib. quæst. p. 2. quæst. 4. *Quid est, quod in Cruce positus Saluator ait: Pater, ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt. Si nesciunt, quid est, quod ignoscitur? Maximè cum dicat Abimelech ad Deum: Numquid ignorantes perdes?* Genes. 20. Respondet, *Non omnis ignorans immunis a pœna est. Hic enim, qui potuit discere, & non dedit operam, reum se fecit. Erat enim, vt disceret, & à quo disceret.* Iudæos ergo damnabiles, quòd discere noluerint, aliqualiter Dominus excusabiles asserit quòd nescierint.

Inde delinquentes aliqualiter à Domino excusantur. Luc. 23. August.

At ne videar Sauli errorem cum Iudæorum flagitiis omnino componere, quid distet inter vnum & alios ex Carthusiano accipite. *Hoc inter ignorantiam Pauli & Principum Sacerdotum distabat, quod Paulus aliunde fuit vir bonus secundum legem Moysi, sine querela conuersans, id est, irreprehensibiliter viuens: & ex magnitudine quadam zeli Dei, ac legis, videbatur motus ad persequendum fideles. Principes verò Sacerdotum, Scribæ, & Pharisæi aliunde vitiosi fuerunt, vtpote ambitiosi, auari, & inuidi. Decuit ergo Paulum præ illis misericordiam consequi.* Est, ó Christiane, vt discas, & à quo discas: sine argento, & auro vocaris ad fontem, Sapientia clamitat in plateis. Inexcusabilem *omnino ne prætendas ignorantiam.* 14.

Longè Paulus excusabilior. Carthus.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Qui sequuti estis me in regeneratione.

Saulus superbus, cælesti gratiâ humilis Paulus effectus, Christum humilem sequutus est.

Vbi de vtroque humilitatis termino, demissionis scilicet & exaltationis.

REGENERATIONEM explicat August. Spiritus sancti gratiam, quâ peccator alius efficitur. Regeneratus Saulus, quia Paulus effectus Saulus superbus excidit, vt humilis Paulus exurgat. *Iste vas electionis* (inquit Doctor) *primo Saulus a Saule. Recordamini enim quis erat Saul? Rex persequutor serui Dei Dauid, & ipse vt Saulus de Tribu Beniamin. Inde iste Saulus ducto secum tramite sæuiendi; sed in sæuitia non permansurus. Postea, si Saulus à Saule superbo, Paulus vnde? Paulus, quia modicus, Paulus humilitatis nomen est. Paulus postquam adductus est ad Magistrum, qui ait: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, inde Paulus. Paulum modicum dicitur. Audi ergo Paulum: Ego sum minimus Apostolorum.* Expendo sententiam. 15.

Saulus, vt Saul, superbus, vt Paulus Iesum humilem imitatur. August.

Qui à Saule superbiam ebibit, a Christo didicit humilitatem. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*, Psalm. 8. Vbi Cassiodorus, *Minoratis Christum, qui minoratus est, non necessitate; sed pietatis suæ spontaneâ voluntate. Paulo minus ab Angelis, quia in ea parte factus est minor Angelis, qua Crucem suscepit.* Paulus ergo sibi Christum obiiciens paulo minus ab Angelis minoratum, paulo minus ab Apostolis se minutum profitetur. *Ego sum Paulus minimus Apostolorum.* Paulus, quia modicus, *humilitatis nomē est.* 16.

Refert Paulus humilitatem Saluatoris paulo minus ab Angelis, & Psalm. 8.

Terminus submissionis humilitatis Dominicæ Crux. *Semetipsum exinaniuit factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*, Philip 17.

Christus ad Crucem vsque

submittitur, Paulus ad abyssum peccati imò quodammodo Christus in Paulo. Phil. 2. 1. Tim 1. Gal. 2.

Philippens. 2. An non peccati abyssus Cruce profundior? Paulus ergo cùm inter Diuos annumeratur, ait: *Christus Iesus venit in hunc Mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*, 1. Timoth. 1. Cur non dixit: *Quorum primus ego eram?* Viuis-ne tu qui olim? *Viuo ego, iam non ego.* Quis ergo viuit? *Viuit ergo in me Christus*, Galat. 2. O humilitatis Apostolicæ abyssus, cùm se Saluatoris habitaculum profitetur, primum prędicat peccatorem! Theodoretus, *Peccatorum omnium se ipsum primum dicere, ad ipsos transilit terminos humilitatis, quod primas partes inter peccatores sibi vendicare non veretur.* Porrò, qui peccatum non fecit Christus in Paulo viuens, quod in se non poterit, vsque ad peccati barathrum humiliari quodammodo videtur in Paulo, vt Crucis terminos transiliisse videatur. (Theod.)

18. *Paulus exaltatur in Christo.* Phil. 2. August.

Quòd si Christus quodammodo humiliatur in Paulo, Paulus verè exaltatus in Christo. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen, quod est super omne nomen*, Philippens. 2. Pauli humilitas exaltatio fuit. Augustinus citatus, *Prostrauit Christus vnâ voce Saulum, erexit Paulum: prostrauit superbum, erexit humilem.* Potius-ne dicendum, Erexit eum, qui humiliatus deiectúsque fuerat? Aptè quidem, *Erexit humilem*: humilitas enim idem ac sublimatio. Humiliari Paulum fuit ad tertium cælum, vbi Iesus tunc aderat, eleuari.

Observatio V.

Ad illa verba:

Qui sequuti estis me in regeneratione.

Lupus Saulus, effectus ouis, Dominici gregis Pastor.

Vbi innuitur, difficilè non fœdari, qui in occasione persistit delinquendi.

19. *Paulus ouis ex lupo.* August.

Secvti estis me Agnum oues effecti. Saulus lupus Christum sequuturus ouis efficitur. Augustinus serm. 9. de verb. Apostoli, *Ananias ouis interpretatur. Loquebatur ouis Pastor, & timebat ouis lupum* (cum scilicet à Domino Ananias ad Saolum immitteretur,) *Tanta huius lupi fama præcesserat, vt non se putaret tutam ouis, nec inter manus Pastoris. Domine, ait, audiui de isto homine, quanta fecit mala Sanctis tuis in Ierusalem; quò me mittis? Ouem ad lupum? Sed ille non audiuit excusationem. Iam enim dixerat paucis ouiculis suis: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Si missa sunt oues in medio luporum, quare trepidas ire Anania, ad eum, qui iam non est lupus. Lupum timebas; sed respondet tibi Dominus: De lupo ouem feci.* Paulus lupus olim, non rapit, dum coram Ananiâ oue statuitur. Magnum potentissimæ dexteræ documentum fuisset lupum Saulum inter oues constitutum non rapere. At Dominus eum in ouem mutatum asseruit: *De lupo ouem feci.* Oues cum ouibus sine periculo colligantur. Ananias autem ouis Dominica prudentissimè ad Saulum improbum accedere non audebat. Ait enim? *Audiui de*

Ant. de Escobar & Mend. Tom. IV.

isto homine, quanta fecit mala Sanctis tuis. O quàm difficile lupus se, coram ouibus diu existens, contineret à raptu, nisi a Domino mansuetissimam mutaretur in ouem!

20. *Quam difficile in conspectu illectamenti, & in occasione peccandi, contineamur!* Gen. 3. Thom.

Ioseph dimisso pallio, fugit adulterij occasionem, Lazarus a mortuis suscitatus per aliam incedit viam, ne qui peccatoris gesserat imaginem, eodem crimine occasionis instantia implicaretur. Fortium quidem terga hostibus huiusmodi coaptare. Cur, existimas, Dominus tam facili præcepto illigârit Adamum, vt sibi ac posteris æternam felicitatem consequeretur: Quid facilius, quàm ab vnâ arbore abstinere eum, *qui pro suâ necessitate* (vtor D. Thomæ verbis) *habebat cibaria ita delectabilia?* Imò nihil, me authore, difficilius, quàm vnius arboris abstinentia. Nam cùm Adam continuo in conspectu interdictæ arboris moraretur; difficulter abstineret à raptu.

21. *An ex occasione assiduà oculis obiecta Adam deliquerit?* Gen 3. Caietan.

An non Adamus ab arbore aderat amotus, quando pomum à fœmina accepit? Minimè planè, vt ex Hebraico textu colligitur. *Et dedit etiam viro suo secum*, Genes. 3. Caietanus, *Ad significandum quòd cum ea erat vir eius, quando comedit.* O delinquendi illectamentum maximum, in conspectu occasionis cuiuslibet ponderis, commorari! Non miror fortissimum cecidisse. Certè Paulus ouis, non lupus, vt sine periculo gregis valeat inter ouiculas habitare. An non quodammodo Domino facilius miraculum, Saulum lupum ouem efficere: quàm lupum inter oues morantem à raptu continere? Non timeas Anania ouis, *De lupo ouem feci.* Ergo iustè timeret, si adhuc lupus gregi Domini immisceretur. Edisce occasiones delinquendi effugere, vbi nunquam non periculosè commoraris.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Cùm sederit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos, &c.

Se Paulus primum appellat peccatorem.

Vbi, malitia expenditur illorum, qui alios ad delinquendum reddunt expeditiores, aut scripta tradunt noxia.

Dvodecim sedes totidem Apostolis præparantur. Ergo *Paulus* (cum Beda loquor) 22. Beda.
qui tertius decimus est Apostolus, iudicandi sorte priuabitur, cùm ipse dicat: Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Respondet Pater duodecimo perfecto numero vniuersitatem designari. Vnde per sedes duodecim omnes Diui iudicaturi, sicut per duodecim Tribus cuncti iudicandi assignantur. Iudicem ergo Paulus se omnium reorum iudicandorum profitetur, *Iesus venit in Mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*, 1. Tim. 1. De more optimi pœnitentis, nunquam se expedit à peccatorum recordatione. Sed quonam sensu se primum peccatorem appellârit; Duplici capite respondebo.

CAPVT I.

Pœnitens Paulus se primum appellat peccatorem, quia alios ad crimen faciliores, & agiliores reddidit.

23. *Primus peccator Paulus, quia alios reddidit agiles ad delinquendũ.* Auguſt.

PErpulchrè Auguſt. ſerm. 9. de verb. Apoſt. *Quomodo erat primus* peccator? *Ante illum non fuerunt peccatores tot Iudas? Ante illum non fuerunt peccatores in genere humano? Ante illum in omnibus hominibus non peccato tenebatur Adam? Quia omnibus primus ſum, peior ſum. Ergo peiorem voluit intelligi primum.* Siue peior ſum, quia primus. Primus ſcilicet in arte, non in ætate. *Quomodo illi* artium inuentores *in arte primi, ſic iſte in iniquitate primus.*

24. *Stephanum lapidaturos expeditius ad facinus.* Auguſt.

Iam quæris, quare Paulus primus in iniquitate vocitetur: Reſpondet Doctor: *Recolite Saulum, & inuenietis. Nonne ille eſt, cui ad lapidandum Stephanum manus vna non ſufficiebat, & aliorum veſtimenta ſeruabat?* Eos enim Saulus palliis exuit, vt agiliores, expeditioréſque ad homicidium redderet. Equidem conatui peccatorũ facilitatem delinquendi addere, excitare alios ad delictum, crimen eſt nunquam ſatis lacrymis diluendum. *Quorum primus ſum.* Dux quidem eorum, qui Leuitam neci tradiderunt, magiſterium exhibens expeditionis, dum veſtimentorum cuſtos adi ior.

25. *Serpens inauditus damnatur, quia facilitauit ad crimen.* Gen. 3. Caietan.

Interrogati Adamus & Eua à Iudice æterno damnantur: Serpens autem ſine præuio examine excidio addicitur. Caietanus, *Nihil autem interrogat ſerpentem:* ſed ait: *Quia feciſti hoc, maledictus eris.* Geneſ. 3. Quare non interrogat? *Nihil* (ait ille) *interrogat ex certa ſcientia pertinacem in malo.* Crimen illud diabolicum omnino primi proprium peccatoris. Nam facilitate Euæ flagitium, eam expedire ad delinquendum, & veneni calicem propinare primi peccatoris diaboli crimen eſt. *Ego*, ait Apoſtolus, *primus peccator ſum.* Serpentis enim in morem Iudæos agiles reddidi ad flagitium.

CAPVT II.

Pœnitens Paulus ſe primum nominat peccatorem, quia epiſtolas geſtauit exitiales Eccleſiæ.

26. *Primus peccator, quia epiſtolas exitiales deportauit.* Auguſt.

VT Auguſtinus Paulum primum aſſerat iuſte vocare ſe peccatorem addit *Nonne ipſe eſt, qui literas accepit, erat à Principibus Sacerdotum. Ip eſt ergo qui primus erat perſequutor, illo peior non fuit.* Tantæne malitiæ epiſtolarum Chriſticolis exitialium fuiſſe geſtatorem? An cuiuſlibet ſceleris internuncius meritò huiuſmodi cenſurâ percutitur? O geſtatores epiſtolarum Caſtæ fœminæ noxium codicillum amantis porrigis? Te nullus peior.

27. *Eua deferens mandatum ſerpentis inſtantiſſime ad præuaricationem prouocauit.* Gen. 3. Caietan.

Vidit olim mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & tulit de fructu illius, & comedit. deditque viro ſuo, qui comedit, Geneſ. 3. Vbi acutè Caietanus, *Ipſe Adam non extendit manus ſuas ad arborem, ſed mulier legit, vt hinc intelligamus inſtantiam ad prouocandum virum.* Ab arbore legit pomum, vt quaſi ſerpentis agens nuncium viro referret, Illud ipſum in manu viri pomum collocaſſe, maxima inſtantia fuit *ad prouocandum* eum. Verbis amatoriis profuſis fœmina tentatur; cùm autem verbum euolet irreuocabile, diffugiente hoſte, non tam valenter animus ad libidinem adducitur. At cùm per epiſtolas amatorias cupiditas enunciatur, fœminæ aut viri manu charta ſtatuitur, vti pomum, legitur ſemel & iterum, pugnáque perſiſtente, animus tandem debellatur: *Vt hinc intelligamus inſtantiam ad prouocandum virum.* Alibi plura.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

An Paulus nouiſſimè electus Apoſtolus, præſtantiori reliquis præmio donaretur?

Vbi oſtendo, non qui primus venit ad vineam, ſed qui plus laborauit, præſtantiori munere affici.

SCio Paulum nouiſſimum Apoſtolum, ſed de quo adiicit Matthæus: *Et erunt nouiſſimi primi.* Diſcumbens etenim verus Beniamin Dominicâ in menſâ præſtantiſſima donatur portione. Hugo Cardinalis, *Centuplum accipiet, id eſt, gratiam, quæ in centuplum valet.* An gratia, quâ Paulus nouiſſimus donatur Apoſtolus valet in centuplum? 28. Hugo.

29. *Nouiſſimus Paulus fit primus, quia plus cunctis laborauit.* Matth. 20. Auguſt.

Apoſtoli quidem ſub diuerſis diei horis ad vineam Eccleſiæ laboraturi properárunt, Paulo ſub vndecimâ adducto. Singulos denarios ſinguli recipiunt Apoſtoli, Paulus autem præſtantiori munere redonatur. Primos, ô Ieſu non ſolùm nouiſſimo non præponis, verùm nec æquari permittis? imo eò efficis poſteriores? *Amice, non facio tibi iniuriam. An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Matth. 20. Ad quæ Auguſtinus lib. 50. Homil. homil. 17. *Ergo Domine, ille, qui tanta fecit, tanta mala in Sanctos tuos facere cupiebat; tali eum miſericordiâ dignum exiſtimas! Non facio*, ait, *tibi iniuriam.* Incipio *à nouiſſimis*, quia erunt nouiſſimi primi in laboribus, vnde in præmio primi eſſe debebunt. Paulus nouiſſimus Apoſtolorum plus omnibus laborans potiori erat munere afficiendus.

30. *Ipſe teſtatur Apoſtolus.* Auguſt. Pſalm. 130.

Ipſum teſtor ſanctum? *Plus omnibus laboraui*, 1. Corinth. 15. Quod ponderans Auguſt. ait ad Pſalm. 130. *Paulus Apoſtolus, quamuis ex perſequutore factus ſit prædicator, abundantiorem gratiam conſequutus eſt in omni labore Apoſtolico, quam cæteri Apoſtoli, ſicut ipſe dicit, quòd plus omnibus illis laborauit. Excellentiſſima ergo gratia fuit. Cùm ergo eſſet magna gratia, & magna dona meruiſſet à Deo*, &c. Præſtantior ergo labor, munere afficitur largiori.

Apoſto

32. *Fontes Apostolicos adolescentulus superas Paulus.* Psalm.67. August.

Apostoli planè gratiæ fontes, pro vasis fidelibus capacissimis adimplendis. Ergo Paulus fontium superat vbertatem. Dauid pulchrè: *In Ecclesiis benedicite Dominum de fontibus Israel. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Psalm. 67. Fontes Apostoli, prosante Augustino: *Prius elegit, quos fontes faceret. Nam electi Apostoli sunt, & hi primitus audierunt. Qui biberit ex hàc aquâ, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis.* Quid Paulus? post reliquos Apostolos à Domino electus. *Beniamin in mentis excessu. Ibi Beniamin* (adiicit Doctor) *adolescentior, ibi Paulus nouissimus Apostolorum, qui dicit: Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham de Tribu Beniamin in mentis excessu* in dilectionis, sapientiæ, gratiæ, cælestium munerum abundantiâ, ipsos vberrimos Ecclesiæ superans fontes.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres. &c. propter nomen meum, centuplum accipiet.

Paulus Conuersionis die, vt vas nominis Iesu oleo plenum obiicitur.

Vbi ostendo, Apostolici viri gressus velocissimos haud fatigatione affectos vocales esse prædicatores.

33. Hugo.

HVgo Cardin. *Qui reliquerit domum, fratres, sorores, &c. in nomine mei exaltationem, in præsenti pro vno fratre carnali accipiet centum spirituales.* Quid dico centum? Millia millium occurrent ei, & decies centena millia ad sacrum Baptisma properabunt. Conueniunt hæc apprimè Paulo, domum, patriam, amicos, notos, propinquos, fratres relinquenti, nominis baiulo salutaris, immensâ filiorum stipato cateruâ.

34. *Fructus vberrimi ex gressuum Pauli prædicatione.* Act.9. Hugo.

Expendo illud Dominicum. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum.* Act.9, Pende particulam, *Electionis.* Elegit Dominus hoc *Vas.* Ergo *Vas* ante Conuersionem vas iniquitatis, ad nominis Iesu, veneno reiecto, infusionem eligitur. Hugo: *Conuersum fecit vas alterum, sicut placuerat.* Laurentius Inst. vberiùs: *Tu, ô Domine Iesu, qui verbo tuo sempiterno ex ista prænosci is, propugnatorem hunc Paulum delegisti in laudem gloriæ nominis tui, vt portes coram Gentibus. Vas tibi electionis fecisti, quatenus per illum notificares Diuinitatis tuæ maiestatem sæculo ignoranti.* Quàm vtilis Ecclesiæ Paulus Iesu nominis baiulus. *Notus in Iudea tantum videbaris, & in Israel magnū nomen tuum palam profitebatur. Vt igitur etiam Gentibus, quæ infidelitatis vinculis tenebantur astrictæ, tuam reuelares gloriam, velutì de pharetrâ Sathanæ, & de ignorantiæ depressâ caligine, hunc eduxisti in lucem earum. Quatenùs ipso mediante salus fieret æterna, de Iudeæ finibus vsque ad extremum terræ.*

Ipsa Conuersionis die sagitta Paulus? Vas Dominici nominis? Tantus ne illius affectus pœnitudinis? *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Psalm. 67. Vbi Augustinus: *in mentis extasi. Potest hic extasis illa eius intelligi, de quâ ipse loquens, ait, scire se hominem,* Conuersionis scilicet die, *raptum vsque ad tertium cœlum audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.* Adulescentulus-ne tanti fulgoris gloriâ rutilabat? Ipsa die Conuersionis capax, iam vàs nominis salutaris. *Vas electionis est mihi iste.* 35. *Conuersionis die ipsa Paulus vas Dei nominis capax.* Psalm 67. August.

Vt portet nomen meum. Non dixit, vt prædicet, sed *vt portet*, quia Paulo commissum portare Iesum; ipse verò in Paulo vase existens ore vasis verba profundit. Laurentius Iustin. *Hinc est, quòd tam infatigabiliter terrarum spatia, maris latitudinem, montium solitudinem, Vrbium, Prouinciarúmque peragrabat itinera: Te namque impellente, dirigente, te in illo loquente, ministerij sui causam implere curabat.* Cursu valido haud interminabili Concionator hic pro sermone vtitur. 36. *Properando prædicat.* Iustin.

Non memoriæ referantur Pauli verba, epistolæ silentio addicantur; solummodò gressus continui, vt portaret Iesu nomen, oculis opponantur. Quàm illi vocales? Isaias: *Quam pulchri pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Cap. 53. Aliter: *Pedes euangelizantis bona.* Origenes præfat. in Ioann. bonorum nomine Iesum intelligit: *Euangelizantis bona, scilicet Iesum: Nec miretur quisquam, si nomine bonorum multitudinis numero exposuimus, annunciari Iesum. Vita bonum est. Ac Iesus est vita. Bonum lux est. Iesus Mundi lux vera, &c.* Iam requiris, cur euangelizantis pedes, non prædicatio ipsa commendetur? Quia Paulus nomen Iesu baiulans, pergens prædicat, gressu quidem vocali; pati enim ex tot itinerum profectione pro nomine Iesu, præstantissimæ prædicationis locum obtinet. Origenes: *Quam pulchri sunt pedes? Prædicationem intelligens Apostolicam opportunè factam, dum viam sternunt dicenti; Ego sum via.* Viam itaque Iesu sternere, conficere itinera salutaria, prædicatio est. Hinc Sancti Francisci Xauier Iaponiorum Apostoli insonant vocales gressus, dùm baiulus salutaris nominis duodecim millia leucarum terra marique perfecit. 37. *Gressus Pauli prædicatores speciosi.* Isai 53. Origen.

Accurrite ergo ad Paulum, ô Gentes, salutaris nominis portitorem. In Paulo salus, in Paulo Deus, imò Deus omnium speciali iure Deus Pauli ostentatur. Vas Deitatis est, incomprehensibilem continet Deum suum. *Gratias* (inquit) *ago Deo meo.* Phil. 1. Deo tuo? Deo omnium veraciùs diceres. Cur proprium efficis communitatis Deum? Chrysostomus hom. 54. in Gen. *Ita & Prophetis mos est facere, & dicere: Deus, Deus meus, quamuis totius Orbis est Deus; sed peculiare hoc est amori, vt è communibus propria facias,* Deum, ô Gentes, vbique commorantem, Deum omnium, quærite in Paulo commorantem, qui suum specialissimè Deum esse gaudet, vt vestrum possit proprium efficere cuiuslibet. Qui tàm salutaris eundo, quàm egregius verbi Concionator insonuit! 38. *Pauli Deus, vt eum singulorum proprium specialissimè efficias.* Phil. 1. Chrys.

LIBER SECVNDVS.

MATTHIAS.

Paraphrasis, Commentariique literales ad Cap. XI. Matthæi.

PANEGYRICI MORALES circa literam.

IN MATTHIAM APOSTOLVM.

PROLVSIO.

Apostolici vitalis Legis FRVCTVS SECVNDVS.

QVEMADMODVM *Solis radios* (cum Laurentio Iustiniano in Matthæum sermone loquor) *in sereno meridie rutilantis quicumque intueri voluerit, retrusus à lumine potiùs cæcatur, quàm videat: ita & qui diuinorum iudiciorum conatus fuerit indagare secreta, ad eorum nunquàm valet peruenire indaginem.* Cur, reprobato Iudâ, Matthias diuinâ forte eligitur Apostolico throno collocandus? *Confiteor*, inquit Dominus, *tibi Pater, quia abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus.* An non id præstitum, quia *sic placitum ante te?* Enim verò, quàm iustè Matthiæ virtutes Principatûs Ecclesiæ purpuræ decorantur.

MATTH. CAP. XI.

VERS. 25. IN illo tempore, respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelâsti ea paruulis.

26. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

PARAPHRASIS.

25. *CVM ad Iesum Discipuli à prædicatione reuerterentur, latiq; illi referrent negotij euentum, ille nos edocens Deo tribuendum, quidquid à nobis cum laude geritur, sublatis in cælum oculis, dixit: Gratias ago tibi, ô Pater, qui Dominus es cæli, ac terræ, quòd hanc cælestem philosophiam circa te tantorum ministrorum prædicatione ad conuersionē Orbis, celâsti humana sapientia persuasione turgidos: & eā pusillis, humilibus, & iuxta Mundi æstimationem stultis aperuisti.*

26. *Profectò sic est, Pater, quia visum tua benignitati, sic placitum diuino consilio, sapientiam humanam damnare, & per humilitatem Euangelica doctrina pertrahere electos.*

27. Omnia

27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

27. *Ac mox versus ad circumstantes; Horum, inquit, Pater est Author, à quo mihi tradita sunt omnia. Nemo nouit Filium nisi Pater; nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius patefacere; non patefacit autem superbis, & elatis. Qui sibi videntur sapientes, hâc sunt indigni sapientiâ. Qui diuites, ad has non admittuntur opes. Qui nobiles, & potentes, ad hæc adyta non admittuntur. Qui iusti sibi videntur, non sunt iustitiæ diuinæ capaces.*

28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

28. *Mox Iesus ex Apostolorum narratione contemplans, quanta generis humani calamitas. Venite, inquit, ad me, quotquot afflictionibus, curis, ac vitiorum conscientiâ laboratis, quotquot malorum sarcinâ pergrauamini, ego aduersùm omne malorum genus solatium impartiar.*

29. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.

29. *Mundiale iugum excutite, & alacres iugo meo colla vestra submittite. Ex me discite, quæ res sola verè tranquillet animum. Discite ex me, quòd mitis sum, & corde minimè elato, à cunctis mundialibus iugum graue reddentibus abstineo. Hoc solùm si à me didiceritis, conquiescere miseros istos tumultus sentietis, potiemini pace, quæ vos etiam in medijs malorum circumfrementium procellis comitabitur.*

30. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

30. *Non est, quòd iugum meum metuatis, durum & graue videtur incredulis; sed ijs, qui toto pectore diuinæ fidunt bonitati, qui charitatis ignem concepere, commodum iugum, leuis sarcina. Quid non dulce amanti?*

SECTIO PRIMA.

Matthiæ electio.

TEXTVS.

VERS. 25. IN illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelâsti ea paruulis. 26. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De responsione Dominica.

1. *Quandonam historia hæc?* IN *illo tempore.*] Postquàm Discipuli ad prædicandum immissi rediêre, ex eorum gaudio & gloriatione, quòd in nomine Christi etiam dæmonia sibi subderentur, benéque cuncta euenissent, occasionem Christus accipit proferendi quæ sequuntur, iuxta Imperfecti Auctoris expositionem. In illo ergo Apostolici reditûs tempore, occasione, instantiâ. *Imperfect.*

2. *Quibusnam Iesus responderet?* *Respondens Iesus, dixit.*] Quibusnam respondit? Quidam asserunt gloriantibus Apostolis respondisse. Euthymius docet sæpè in Sacris τὸ *respondere* pro *exordiri loqui*, assumi. *Respondens orsus.* Faciliùs dixerim cum Strabo & alijs, *Euthym.*

& alijs, tacitæ obiectioni, cur Christum, quem Gentilitas recepit, Iudæi admittere noluerunt, respondisse. Confirmo ex Alberto Magno: *Respondet Iesus. Quia aliquis dicere posset: Quæ est ratio, quòd Iudæus notitiam Dei per Prophetas, & legem habens, Filium in carne venientem reiecit, & Gentilitas deuota recepit?*

Albert.

3. *Authoris expositio.* Pasch.

Addo non tacitæ obiectioni, quæ fieri posset; sed quæ tunc mente adstantium agebatur, Dominum respondisse: *Nam si sunt diuina,* (inquit Paschasius lib. 6. aliter respondens quæstioni; *quomodo non interrogatus dicitur respondisse?*) *interiùs quæ videns Sancti, & audiunt adhuc in carne, quibus quàm sæpè respondere videntur; quanto magis Saluator, qui omnia, quæ interiùs sunt, videt, & diuina agebat cum Patre, & respondebat exteriùs, quæ intra conticebantur.* Vnde ex mente Abbatis respondisse videtur Christus Patri sibi intùs loquenti, causámque reddenti, cur Iudæi ipsum non reciperent, quem Gentiles amplectebantur. Dominus igitur obiectionis internæ adstantium Discipulorum occasione ad Patrem intùs loquentem sermonem dirigens, Discipulorum quæstionem diremit.

---

§. II.

De Patre Domino cæli & terræ. De Sapientibus, Prudentibus, Paruulis.

4. *Quid verbum, Confiteor, significet?* Beda. Lyran. & alij.

CONfiteor tibi.] Quærit Beda, cur confiteatur Dominus nullo vnquam adstrictus peccato? Respondétque confessionem non semper pœnitudinem innuere, sed gratiarum actionem significare. *Confiteor tibi, gratias ago tibi.* Sic Lyranus, Paschasius, Albertus, & omnes recentiores. Caietanus: *Confiteor tibi. Exultante spiritu suo conuersus est ad Patrem, dicendo: Confiteor professione veritatis,* respondendo *Discipulis reuersis cum gaudio,* & *gratias agendo.*

5. *De Patre, ac Domino.* Athan.

Pater, Domine cæli & terræ. Quare Patrem specialiter cæli ac terræ Dominum appellauit? Athanasius epist. ad Marc. Rom. Pont. *Vt confutet errorem Manichæorum, dicentium, vnum Creatorem inuisibilium, Deum, & alium visibilium, diabolum.* Deinde studiosè Dominus

Cyrill.

(adnotante Cyrillo lib. 5 Thess. cap. 5.) *interposuit morem inter nomen Patris & Domini ambobus.* Patrem enim non cæli & terræ, sed suum nominat: Dominum verò non suum, sed cæli & terræ appellat; loquitur enim vt Verbum Patri vtique æquale.

6. *Quænam hæc?* Ambros. Caiet.

Quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quænam *hæc*, quæ à sapientibus & prudentibus absconduntur? Ambrosius: *Mysteria fidei Christi.* Caietanus: *Mea adhuc tùs mysteria.* Aptius, iuxta superiorem contextum, τὸ *hæc* ad Dei iudicia referendum, quibus, Iudæis auersis, Gentilitas paret.

7. *Quinam sapientes, & prudentes?* Ambros.

Sapientes & prudentes Ambrosius Scribas & Pharisæos exponit, & ab eis edoctos, paruulos autem, Apostolos & Discipulos. Ego autem sapientes & prudentes Iudæorum populum explico, cui lux abnegata, quia oculos aperire noluerit; paruulos autem, Gentiles tamen syncerè excipientes. Cur ergo ingratus populus Iudæorum sapientis & prudentis nomine decoratur? Ambrosius locutum Dominum affirmat, iuxta Iudæorum æstimationem propriam, seu præsumptionem, sese sapientes & prudentes iactantium. Maldonatus fauet meæ expositioni, dùm paruulorum vocabulo, non Apostolos (vt Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius) sed ipsos ad Apostolorum Discipulorúmque prædicationem credentes, hic à Christo ait paruulos appellari. *Paruulis*, id est, humilioribus. Paschasius: *Est autem paruulus minor paruo, & significat eos qui nec paruis se anteponunt.* Ingenium Gentilium mite, submissum elato, duro Iudæorum oppositum describitur.

Maldon. Chryf. Hieron. Euthym.

Paschas.

8. *Vnde Iesus lætetur & gratias agat.* Chrys.

Mirum mihi, Christum gratias Patri exhibere, quòd Iudæis obcæcatis Gentiles lumine complecantur, quasi de illorum damnatione gratuletur. At Chrysostomus me ab huiusmodi admiratione reuocauit. *Lætatur, & gratias agit, non quia abscondita fuerint a Iudæis; sed quia mysteria illis abscondita credentibus Gentilibus fuerint reuelata.*

9. *Quid abscondere?*

Abscondisti.] Si abscondit, ergo non peccauerunt non credentes. Respondeo ex eodem Patre, τὸ *abscondisti*, non propriè sumi, sed pro *retraxisti*, fuisse appositum. Vt sit sensus: Retraxit hæc Pater à Pharisæis, cunctísque Iudæis nolentibus recipere, quia noluit vi intrudere. Illis Pater Euangelium abscondit, sicut eosdem filius excæcauit. *In iudicium ego in hunc Mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* Ioan. 9. Cæci fiant, retrahente Domino lucem, quia illi lumina aptare noluerunt.

Ioan. 9.

10. *Varia huius sententiæ expositio.*

Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Hieronymus: *Perge ita facere, ô Pater, sicut cœpisti.* Alij apud Maldon. *Ita Pater, factum est, quia sic placitum fuit ante te.* Quasi non aliam eius rei, quam Dei voluntatem, quâ eos reprobauerat, causam reddant, vt qui nullam præter Dei voluntatem reprobationis causam esse volunt. In quo errore omnes nostri temporis hæretici pertinaciter versantur. Maldonatus sic exponit: *Ita Pater, confiteor, etiam atque etiam gratias ago tibi.* Quod sic facere disposueris, vt cùm sapientes Euangelium recipere noluerint, paruulis non sis dedignatus illud reuelare.

Maldon.

11. *Authoris expositio.*

Ego autem sic cùm Hilario, Hugone, Caietano, & alijs interpretor. Ita Pater fecisti, quoniam sic beneplacitum tibi. Rationem reddit absconsionis a prudentibus & sapientibus, seu disciplinatis Iudæis, & Gentilibus paruulis factæ reuelationis primam, & in resolutione vltimam diuinam voluntatem. *Noli ergo* (Caietanus ait) *disputare de causa electionis, & reprobationis. Cur scilicet Deus istos elegerit, & non illos? Hinc enim habes, primam, supremam, & vltimam causam esse, quoniam sic placitum est Deo.* Placitum scilicet fuit Deo, cùm hos ante præuisa merita eligeret ad gloriam, illos post præuisa demerita reprobaret. Vt iudicia Dei te ad frugem meliorem adducant, quæ neminem æterno igni addicunt nisi post a Deo præcognitam iniquitatem.

Caiet.

In Matthiam

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

Ex Apostoli electione.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Respondens Iesus, dixit.

Apostoli orationis ducatu, Dei voluntatem agnouerunt circa Matthiæ electionem.

Vbi orationis emicat efficacia, ad diuinæ voluntatis manifestationem.

12. Paschas. PASCHASIVS huiusmodi responsionem orationi tribuit; vbi Iesus cum Patre tenebat sermonem: *Saluator omnia quæ interius sunt, & diuina agebat cum Patre, & respondebat.* Congruè equidem orationis agit memoriam, cùm de iudiciorum Dei reuelatione verba facit, quia mediantibus precibus Dei assolet voluntas manifestari.

13. Matthiæ electio ex oratione. Iustin. Id quod Matthiæ electionem apertè confirmat. Do Laurentium Iustin. hic: *Apostolis ex voluntate Dei non certificatis, sortium conceßus est vsus. At verò veniente Spiritu, & electorum corda donis sapientiæ, ea filij & scientia replente interdicuntur sortes, & orationis interpellatio commendatur. Hinc est, quod vnanimiter Ecclesia orare consueuit, quoties a Domino aliquid postulandum esse decernit; neque enim melius quàm precibus mediantibus Dei voluntas deprehenditur.* Ergo sortibus missis, non oratione interueniente, ad Matthiæ electionem Dei voluntatis prætextus expositus. Occurrit obiectioni, dùm adiicit, *Cæterum nihil huius gloriosi Apostoli datas sortes electioni præiudicare dixerim, quando Apostolos orationem præmisisse diuina testantur oracula. Ille namque in hac electione commendauit inquisitionem sortium, qui exorantium annuit votis.* O orationis ad Dei voluntatem enubilandam efficacia!

14. Oratione Dominica præmissa diuinæ voluntatis prætextus exprimitur. August. *Confiteor*, ait, *tibi Pater.* Gratias reddit Genitori, omnium fonti munerum, ac simul eius reuelari flagitat voluntatem. Ideò verbum illud adiungit, *Pater*, orationis Dominicæ fortasse memor. *Pater noster, qui es in cælis, fiat voluntas tua.* Orantibus etenim cæleste placitum manifestatur. Augustinus serm. 22 ad frat. *Orate igitur dicentes Pater, referentes gratias largitori (confiteor tibi) omnium bonorum, qui lumen est oculorum nostrorum, baculus senectutis nostræ, donans nobis sensum, vt eum agnoscamus, & secreta secretorum suorum, seu voluntati eius, intelligamus.* An non Saulus diuinæ voluntatis prætextum sibi aperiri cupiens, exclamabat: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. Ad quæ adiicit Doctor. *Per orationem Saulus efficitur Paulus, & Doctor Gentium, & Prædicator Orbis terræ.* Si fructus orationis, Pauli electio, aptè eligendo Matthiæ preces adhibentur.

O quàm incunctanter rectè orans spirituali 15. Oratione præmissa illicò voluntas Dei enubilatur. Act. 9. lumine donatur, ad diuinæ voluntatis cognitionem! Paulus protulit: *Quid me vis facere?* Mox adiicit Textus: *Erat autem Discipulus quidam Damasci nomine Ananias.* Cui Dominus: *Vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tharsensem; ecce enim orat. Et vidit* Paulus *in visu* (vt ait Interlinealis) *virum, Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus, vt visum recipiat. Respondit autem Ananias. Domine, audiui a multis de viro isto, &c. Dixit autem ad eum Dominus: Vade.* Act. 9. Hinc apertè constat, priùs Ananiam per visum ostensum esse Paulo, quàm veraciter ille ad vicum accederet. Voco ad quæstionem; Quare anticipatiuè Ananias Saulo apparuerit, siue eius imago à Saulo fuerit aspectata: Vt respondeam premo verba illa: *Et imponentem sibi manus, vt visum recipiat.* Vbi Lyranus: *Hæc impositio* Lyran. *non fuit similis illi, de qua dicitur capite præcedenti, quòd per impositionem manuum Apostolorum dabatur Spiritus sanctus in signo sensibili; sed erat ad curationem corporalem, sicut de Beato Laurentio legitur, quod ponebat manus super cæcorum oculos, & illuminabantur.* Iam respondeo quæstioni. Tàm adhærescens quidem orationi illùminatio oculorum, ad agnoscendum diuinæ voluntatis prætextum, vt sine cunctatione, sine morâ, qui veraciter orat, visu donetur. *Domine, quid me vis facere? Ecce orat! Et vidit virum imponentem sibi manus, vt visum recipiat.* Oratione adductus cælestis Pater tarda nescit molimina, vt suam exprimat voluntatem.

Olim *consuluerunt filij Israel Dominum:* 16. Consulto Domino mox diuina reuelatur voluntas. *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux belli?* Consultatio huiusmodi locum precum agebat, fante Chrysostomo hom. 14. ad Antioch. *Antiquitùs enim Deus erat Dux bellorum, & absque illius sententiâ nunquam attingere pugnam ausi, & bellum ipsis pietatis materia fiebat.* Iud. 1. Chrys. Quem illicò orationem voluntatis diuinæ sequitur reseratio! *Dixitque Dominus: Iudas ascendet.* Iud. 1.

Obnoxia errori negotia geres,
quicumque, inconsulto
Domino, ad ea
exequenda
properas.

***

Obser.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ.

Pro Diabolo Iuda, è collegij Apoſtolici cælo deturbato, Matthias Angelus ad ipſum aſſurgit.

Vbi oſtendo, nullâ nos apud terricolas commorantes ſecuritate frui.

17. Strab. QVARE Deus cæli & terræ Dominus appellatur? Strabus myſticè: *Qui facis cælos, & dimittis in æternitate, quos vis.* Ac ſi diceret. Eligis homines efficiendo cæleſtes, terreſtres reprobos derelinquis. Cur prædeſtinati cæleſtes, ſiue cæli appellantur. Improbi autem ſignantur terrenitatis nomine. Quia electi homines excidentium Angelorum loco ſufficiuntur. Deus igitur hodie aptè cæli & terræ Dominus appellatur, dùm reprobato Diabolo Iudâ, Matthias Angelus ad occupandum cæleſte Tabernaculum aſſumitur. *Annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.*

18. *Homines Angelorum vacuas occupant ſedes.* Luc. 15. Caiet. Centeſima illa ouicula Paſtoris humeris ad gregem nonaginta nouem ouium apportata, humana eſt prædeſtinatorum familia, Angelorum numerum perfectura. Vnde *gaudium erit in cælo*, ſocijs vtique Angelis de ſedium inſtauratione collætantibus Luc. 15. Caietanus: *[illegible] ſificat parabola [illegible] um Chriſtum Ieſum habentem [illegible] entum oues, hoc eſt [illegible] vniuer os electos, quarum vna perdita eſt natura humana, nonaginta ve[illegible] nouem dimiſſæ in d[illegible] rto omnes ſunt electi Angeli, quibus deeſt ad per[illegible] iendum electorum numerum, genus humanum. D[illegible] ertum cælum eſt, aduentus ad quærendam ouem, i[illegible] carnatio, reditus domum, a cenſio, conuocatio amicorum, aſſociatio Angelorum.* Quia ſcilicet homines dæmonum ſedes deperditas Angelorum effecti ſocij occupant.

19. *Homo perfectè Angelorum ſ[illegible].* Matt. 22. Origen. Vt reſurrectionem carni[illegible] Domi[illegible] us commendaret, inquit *Erratis neſcientes [illegible] cripturas. In reſurrectione enim, neque [illegible] ub[illegible] t neque nubentur, ſed erunt ſi[illegible] t A[illegible] D[illegible].* Matt. 22. Vbi Origenes: *Quæritur, cum Saluator dicat: Erratis neſcientes [illegible] ripturas an uscat, quod in quibu dam Scri tur p[illegible] ſitum eſt, quod [illegible] equitur. In [illegible] urr[illegible] tione, neque [illegible] ube[illegible] t, [illegible] e [illegible] habentur, ſed ſunt [illegible] ut A[illegible] geli D[illegible] i in cælo, quod in veteri Teſtamento [illegible] ſcriptum. N[illegible] autem dicimus [illegible] ſcriptum [illegible] [illegible] ita dicentibus [illegible] ed in m[illegible] ſte [illegible] undum i[illegible] tellectum m[illegible] lem [illegible] ed [illegible] ſcriptum Erunt ſicut Ange[illegible] De[illegible] Ni[illegible] rte quis etiam [illegible] moraliter in tel[illegible] undum i[illegible] id, quod dicitur: A[illegible] poſ[illegible] tus eſt ad [illegible] p[illegible] ulum ſuum.* Sic Pater h[illegible] m. 22. Proxi[illegible] expende *A[illegible] poſitus [illegible] ad [illegible] pulum ſuum.* Id eſt, aſſociatus ſt[illegible] cœtu[illegible] hun[illegible] us Angelico choro, vt A[illegible] & hominum vnus populus cæleſtis col[illegible]

20. *Matthias Angelus eligitur, diabolo Iuda reprobato.* Carthuſ. Ioann 6. Id quod ex Apoſtolico cæleſti collegio dictum exiſtima. Angeli, Apoſtoli, è quorum tabernaculo vno Iudâ Diabolo effecto, Matthias exurgit Angelus, vt populus cæl[illegible] s integer coaleſcat. Author conceptus huius Dionyſius Carthuſian. præmittens illud Ioannis: *Non-nè ego duodecim vos elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt?* Cap. 6. *Hæc*, inquit, *Chriſtus propter Iudam proditorem, dixit: Quemadmodum ergo proditor fuit Diabolus, & propter diabolicam ſuam prauitatem à Deo reiectus, atque de Apoſtolatu præuaricatus: ſic fœlix iſte Matthias propter virtutum ſuarum perfectiones fuit Angelicus, & ad Apoſtolatum loco Iudæ promotus.* En Deum cæli & terræ Dominum, Matthiam, cælum facientem, Iudam Diabolum addicentem terrenitati, Iudas Angelorum ſocius è cælo ad Tartara deturbatur, licèt ſocietatem hic [illegible] um Angelis inire videaris, nondùm ſecurum te exiſtima.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ.

Aptè Matthias teſtis Reſurrectionis eligitur, qui nunquam (probabiliter) circa hunc articulum dubitauit.

Vbi innuo, Concionatorem, Præſulem, Dominum immunem eſſe debere à vitijs, quæ damnant.

21. Caiet. CAIETANVS: *Exultante Spiritu ſuo conuerſus eſt ad Patrem, dicendo: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ. Confiteor pro[illegible] e [illegible] ers [illegible].* Cur veritatem Chriſtus pro[illegible] tetur? Quia de myſteriorum reuelatione factâ Apoſtolis ſermo erat tenendus, vti idem Doctor affirmat. expoſuit enim, Patrem nomin[illegible], Trinitatis arcanum, &c. Magiſter itaque veritatem Euangelicam docturus Diſcipulos, apte [illegible] e eiuſdem veritatis profeſſorem proclam[illegible] *C[illegible] teor profe[illegible] io [illegible] e veritatis.*

22. *Matthias nunquam de Reſurrectioni veritate dubitans, aptè ſpecialis eſt eli[illegible] tur.* Ac[illegible] 1. Apt[illegible] Matthias teſtis Reſurrectionis eligitur. *Oportet*, inquit Petrus, *ex his viris, qui nobiſcum [illegible] congregati, teſtem Reſurrectionis [illegible] ius Ieſ[illegible] fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerunt [illegible], Ioſeph, & Matthiam.* Act. 1. M[illegible] *Fides* plu[illegible] ibus vo[illegible] t[illegible] a[illegible] [illegible] bulo confirmante. Qu[illegible] pis non improbabiliter putat poſt be[illegible] a, [illegible] p[illegible] ſionem poſt Reſurrectionem cl[illegible], nunquam de Reſurrectione dubi[illegible] tem [illegible] quam Eccleſiæ Magiſter fuit [illegible] me dubitatione diſtractum certiſſ[illegible] um e[illegible]. Quàm egregius veritatis præco [illegible] p[illegible] profeſſor veritatis

23. Io[illegible] himus Abbas in Apoc. apu[illegible] V[illegible] de[illegible] n pretioſa [illegible] apidea cæle[illegible] s [illegible] fund[illegible]

Ideo speciosissimo Matthiæ mysteriũ Resurrectionis commũnius aptatur. Alcaçar.

fundamina totidem Ecclesiæ Proceribus accommodat. Matthiæ duodecimum fundamentum Amethystum conuenire testatur. At meus Magister sapientissimus Ludouicus Alcaçar duodecim illa fundamina cum duodecim præcipuis fidei articulis componit. Amethystus carnis illi est resurrectio, cuius nobis Christus resurgens gloriam prælibauit. An Amethysto coloris viuarij, purpuræ, ac violæ coniunctio? Nemo nescit in Euangelio torrentem voluptatis, quo sunt resurgentes iusti in æternâ beatitudine inebriandi, per vini explicari allegoriam: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*, &c. Matth. 26. In Amethysto perfecta fœlicitas innuitur? Hæc vsque ad Resurrectionem non omnino videtur expleta: tunc enim beati corporis pariter ac animi gloriam possidebunt, nec quidquam eis aliud remanebit optandum. Congruè igitur lapis ille pretiosus, quo resurrectio carnis innuitur, Matthiæ obiicitur aptandus, & quia testis Resurrectionis eligitur, & quia specialissimè aptus testificationi ille, qui nunquam probabiliter de hoc mysterio dubitauit.

Matth. 26.

24. *Post Achitophel (qui laqueo se suspendit) fuit Ioiada filius Banaia*, 1. Paralipom. 20. Vbi Strabus per suspensum Achitophel Iudam intelligit proditorem. In Ioiadâ autem *fidelis* interpretato fidelem Matthiam veneratur: *Præuaricante Iudâ, non remansit vacuus duodecimus locus; sed successit cognoscens gratiam Dei Matthias humilis, & fidelis. Interpretatur enim Ioiada fidelis, sciens, & cognoscens.* Quid fideliter sciuit, & cognouit Matthias? Mysterium illud, scilicet Resurrectionem, cuius testis erat adhibendus.

Post Achitophel Iuda suspensionem Matthias Ioiada fidelis eligitur. 1. Par. 20. Strab.

25. Banaias, cuius Ioiada filius, *Ædificator Domini* interpretatur. Christus autem Domini ædificator, circa Resurrectionis fidem Matthiam huius veritatis specialissimum testem solidauit. Strabus ad hæc: *Ioiada sciens, cognoscens, Banaias ædificator Domini interpretatur. Quem enim gratia Dei* (Matthiam laudat) *in Apostolum elegit, agnitio sana fidei in ipsâ dignitate solidauit.* Siue ideò Matthias ab ædificatore Domini Christo ad fundamentum, quo Resurrectio insculpitur, assumptus est, quia apud ipsum hanc fidem sanam agnouit, nunquam læsam deprehendit. Edocemur hinc, quàm oporteat, castitatis (v. g.) prædicatores Angelicâ semper puritate nituisse, commendatores humilitatis ab omni specie superbiæ semper fuisse alienos, &c. Quid si actualiter impudicus, superbus, huiusce modi delicta taxaturus ascendat? Quàm inaniter profundet sermonem.

Solidauit Dominus ædificator in fide resurrectionis Matthiam fundamentum eius.

***

Ant. de Escobar & Mend. Tom. IV.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

Reddit Christus Patri gratias pro electione Matthiæ, in quo cuncta dona continentur.

De gratiarum actione necessaria beneficiorum pedisequa dissero.

26. DE gratiarum actione communiter verba hæc explicantur à Patribus. Vnum dabo Augustinum apud Catenam. *Si Christus dixit: Confiteor, a quo longè est omne peccatum, confessio non solius peccatoris, sed aliquando etiam laudatoris. Confitemur ergo, siue laudantes Deum, siue accusantes nosmetipsos. Dixit ergo: Confiteor tibi, siue laudo te.* Laudat itaque Christus Patrem, quia fidei Mysteria Apostolis fuerint reuelata. An non cùm dixit: *Et reuelasti ea paruulis*, paruulum Matthiam testem Resurrectionis futurum menti obiiciebat? Certè specialissimas Patri egit gratias, quòd se Matthiâ, dono scilicet præstantissimo, donaret, in fidei præconium.

August.

27. Ad cuius robur præmitto Laurentium Iustinianum fantem, *Matthias meritò fueras eligendus, qui Donatus Domino interpretatur, vt ad Apostolatus assumereris apicem.* Matthias donatus Domino. A quonam nisi à Patre? Quid Pater donat? *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre*, Iacob. 1. Patris donum omnium est donorum epilogus, cùm Domino Filio præparatur. Vnde Dominus, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Et Pater proclamat, *Omnia mea tua sunt*, Luc. 15. Si ergo Matthias donatus Domino Iesu à Patre; omnium bonorum præstantiam videtur continere. Dionysius Carthusianus sermone 1. appositè, *Fuit Matthias Apostolus omni virtute ornatus.* Vnde tradito Iesu vno Matthia, omnia illi à Patre expenduntur. Nam sicut apud Dominum omnia crimina, voluptates, diuitiæ, dignitates mundiales *nihil*: ita *omnium* appellationem solæ virtutes sortiuntur.

Matthias donatus Domino, est omnium bonorum epilogus, seu virtutum complexio. Iustin. Iacob. 1. Luc. 15. Carthus.

28. Edisce gratias reddere tot quotidie munerum largitori. Christus nostram perpendens ingratitudinem, pro hominibus gratum se exhibet: *Confiteor tibi, Pater.* Quærit Chrysostomus homil. 39. in Matthæum, *Cur gratias agit Patri, cùm ipse illud fecerit?* Cùm ipse elegerit sibi Discipulos, &c. Cur gratias profundit? Respondet, *Sicut orat pro nobis ad Deum ex magna erga nos charitate, sic etiam gratias pro nobis ex charitate magna peragit.* Ne scilicet beneficia pereant ingrato.

Pro ingratis Christus gratias Patri gessit. Chrysost.

29. Sedecias olim apprehensus ad Regem Babylonis

Ingratus supplicio grauissimo afficitur. *4 Reg. 25.* Abul.

lonis adducitur, *qui filios eius occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis*, &c. 4. Regum 25. Quare filijs orbatur, & grauius à Babyloniis, reliquis punitur Principibus? Respondet Abulensis quæst. 7. *Quia fuit ingratus. Accepit enim Regnum a Nabuchodonosor, & rebellauit contra eum.* Regno accepto meritò ingratus spoliatur.

Aufert Deus dona ab ingratis. Ose. 2. Riber. Bernard.

30. Haud aliter Deus nos donis oneratos punit ob ingratitudinem, donorum ablatione. *Liberabo, ait, lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius*, Ose. 2. Vbi Ribera, *Lana, & linum liberantur, quæ quasi inuita cogebantur seruire ingratis, & impijs hominibus.* Bernardus sermone 51. *Numquid non perit, quod donatur ingrato! Et* sermone 2. de septem pan. *Nonne iure perditum reputatur, quod ingrato donatum est; aut dedisse non pœnitet, quod perijsse videtur?* Ne igitur à nobis donata à Domino aufetantur ingratis; Christus *ex charitate magnâ pro nobis gratias peragit.* Profectò Dominus gratias pro nobis gerens, nos ad gratitudinem simul excitat; Paschatio adnotante lib. 6. in Matthæum, *Confiteor tibi Pater, gratias agò tibi; & vt ipsi gratias agant paruuli, confiteor*, seu gratias ago, &c. Nos potiùs opere, quàm sermone Dominus edocet gratitudinem.

Paschal.

Observatio V.

Ad illa verba:

Confiteor tibi Pater, &c.

Matthias gratiam à Deo acceptam, dum eligitur in Apostolum specialem filium, simili redditu compensat.

Gratus enim animus simili obsequio curat beneficium acceptum rependere.

31. PATER æternus Christum Filium suum professus fuerat. Christus autem gratiam referens, Deum Patrem profitetur. Grato enim animo adnatum, beneficium acceptum obsequio simili rependere. Paschasius lib. 6. *Quem ergo suum Filium de cælo Pater clamat, ipse Filius eundem Patrem suum esse confitetur.*

Deus Filium Matthiam profitetur: Matthias Deû professus est Patrem. Vincent.

32. Matthias à Deo ad specialem fuit filiationem & Christi fraternitatem electus, quam persoluens gratiam Apostolus, se se specialissimum filium ostendens, tantum Parentem honorauit. Profectò adhuc Matthiæ illustrius Vincentius Ferrar. sermone de B. Mat. effundit elogium. Asserit enim priùs Matthiam Deum specialissimum suum Patrem esse confessum, quàm visibiliter eum ex electione ad Apostolatum Deus suum esse specialem filium profiteretur; imò ab ipsâ Matthiæ professione Deum illigatum, vt illum publicaret, signo quidem visibili, vt cum Iesum Filium professus est. *Cecidit sors super Matthiam. Beatus Dionysius declarans, quæ fuit ista sors, dicit, quòd fuit radius ignis, qui de cælo descendens, posuit se super caput Matthiæ. Ac si diceret: Hic est filius meus.* Apostolus ergo se electum filium specialissime aspiciens, curauit virtutum incrementis tantum se filium ostendere, vt aptè posset Deum specialissimum Patrem appellare.

Gratitudo Iudæ par & similis speciem beneficij referebat. Genes. 29. Philo.

33. Egregia profectò gratiarum actio, quando acceptum beneficium assimili redditu compensatur. Issachar Liæ filius nascitur immediate post Iudam. Hic *Confessio laudis*, ille *Merces*, siue *memorans Dominum* interpretatur. *Issachar* (inquit Philo) *qui merces vocatur, meritò post gratum Iudam in lucem est editus.* Sic lib. de Plant. Noe. Ambo fratres similem Dei beneficio compensationem gerentes gratiam retulere. Issachar idem *ac merces, & memorans Dominum*; quia hæc memoria seu laus mercedi similis exoritur. Iudas autem, Pater Domini ex cunctis fratribus electus, gratâ confessione gratias similes beneficio soluit: *Confiteor tibi Pater. Iudas* enim *Confessio* est.

Christus docuit huiusmodi gratitudinem. Matth. 16. Eric.

34. Petrus Domino, *Tu es Christus Filius Dei viui.* Dominus autem, vt gratiam retribueret fatur, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. Vbi Ericus, *Etiam dico tibi, quia tu es Petrus, & super me Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si Petra est Petrus, quonam modo ait: *Et super me Petram.* Quia munificentissimus redditor, vt gratias pro obsequio referret, curauit eas ei similes præsentare. Me Deum professus es? Te Deum quodammodo, gratiam referens, esse profiteor.

Gloriâ à Deo accipientes, demus ei gloriam, gratitudinis ergo. Col. 3. Luc. 17. Anselm.

35. Huiusmodi gratias nos edocet Apostolus, fatus: *Pax Christi exultet in cordibus vestris, & grati estote*, Coloss. 3. Quonam modo grati erimus? Curantes vt gratiarum actio vestra Dei in conspectu exultet, dum ex pœnitudine vestrâ gloriâ Deum afficiatis. Ideo Dominus, *Non est inuentus*, (post decem leprosos mundatos) *qui rediret, & daret gloriam Deo*, Luc. 17. Anselmus, *Qui gratias deuoto corde respondens perseueret in bonis actibus.* Respondens vtique ei, qui gloriosè in illorum cordibus exultauit; vt gratiarum actio referret speciem beneficij.

Dauid retribuit gratum eodem stylo, quo beneficiû accepit. Psalm. 115. Basil.

36. Hinc Dauid, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Psalm. 115. Quærit Basilius, cur non dixerit, quid tribuam, quid conferam, quid apponam, vt oratio pulchrior curreret verborum varietate: *Quid dabo pro omnibus, quæ retribuit?* Profectò quia gratissimus Dauid curabat, vt gratiarum actio, & confessio, beneficij tenorem seruaret. *Magnificus dator Dominus haudquaquam dictus est tribuisse; sed retribuisse, ac si ipse non cœpisset prior in nos gratiam conferre.* Ideo Dauid vtitur verbo *retribuisse*, vt ostendat, se minimè ex se cœpisse Conditorem efferre; illud enim ipsum, quod gratus exhibetur, à diuinâ munificentiâ acceperat.

OBSER

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi Pater; Domine, &c.

Matthias pro virtutibus ac priuilegiis, proque accepta Euangelicâ paupertate, gratias Domino reddit.

Vbi innuo paupertatem magnum à Deo beneficium, si excitat gratiarum actionem.

37. Paschaf. QVONAM modo Dominus non interrogatus dicitur respondisse? Paschasius lib.6. *Alÿ in tempore, & loco dixerunt, hæc eum dixisse, vbi dictum est: Hic est Filius meus dilectus. Cui sermoni nunc respondere videtur, quod ait: Confiteor tibi, Pater. Gratias ago tibi.* Respondet vtique beneficiis acceptis à Patre gratiarum actione, non quidem inanibus verbis expressâ; sed operibus egregiis, quibus se se verum filium ostendit.

38. *Operibus respondit Matthias gratias agendo pro beneficÿs acceptis.* Iustin. Matthias Domino se omnibus donanti, gratiarum actione expressâ, respondit. Laurentius Iustinianus, *Neque enim minus Petro, & Apostolis cæteris, Matthias adeptus est gratiæ: quamuis in vocationis ordine extiterit vltimus. Eandem plenitudinem Spiritus, eadem munera spiritualia percepit, quæ reliqui. Illum superueniens Paraclitus charitate compleuit, dedítque, vt omnium linguarum generibus loqueretur, miracula faceret, conuerteret Nationes, prædicaret Christum, ac Martyrÿ consequeretur triumphum.* Quonam modo autem pro acceptis beneficiis huiusmodi, operibus Domino responderet, sic exponit: *De rationalis autem spiritus Matthiæ retributione quid memorem, dum & ipse reluctando vitÿs, atque appetendo cælestia, & corporis immortalitati consuat tunicam, & pretiosorum sibi lapidum fabricet coronam.*

39. *De paupertate Euangelica accepta gratias exhibet Apostolus.* Apostolatum Matthiæ quænam Dei munera comitantur? Linguis cunctis loqui, dum penè immenso prædicationis officio incumbit; conuertere Nationes, ad quas itinerum erroribus, periculis, fame, siti, deferretur; Christum nudum nuditate Euangelicâ prædicare; pro fideique professione occumbere. O ineffabilis thesauri beneficia, pro quibus actio gratiarum iustè profunditur! Pondera Euangelicam nuditatem, dum Matthias Christum nudum, operibus prædicat. Tantum Euangelica paupertas beneficium, vt meritò debeat grato animo suscipi, & profusâ actione gratiarum celebrari. A Rege Babylonico aurea statua erigitur à cunctis adoranda, renuentes obsequium flammanti fornaci addicuntur. Daniel.3. Chryso- (Dan 3. Chrysost.) stomus diuitias statuam aurеam existimat, fornacem absumentem cuncta Euangelicam paupertatem contemplatur; pueros autem Hebræos apud fornacem Euangelicos aspicit ministros de paupertatis beneficio accepto gratias exhibentes. *Nouum* (adiicit) *& mirabile videamus, hominem in fornace psallentem, agentem in igne gratias, extremâ compeditum inopiâ, magnámque Christo benedictionem ferentem. Illis enim pueris pares redduntur, qui paupertatem cum gratiarum ferunt actione.* Agnouit Matthias, quàm augusta munera paupertatis, ideo gratiarum actioni profundendæ studium impendit.

Te omnibus donari an non maximum beneficium est? Certè qui Euangelicam à Deo accipit cum Apostolatu paupertatem, omnibus oppletur, fante Apostolo, *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Illud enim ipsum omnibus enudari, omnia accipere proculdubio est. Chrysostomus homil. 23. ad populum, *Et si tu quoque mundana contempseris, toto eris dignior Mundo.* Quid mirum Apostolicos viros paupertatem cum gratiarum actione perferre? Matthias Iacobum comitatur. 40. *Pauper spiritu omnibus donatur.* Chrysost.

41. *Matthias vt Iacob donatus omnibus dum pergit nudus ad Christum proferendum.* Iacob paterna cumulatus benedictione, frumenti, ac vini diuitiis auctus, quasi se inanem, & vacuum reputauit. Vnde ad munera veracia accipienda se se accinxit. Euangelicum virum induit, paupertatis baculo innititur, ad Gentes pergit veri Numinis magnalia prolaturus. Hinc verè expectauit ad dominationis cælestis thronum adsumendum, cunctorum bonorum accepta abundantia. Rupertus lib.3. in Genes. cap.21. *O profugum cælestis asyli protectione dignum! qui solâ fide doctus erat, quod ad possidendam benedictionis hæreditatem, ad seminandam beati seminis expectationem, non pompaticè, sed humiliter, & conscientiâ supplici ingrediendum erat. τὸ humiliter, conscientia supplici* preme. Humilitas respicit paupertatem à pompâ recedentem; conscientia autem supplicem confessionem illam, quæ gratiarum actione perficitur: *Confiteor tibi Pater.* Quàm appositè pro paupertate acceptâ, quæ omnibus erat donanda, supplici conscientia profitetur. Paupertas enim profusione gratiarum excipienda est, quia cunctorum bonorum epilogus. *Sic Matthias pauper omnibus donatus*, pro paupertate se gratum exhibuit.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Et reuelâsti ea paruulis.

Matthias eligitur in Apostolum, quia inter omnes paruos Discipulos paruulus.

Ex humilibus enim humiliores à Deo ad eleuatiorem gradum assolent assumi.

RECOLO Alberti Magni expositionem, 42. *Est autem paruulus minor paruo, & significat eos, qui nec paruis se anteponunt.* Parui (Albert.) quidem Discipuli humilitate insignes. Sed existimo probabiliter, (ex cuiusdam obseruatione) Matthiam è tot aliis electum in Apostolum,

quia inter paruos adhuc paruulus ostentatur; inter humiles humilior ad eleuatiorem thronum eleuandus.

43. *Paruum Barnabam paruulus Matthias superauit.* Strab. Seliguntur Barsabas, seu Barnabas, & Matthias humiles egregij. At humilior Matthias Apostolatu fruitur. Strabus fauet, dùm vtriusque nominis significationem expendit. *Barsabas, siue Barnabas, iustus interpretatur eleuatus, Matthias Dei paruulus.* Eleuatusne Barnabas, aut superbus, qui ad Discipulorum cœtum vocatus fuerat, Pauloque postea socius assignatus est? Minimè (profante Beda) *Barnaba laus cumulatur, ne velut indignus repelli videretur, quod posteà declaratum est, quia cum Paulo Gentibus Apostolus ordinatur.* Erat igitur paruus, dignus quidem qui in Apostolum assumeretur. At qui meliora eligit grana, cuius oculi Columbarum, Matthiam paruulum paruo duxit præferendum. Adeò enim humilis (sic liceat fari) vt in eius conspectu vel paruus humilis Barnabas, quasi eleuatus aut elatus esse videatur.

44. *Matthias plusquàm humilis Christum plusquàm humilem imitatur.* Matt. 11. Caiet. Hildeb. Plusquàm humilem, seu plusquàm paruum Dominum, Matthias plusquàm paruus imitatus est. *Discite à me* (Dominus ait) *quia mitis sum, & humilis corde.* Matt. 11. Vbi acutè Caietanus: *Discite à me, quia sum plusquàm mitis, & plusquam humilis.* Ac si diceret. O Apostoli, specialissimè meos electi in fratres, vos curo non solùm humiles, sed plusquàm humiles ostentari; ex paruis enim paruulos eligi disposui. Hildebertus: *Iam Petrus & Andreas nauiculam & retia dimiserant; iam Ioannes Euangelista virginitatis obtulerat holocaustum: iam telonium Matthæus deposuerat; iam cæteri dixerant: Ecce nos reliquimus omnia. Attende, cur ad humilitatem inuitantur, attende quo egebant ad perfectionis plenitudinem. Discite à me, quia mitis sum & humilis, seu plusquàm mitis, plusquàm humilis.* Me paruum secuti parui estis. At vt perfectionis plenitudine donemini, quæ decet Apostolos, plusquàm parui exhibendi estis, paruuli debetis exponi. Sic Matthias Apostolus effectus, quia paruulus Dei titulo apparet.

45. *Vt Christi paruuli sit frater, paruulus esse cura.* Prou. 23. Iansen. Et quidem Apostolica dignitas tàm speciali propinquitate Domino hærescens, perfectionem humilitatis huiusce imitari debebat. Aiebat Sapiens: *Ne attingas paruulorum terminos, propinquus enim illorum fortis.* Prou. 23. Vbi LXX. *Qui enim redimit eos Dominus, validus est.* Iansenius: *Qui redimit eos, id est, consanguineus.* Paruulorum Dominus consanguineus; paruulus enim ipse facillimè paruulis colligatur. Ergo qui ad fraternitatis necessitudinem specialissimam est assumendus, plusquàm humilem Dominum, paruulus vtique plusquàm humilis debet imitari.

***

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et reuelásti ea paruulis.

Matthias paruulus Domini, ac simul Excelsus.

Quia augustior celsitudo profundiorem paruitatem, seu humilitatem sequitur.

Chrysostomus: *Hæc autem quæ Dominus Discipulis dixit: Et reuelasti ea paruulis, studiosiores eos fecerunt. Quia enim consequens erat, eos de se magna sapere, qui dæmones abigebant; ideò hinc eos reprimit. Reuelatio enim erat, quòd eis factum est, non illorum studium. Ideò Scribæ sapientes & prudentes æstimantes se esse, exciderunt propter proprium tumorem. Vnde si propter hoc ab eis abscondita sunt Dei mysteria; timete, inquit, & vos, & manete paruuli: hoc enim fecit vos reuelatione potiri.* Non facilè scientiæ ac reuelationis celsitudo cum humilitatis paruitate incedit. Apostolorum gloria paruulos simul ac muneribus cælestibus redundantes ostentari. Hinc Matthias à Strabo *Dei donum*, ac *Dei paruulus* appellatur; quia celsitudinem donorum cælestium cum paruitate humilitatis copulauit. 46. Chrys.

Baptista Ioannes mirâ eleuatus celsitudine, ineffabili nituit paruitate: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptistâ; qui autem minor est in Regno cælorum, maior est illo.* Matt. 11. Scio Caietanum asserere comparationem hic inter Christum & Ioannem factam. *Ioannes relatus ad Patres veteris Testamenti, non habet maiorem. Relatus autem ad Regnum cælorum (hoc est, ad nouum tempus Testamenti) habet maiorem, scilicet Messiam.* Rectè quidem. At congruentiùs, & literæ, & mysterio crediderim, Christum celsitudinem & humilitatem Ioannis celebrare voluisse. Tàm celsus, vt Saulis instar, cunctos Diuos (Christum & Mariam si excipias) ab humero excedat. Tàm humilis, vt qui minor est inter Diuos eosdem, maior sit illo; quia ille ex humilitate minimus *paruulus* inter paruos ostentatur. Tanta celsitudo tantæ hæerescit humilitati. 47. *Matthias instar Ioannis eleuatissimus, humillimus.* Matt. 11. Caiet.

Dominum testor super omnia ligna syluarum caput attollentem, Diuorum Principem, Ioannis Magistrum, qui quidem profundissimæ humilitatis tenuit abyssum. *Qui minor est in Regno cælorum, maior est illo.* Matt. 11. Quisnam minor, & maior? Caietanus: *Nec in dubium vertitur, quis sit iste minor in Regno cælorum; Quia constat, quòd sit ipse Messias, qui quamuis naturâ, gratiâ & dignitate sit maximus, est tamen officij minor.* En omnium maximum cunctorum se simul minimum exhibentem! 48. *Christum ipsum imitatur, & verticem & abyssum tenens.* Matt. 11. Caiet.

Iam

49. *Matthiæ mira celsitudo, ad quem cælo sors ascendit sors.* Act. 1.

Iam Matthias *Dei paruulus* accedat. Eius, quæso, perpendite celsitudinem, vt paruitatem inde colligatis. *Cecidit sors super Matthiam*, Act. 1. Tam eleuatus Matthias, vt quantumuis eleuatus locus, è quo sors mitteretur, adhuc ascendere necessum esset, vt ad Matthiam perueniret. Vnde loco verbi illius *cecidit sors super.* Syriacè legitur, *ascendit sors.* Quænam sors? Vincentius Ferrar. *Cælestis radius.* A Patre luminum procedens luminare hoc ad Matthiam missum descendit ne, an ascendit? *Omne* (inquit Iacobus) *donum perfectum desursum est descendens a patre luminum*, cap. 1. O Matthiæ celsitudo! Donum, lumen descendens à Patre luminum super omnes Diuos, potiùs super te ascendere, quàm descendere videtur: *Ascendit sors super Matthiam.* Hac exaggeratione Matthiæ celsitudo pensitatur. (Vincent. Iacob. 1.)

50. *Celsitudini Matthiæ submissio respondit.* Vincent.

Adhuc eleuationem Matthiæ ex Vincentio Ferrar. expendo. *Petrus adiuit Antiochiam, Andreas Achaiam, Ioannes Asiam, Iacobus Hispaniam, Bartholomæus, & Thomas Indiam, Matthias prædicauit in Iudæa. Ratio, quia erat nobilis genere, & Iudæi habebant ipsum in reuerentia. Et quia erat de magnâ scientiâ, dabant ei fidem. Præterea Summus Pontifex noluit eum occidere, ne diceretur, quod ex inuidiâ eum occidisset.* Tantus Matthias, vt ipse superborum Magister in eius conspectu posset inuidiæ stimulis agitari. Attamen *Dei paruulus instar Beniamin*, inquit Strabus. Ac si diceret, Quemadmodum Beniamin fratrum minimus Patri Iacobo in deliciis: sic Matthias inter paruulos paruulus deliciæ Saluatoris. (Strab.)

Observatio IX.

Ad illa verba:

Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

Matthiæ laudes à Lucâ non recensentur, quia elogium augustum fuit eum iusto laudato præponi.

Moneo haud de sanctitatis gradibus iudicandum ex visibilibus documentis, solo Deo illam agnoscente.

51. Gregor.

ANTE te, id est, *tibi placitum fuit*, noto Hebraismo. Gregorius apud Cat. D. Thomæ, *Quibus verbis exempla humilitatis accipimus, ne temerè discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum verò repulsione præsumamus; ostendendo, quod iustum non potest non esse, quod placuit iusto.*

52. *Electio non iuxta hominum æstimationem sed iuxta Dei iudicium.* Act. 1. Carthus.

Cuius doctrinæ Matthiæ electio perspicua est confirmatio. *Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus* (propter euidentem & magnam iustitiam suam, inquit Dionysius Carthusianus) *& Matthiam*, Act. 1. Cuius profectò laudes minimè recensentur; cùm tamen ad Apostolatus thronum euehatur. Cur Matthias Iusto Barsabæ præponitur? *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. In quo* (adiicit ille) *occulto diuini iudicij altitudo perpenditur, quod non is, qui hominum ore plus laudabatur, & qui Christi consanguineus fuit, videlicet frater Iacobi minoris, Apostolus eligitur.*

53. *Homo faciem Deus præcordia respicit.* 1. Reg. 16.

Homines quidem in faciem, in famam intendunt; Deus autem intuetur cor, virtutum internarum præstantiam aspectat. Proceræ staturæ filij Isai reiiciuntur, fatu Domino: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo videt ea, quæ parent, Dominus intuetur cor, Paruus eligitur*, 1. Regum 16. Vbi Tertullianus lib. de Præsc. cap. 3. *Tu vt homo extrinsecus vnumquemque nosti; putas quod vides. Vides autem, quousque oculos habes. Sed oculi Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. & ideo cognoscit qui sunt eius.* (Tertul.)

54. *Matthias reiecto iusto, electus à Domino.* Carthus.

Statuuntur Domino Barsabas, & Matthias. Ille, instar Eliab, magnus, nomine scilicet, & operibus *ob euidentem* (vt cum Carthusiano loquar) *sanctitatem.* Hic *paruus* sicut Dauid nomine quidem, non iustitiâ. Num Barsabas iustus magnus eligendus? Profectò Deus præcordia recognoscens, Matthiam *paruulum* Domini ad Apostolatûs verticem attollit. Laurentius Iustinianus, *Iuxta faciem iudicantes Apostoli secernunt iustum Barsabam, & Matthiam. Iudicantes igitur secundum cor proposuerunt electionem, quatenus ille, qui amborum nouerat corda, quem elegisset, ostenderet. Elegerat profectò Matthiam ad hunc gradum dignitatis, antequam darentur sortes, & priusquam fieret Mundus. Quis non prætulisset ex his Iustum cognomento, & vitâ? Et tamen aliter iudicauit Omnipotens, cuius iudicia longè ab humanis dissimilia sunt.* (Iustin.)

55. *Maximum elogiũ Matthiæ iusto fuisse prælatum Domino eligente.* Iustin.

Preme verba illa: *Quis non prætulisset ex his Iustum cognomento, & vitâ?* Magnum Matthiæ, quod pro Iudâ excidente, ad Apostolatum assumeretur, sicut magnum Dauidi, abiecto Saule fuisse ad Regnum assumptum. Sed maximum Apostoli elogium, quòd, dimisso Barsabâ Iusto & cognomento, & vitâ, sanctitate scilicet euidenti conspicuo, adhuc Matthias esset diuino conspectui gratior. Quasi Matthiæ præcordia iuxta cor Dei apposita inuenirentur.

56. *Ideo Lucas Matthiæ elogia nulla alia recenset hoc sufficiente.* Act. 1.

Quæstioni do, Cur Lucas huiusce electionis historiam obiiciens Matthiæ elogia non expressit, quemadmodum Barsabæ iustitiam euulgauit? *Statuerunt*, inquit, *duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam*, Act. 1. An quia oportebat Barsabæ exprimi sanctitatem, ne videretur ob defectum aliquem fuisse à Domino abiectum? Sic Patres. Ast ego crediderim Lucam à Matthiæ laudibus minimè abstinuisse, potiùs ipsius elogia peruulgâsse. Illud enim ipsum iusto Barsabæ prælatum à Domino fuisse, maximum sanctitudinis Matthiæ est documentum. Appositè Carthusianus, *Non laudatur Matthias*, (commendato Barsabâ) *quoniam sufficit ei pro laude, quod præ viro illo tam iusto ad Apostolatûs apicem est assumptus.* (Carthus.)

57. *Hoc elogium Virginis ab Euangelistis expressum.* Luc. 1.
An Euangelistæ Dei genitricis præcelsas laudes recensent? Euangelicum Prophetam imitati solummodo nominant. *Ecce virgo concipiet. Missus est Angelus ad Virginem*, Luc. 1. Cur de immaculatâ Conceptione, de Natiuitate, de Assumptione egregia non emulgant elogia? Certè illud ipsum, Mariam inter omnes benedictas fœminas benedictam præcipuè esse, electámque vt pareret Saluatorem, præstantissima commendatio. Fortis Iudith, fœcunda Lia, pulchra Rachel, fidelis Sara non eligitur a Deo in sponsam, sed Maria. Elogiorum en scaturigo. Carthus. *Matthiæ* igitur *pro laude sufficit, quod præ viro illo tam iusto ad Apostolatûs apicem est assumptus.* Edocemur, non illum sanctiorem, qui nostris oculis præstantiora iustitiæ exhibet documenta, sed qui Conditoris aspectui ingentior exhibetur.

Observatio X.

Ad illa verba:

Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

Patri æterno electio Matthiæ adscripta est.

Vbi assero electionem ex Deo instituendam debere ex meritis solummodo geri.

58. Strab.
Vim huius particulæ: *Ita Pater* Strabus perpendit, *Blandientis affectu loquitur, vt inceptum in Apostolis beneficium compleatur.* Ex Hieronymo accepit. Vbi contemplor Iesum menti obiicientem Judæ stragem (cuius defectu Collegium duodecim Apostolorum maximo Patris beneficio colligatum, quasi incompletum remanebat) blandientis affectu Patrem alloqui, vt, electo Matthiâ, Collegium duodecim Apostolorum compleretur: *Vt inceptum in Apostolis beneficium compleatur.*

59. *An maneret vacuus locus Apostolatus nisi Matthias adesset.* 1. Par. 27.
Olim *post Achitophel fuit Ioiada*, 1. Paral. 27. Se se laqueo suspendente Achitophel, Ioiada loco substituitur. Post Iudæ cladem Matthias fidelis electus est. Ne scilicet vacua maneret sedes, ne Collegium incompletum relinqueretur. Sanctissimi ex Discipulis viri aderant, ad Ecclesiæ supremas sedes meritò assumendi, si Domino placitum. At tantus Matthias, vt quodammodo Christus sibi visus incompletum remansurum Collegium, si ad Apostolatum Matthias n[illegible]n assumeretur. Strab. Strab. apposite, *Post Achitophel fuit Ioiada. Prævaricante Iuda non remansit vacuus duodecimus locus, quia successit cognoscens gratiam Dei Matthias humilis.* Quasi vacuus esset remansurus locus duodecimus, si Pater Matthiam iam inde ante Mundi constitutionem non elegisset? Lice[illegible] hac exaggeratione Matthiæ gloriam euulgari.

60. *Matthias paruulus, [illegible] incompletum [illegible] Dei paruulus &c.* 1. Reg. 16. Chrysost.
Ad Regnum Israeliticum gubernandum Isai filij præsentantur inungendi, Eliab repellitur, Abinadab abiicitur, Samma ablegatur, reliqui reiiciuntur. *Numquid iam completi sunt filij? Adhuc reliquus est paruulus*, 1. Regum 16. Ex domo Isai Rex eligendus? Ergo completus filiis, incompleta maneret Israelis familia, (capite deficiente) nisi paruus Dauid inueniretur. Chrysostomus homil. 1. in Psalm. 50. *Complebatur numerus filiorum, & qui quærebatur, non inueniebatur. Erubuit Pater. Habeo, inquiens, vnum paruulum. O Pater, paruulum Dauid dicis? Homo despicit; sed Deus coronat.* Completur numerus discipulorum. Stephanus non eligitur, Philippus non assumitur, Silas non admittitur, Barnabas, Barsabas, Lucas reliquique sanctissimi viri vacuo throno non addicuntur. *Numquid iam completi sunt fil[illegible]. Adhuc* inquit Pater) *habeo vnum paruulum*, Matthiam si licet, qui *Dei paruulus* interpretatur. O Pater cælestis, *paruulum* Matthiam *dicis?* Homo despicit; sed tu coronas.

61. *Matthias à Patre electus.*
Quis dubitet, in maximam Matthiæ gloriam cedere, quod fuerit æterno electus à Patre. Principem Petrum electurus Christus ait. *Venite post me.* Matthæum, *Sequere me.* Reliquos duodecim ipse *nominauit.* At Matthias à Patre eligitur. Vt Matthiæ sanctitudinem Dionysius Carthusianus commẽdet, duplici vtitur ratione. *Primò ex hoc* (ait) quòd beatissimi Apostoli volentes vnum ad Apostolatum promoueri, statuerunt Matthiam. Si in toto illo Collegio secum congregato æstimâssent aliquem meliorem, illum vtique statuissent. Secundò idem certius consideratur ex parte iusti, sapientissimi, & ineffabilis Dei Patris, cuius ordinatione sors cecidit super Matthiam tanquam super meliorem. Fuit ergo beatus Matthias omni *virtute ornatus.* Deus enim eligit ex virtute. Ergo diuinâ minimè electio, cum ex sanguinis, mundi aliísque respectus prætextu, non ex virtutum meritis, ad Ecclesiastica, aut sæcularia munera homines eliguntur.

62. *Deus Matthiam iuxta cor suũ Danidem alterũ exquisiuit.* Psalm. 88. Chrysost.
De Dauide electo à se Dominus. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum*, Psalm. 88. Inuentus Dauid? Ergo quæsitus. Quidnam requireret Dominus? Quinam sanctior, quinam amplius suo adhærescens cordi? Chrysostomus homil. de Dauid tom. 1. *Cum enim examinaret cunctos, plurimósque prævideret, è quorum numero eligeret Regem. Inueni, inquit, Dauid seruum meum.* Hugo, Hugo. *Quasi quæsitum in sanctis Patribus, in Regibus, in Prophetis.* Vnde Samuel, *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum*, 1. Regum 13. 1 Reg. 13. Ad quæ Caietanus, Caietan. *Qui ad similitudinem quærentis inter tot Israelitas elegit Dauidem.* Inter tot elegit, quia dignior cunctis inuentus est ab illo, qui sæculi proceritatem non aspicit; sed virtutum merita pendit. Hinc Matthias à Domino quæsitus, & inuentus, mirum in modum commendatur.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Iugum suaue.

TEXTVS.

VERS. 27 OMNIA mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo nouit Filium nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos 29. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. 30. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Quænam Filio à Patre tradita?

1. *Quænam à Patre Christo sunt tradita?* Hilar. Athan. Hugo. OMNIA *mihi tradita sunt à Patre meo.*] Ne videretur Christus tanquam minor Patre gratias egisse; hæc adiungit Hilario & Athanasio Authoribus. Quænam autem a Patre Christo tradita? Hugo Cardin. *Omnes prædestinati erudiendi, omnes creaturæ, quidquid habet Pater, omnium potestas.* Hieronymus: *Non cælum, & elementa dicit tradita, sed eos qui per Filium accessum habent ad Patrem.* Imperf. Author Imperfect. *Omnia Regna cælestium, terrestrium, & infernorum.* Chrysostomus: *Omnis potestas miracula faciendi.* Tertullianus: *Omnia quæ per ipsum facta sunt.* Vera quidem; sed minùs cohærentia loco Hieronymi sensum si demas.

2. *Authoris expositio.* Nam cùm de electorum arcano sermonem præmisisset, omnes hosce electos sibi traditos à Patre affirmat, vt ad finem vsque suis meritis, ac passionis adminiculo perducat. Ideò ostensurus Ioannes, quemadmodum Christus sese ad Redemptionis opus accinxerit, præmittit: *Sciens, quoniam omnia dedit ei Pater in manus.* Hoc est, prædestinatos ei tradidit ad optatum gloriæ exitum passionis suæ virtute perducendos, gratiæ scilicet cooperatores.

3. *Loquitur hic vt homo.* Euthym. Imperfect. Loquitur-ne (rogas) Christus hîc, vt Deus; an vt homo? Euthymius: *Vt Deus loquitur, significans se vnà cum naturâ diuinâ omnia à Patre accepisse.* Meliùs Imperfecti Auctor: *Loquitur vt homo, quia vt homo hominum caput est, Magister, ac Dux prædestinatorum.*

§. II.

Quonam modo nemo Filium nouit, nisi Pater, nec Patrem, nisi Filius?

4. *Expenditur locus.* Maldon. ET *nemo nouit Filium nisi Pater.*] *Nemo,* inquam, *nouit naturam diuinam Filij nisi Pater, nec naturam diuinam Patris nisi Filius.* Item, *Nemo Patris consilia, quâ ratione vult homines seruare, nouit nisi Filius. Et nemo nouit Filij officium, cuius causâ in Mundum venit, nisi Pater.* Hæc optimè Maldonatus.

5. *An Spiritus sanctus excludatur à cognitione?* Hugo. *Et nemo nouit Patrem nisi Filius.*] Videtur Spiritus sanctus à Patris ac Filij excludi cognitione. Respondet Hugo Cardinalis: *Non remouet personam Diuinam, sed naturam peregrinam. Et est, quasi diceret: Nulla natura nouit Patrem, nisi natura Filij. Et nulla natura nouit Filium nisi natura Patris: sed Spiritus sancti, & Filij* (simul & Patris) *natura est eadem, & ideo non remouetur Spiritus sanctus à cognitione Patris, nec à cognitione Filij.*

6. *Quid reuelat Filius? & quare Filius?* Lyran. *Et cui voluerit Filius reuelare.*] Reuelat-ne Filius alicui Patris cognitionem, qualem ipse habet? Cum Lyrano negatiuè respondeo. Quia homines haud cognoscunt Patrem, aut Filium notitiâ comprehensionis, sicut ipse Filius se ac Patrem agnoscit. Quid autem hominibus Filius assolet reuelare? Trinitatis mysterium. At quare non dixit: Et cui voluerit Pater reuelare, sed sibi hoc munus attribuit? Caiet. Caietanus: *Appropriatur Filio reuelare Trinitatis mysterium, quia in carne veniens manifestauit hominibus mysterium Trinitatis in speciali, dicente ipso Ioann. 17. Pater, manifestaui nomen tuum hominibus.* Appropriatur, inquam, non quòd sit ei proprium, quia indiuisa opera Trinitatis ad extrà, de quorum numero reuelare est. Ideò præmisit: Tu Pater *reuelâsti ea paruulis.*

§. III.

Laboribus acti, reficiendi aduocantur.

7. *Quinam vocentur?* August. & alij. VEnite *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.*] Qui scilicet lassati estis à viâ iniquitatis, viásque difficiles percurristis. Sic Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius. De graui legis iugo explicant Theophylactus, & Hilarius, quasi Euangelij iugum iugo legis nunc opponatur.

8. *Authoris explicatio, complectens vtramque præmissam.* Vtramque amplector expositionem. Vocat enim Christus ad se Iudæos, & Gentiles (è quibus electi sibi à Patre traditi) illos legis, hos peccatorum pondere grauatos; & ad iugum allicit Euangelij, quo suauiter onerati, incom-

Paſchaſ. portabile onus deponere valeant. Paſchaſius *Iudæos* (inquit lib. 6. in Matt. *ſimul & Gentes vocare videtur. Quoniam alter eorum nimio labore legis ſine vlla profectione vexabatur; alter verò peccatorum oneribus prægrauabatur; nec ſursùm ad Deum idola colens reſpicere valebat. Grauia enim ſunt onera peccati. Vnde Zacharias dixit, quòd iniquitas ſedeat ſuper talentum plumbi: ſed & lex graue onus erat, ſicut Petrus docet. Quod nec nos*, inquit, *nec Patres noſtri, portare potuimus.*

Et ego reficiam vos.] Quonam modo refi-
9. *Euangelici iugi ſuauitas.* ciet? *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Miſſis Doctoribus, qui verè, ſed non tàm accommodatè, de manſuetudinis ac humilitatis Dominicæ exemplo locum interpretantur; ſic cum
Imperf. Authore Imperfect. expoſuerim. Legis ergo ac peccati ponderibus depoſitis, ô Iudæi, o Gentiles, venite ad me omnes. Tollite Euangelij mei (ſic Beda, & Hilarius) iugum ſuper vos, & diſcite iugi huiuſmodi ſuauitatem, ex me miti; & humili. Id eſt, ſublato iugo, experiemini ſuaue eſſe, ex me Principe, non tyranno, ſed benigno, ſed manſueto, ſed humili. Nam in morem ſerui veni non miniſtrari, ſed miniſtrare.

10. O quàm facile, quàm ſuaue redditur iugi pondus ex Principis & Præſulis manſuetudine, & humilitate. Fallor, niſi totum diſcurſum Paſchaſius expreſſerit. *Graues et laboribus fatigatos, vel oneribus depreſſos, benigniſſimus Saluator ad ſe vocat, ea etenim ablatione, tantum vt iugum eius ſuaue, & onus leue ſuſcipiant, & ſequantur Chriſtum, quoniam mitis ac humilis eſt. Blandimenta ſiquidem proponit credentibus, vt diſcant abſtinere à malis, & facere bona.* Fortiſſima quippe infrænatio, vt peccatores comprimantur, Præſulis blandimentum. *Confirmat expoſitionem. Paſch.*

Venite ad me,] Non-ne præſentes aderant? 11.
Remigius: *Venite, ait, non ponderibus, ſed moribus, non corpore, ſed fide.* Hoc de Diſcipulis. At abſentes etiam aduocat Iudæos, ac Gentiles, vt fidei greſſu Chriſtum Euangelij ducem ſequantur. *Quonam modo veniemus? Remig.*

Super vos. Cur iugum ſuper nos tollere Do- 12.
minus iuſſit? Rabanus reſpondet: *Vt in honore habeamus, ne fortè ſubtus ponentes, lutulentis pedibus vitiorum conculcemus.* *Quid iugum ſuper nos? Raban.*

Ego reficiam vos. Excitat quæſtionem Au- 13.
guſtinus lib. 1. quæſt. Euang. q. 1. *Omnes qui piè volunt viuere, in Chriſto patientur perſecutiones, & illi qui otioſi erant in foro, ad laborem vineæ vocantur, ad laborem diei & æſtus. Et Apoſtolus dicit: In omnibus commendemus noſmet ipſos in multâ patientiâ.* Et reſpondet: *Adeſt Spiritus ſanctus nouum hominem faciens. Et guſtata, requies deliciarum Dei, & cælorum ſpes accepta graues labores enes facit.* *Quonam modo ſuaue iugum, ſi tribulationum pleni portantes? Auguſt.*

In Matthiam

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

EX IVGO SVAVI.

Observatio I.

Ad illa verba:

Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.

Matthias iuſtè Orbis Princeps à Domino eligitur, quia priùs dominatus in ſe fuit.

Ineptus etenim ad regimen eſſe qui ſibi neſcit imperia præſcribere.

14. MERITO cuncta tradita illi, qui mitis, & humilis corde, ſibi leges indixit, factus obediens vſque ad mortem. Ad regimen inepti prorſus, qui ſe prius regere non
15. didicerint.

Matthias ſibi Princeps apte Princeps eligitur aliorum. Iuſtin. Matthias equidem iuſtè Princeps Eccleſiæ, Orbis Magiſter conſtituitur, quia ſeſe didicit priùs imperio ſubigere. Id quod Laurentius Iuſtin. adnotauit: *Vniuerſi Orbis Matthias prælatus eſt populis, hoc Propheta perhibente qui ait: Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram; Primatum quippe adeptus eſt Gentium, quia prius ſibimet didicit principari; ſic namque ad veri honoris conſcenditur cathedram, vt antè quis ſibi, deinde dominetur & cæteris.*

Magiſtri cæleſtis exemplum ſecutus eſt. *Par-* 16.
uulus, ait Lucas, *natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Et factus eſt Principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius, &c.* Iſai. 9. Priùs Principatus eius ſuper humerum eius, quàm Pater futuri ſæculi, Princépſque pacis exurgat. Lyranus: *Factus eſt Principatus ſuper humerum eius, Crucem baiulando, per quam Regnum ſuum potenter intrauit.* Ineptè patris exerit munus, qui priùs filius datus non eſt; ac Principis non appoſitè explet officium qui ſibimet non principatur. *Secutus Domini exemplum. Iſa 9. Lyran.*

Extra Paradiſum Adam futurus creaturarum 17.
viſibilium Rex ad Paradiſum immittitur. *Tulit igitur Deus hominem, & poſuit illum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur.* Gen. 2. Vbi quærit D. Thomas; *Virùm in illo ſtatu Adam ad iſta inferiora ex illo loco eſſet deſcenſurus.* Reſpondet deſcenſurum ad ſubditorum gubernationem. Cur igitur priùs horto adducitur, recluditur, *Adam priùs quam Princeps aliis regat, ſibi principari ad Paradiſum adducitur. Gen 2. Thom.*

cluditur, quàm subditorum animantium regimini incumbat? Quia oportebat futurum Principem priùs sibi principari, custodiendo Paradisum, cælesti præcepto parendo, excolendo seipsum deliciarum Dei hortum, quam subditorum curam susciperet.

18. *Explet Principis boni proprietates, qui sibi principari nouit. August.*

Augustinus lib. 5. de Ciu. cap. 24. præclari Principis describit proprietates. *Felices eos dicimus, si iustè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur; sed se homines esse meminerunt, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum maiestati eius famulam faciunt, si tardius vindicant, facilè ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odijs exerunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quòd asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant.* Vndénam autem præfata boni regiminis didicere documenta? Pulchrè adiicit: *Si maluint cupiditatibus prauis, quam quibuslibet Gentibus imperare.* Mauult certè sibi principari quàm aliis, qui priùs de proprio est regimine sollicitus, posteà autem subditorum studet moderamini. *Nunquam enim* (Iustinianus ait) *alijs benè præerit, qui sibi ipsi extiterit nequam.*

Iustin.

19. *An inde sit Matthias reliquis Apostolis præponendus.*

An Matthias ipsis Apostolis inde præponendus, quia priùs sibi principatus est, quam Princeps assurgeret? Audi eundem Laurentium Iustin. *Exultabunt Sancti in gloria, quoniam eis pro suorum retributione bonorum inerit beata visio, iucunda dilectio, æterna comprehensio, secura fruitio, vera libertas, grata societas, imperturbabilis pax, cælestis amœnitas, Angelica dignitas, plenum gaudium, resurrectio perfecta, indefessaque laudatio. Hæc est stellarum duodecim corona præfulgida, quam in Regno Christi præ cæteris electis Matthias consequetur Apostolus; eò splendidiorem, quò vberiorem manipulum sortitus est gratiæ.* En Matthiam in Regno gloriæ Principem, coronâ cinctum, fulgentiori luce conspicuum, quàm cæteri electi. *Quam præ cæteris electis Matthias consequetur Apostolus splendidiorem.* Exaggeratio Doctoris studet Ecclesiæ stylum imitari, quæ quidem cuiuslibet Diui elogia celebrans, canit: *Non est inuentus similis illi, &c.* Neque enim Matthias Petro, Iacobo, Ioanni, aut Baptistæ præponendus. Attamen si bono sui sui danda sit sententia, nescio vtrùm præponi aliis possit Apostolis, ex eo saltem quòd illi, antequàm sibi principarentur studio perfectionis, ad Christi societatem, seu Principatum Orbis, hominum scilicet expiscationem sunt aduocati. Matthias autem è Discipulorum cœtu assumptus in Apostolum, priùs didicerat sibi principari, quàm Apostolatûs Principatui adscriberetur?

* * *

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

Dum Christus Matthiam accepit in Apostolum, omnibus à Patre donatur.

Vbi assero solos electos omnium nomine iustè designari; reliqua enim nihil prorsus.

QVÆNAM ista omnia? An cælum? an terra? an omnes creaturæ elementorum, ac ætheris incolæ? Respondet Chrysostomus: *Tradita sibi omnia, non cælum & terra, & elementa intelligenda sunt, & cætera quæ ipse fecit & condidit; sed ij qui per Filium accessum habent ad Patrem.* Quod explico, non de iustis generaliter, sed de prædestinatis. Hi-ne omnium appellatione designantur? Ita planè hi soli omnia Deo; reliqua quasi nihil in conspectu Domini deputantur. 20 *Chrys.*

21. *Omnia Christus ad se trahit, cùm adducit electos. Ioann. 12. Damian.*

Dominus ad Discipulos: *Et ego si exaltatus fuero à terrà, omnia traham ad meipsum* Ioann. 12. Traham, inquam, ad me, vt Patri sistam. Omnia trahes? Cælum, terram, animantia, Angelos, infernos, peccatores homines? Certè prædestinati trahuntur à Domino, illi quidem omnia. Petrus Damian. lib. 7. epist. epist. 13. ad Cler. expendens illud Pauli: *Vnusquisque suam vxorem habeat,* 1. Cor. 1. ait: *Non semper τὸ Omnis, multitudinem vniuersitatis amplectitur; sed plerumque intra mensuram certæ quantitatis, prout ratio dictauerit, cohibetur. Sicut est illud quod Dominus ait: Ego cùm exaltatus fuero a terrà, omnia traham ad me. Non enim ad se Iudam proditorem traxit, non sibi latronem impium sociauit; sed omnia, hoc est, dumtaxat electos omnes ad proprij contubernij culmen neuexit.*

22. *In quo sensu vult Deus omnes saluos fieri efficaciter. 1. Tim. 2.*

Ex quà expositione lucem videbit loci illius interpretatio apud Paulum fantem; *Deus omnes vult saluos fieri, & neminem vult perire.* 1. Tim. 2. At non omnes salute donantur; ergo Dominus, cuius voluntas in cælo & in terrâ executioni mandatur, non omnes vult salute donari. Plures apud Patres solutiones inuenies ex efficaci aut non efficaci voluntate. Ast, si minùs literalem, argumento apprimè congruentem accipe ex Damiano solutionem. *Apostolus perhibet, quia Deus omnes vult saluos fieri, & neminem vult perire; sed cùm Propheta dicat, quoniam quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terrà; cur reprobos perire permittit? scilicet cùm & neminem perire velit, & omnia quæcumque vult absque dubio possit. Vnde cùm dicitur quod Deus omnes fieri saluos velit, necesse est vt de solis intelligatur electis.* Igitur si illa Dei voluntas efficax sit, de solis electis intelligenda sententia; soli enim electi apud Deum *omnium* appellatione æstimantur, nihil prorsus *Damian.*

reliqua

reliqua peritura. Contestatur Aug. cap. 8. de prædestin. Sanct. epist. 107. ad Vital. & sæpè alibi.

23. *Spiritualia bona Omnia sunt.* Ioan 13. Thom.

Et sicut soli electi *omnium* vocabulo intelliguntur, solæ virtutes ad salutem electorum conferentes *Omne* est ad omnia illa quæ tradita sunt Domino à Patre pertinens. Scit enim, quoniam *omnia dedit ei Pater in manus.* Ioann. 13. Ad quæ D. Thomas: *Talia omnia sunt spiritualia bona.* Reliqua temporaria nihil. Plura alibi.

24. *Matthias Omnia est.* Carthus.

Iam verò Dominus electo in Apostolum Matthiâ, poterit inclamare; *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Quia non solùm vnus prædestinatorum, sed vnus quidem prædestinatus omnia bona complectens; quæ verè omnium nomine designantur, nempè virtutum cunctarum donatus perfectione. Dionys Carthus. serm. 3. apposite: *Beatus Matthias fuit vir valdè præcipuæ perfectionis, approbatæque sanctitatis, tàm coram Deo quam coram hominibus. Fuit ergo Beatus Matthias Apostolus omni virtute ornatus.* Si ergo Matthias apud Deum *omnium* virtutum collegium est, dùm Christo Apostolus electus traditur. *Omnia* quidem ei *tradita sunt a Patre.*

Observatio III.

Ad illa verba:

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

Sortibus in manu Domini collocatis, Matthias eligitur Ecclesiæ salutaris.

Vbi adnoto, in manu Domini omnia collocanda negotia, vt nulla non salubriter eueniant.

25. *Vita & mors, diuitiæ & paupertas, è manu Dei ad salutem.* Imperf.

Omnia traduntur Christo, tàm vtilia quàm noxia, vt ab eius manibus accipiant; quo nunquam non salutaria hominibus redeant. Author Imperf. *Mihi tradita est vita & mors, vt nec vita ad peccatum sit hominum, nec mors ad pœnam; sed vt qui viuunt, lucrum iustitiæ bonè viuentes faciant, & qui mortui fuerint, melius viuant, mecum regnantes in cælo. Mihi tradita sunt diuitiæ & paupertas; vsque nunc enim paupertas blasphemare cogebat, furtum committere suadebat; diuitiæ autem inflabant, nec onde virtutem præstabant. Mihi autem nunc tradita sunt, vt paupertas, dum magnanimiter ustinetur, ad gloriam Dei proficiat; & diuitiæ, dum misericorditer dispensantur, ad gloriam Dei proficiant.* O quàm nobis omnia salutaria, quàm noxia nulla, si Christi manibus collocentur!

26. *Nos cælestia bona vtilia nisi in manu Domini.* Psalm 143. Incogn.

Expressit Vates: *Domine, inclina cælos tuos, tange montes, & fumigabunt. Fulgura coruscationes, & dissipabis eos, emitte sagittas tuas, & vulnerabis eos.* Psalm. 143. Vbi Incognitus: *Inclina cælos. Nomine cælorum sancti Angeli intelliguntur. Fulgura coruscationes, hoc est, clarifico miraculis tuis. Emitte sagittas, id est, verba tua, præcepta tua.* Quid Angelis humano generi benignius? quid Dei miraculis ad fidei firmitudinem excogitatius? Quid Dei verbo vtilius? Quid diuinis præceptis ad salutem lucrandam accommodatius? At cuncta minimè vtilia nobis, nisi e manu Domini tempore opportuno impendenda procedant. Vnde adiicit Dauid: *Emitte manum tuam de alto.* Nec Angelos immittas, nec miracula rutilent, nec tuæ doctrinæ vox intonet, nec præcepta præscribantur, nisi manum simul emittas, in quà omnia hæc collocata, nobis eo tempore dispensentur, quo haud inutiliter impendantur.

O Dominicæ manûs excellentia! Ipsa generis humani clades, pestis, ruina vitalis nobis inibi, vbi nihil non vita. Quodnam nostri generis malum malus Iudâ proditore erupit? Heû horribile Mundi nocumentum! At Christi manibus collocatum, nostræ maximæ vtilitati inseruiit; Ioannem audite: *Sciens, quoniam omnia dedit ei Pater in manus,* Cap. 13. Quænam omnia? Vitam, mortem, gloriam, cælum, terram, abyssum, homines, amicos, inimicos. Quid plura! Ipsum Iudam proditorem Pater Christi manibus tradidit, vt maximum generis humani exitium, dedecus, ruina, fuerit boni, honoris, vtilitatisque maximæ instrumentum. Excogitauit pulchrè Alcuinus: *Omnia dedit ei Pater in manus? Ergo & ipsum traditorem. Nam si eum in manibus non haberet, non vtique illo vteretur, vt vellet.* Vtilis ergo & Iudas quodammodo, vt ex eius ruinà caueamus. 27. *Maxima nostri generis ruina nobis vtilis in manu Domini.* Ioann. 13.

Quid mirum, Matthiam Iudæ occupaturum locum, Dei in manibus Orbi saluberrimum extitisse? Duo statuuntur probatæ sanctitudinis viri, Barsabas, & Matthias, mittuntur sortes. Quid Magister? *In manibus tuis*, ô Pater, *sortes meæ.* Psalm. 30. Domine, *inclina cælos tuos.* Incognitus: *Apostolos tuos*, qui cælorum nomine designantur. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Si sortes in manu Domini, Matthias Mundo saluberrimus Apostolatui assurget. Quid noxium nobis à Dei manu procedet? Quid si Dei manus auertatur, salutare? *Emitte* igitur *manum tuam.* 28. *Quàm vtilis Orbi Matthias, in manu Domini sortibus collocatus.* Psalm 30. Incogn.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

Traditâ & Matthiæ omni potestate, Mundo munificentissimus extitit.

Dominicum enim est, acceptam à Deo potestatem in aliorum, etiam hostium vtilitatem impendere.

Tradita cuncta à Christo? Ergo subuertet Mundum rebellantem, & meditantem exitium. Christo cælestia commissa? Obtrudet introitus, ne hostes aditum valeant reperire. Terrestria Domino addicta? Rursum 29. *Christus vitur potestas ad hominum salutem.*

diluuio

diluuio omnem obruet naturam. Inferna traduntur Saluatori? In homines ingratissimos permittet desæuire. Hæc mundialis potestas. Haud sic Princeps cælestis. *Mihi omnia tradita sunt a Patre meo!* Ergo omnia muneribus cumulabo, omnia efficiam vel hostium vtilitati inseruite. Author Imperfect. *Omnia mihi tradita sunt, calestia, terrestria, & infernalia. Calestia quidem, vt iam non sint rebellantia, nec dicat aliquis: Ponam sedem meam in nube. Terrestria, vt relinquentes idola, & peccata, homines credant in me, & obaudiant meis mandatis. Infernalia, vt voceatur ad vitam. Calestia, vt sint in adiutorio terrestribus. Terrestria, vt fiant imitatores calestium. Infernalia, vt iam non expugnatione hominum proficiant, sed ad probationem Sanctorum.*

Imperf.

29. Confirmat Dominus apud Matthæum, profatus: *Data est mihi omnis potestas in calo & in terrà.* Nùm & in inferno? Quis dubitet? At consultò circa infernalia suppressit silentio potestatem, vt ostendat nullatenùs se homines, à quibus nece affectus est, velle Tartaro mancipari. Ex illo antecedenti: *Data est mihi omnis potestas in calo & in terrà*, huiusmodi consequentia elicitur: *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* Cap. 28. Omnes Gentes? Non-nè in te confremuere? *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?* Ps. 2. Profectò potestatis præmissæ in manu Domini hæc quasi necessaria consequentia est. D. Thomas acutè: *Dicit ergo. Ergo docete Gentes. Data est mihi omnis potestas, & hoc sic sequitur. Quasi dicat: Data est mihi potestas à Deo, quod non solum Iudai, sed etiam Gentes conuertantur ad me. Ergo euntes docete omnes.* Quàm aptè *data est mihi omnis potestas, & hoc sic sequitur.* Ex potestate Domini quid nisi hominum vel hostium salus sequeretur?

Quasi necessitate consequentia Dominus potestate vtitur ad Mundi salutem. Matt. 28. Psalm. 2. Thom.

30. Nec aliud innuit Ioannes fatus: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Cap. 13. Vbi Caietanus: *Omnia, id est, Iudaos, & Gentiles.* Quid igitur? Sordes Iudæorum abstergit, sese ad pedum ablutionem accingens. E Cruce pendens pro Iudæis, pro Gentibus suffigentibus exorat. *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Luc. 23. En Iudex, cuius in manu Pater omnia collocarat, omnium gerit aduocatum. Caietanus: *Tanquam aduocatus coram excusat crimen ab ignorantià.*

Habens omnia in manu Iudais & Gentilibus proficit. Ioann. 19. Caiet.

32. Profectò Matthias Christum secutus acceptam à Domino potestatem in hominum salutem impendit. Laurentius Iustin. *Omnia* asserit à Domino Matthiæ tradita fuisse, iuxta illud: *Omnia quacumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Id est, omnia quæ accepi à Patre vobis tradidi, Iudæos, Gentiles erudiendos. Data ergo Matthiæ omnis potestas. *Vniuersi* (inquit ille) *pralatus est populis.* Quid hinc sequitur? *Tuam igitur, ò Matthia, te exorantibus prabe subsidium.* Ecce Apostolus consequentiæ vi ex potestate acceptà cunctis se præbet salutarem. *Tuum igitur.* O quàm à Christo alieni, qui acceptà à Deo potestate, diaboli in morem, ad generis humani exitialia tentamina exurgunt.

Matthias acceptam potestatem in hominum salutem, instar Domini, impendit, ex consequentia. Laurent. Iustin.

Observatio V.

Ad illa verba:

Nemo nouit Filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

Matthias non interficitur, vt (Christi instar) Trinitatis reuelet mysterium.

Vbi innuitur, vel solam Trinitatis mysterij reuelationem vitam stabilire.

CVR non dixit: *Et cui voluerit Pater aut Filius reuelare?* Respondet Augustinus, eo ipso quòd Filius reuelet Patris cognitionem; seipsum reuelare Filium vnigenitum Verbum Patris, quia Filius respectum ad Patrem, Pater autem ad Filium indicit. Chrysostomus audiendus: *Si ergo & Patrem reuelat: sed hoc vt manifestum dimisit, illud autem posuit. Per hoc enim instruit, quòd adeò concordat Patri, vt non sit possibile, aliquem venire ad Patrem, nisi per Filium cognitum.* Profectò cùm Matthiæ euulgamus elogia, appositè in beatissimæ Trinitatis memoriam incidimus. 32.

Incidimus in memoriam Trinitatis memorato Matthiâ. Chrys.

In cuius gratiam Vincentij Ferrar. serm. de B. Matth. præmitto testimonium: *Summus Pontifex noluit Matthiam statim occidere: sed disputare cum eo de mysterio Trinitatis dicens: Tu Matthia pradicas tres Deos contra Deut. 6. Audi Israel, Deus tuus, Deus vnus est. Respondit Matthias, quòd ipse solùm pradicabat vnum Deum; sed ille vnus Deus est tres persona, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* O Dei Fili, Matthia, à Patre; instar Iesu, fulgenti descendente radio, Princeps inaugurate, tu Filius Patris, mysterium Trinitatis Pontifici reuelâsti. Quàm iustè à te interea gladius recedit, qui quidem huiusce mysterij commendatores assolet indemnes præterire! 33.

Matthias gerens Filij personam reuelat Trinitatis mysterium. Vincent.

Ad vnici pignoris Abraham pergit immolationem: *Die autem tertio vidit locum procul; dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino; ego autem & puer illuc vsque properantes, postquàm adorauerimus, reuertemur ad vos.* Gen. 22. Cuius testimonij memoriam agens Chrysostomus in illud Pauli: *Cùm autem subiecta, &c.* inquit: *Omnes dies Dei fiant, & tres seruiunt mysterio Qui illi tres? Accipe Isaac, dicit, quem dilexisti filium tuum, & vade in vnum montium. Ambulauit Abraham tres dies, & tres noctes, vt simul mysterium monstraret*, Trinitatis scilicet. Et addit pulchrè: *Sic enim quasi à morte viuentem accepit Isaac.* Iam quæris, illam premens particulam: *Postquàm adorauerimus, reuertemur ad vos.* Vndenam Abraham pergens ad immolandum filium, post holocaustum se cum puero reuersurum potuerit affirmare? An quia à mysterij Trinitatis imagine gladium desæuire non oportebat? *Sic quasi à morte viuentem accepit Isaacum.* Nec enim vel Isaac, vel Matthiam, Trinitatis mysterium innuentes, 34.

Coram Trinitatis typo non desauit gladius. Gen. 22. Chrys.

iuuenes à gladio oportebat vulnerari.

35. *Dum Trinitas in Ierosolymâ non figurata est, conculcabatur Ciuitas. Reuelato Trinitatis mysterio pacis visione fruitur, obtuncato gladio.* Iud. 1. 2 Reg. 5. Hieron.

Illustrem accipe cogitationis confirmationem: *Oppugnantes filij Iuda Ierusalem ceperunt eam, & percusserunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem.* Iud. 1. Ierusalem, quæ vastata est ferro ac flammis, fuit inferior, quæ Salem dicta. Nam superior, quæ Iebus dicebatur, multo pòst tempore capit. 2 Reg. 5. Tertium nomen Ierusalem, quod hic ponitur in Hebræo. *Ierusalem* duale est, & vtrique commune. Audi Hieronymum ad Marcel, *In tribus nominibus Trinitatis demonstrat fidem; Iebus, Salem & Ierusalem appellatur Primum nomen, Calcata, secundum Pax, tertium Visio pacis.* Igitur, Vrbs illa rebellionem cæde flammisque persoluit (authore Caietano, quæ Salem erat appellata, cædi ac flammis addicta, cùm scilicet singularis erat, nec mysterij Trinitatis imago in eâ elucebat. At cũ pluralitas personarum ex *Iebus* & *Ierusalem* appellatione exprimitur, *Visio pacis* in Orbe refulgat. Nec enim in conspectu Trinitatis imaginis conculcatio, bellum, cædes, & inflammatio. *Oppugnantes filij Iuda Ierusalem* inferiorem *percusserunt in ore gladij.* Addit Hieronymus: *Post conculcationem* (reuelato Trinitatis mysterio) *ad pacem, visionémque pacis erigimur.* Vbi innuit Doctor, *Iebus* primam esse Vrbem ab Hebræis conculcatam cædi, ac flammis addictam. At post singularitatis conculcationem ex Personarum Trinitatis reuelato mysterio, dùm *Salem* & *Ierusalem* obiiciuntur, Orbis pace potitur, gladij obturatâ acie quondam horribili. Si euulgatio mysterij hic per fidem vitam stabilit, quid cùm ablato velamine illud conspiciamus?

Observatio VI.

Ad illa verba:

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Matthias corde & spiritu humilis Christum corde humilem imitatur.

Adnoto, humiles corde semper in conspectu Domini commorari.

36. Haymo.

QVARE addit particulam illam, *Corde?* Quia non omnes qui exteriùs submittuntur, corde interiùs humiliantur. Haymo Episc. Alberstatens. *Rectè dicitur, Humilis corde; quia semetipsum humiliauit, sicut ait Apostolus: Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, &c. Multi videntur humiles exterius, sed interiùs humiles non sunt. Bona autem conscientia, quæ talem fert fructum, quæ semper intùs seruat humilitatem.* Discite igitur a Christo corde humili & mansueto.

37. *En Matthiâ discimus cordis humilitatem.*

O Matthiæ sanctissimi Iesu affectæ excellentia! Tàm perfectam Saluatoris exponit imaginem, vt ex illo scire possimus cordis humilitatem. Laurentius Iustin. sic: *Indicantes secundùm cor, proposuerunt electionem, quatenus ille qui nouerat corda, quem elegisset ostenderet. Elegerat certe Matthiam, antequam Mundus fieret.* Felix vir, cuius cordis humilitas iam inde ante Mundi constitutionem, ab æterno scilicet, Deum alliciebat, vt eum ad Apostolatûs culmen, vere humilium corde domicilium, assumeret.

Non omnes corde humiles, qui submittuntur, elato corde sæpè caput deiicitur. *Beati* (inquit Dominus) *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum* Matt. 5. Corde humiles spiritu inopes vocitauit. Augustinus lib. de Sanc. Virginit. cap. 32. *Sermo Christi, quem primum prolixiorem ad Discipulos habuit, inde cœpit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum, quos sine vllâ controuersiâ corde humiles intelligimus.* Hi etenim Regnum cælorum in præsenti possident, nunquam non in conspectu Domini commorantes, iuxta illud ad Abrâham: *Ambula coram me*, corde scilicet humili, vertice perfectionis. *Et esto perfectus, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* 38. *Corde humiles pauci, & hi semper in Dei conspectu commorantur.* Matt. 5. August.

Profectò corde humilis semper in conspectu Domini commoratur. *Accessit ad Iesum Centurio.* Matt. 8. Pueri postulat sanitatem. Quam historiam referens Lucas, ostendit Centurionem minimè accessisse; sed familiarium nuncio id à Domino postulâsse. Si misit, quonam modo *accessit?* Certè humilis corde Centurio necessariò apud Dominum commorabatur, Vnde legatio eius simul accessio fuit. Elegans Augustini citati testimonium: *Fidem Centurionis illius ideo præcipuè laudauit, nec se inuenisse in Israel tantam fidem dixit, quia ille tàm humiliter credidit, vt diceret corde: Non sum dignus vt sub tectum meum intres. Vnde Matthæus non ob aliud dixit eum accessisse ad Dominum, cùm apertissimè Lucas insinuet, quòd non ad eum venerit ipse, sed amicos suos miserit, nisi quia fidelissimâ humilitate magis ipse accessit, quàm illi quos misit.* 39. *Centurio humilis corde accessit ad Dominum, etiam cùm recedebat.* Matt. 8. August.

Hinc Dauidica mens innotescit: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Psalm. 112. Potiùs *alta*, Altissimo vtique hærescentia, proximo erant intuitu agnoscenda. Equidem cor elatum nunquam in conspectu Domini commoratur; secùs cor humile, nunquam à Dei Tabernaculo recedens. *Vnde* (Augustinus ait) *illud Propheticum est: Excelsus Dominus cùm sit, humilia respicit accedentia. Excelsa autem a longè cognoscit, tanquam non accedentia.* 40. *Deus corde humiles non à longè cognoscit.* Psalm. 112. August.

Semper Matthias Deo præsens, quia corde humilis in conspectu Domini. Sanctus Carthusianus Dionys. *Coram Deo Matthias se habuit in verâ synceritate; sed heù multi inueniuntur hypocritæ, & fictè deuotè, qui dùm ab hominibus videri se putant, humilitatem videntur assumere, opúsque Dei reuerenter efficere.* Hactenùs ille. 41. *Matthias corde humilis coram Deo semper.*

***

Obser

Observatio VII.

Ad illa verba:

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

Matthias è cunabulis à ponderoso peccati iugo immunis fuit.

Expendo iniquitatis iugum grauissimum, mundialis inanitatis pondus.

42. *Peccatũ graue iugum, mundialia ponderosa ex admissione iniquitatis.* Chrysost. CHRYSOSTOMVS ad illa: *Et onerati estis. Hinc ostendere voluit, quantum laborem, quantum grauamen intolerabile peccatum hominibus afferat. Idcirco non: qui laboratis solummodo ait; sed etiam: qui onerati estis. Quod Psalmista significauit apertiùs, & naturam ipsius peccati descripsit, dicens: Sicut onus graue grauatæ sunt super me, Psalm. 37. Zacharias quoque plumbi talentum esse ait.* Hoc iugum filij Adam ab vtero portant. *Iugum graue super filios Adam à die exitùs de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ*, Eccli. 40. (Eccli 40.) A quo Dominus nos eximere curans profatur: *Tollite iugum meum*, &c. Augustinus apud Gloss. (August.) *Quod est hoc graue iugum nisi peccatum? Et quare dictum est iugum, nisi quod ex duobus Adam & Eua veniat: vel duorum premat, & conterat collum, id est, masculi, & fœminæ? A cuius iugi labore, & onere nemo soluitur, nisi ab illo iustè iudicante, qui ait. Venite ad me omnes qui laboratis.* Quis crederet Mundi bona ex iniquo vsu iuga esse importabilia? *Vsque in diem sepulturæ* hoc pondere premitur quicumque iniquè mundialibus adhærescit.

43. *Honores illiciti iugum molestissimũ.* Honores legis contemptu comparati quid nisi iugum importabile? Vos testor Regalis Curiæ incolas, quotquot ambitionis morbo laboratis, quot dominis præstatis obsequium? Innumeris heris obeditis, vt leuissimam vanitatis auram captare valeatis. (Matth. 21.) *Ite in castellum* (Dominus ait Discipulis) *quod contra vos est, & inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea; soluite, & adducite mihi*, Matth. 21. Vbi Paschasius lib. 9. in Matth. (Paschas.) *Secundum Lucam idem pullus multos habebat Dominos.* Ideo *subiugalis* à Domino vero vocatur, *Ecce Rex tuus venit tibi sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Et vndenam iugum asello? Ponderat Doctor, apud mysticam Curiam, vanitati miserum deseruisse peccatorem, à quo iugo Rex cælestis eum curat liberare fatus: Ecce *Rex tuus venit tibi sedens super asinam*, &c. Recede à ponderoso iugo, mei iugi experire suauitatem.

44. *Illicita voluptatis iugum multiplicatum.* Luc. 14. August. Mundiales voluptates nonne iugum? *Iuga boum emi quinque*, dixit ad magnam cœnam aduocatus, Luc. 14. Augustinus sermone 33. de verbis Domini, *Quinque iuga boum, sensus huius carnis quinque numerantur.* Cur dixit quinque iuga emi? Augustinus pulchrè adiicit: *Nonne sufficeret dicere boues emi, sensus emi ad iuga?* Profectò si sensus sunt carnali voluptate vulnerati, nunquam non iuga sunt; quia semper iniquitatis pondere premunt. Hinc bina, & bina sensuum organa incedunt, vt iugi habitum possint obiicere. *Duo sunt oculi* (addit Doctor) *duæ aures, geminæ nares. Ecce tria iuga. In sensu gustandi geminatio quædam inuenitur, quia nihil gustando sapit, nisi linguâ, & palato tangatur. Voluptas carnis, quæ ad tactum pertinet, occultius geminatur; est enim & forinsecus & intrinsecus: ergo & ipsa gemina est.* Iuga en hominis multiplicantur percepta contra legis præscriptum voluptate.

45. *Iugum auaritia.* Auaritia denique iugum valde humeros opprimens. Cur existimas Dominum è funiculis efformantem flagellum auaros negotiatores Templi vestibulo deturbasse? Quia eos, vt iumenta subiugalia est contemplatus, quibuscum non verbis; sed funibus agendum. Augustinus sermone 111. de Tempore, (August.) *Sed quod pessimum est, multi sunt, qui durissimum, atque amarissimum auaritiæ iugum cum multis laboribus volunt ferre, & dulce iugum Christi, & onus eius leue dissimulant humeris suis imponere. Malunt cum multis peccatis sub sarcinâ graui succumbere, quam iugum Christi, quod potest eos in cælum eleuare, suscipere.*

46. *Matthias à pueritia liber à iugo ex parentum cura.* Vincent. Enim verò Matthias ab huiusmodi iugi onere à pueritiâ liber, caput extulit, quia *ab adolescentiâ sua iugum* Domini portauit. *Patres enim* (ait Vincent. Ferrar.) *quomodo erant nobili genere, habuerunt magnam diligentiam ad nutriendum puerum Matthiam. Quia pueri in pueritiâ lucrantur, vel perduntur ex negligentiâ parentum, quia parentes dimittunt eos ad libitum eorum.* Edoceantur parentes pueros suos Euangelico iugo suauissimo quidem allicere à cunabulis.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Iugum enim meum suaue est.

Matthias sub Euangelico iugo quiescebat à Spiritu sancto subleuatus.

Innuo interea, hîc beari quodammodo, qui Euangelici iugi sustinent onera, Spiritu subleuante.

47. *Vndenam iugi Euangelici suauitas. sarcina ponderosa leuitas. tribulationes maximè dulcedo.* August. E Commentario ab vberiori illius quæstionis enodatione abstinui: Quonam modo suaue iugum, quod tot molestiis pergrauatur? *Nonne arcta est via, quæ ducit ad vitam?* Augustinus sermone 48. de Tempore, *Mirum quibusdam videtur, cùm audiunt Dominum: Iugum meum suaue est; & considerant eos, qui iugum ipsum intrepida ceruice subierunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus, vt non à laboribus ad quietem; sed à quiete ad laborem vocati videantur.* Vndenam ergo suaue iugum, leuis sarcina? Augustinus alibi, *Omnia sæua, & immania prorsus facilia, & propè nulla efficit amor.* Hilarius, (Hilar.) *Quid ipso amore leuius?* Maldonatus quatuor adhibet leuitatis iugi causas, (Maldon.) comparans cum lege Euangelium. Paschasius autem lib. 6. (Paschas.) *Quia duobus præceptis tota lex*

adimpletur nil est dulcius, nil leuius, nil suauius, eo quod charitate Dei, & proximi non solum non premimur, aut grauamur, verum etiam his preceptis, vt consortes simus Angelis, ad cælum vsque leuamur.

48. *Spiritus sanctus iugi molesti pondus alleuat.* August.

Attamen sequor Augustinum prosantem illo sermone 48. de Tempore, *Profectò aderat ei, qui Euangelicum iugum sustinebat, Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem : & gustatâ quiete spirituali, in affluentia deliciarum Dei omnia præsentia deliniret.* O quàm inter sarcinas, inter pondera quiescens, accubans, qui iugum Christi subleuante spiritu cum Apostolo portat!

49. *Adiutor Deus ad iugum portandum adest, vt reddat gloriosum laborem.* Thren. 3. 1. Cor. 6.

Fatur ex ore Prophetæ Magister Euangelij Dominus, *Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia suâ. Sedebit,* &c. Thren. 3. Portat iugum, & sedet? Laborat, & quiescit? Fatigatur, & requie potitur? Ita plane, *quia leuauit se supra se.* Spiritus sancti pennis sic collocatus ad cælum eleuatur: hic quodammodo cælesti fœlicitate fruitur. *Glorificate,* (ait Paulus) *& portate Deum,* 1. Corinth. 6. Portare iugum legis. Quid magis à glorificatione alienum, quàm tot premi onere præceptorum? *Glorificate* tamen, seu cælitibus admixti *gloriam dicite Nomini eius.* Nam Euangelicum iugum portare, æternâ quodammodo est fœlicitate frui; quia iugum ipsum nos ad Superos eleuat. Augustinus sermone 100. de Tempore, *Portare meruimus iugum Christi secundum illud, quod Apostolus ait: Glorificate; & portate Deum in corpore vestro. Quantùm possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne a ceruicibus nostris tam sanctam sarcinam malis operibus deponamus. Sarcina enim Christi leuare consueuit* ad Superos, *non premere.*

August.

50. *Spiritus sanctus efficit, vt gloriosè iugũ sustineatur.* Ezech. 1.

Vidisti gloriæ Dei currum à quatuor sub iugo illigatis animantibus inuehi? Ezechiel. 1. O sanctissima animantia iugo pressa, ac simul gloriosis splendoribus perfusa! Quisnam laborem iugi cum fœlicitate gloriæ copulauit? Nonne *Spiritus Domini erat in rotis?* Fauente Spiritu sancto pondus iugi gloria est. Augustinus sermone 48. de Tempore, *Quomodo dicitur Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: & non potius dicitur, Venite, qui vacatis, vt laboretis? Sub illo iugo leni, & sarcinâ leui audiamus Apostolum dicentem: A Iudæis quinquies quadragenas vnâ minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, & cætera pericula, quæ numerari quidem possunt, sed tolerari, nisi Spiritu sancto iuuante, non possunt.* At Spiritu fauente, Apostolus æternæ voluptatis, ex egregia spe gloriam capiebat. *Omnia ergo illa, quæ commemorauit, aspera, & grauia frequentiùs, & abundantiùs sustinebat. Sed profectò aderat ei Spiritus sanctus, qui gustatâ requie spirituali (in spe futuræ beatitudinis) omnia deliniret.*

August.

51. *Matthias inter sarcinas accubans, vt Isachar.* Alcas. Ioach.

Iugo Euangelico pressus Matthias, simul accubauit, requieuit, quasi in æterna quiete constitutus. Ingeniosè Alcasar duodecim pretiosos Apocalypseos lapides cum duodecim Israelis Tribubus composuit. Tribus certe Isachar sortitur Amethystum, quo, authore Ioachimo, Matthias figuratur. De Isachar Iacobus parens prædixit: *Isachar asinus fortis accubans inter terminos.* Aliter *inter sarcinas,* Genes. 49. Quis crederet asinum quantumuis fortem, & robustum sarcinis oneratum accubare, quiescere? O leuitas, suauitas Euangelici iugi Matthiæ forti animanti appositi! Illud ipsum, Apostolum humeros ad onus supponere, idem est, ac quiescere; quia scilicet à spiritu subleuatur, nunquam non inter sarcinas conquiescit. Gen. 49.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Et onus meum leue.

Matthias multos Euangelicum traxit ad iugum, quia eidem collum submisit.

Subditis etenim legis onus leuissimum, si Præsulis etiam humeris collocatur.

Haymo sic: *Quare suaue iugum, & quare onus leue?* Respondet, *Quia quod docuit, ipse impleuit, sicut Lucas dixit: Cœpit Iesus facere, & docere. Præcepit nobis humiles esse, ipse in semetipso humilitatem exhibuit. Nullam rem iussit, quam ipse non demonstraret. Solent alij Magistri grauia, & importabilia Discipulis iniungere, quod ipsi facere non valent.* Ad iugum Dominus homines aduocans se se simul subiugalem exhibuit; quem Matthias egregius Euangelij Magister imitatur. 52. Haymo.

53. *Deus portatur & portat subditos, qui ideo non grauantur.* Thren. 3. Strab.

Prophetæ rursum expendo testimonium, *Bonum est viro, cùm portauerit iugum. Sedebit solitarius, & tacebit; quia leuauit se supra se,* Thren. 3. Strabus ad illud: *Sedebit solitarius,* ait: *Bona hæc exclusio est, vt sedeat solus cum Deo, qui se sentit portare graue iugum.* Solus-ne iugum portat? Minimè, sed pariter cum Deo se se ponderi submittit. Quonam modo ergo Deus & homo iugum portantes consident? *Vt sedeat solus cum Deo.* Quia quando Magister idem iugum portat, quod collo subditi imponere curat, ille qui iugum portat, simul à seipso Deóque idem iugum portante vehitur. Ideo qui iugum vehit, qui currum trahit, simul vehitur quasi in curru, sedétque veluti biga asportatus. Vnde *tacebit,* siue non sub pondere gemet, *quia leuauit se supra se.* Se scilicet portantem iugum, vnà cum Deo iugum imponente portauit.

54. *Instar Elias currus & auriga.* 3. Reg. 19.

Optimus Magister Elias, currus ideo & auriga ab Elisæo appellatur. *Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius,* 3. Regum 19. Quare currus & auriga vocatus? Currus equidem portatur, & portat; auriga excitat, regit subiugalia animantia. Magister egregius sic dirigit, vt simul instar currus portet, & portetur ab iis, qui sub iugo currum ipsum trahunt. O Euangelici iugi suauitas! Portatur à subdito, & simul subditus oneratus regente portatur à Christo, pariter cum subdito subiugali, currúque, vecto simul ac vehente portitorem. Acutè Augustinus serm. 100. de Temp. *Si iugum Christi subditâ, & humili ceruice suscipimus, magis nos portat, quam à nobis portetur.* August.

Facilis

55. *Liber subditus portat iugum, dum Magistrum videt comportare.* Matth. 21. Paschas.

Facilis hinc testimonij apud Matthæum solutio. Discipuli à Domino immissi, vt asinam & pullum soluerent, & afferrent, *fecerunt, sicut precepit illis Iesus, & adduxerunt asinam, & pullum, & posuerunt super vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Cap. 21. Vbi Paschasius quærit, *Quomodo stare possit, quod dicit: Et eum desuper sedere fecerunt? Quia licet super vtrumque animal vestimenta sua posuerint, super eorum vtrumque sedere non potuit; neque enim natura hoc sinit humana.* Respondet, *Cum historia impossibilitatem habeat, scire oportet, quod ad altiora Euangelista nos transmittit intelligenda. Asina ista subiugalis fuit, & edomita, & iugum legis* (hominis gerens typum) *traxerat. Pullus asinæ lasciuus, & liber, quibus feliciter insedit Dominus.* Iugum itaque Euangelicum à Magistro, seu Præsule à discipulo, seu subdito portandum exprimitur ex mente Abbatis. Quonam modo pullus liber, siue iugo Christum portat, instar asinæ subiugalis; qua Præsul patet exprimitur? Quia subditus magis liber à iugo, ipsum benè comportat, cùm Præsul pariter iugi pondus experitur.

Iam Matthiæ vim ad populos addicendos Christo expendo. Iugum Christi ipse portabat, quomodo non ad Christum subditos traheret voluntarios? De Amethysto, qui Doctore Ioachimo Abbate, Matthiæ accommodatur, sic Plutarchus lib. de audien. Poët. *Hi lapilli, qui vocantur Amethysti, vim quandam attrahendi, dum labore fatigati accenduntur, nacti sunt.* Quid mirum Matthiam innumeros ad fidem attrahere, Euangelicum iugum portaturos, si eodem labore defatigatus, si eidem iugo collum submittens desudauit? Hunc Euangelici Præsules imitentur. Nec enim vim exerent attrahendi dum eodem labore fatigati non obiiciantur. 56. *Matthias vim, attrahendi hausit, quia subditorum laboribus defatigatus est.*

LIBER TERTIVS.

MARCVS.

Paraphrasis, Commentariíque literales ad Cap. X. Lucæ.

PANEGYRICI MORALES circa literam

JN MARCVM EVANGELISTAM.

PROLVSIO.

Apostolici vitalis Ligni FRVCTVS TERTIVS.

NON solùm duodecim Apostoli; sed & septuaginta duo Discipuli, operarij scilicet, ad multam operis Euangelici messem aduocantur. D. Marcus operator eximius, siue messis copiosa, ad cuius planè cultum operarij innumeri ex conuentione non sufficient. Aptè Procopius in D. Marcum, *Fidelium hominum cateruæ tanquam ex conuentione quadam Apostolum Marcum beatum prædicant. Gentium cœtus, atque conuentus mysteriorum Auctorem celebrant, & magnificè, vt Christi Scribam, eiúsque diuini Aduentûs testem extollunt.* Tantæ molis, agri huiusce virtutibus vberrimi fœcundissimos colligere manipulos.

LVCAS CAP. X.

VERS. 1. POST hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.

2. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

PARAPHRASIS.

1. POST *hæc Dominus è numero Discipulorum & alios septuaginta duos designauit, quemadmodum antea duodecim selegerat Apostolos. Quos mittebat binos in omnem ciuitatem, in quam ipse decreuisset venire, vt suâ prædicatione animos in aduentum Domini præpararent. Et hos ad munus Euangelicæ prædicationis instruxit, quemadmodum priùs duodecim edocuerat.*

2. *Reddit autem causam quare prædicatorum numerum auxisset. Messis, inquit, copiosa, operarij verò pauci. Rogate igitur Dominum messis, vt in messem suam operarios immittat. Parati sunt animi, tantùm desunt qui colligant homines vltrò properantes ad regnum cælorum.*

3. Ite:

3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

3. Ite igitur mei vnius præsidijs freti. Frementes potentes luporum in morem; simplices vos & innoxij velut agni omnibus prodesse studeatis.

4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.

4. Nec de victu quidem sitis solliciti, expediti pergite ad Euangelicum negotium, neque sacculum, neque peram, neque calceamenta vobiscum portantes. Nunquam vobis deerit, quod natura sit necessitati satis.

5. In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui.

5. Ac ne de tecto solliciti sitis, erunt qui vos excipient. In quamcumque autem domum intraueritis, primùm toti familiæ pacem precemini.

6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.

6. Quod si ibi fuerit filius pacis, hoc est, homo mitis, auidusq; mansuetæ doctrinæ, proderit illi vestra precatio, & hospitem bene ominantem amplectetur: sin minùs, ne pœniteat bene fuisse precatos. Non enim vobis merces officij oblati peribit.

7. In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede suâ. Nolite transire de domo in domum.

7 Qui verò libenter, ac promptè vos receperit, apud illum manete non vitæ delitias affectantes, sed pro necessitate corporis edentes, ac bibentes, quæ apud illos fuerint. Æquum est enim, vt qui laborat in Euangelico negotio ex eorum liberalitate viuat, si aliunde non suppetit, quibus laborat. Illud item cauendum, ne ex alijs ædibus demigretis in alias, quasi fastidito priori hospitio, lautius quæratis. Sit vobis satis quod primum obtigerit.

8. Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.

8. Si contigerit vos ingredi ciuitates, & vos susceperint ciues, edite, ac bibite sine delectu, & absque fastidio, quidquid vobis apponitur. Quoq; gratiores sitis hospites, maioreq; cum fide prædicetis regnum Dei, ciuibus beneficia impendite.

9. Et curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.

9. Ægrotos ciuitatis sanate, mancos, & debiles restituite, dæmoniacos liberate. Ac tunc dicite illis: Videtis diuinæ virtutis argumenta, animos vestros ad pœnitentiæ studium præparate. Iam enim aduenit ad vos regnum Dei.

SECTIO PRIMA.

Discipulorum Designatio.

TEXTVS.

VERS. 1. POST hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Electionis tempore, & Discipulorum numero.

1. *Quandonam hæc peracta?* POST hæc autem.] Id est, postquàm à Galilæa in Iudæam venisset Dominus, ibique se bonum Pastorem docuisset, (de quo Lucas cap. præcedenti) turbarum Iudaicarum misertus, quòd vexarentur, & iacerent instar ouium pastore carentium, constituit vti bonus Pastor eos, qui secum populum salutari doctrinâ pascerent. Vnde verosimilius iudico hanc Discipulorum legationem in ipsâ Iudæâ factam fuisse ab ipso, non postquam
2. reuersus est in Galilæam. Nam in totâ Galilæa & ipse prædicauerat, & ad prædicandum duodecim Apostolos antè iam miserat. In Iudæâ verò nec ipse, nec Apostoli, nisi fortè post Baptismum valde breui tempore prædicauerant. Nunc igitur in Iudæâ consistens, magnam populi multitudinem rudem ad Euangelium, siue (vt ipse ait) segetes iam albas ad messem videns, messorésque deesse, passionis suæ tempore instante, ex populi malè instructi necessitate, éxque temporis breuitate sumpsit occasionem, nouos deligendi, immittendíque concionatores, vti indicat Augustinus, & alij.

3. *Diuersitas numeri Discipulorum.* *Designauit Dominus & alios septuaginta duos.*] Diuersi codices diuersum Discipulorum numerum assignant, alij scilicet septuaginta, alij septuaginta duos. Inde orta controuersia, num septuaginta solummodo, an fuerint septuaginta duo? Scribunt Septuaginta fuisse Græcorum codices Syriaco textui conformes. Approbant *Theoph. & alij.* Theophylactus, Euthymius, Eusebius Cæsar. citans Clementem, Irenæus, Dorothæus, & ex Latinis Damasus, & Concilium Neocæsariense. Porrò Latini codices Discipulos numero septuaginta duos fuisse constantissimè tradunt. *Tatian. & alij.* Tatiano, Ammonio, Clemente, & Anacleto Pontif. consentientibus. Subscribunt Epiphanius, Augustinus, Beda, Titus Bostr. & alij quamplures.

4. *Existimo septuaginta duos fuisse, cum ipso oppositæ sententiæ fundamento.* Quos eò libentius sequor, quòd alterius sententiæ robur infirmo videam niti fundamine. Ideo namque Septuaginta solùm fuisse aiunt, quia numerum hunc sicut & duodecim Iudæis in honore & veneratione extitisse probant: hunc propter duodecim Patriarchas; illum propter septuaginta animas, quæ cum Iacob ingressæ sunt in Ægyptum. Hunc propter duodecim fontes; illum propter septuaginta palmas, quæ in Elim, vbi Israel fuit castrametatus, repertæ leguntur. Vnde Apostolorum numerus, Patriarchis, fontibúsque respondet: Discipulorum autem animabus, ac palmis totidem hæret. Esto quòd Discipulorum numerus palmis, seu animabus in Ægyptum ingressis respondeat: esto quòd multi codices septuaginta solummodo Discipulorum memoriam faciant. Adhuc septuaginta duos fuisse affirmo, credens cum Maldonato palmas fuisse septuaginta duas, ac probabiliter totidem in Ægyptum animas ingressas. Quare igitur non fit nisi septuaginta animarum, aut palmarum mentio? Respondeo, ex regulâ ab Augustino traditâ solere in literis *August.* etiam sacris cardinalem, quem vocant, numerum maiorem exprimi, etiam si aliquid ipsi aut supersit, aut desit. Sic Doctor lib. 2. qq. in Exod. *Exod. 12.* quæst. 47. An non filij Israel quadringentis in Ægypto annis fuisse dicuntur? Aliquanto fuerunt pluribus, Exod. 12. Nonne certissimum, septuaginta duos Interpretes, sex ex singulis Tribubus ab Eleazaro Pontifice ad Ptolomæum Ægypti Regem missos, qui sacros Codices in Græcam linguam verterent? Vti Iose- *Ioseph.* phus lib. 12. Antiquit. cap. 2. tradit? Breuitatis causâ vsu receptum est (authore Augustino lib. 18. de Ciuitate cap. 42.) vt cùm illi allegantur Doctores, septuaginta tantùm dicantur Interpretes, cardinali solùm maiori numero expresso. Contrariæ ergo sententiæ fundamini ipsa nostra potest iam hærescere fabrica.

Septuaginta duos.] Cur hoc numero potius, 5. quàm alio eos Christus elegerit? Respondeo in *Cur septuaginta duo Discipuli?* primis, quòd Iudæis sanctus hic numerus, vt vidimus. Deinde quia totidem mundi plagis erat prædicandum Euangelium, sicut in prima missione duodecim sunt ordinati, propter duodecim Israel Tribus, quibus Euangelium primò erat euulgandum. Sic Beda. Porrò post lingua- *Beda.* rum confusionem in constructione Turris Babel factam, fuisse in mundo linguas septuaginta duas ex Geneseos cap. decimo colligi assolet, vbi septuaginta duæ personæ, à quibus diuisæ sunt gentes in terra iuxta linguarum varietatem, ponuntur. Addiderim ex Beda circa di- *Cur distincti ab Apostolis?* stinctionem Discipulorum ab Apostolis, voluisse Christum in Ecclesia dignitatum esse discrimen. *Vnde sicut duodecim Apostolos formam* *Beda.* *Episcoporum exhibere, non est qui dubitet: sic & hos septuaginta duos figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum gessisse sciendum est.*

Quod si Discipulorum septuaginta duorum 6. nomina studeas recensere, haud solida fundare *Discipulorum nomina.* possum authoritate proferri. Dorothæus se- *Doroth.* ptuaginta propria nomina scribit; sed non adeò eius hæreudum authoritati, dum commendabilior videtur authoritas Epiphanij hæc non omnino similia nomina assignantis, hæres. 20. *Dimisit alios septuaginta duos ad præ-* *Epiph.* *dicandum, è quorum numero fuerunt septem viduis Præfecti. Ante hos verò Matthias, qui Iudæ loco connumeratus est inter Apostolos. Post hos autem septem, & Matthiam, ante ipsos, Marcus, Lucas, Iustus Barsabas, Barnabas, &* Apelles, Rufus & Nigius. Clemens Pap. in 4. *Clem.* disput. Cephæ facit memoriam, de quo Paulus. Eusebius autem lib. 1. histor. cap. 14. *Tha-* *Euseb.* *daum quoque vnum ex ipsis fuisse tradit.* Dionysius Carthusianus sermone 3. in Matth. Sil- *Carthus.* læ ac Stephani agit mentionem. Cæterorum nomina licet è memoria hominum exciderè;

in libro autem vitali expressa à cælicolis celebrantur.

§. II.

Bini ante faciem Domini immittuntur.

ET *misit illos binos*] Quare binos? Dionysius Carthus. respondet: *Ad socialis vita*
7. *commendationem. Ad mutuam consolationem. Frater enim, qui adiunatur à fratre, quasi ciuitas munita. Ob veritatis prædicandæ certiorem contestationem, quia in ore duorum, triumve testium stat omne verbum.*

Quare bini mittuntur? Carthus.

8. Assero tamen voluisse Christum combinatos Discipulos actionum suarum perpetuos habere testes. Nc videlicet quis malè solitudinem eorum interpretaretur, quasi ideò soli essent, vt liberiùs sine teste delinquerent. Mecum Caietanus & Origenes affirmant, hoc sæpè vsitatum. Moysi datus socius Aaron, Exod. 4. Iosue & Caleb populum murmurantem compescuère, & in terram Chanaam introduxerunt, Ios. 14. Etiam bini Apostoli à Matthæo numerati, cap. 10. Binos ad prædicandum Christus immisit, Marc. 6. Ad soluendum asinum duos mittit Discipulos, Matt. 22. Ad nouissimam cœnam præparandam Petrum immisit, & Ioannem, Matt. 23. Ioannes Baptista vinculis illigatus duos ex Discipulis suis ad Christum legatos emisit, Matt. 11. Quàm iustè Religiosi Discipulorum imitatores bini incedunt, vt actionum suarum testem vterque sortiatur.

Auctoris sententia. Caiet. Orig. Exod 4. Ios 14. Matt. 10. Marc. 6. Matt. 21. Matt 23. Matt. 11.

Ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipse venturus.] Hebraicè: *Ante se.* Quare illos ante se immisit? Gregorius: *Quia Prædicatores suos Dominus sequitur. Nam Prædicatio præuenit.* Incultum & rudem agrum Discipuli præscindunt, vti Domino seminaturo viam, Baptistæ instar, præparent. 9.

Ante Dominum Discipuli immissi. Greg.

In omnem ciuitatem & locum. Quia indifferenter (loquor cum Lyrano) *Christus, Apostoli & Discipuli prædicabant in ciuitatibus, & locis magnis & paruis*, Carthusianus: *Tam ad loca maiora quam minora, quo ipse Dominus fuerat accessurus, vt Discipuli suis prædicationibus, miraculis & exemplis, homines carnales ac rudes ad suscipiendum Christi doctrinam disponerent.* 10.

In omnem locum. Lyran. Carthus.

Quò erat ipse venturus.] Aduotat Magistrum post Discipulos aduentaturum, vt operariorum animos ad accuratiorem laborem accendat. Caietanus: *Hoc ad cumulum vrgentis stimuli, ad rectè exequendum iniunctum officium: scientes enim Discipuli quòd subsequeretur Magister; cogebantur omni studio benè exequi iniuncta sibi.* Quàm accuratè incumbunt labori qui Dominum venturum, non aspectatorem solum, verum & Iudicem operum contemplantur. 11.

Cur venturus Dominus aduotatur? Caiet.

In Marcum

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

Ex Discipulorum designatione.

Observatio I.

Ad illa verba:

Designauit Dominus & alios septuaginta duos.

Marcus à Domino electus Prædicator fuit in magnam Ecclesiæ vtilitatem.

Quia Euangelij minister vtilis cùm immittitur; noxius cùm muneri se ingerit ipse.

12. DESIGNANTVR à Domino Discipuli, non ipsi prædicationis munus ambientes; sed electi officium susceperunt. Hugo Cardin. *De multitudine quasi signatos elegit: Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis.* Ioann. 15. Nec enim fructus germinat, qui non electus, nec missus à Domino munus prædicationis exercet.

Honores sequuntur fugientem. Hugo.

13. Quàm copiosa messis Marco operatore? Quid mirum, si à Domino electus, à Petro designatus; cùm prædicat semper missus, cùm fidei euulgandis mysterijs incumbit. Carthusianus serm. 1. *Tertia gratia Marci est copiosus fructus, quem fecit in Mundo, plurimos conuertendo ad fidem.* Vndenam copiosa hæc fructificatio? Quia electus, quia designatus, quia missus. *Cùm enim Petrus Marcum vidisset in fide constantem, atque in Euangelica legis perfectione ac sapientia eminentem, ipsum Aquileiam destinauit. In qua Marcus innumeras Gentilium multitudines conuertit ad Christum. Post hoc Romam reuersus, ad Alexandriam vrbem Ægypti à Petro est missus, in quâ multos congregauit Discipulos.* Quid non innumeras multitudines conuerteret, qui nunquam non designatus pergit, nunquam non missus concionatur?

Marcus copiosam fecit messem, à Domino delectus, & immissus. Carthus.

Isaias præfatur: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columba? cap. 60. Cur nubes prædicatores Apostolici vocitantur? Quia *pluunt verbis, coruscant exemplis?* Sic Gregorius apud Gloss. Quia *volant contemplatione mentis?* Idem sic Doctor: Quia sicut *imbrium gurgites de nubibus fluunt, ita profunda prædicationis intelligentia originem à sanctis Apo-* 14.

Concionatores, vt nubes, aduocandi, & immittendi. Isai 60. Greg.

stolis receperunt. Adhuc magnus Antistes. Ast ego cum Anselmo, ideò prædicatores nubes dixerim appellari, quia ex toto Orbe aduocati veniunt ad Dominum. *Volant ad me de toto Orbe.* Deus congregat terræ exalationes, ad se vocat, vt nubes Orbem terrarum rigaturas immittat, ac fœcundaturas. Non priùs rigant, quàm ad Deum accedant, rursùs a Deo in Orbis vtilitatem immittendæ.

15. Addidit Vates: *Et quasi columba.* In cuius expositionem locum Canticorum expendo: *Surge & propera amica mea, formosa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ.* Cap. 2. Vbi Honorius per columbam intelligit Concionatores. *Columba filios alienos nutrit, Concionator filios perditionis, filios gehennæ, filios trafacit filios Regni, & filios Dei.* Columbæ autem Concionatori indicitur: *Surge, & veni.* Ad Deum primùm Concionator adducitur, designatur, mox in morem Columbæ aliis auolat salutaris. Ambrosius lib. de fuga sec. cap. vlt. *Sic volate, vt dicatur de vobis: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & sicut columbæ cum pullis suis. Vt nebulæ vestræ rorent iustitiam, & columbæ pariant simplicitatem.* Tunc enim ex nubibus iustitia in proximos effluit, è columbis simplicitas oritur, cùm priùs nubes & columba a terrâ ad Dominum excitantur, vt salutari volatui operam impendant.

Vt columbæ vocantur ad Dominum, & ad Orbem immittuntur.
Isaias 60.
Cant. 2.
Honor.
Ambros.

16. Nil magis à Marci mente absonum, quàm non electum quodlibet speciosum Ecclesiæ munus obire, qui sese pollice spoliauit, vti ad Præsulatum redderetur ineptus. Petrus Damianus serm. 14. fatur: *Amputasse sibi pollicem legitur, vt Sacerdotio reprobus haberetur; sed tantam in eo potuit prædestinata superna dispensationis electio, vt ne sic quidem perderet in nona gratia fide, quod primitùs obtinuisset in genere. Nam Episcopus factus Alexandrinam fundauit Ecclesiam.* Certè hoc facto dignior apparet ministerio, quia qui fugit munus, ostendit eius se callere difficultatem. *Per obtruncationem membri fœdauit corporis speciem, ac contra Ecclesiæ regulam Ecclesiasticam consceaderet dignitatem; sed quod ille putauit patrocinium fugæ, profecit in titulum gloriæ. Nam vnde se indignum reddidit, dignior fuit, & quod fugiebat, coactus incurrit.* Tam pertinaciter honores humilitatem fugientem insequuntur.

Marcus se pollice priuauit, vt inceptus Sacerdotii redderetur, inde dignior ad munus.
Damian.

Observatio II.

Ad illa verba:

Designauit Dominus & alios septuaginta duos.

Marcus plures victorias reportauit, quia palmæ instar fonti Apostolicæ doctrinæ hæsit.

Assero imbellem Concionatorem, qui fabellis, aut poëtarum nenijs frequenter vtitur, licèt ad sensum spiritualem trahat.

17. CVRTEAVS apud Cat. aur. *Consolantes ad augmentum spirituale, reperiemus duodecim fontes, scilicet sacros Apostolos, à quibus haurimus salutis scientiam, sicut a fontibus Saluatoris & septuaginta palmas; hos scilicet Discipulos, qui nunc destinati sunt à Christo.* Victrices palmæ fontium Saluatoris doctrinæ adhærescunt, quia Concionatorum victoriæ Euangelicæ doctrinæ debentur, non fabulosæ aut prophanæ eruditionis fluentis. Aptè Anselmus ad Exod. 15. *Duodecim fontes doctrina duodecim Apostolorum. Septuaginta palmæ, septuaginta Discipuli, quorum prædicatione palmas Christi victoriæ Mundus agnouit.*

Apud fontes Scripturarum Apostolici prædicatoris victoria sunt.
Cyrill.

A concione igitur ablegetur quidquid ab hisce fontibus non exhauritur. Procul hinc prophanæ eruditionis frequens euulgatio, & adinuentio inutilis, artificiosi conceptus. *Filij Israël venerunt ad Mara; nec poterant bibere aquas de Mara, eo quòd essent amaræ.* At lignum Mosi ostenditur, è cuius immissione latices dulcorantur. Exod. 15. Cuius allegoriam sic expendit Origenes: *Cum per lignum vitæ fuerit indulcorata aqua illa, & spiritualiter intellecta,* quæcumque à fabulis, à prophanis desumpta doctrina. *Transit populus ad duodecim Apostolicos fontes, vbi reperiuntur arbores septuaginta palmarum. Non enim duodecim Apostoli soli fidem Christi prædicauerunt, sed & alij septuaginta, per quos palmas victoriæ Christi Mundus agnouit. Non sufficit ergo populo Dei aquam Mara bibere, quamuis indulceratam per lignum vitæ.* Quantumuis fabulæ aut apothegmata spirituali sensu condiantur; haud frequenter exposita vtilia consequendæ victoriæ, dùm ex fontibus desumpta doctrina non venit in certamen. 18.

Aqua prophana eloquentia etiã spirituali sensu dulcorata non sufficienter populo fideli satiando vtiliter.
Exod. 15.

Si Marci victoriæ te in admirationem rapuere, breui vitâ ad tot palmas superante, scito Apostolum ex Matthæi fonte (Abulensi Doctore) hausisse, ex Petro didicisse, vtili admodum animabus, & salutari redundantiâ. Damianus ad hæc serm. 14. *Vbi Marcus, ibi Petrus.* Ac si diceret. Palma hæret fonti. *Quia fluento Euangelij, quod ex ore Petri, velut ex eructanti fonte profluit. Marcus vt vberrimus, atque perspicuus Paradisi fluuius, arua totius Ecclesiæ copiosiùs inundauit.* 19.

Marcus innumeras cantauit victorias, quia aquas fontis Apostolici propinabat.
Damian.

An sine sacrâ doctrinâ victoria? Minimè planè. Dabir olim quantam Iudæ dedit victoriam. *Inde profectus abijt ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher.* Iudic. 1. *Cariath Sepher,* idem ac *Ciuitas literarum,* seu quòd ibi inuentæ, seu quòd ibi, vt in celebri Academia tradi solitæ, vti Lyranus & Abulensis ad Ios. 15. q. 3. Hebræis dicta est, *Ciuitas scholæ, legis libri.* Quàm certa victoria apud Scholam, vbi legis libri propinantur, vbi Euangelici fontis vndæ exhauriuntur! 20.

Sine doctrina sacra nulla victoria.
Iud. 1.
Lyran.
Abul.

Quid prophana eruditio? Profectò victoriæ loco sæpè veritati Euangelicæ vulnerandæ operam impendit. Vocabatur etiam *Cariath sena,* id est, *Ciuitas spinarum.* An quia ibi multæ literarum spinæ, ac insolestiæ? Certè, quia inter multos literatos plures verborum pungentium, disputationum prophanarum, fabellarum inutilium immiscentur aculei. Quo sensu spinæ sumi videntur à Sponso fante: *Sicut lilium inter spinas, ita amica mea inter filias.* Cant. 2. Per filias enim, quæ spinis comparantur, nonnulli Patres apud Ghislerium sectas Philosophorum, 21.

Prophana eruditio potiùs vulnus veritatis, quàm vitiorum exitium, ex victore verbo Dei.
Iud. 1.
Cant. 2.
Ghisl.

propha

næque humanitatis, seu eruditionis testimonia, quæ suis aculeis veritatis lilium pungere conantur, intelligunt. Proh concionatorum crudelitas, qui fabularum prophanæque eruditionis potati Mara, veneno inficiunt doctrinam veritatis, non modò non canentes, superatis vitijs, victoriam; sed hostibus adscribere volentes trophæa!

Observatio III.

Ad illa verba:

Et misit illos binos ante faciem suam.

Marcus Petri socius charissimus, vnde eius efficax prædicatio commendatur.

Concordia enim Prædicatorum auditoribus obiecta dat verbis efficaciam.

22. *Greg.* Plvres à Doctoribus causæ mysticè assignantur, cur Discipuli bini fuerint immissi. Gregorius: *Minùs quàm inter duos charitas haberi non potest. Insinuatur verò eum qui charitatem non habet suscipere prædicationis officium non debere.* Et glossa (*Gloss.*): *Per hoc quòd bini missi, innuitur quòd nemo prædicationis officiũ debet suscipere, qui erga aliũ charitatem non habet*: τὸ *erga alium*, non solùm explico *fidelem*, sed & *Coapostolum*. Munus non suscipiat concionandi qui aduersus Coapostolos, socios Concionatores è suggestu rixas excitat, cum auditorum scandalo.

23. *Concordia; Prædicatorum victorias reportat.* Mittitur Moyses in Ægyptum ex Pharaonis impij reductione procuratâ, Israëliticum populum educturus. Renuit Moses, tanquam ad prædicationis munus obeundum non aptus. *Aaron* (inquit Deus) *erit Propheta tuus.* Exod. 4. (*Exod. 4.*) Mittuntur Moyses & Aaron. Quare? Vt concordia ministrorum Dei negotium prædicationis persoluat. Quid in ingressu ad terram promissam? Iosue & Caleb concordes exurgunt, idem dicẽtes; concordes ministri victorias procul dubio reportant. Origenes: *Binos famulari Dei verbo antiquum est. Eduxit Israel per manus Moysis & Aaron, idem dicentes. Iosue & Caleb concordant. Frater à fratre adiutus, quasi ciuitas vallata.* Quis concordes Dei ministros poterit debellare?

24 *Christus auditur cùm ministri Euangelici concordant.* Dùm Christus Iordanis vndis intingitur, Patris vox insonat: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Matt. 4. (*Matt. 4.*) Cùm autem medius inter Moysem & Eliam apud Thabor ostenditur, rursùm intonat Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Matt. 17. (*Matt. 17.*) Cur non etiam priùs particulam illam addidit; *Ipsum audite?* Respondet Paschasius lib. 8. (*Paschas.*) asserens, Moysem & Eliam locutos cum Christo de excessu componentes prophetias, typósque antiquos cum ipsâ nouæ legis veritate. Vnde iam tunc vno ore ministri legis veteris ac nouæ loquuntur. Ipsum iam audite cum prædicatoribus cunctis concordantem; omnibus vnum dicentibus, Moyse & Eliâ minimè repugnantibus, nec taxantibus aut doctrinam aut concionatorem.

Hùc adest Marcus Ecclesiæ mirum in modum verbo proficuus, quia sese populo obicit cum Petro charitatis vinculo colligatum. 25. *Marcus combinatus Petro Ecclesiæ prædicator egregius exurgit.* Petrus Damian. (*Damian.*) serm. 15. *Tantâ Magister Petrus & Marcus Discipulus vnanimitate coniuncti, tàm consonâ sancti Spiritùs sunt inspiratione consolati, vt & Petrus Euangelium Marco, & Marcus construeret Ecclesiam Petro; quatenùs dum quod suum erat alter transferret in alterum, quod cuique erat proprium, commune esset amborum, & vtriusubet proprium esset, quod vterque proprium possideret.* Iàm ostendit, quàm efficax prædicationis vox, dùm Marcus sese sanctissimo socio obicit illigatum. *Nec mirum, si Marcus apud Magistrum suum præcipuus extitit, & priuilegium præ cæteris Apostolicæ dilectionis obtinuit; cui nimirùm Deus omnipotens tantam verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prærogauit, vt omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam, ac totius sanctæ conuersationis instantiam, tanquam ad monasticæ perfectionis fastigium peruolarent.* Concordia inter sacros ministros quando non verbo addidit efficaciam?

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et misit illos binos ante faciem suam.

Vnus Marcus omnes simul Euangelistæ.

Vbi Scriptura sacra vnum Deum, vnum Christum insonans commendatur.

Licet verborum varietate distrahi 26.
videantur ministri Euangelici, ad eundem combinati tendunt scopum veritatis synceriter euulgandæ. An verbis aliquando pugnare visi Euangelistæ, sensu dimicent? De fide est verè combinatos incedere, eodem sensu loquutos, verborum apparente diuersitate.

Ezechielis testimonium haud vulgariter ex- 27.
pendam: *In medio eorum similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum; similitudo hominis in eis, & quatuor facies vni.* Cap. 1. (*Idem omnes dicunt Euangelistæ, spiritu eodem, verbis specie dissonis. Ezech. 1.*) Patribus quatuor hæc animantia quatuor Euangelistæ similitudine hominis decorantur, quia omnes quatuor de Christi Dei & hominis scripsere magnaliis. Quonam modo autem *quatuor facies vni?* Non-nè facies hominis Matthæo, leonis Marco, vituli Lucæ, aquilæ verò Ioanni adscribitur? Sic Strabus (*Strab.*): *Matthæi, qui hominem descripsit, dicens: Liber generationis Iesu Christi, facies hominis est. Facies leonis Marci, qui ait: Vox clamantis in deserto. Vituli, refertur ad Lucæ Euangelium, qui à Sacerdotio Zachariæ incipit. Aquila, ad Ioannem, qui ad excelsa volans, ait: In principio erat Verbum.* Si igitur singulæ facies singulos signant Euangelistas, quonam modo vnusquisque facies omnium ostentat? Certè, quia de eodem Christo homine scribentes, omnes consentiunt sensu,

spiritu

ſpiritu concordant, licèt verbis exterius diſſentire quandoque videantur. Gregorius apud Strab. *Quatuor facies vni, quia quod Matthæus de Domino ſentit, hoc idem Marcus, Lucas, Ioannes. Hoc ergo totum in vno quod ſimul in quatuor*, licet aliquando verba diſſonare videantur.

28. *Tendunt ad eundem ſcopum, licet non aſpicere videantur eodem modo.* Ezech. 1. Lyran.

Adiicit Vates, *Vnumquodque eorum coram facie ſua gradiebatur*, Ezech. 1. Facierum deſcriptionem, earúmque reſpectum accipe ex Lyrano, *Secundum deſcriptionem Latinorum facies hominis erat in latere appoſito aſpectus Prophetæ; facies autem Leonis in latere dextro ipſius animalis; facies Bouis in latere ſiniſtro; facies Aquilæ erat in facie poſteriori.* Si ergo vnumquodque coram facie ſua gradiebatur, vnumquodque diuerſam viam neceſſariò arripiebat, quia facies diuerſo conſpiciebantur obiecto deſeruire. Reſpondet Doctor, *Vnumquodque animal coram facie ſuâ ambulabat, ſine conuerſione corporis.* Cuncta enim animantia, licèt ad ſcopum diuerſum externâ ſpecie tendere videbantur; ad eundem tamen finem properabant: nec vere reſpiciebant ad alium, ſi eis neceſſum *coram* facie ſuâ ambulare.

29. *Marcus cunctorũ Euangeliſtarũ facies obtinet.*

Leo D. Marcus (loquor cum Laurentio Iuſtiniano) *figuraliter nuncupatur, ob rugitum vocis ſuæ, qua docet pœnitentiam agere, deſerere vitia, repugnare diabolo, futurum deuitare iudicium.* At combinatus incedit, quia cæterorum Euangeliſtarum præ ſe fert aſpectum. Aquilæ, & Hominis faciem ei dat Auguſtinus. Bouis faciem habuiſſe probat Dionyſius Carthuſianus, dum oſtendit bouis in motem ad necem adductum. Confirmo ex Laurentio Iuſtiniano cogitationem. *Habet facies quatuor Euangeliſtarum Marcus. Singulis Euangeliſtarum quatuor facies ineſſe declarat Propheta propter eorundem conformitatem in narratione geſtorum Saluatoris, ſiue propter ſpiritualem intelligentiam. Per humanam faciem ſuſceptionem diſciplinæ, quæ virtutibus decoratur*; per leonis rugitum prædicationis; per Bouis tolerantiam pœnæ ſuſtinentiam; atque per Aquilæ ſimilitudinem contemplationem. *Marco igitur prærogata eſt ſpiritualis diſciplina virtutum, credita ſunt diuinorum eloquiorum præcelſa rudimenta, donatum eſt Crucem quotidie baiulare poſt Dominum, necnon ſecretorum cæleſtium veneranda myſteria contemplando rimari.* En omnium Euangeliſtarum doctrinę ſpiritus concordat in Marco.

August. Carthuſ.

Iuſtin.

30. *Marcus non ſolùm ſpiritu, ſed & verbis ſpiritualibus Euangeliſtis concinit cum alijs Euangeliſtis.* Damian.

Imò & verbis concinit Marcus cum eiſdem. Damianus *Cur Marcus*, quærit, *poſtquam poſiturus ſe verba Iſaiæ promiſit, non protinus Iſaiæ, ſed Malachiæ potiùs dicta ſubintulit, ſicque poſtmodum ad Iſaiæ verba peruenit?* Nam quod præmittitur: *Ecce mitto Angelum meum*, protulit Malachias, qui nouiſſimus eſt duodecim Prophetarum. Quod autem ſubiungitur: *Vox clamantis in deſerto*. Iſaiæ extat oraculum. Quare igitur qui Iſaiæ promiſit teſtimonium, non mox reddidit; ſed poſt præmiſſum Malachiæ vatis initium? An vir Dei plenus ſpiritu in ipſo præſertim narrationis exordio (cum captatur attentio egentis) vel errare potuit, vel mentiri? vt qui veritatis geſta deſcriberet, librum ſuum mendacio dedicâſſet? Reſpondet Doctor, *Hoc docendi magiſterio, actum eſt, vt in ipſo Euangelij ſui principio Spiritus ſanctus oſtenderet ... vnum eundemque per ora omnium Prophetarum eſſe loquutum ... ſpeciali ... proferatur. Quæ nimia ergo dicit Malachias, dixit & Iſaias, & vnuſcuiuſque verba per vnitatem Spiritus ab omnibus ... prolata.* Hinc elicio Marcum non ſolùm ſpiritu, ſed verbis cum reliquis Euangeliſtis conſonare. Malachiæ ſpiritus & verba Iſaiæ ſpiritus & verba ſunt: Marci verba & ſpiritus cunctorum Euangeliſtarum eſſe puta. *In quo* (addit appoſite) *etiam Marcus docet, vt ſi quid ipſe loquitur, quod à cæteris Euangeliſtis videatur eſſe diuerſum; vnum tamen intelligantur omnes proferre ſermonem per eum, qui in omnibus loquitur, ... vnitatem.* Hinc Scripturæ ſacræ harmonia ad Deum exaltandum commendanda exponitur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et miſit illos binos antè faciem ſuam,

Marcus ad Euangelij prædicationem immiſſus Chriſtum ſocium actionum ſuarum teſtem ſortitus eſt.

Vbi adnoto, probis viris, ac fœminis teſtes operum adijciendos; contra Regulares ſine ſocio curſitantes.

DVM mittit *binos, mutuum teſtimonium, & mutuam cuſtodiam morum ſtatuit Ieſus in ſuis Diſcipulis peregrinantibus.* Sic Caietanus. Rectiori tramite incedit, qui ſocio addicitur, fugiente hoſte præſidium ſocietatis. 31. Caietan.

32. *Adam, & Eua ſolis perière.* Gen. 2.

Poſt Protoplaſti efformationem, *Non eſt*, (inquit Deus) *bonum hominem eſſe ſolum*, Geneſ. 2. Num quia oportebat fœminam exædificari humanæ proceſſionis principium? Ita planè. Sed ſi ad ſpiritum procedas, homo à ſerpente Diabolo tentandus ſocium teſtem ſortitur, vt ſocietatis verecundiâ muniatur. Qui coram teſte deliquit, faciliùs-ne ſine arbitro fœdaretur? Rogas, an Eua fuerit ſeducta in viri conſpectu? Abulenſis reſpondet, *Eua ſeducta comedit, & non erat ibi Adam. Si enim in eodem loco ſtetiſſent, non poterat Diabolus tentare fœminam, quin tentaret virum. Sed hoc nolebat Diabolus, ſed magis fœminam ſeorſum, vt deuinceret.* Si Eua teſtem ſocium aſpexiſſet, erubeſceret ſuccumbere tentamento. Obiicis, virum fortiorem poſtea in conſpectu fœminæ teſtis deliquiſſe. Fateor, ſed tunc non aderat in Euæ fœminæ conſpectu, ſed Diaboli (ex Caietani mente) cuius perſonam mulier tentans obibat. Proh dolor! Adam & Eua cecidere, quia mutuo vterque morum cuſtode ſocio fuit priuatus. Abul.

33. *Solitaria vita periculoſa.*

Excitat Hieronymus quæſtionem: *Virum ſolitaria, an cum multis vita melior ſit?* Et reſpondet epiſtol ad Demetr. *In vnius periculoſa eſt ſolitudo, ne abſtractis ab hominum frequentia*

tiâ sordidis, & impÿs cogitationibus pateant, Quantò magis in fœminis, quarum mutabilis, fluctuánsque sententia citò ad deteriora dilabitur? Vnde Martha exterioribus incumbens ministeriis, aptè sociam actionum suarum testem expetit, & efflagitat, fortè obiiciens menti Dinam sine comite periisse, Susannam sine teste à falsis testibus fuisse tentatam.

34. Marcus socium Petrum sortitus est, qui quidem (docente Carthusiano) misit eum solum in Achileiam. Quonam modo sine custode, sine morum teste, Marcus immittitur? Certè licèt solus pergat, combinatus incedit. Præmitto in huiusce robur cogitationis Caietanum, qui expendens verba illa; *Misit illos binos ante faciem suam*, inquit: *Ante faciem suam ad cumulum vrgentis stimuli, ad rectè exequendum iniunctum ministerium; scientes enim Discipuli quòd subsequeretur Magister, cogebantur omni studio benè exequi iniuncta sibi.* Ante faciē aliorum Discipulorū. Christus pergere nōdicitur; sed post faciē, cùm ipsi ante faciē sequituri Domini immitterentur. *Misit binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, quò erat ipse venturus.* Et ideò ante faciem Domini bini mittuntur, vt quilibet socium testem accipiat. At Marcus aliquando solus incedit, quia ex Damiani adnotatione, Christum socium sortitur, & coram facie Domini incedit.

Solus incedens Marcus Christum socium sortitur Caiet.

35. Ioannis locum expendo: *Et vidimus, & testes sumus*, 1. epist. 1. Vident Apostoli ac Discipuli Christum, dùm testem conscientiæ contemplantur. Augustinus tract. 1. *Deus testes habere voluit homines, vt & homines habeant testem Deum. Vidimus, & testes sumus. Vbi viderunt; in Sole, in hac luce, quia in Sole posuit Tabernaculum suum.* Strictiori adhuc lege, Marcus Christo comiti colligatur. Petrus enim Damianus eum Angelum esse asseruit, qui nunquam à Dominico recedit aspectu.

Marcus nunquam à Dominico recedit aspectu. 1. Ioann. 1. August.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et misit illos binos ante faciem suam.

Si non esset Petrus, si deficeret, si obiret diem suum, sufficeretne Marcus ad iniuncti muneris perfectionem?

Assero, nullum tàm necessarium ministrum, cuius defectus non possit suppleri à Deo.

36. Basilius: *Misit illos binos. Per hac indicauit, quod si aliqui pares sunt in spiritualibus donis, hoc non sinis in eis praualere propria opinionis passionem.* Necessarius Ecclesię sum, me indiget messis operatore. Certè, me deficiente, tacente, obeunte, plures alij virtutis scientiæque præstantioris superstites. Pergunt illigati Paulus & Barnabas, hoc recedente ille sufficit ministerio. Marcus Petrum comitatur, Petrus aliò diuertit, quia sufficit Marcus solus, quia solus sufficit Petrus.

Basil.

Elias per turbinem ad superos volaturus, sic ad Elisæum: *Postula quod vis, & faciam tibi, antequàm tollar à te. Dixitque Elisæus: Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit: Rem difficilem postulasti. Attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti.* 4. Reg. 2. Vbi Rabi Salomon; *Quasi diceret: Quandiu sum tecum in statu communi, non possum istud facere; quod quando tollar hinc, tunc potero. Quod non est intelligendum effectiuè, quia solus Deus efficit vtramque gratiam.* Poterit quidem quando tollatur, quia vno socio egregio Dei ministro obeunte diem suum, socius alter eiusdem præstantiæ operatius exurgit. Si igitur *ierunt ambo pariter*, dùm viuerent, vno rapto spiritu duplici decorato, alter etiam duplicis superstes spiritûs. 37.

Elia recedente socio, Elisæus sufficit ministerio eodem donatus spiritu duplici. 4. Reg. 2. R. Salom.

Pergunt Petrus & Marcus ad salutis proximorum negotium. Tollatur à Domino, instar Eliæ, Petrus. Marcus similis admodum Apostolorum Principi ministerio sufficietur. Procopius in Marc. *Verè Petri filius fuit Marcus, ita illi mente & animo fuit similis. Natura enim ipsa, quæ propria sunt alicui generi, ea sic distribuit, vt ex ÿs quæ sunt eiusdem generis, communia sint, & egregias vniuscuiusque virtutes omnibus communes proponit.* 38.

Sublato Petro socius sufficit prædicationi Marcus. Procop.

An Marcus Petrum tria millia, quinque millia humanorum piscium vno & altero iactu lucrantem imitari valeret? Petrus quidem hominum piscator, Marcus autem ciuitates ad Christi sagenam adduxit. *Lybia regionem* (adhuc Procopius) *celeriter peragrauit. Vnde & ad Orientis terram profectus est, vbi Euangelÿ sementem spargens, illis Gentibus persuasit, vt Deum quem ipse prædicabat agnoscerent. Ad hæc & aliÿs Ægypti Vrbibus multorum hominum copiâ refertis, cùm cælestia retia tetendissent, omnes ciuitates illas prædicationibus ac miraculis in Christi sagenam comprehendit.* 39.

Si Petrus plures homines adducebat, Marcus plurimas ciuitates. Procop.

Petrus euersis idolorum Templis, Ecclesiam stabiliuit. *Marcus* (ait Procopius) *dæmonum simulacra exterminauit, & vt sanctus quidam lapis illiusmodi erroris altaria euertit, quæque in illis erant inania, & vana simulacra solo adæquauit.* Illam preme particulam: *Vt sanctus quidam lapis.* An excidens è monte, vt idololatriæ euertat statuam. Ita planè, quia lapis ille simul & statuæ euersio, & nouæ Ecclesiæ exædificationis fundamentum fuit. *Lapis autem* (Daniel ait) *qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Cap. 2. Sanctissime Petre, tuâ pace asseruero, te (per impossibile) Ecclesiæ fundamine deficiente, Marcum lapidem adfuturum, quo Ecclesiæ monti totam terram occupanti fundamina apponerentur. Quàm stultus, qui sese existimat Ecclesiæ simpliciter necessarium! magnum id prorsùs vel superbiæ vel inscitiæ documentum. 40.

Petro fundamine Ecclesia deficiente (dato hoc impossibili) non-ne Marcus socius sufficeret? Procop.

Dan. 2.

***

Observatio VII.

Ad illa verba:

Misit illos binos ante faciem suam.

Petrus & Marcus sub vno iugo terram proscindentes, non duo, sed vnus operator.

Vbi veram illam expono charitatem, quæ è duobus vnum scit constituere.

41. Maldon.

BINI ante faciem veri Agricolæ (vt Maldonatum imitemur) mittuntur Discipuli, & Apostoli, vt boum instar terram proscindant, disponántque ad sementem. Petrus & Marcus boum Ecclesiæ iugum. Hic se ad Ægyptum contulit; Petri exercens virtutem, primúsque deserta proscidit, Procopio fante: *Marcus Petri filius, & eius qui claues Regni cælorum accepit socius, mysteriorum nuncius, & arcanorum præco, Ægyptum illustrauit, & in illius regionis sacro throno primus sedit. Nec enim hoc ad laudationis & gloriæ materiam parum est, cùm difficilius sit tellurem spinosiorem factam, quam illam quæ purgata est, laboris studio excolere.*

Marcus proscidit Ægyptum.

42. *Proscindere vix Marcus incipit terram, & iam instat messis ex impigro labore.*

Profectò tàm impigro labore excoluit, vt non tàm videretur terræ incultæ proscissio, quàm indictio messis. *Misit* Dominus *binos* Discipulos *ante faciem suam*, & mox addidit: *Messis quidem multa.* Vix iam, ô Domine, boues præmisisti terram proscissuros, & messis iam aperis instantiam? Quid mirum, si Petrus & Marcus boues fortissimi immittuntur, quorum impigri laboris initium perfectio proculdubio est Amos, *Ecce dies veniunt, & comprehendet arator messorem.* Amos 9. Vbi pulchrè Lyranus, prænotari putat celerem Euangelij ministrorum operationem, dùm viuente Petro à Marco Basilica sub Petri nomine extruitur. *Et comprehendet arator messorem, quia prædicator statim attinget ad fidelium conuersionem, sicut patet Act. 2. Vbi ad prædicationem Petri conuersi tria millia, & postea quinque millia.* Aratoribus iuuencis Petro & Marco vix semine sparguntur, cùm albæ ad messem regiones ostentantur.

Amos 9. Lyran.

43. *Sedente Marco in Ecclesia Alexandrina, quasi sedet Petrus, ideo cathedra Petri vocitatur.* Damian.

Hinc vestigare licet Marci magnalia. *Quàm male inæquales veniunt ad aratra iuuenci!* Petrus & Marcus eodem sub iugo? Quàm Petrus Marcus! quàm Marcus Petrus! Vt huiusmodi similitudinem (identitatem-ne vocitaro, probem, variis vtar argumentis. In primis Alexandrinam Marcus fundauit Ecclesiam. Hinc colligit Petrus Dam. serm. 14. Marcum alterum esse Petrum. *Episcopus factus Alexandrinam fundauit Ecclesiam, eamque postquam super petram, quæ Christus est, insignis Architectus erexit, glorioso Magistri sui Petri nomine dedicauit. Vnde factum est, vt eadem Ecclesia non tam ex Marci quam ex Petri vocabulo Sedes Apostolica vocitetur, tanquam si Petrus ipse per se illic Episcopalem cathedram tenuisset.*

44. Alibi Doctor hanc luculentiùs voluit quæstionem, quonam modo Petri cathedra in Antiochia vocitatur, si nunquam Petrus, vt ipse autumat, inibi sedit? Et soluit; quia sedit Petrus Marcus alter. Do egregiam sententiam: *Per Marcum* (ait serm. 16.) *secunda Petri sedes, ac per hoc Apostolica sedes est à Patribus nuncupata. Nec enim vlla Scriptura testatur authentica Petrum in Alexandria cathedram tenuisse, vel suam saltem ibi exhibuisse præsentiam; sed dum Marcum illi præsidere constituit, eam sibi tanquam per accessus sui præsentiam dedicauit.* Addit perbellè: *Cur ergo Spiritus sanctus beatorum Pontificum mentibus, vt hoc statuerent, inspirauit, nisi quòd Petrum & Marcum, mente simul & animo, fide & voluntate, non duos quodammodo, sed vnum potius esse cognouit. Tantà scilicet idem spiritus eos inuicem charitate constrinxerat, tantà mentis vnanimitate conflauerat, vt & cor vnum, & mens esset vna duorum. Vnde factum est, vt quæ sedes fuit Marci, fieret indifferenter & Petri.*

Id ampliùs expenditur. Damian.

Deinde huiusmodi identitatem ex Discipulorum numero ostendo. Vidisti in Commentar. septuaginta duos fuisse Discipulos, septuaginta solùm aliis codicibus scribentibus. Eusebius componit lectiones, asserens septuaginta vocari Discipulos, quia ex septuaginta duobus Matthias factus est Apostolus. *Marcus autem, non Marcus iam, sed Cephas, siue Petrus est.* Pulchrè planè. 45.

Sic ostendiim Discipulos fuisse septuaginta. Euseb.

Abstinet denique Marcus, Euangelium scribens, à Petri elogiis, cùm ea, quæ taxabilia fuere, patenter enunciet. Matthæus asserit, Petrum super aquas ambulasse. *Descendens Petrus de nauicula ambulauit super aquam.* Cap. 14. Marcus autem omnia hæc describens, solummodò Petrum obliuioni inuoluit. Matthæus Petri commendat confessionem. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Cap. 16. Marcus velut negligendo transcurrit. Cæterùm quidquid ad reprehensionem videbatur attigisse, tenaci memoriæ commendauit. *Vade retrò me Sathana.* Cap. 8. *Cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem quem dicis.* Cap. 14. Quærit hinc Damianus serm. 15. *Cur à tot Magistri Petri laudibus calamum reprimis, & sola quæ infirmitatis sunt ad posterorum memoriam stylo committis?* Non-nè quia *laus ore in proprio vilescit?* Si Petrus sua præconia proferret, non-nè vanitatis documentum obiiceret? Abstinet igitur Marcus à Petri commendatione, quia cùm ipse sit quodammodo Petrus, seipsum extulisse videretur. At taxabilia congerit, quia Sanctis adnatum crimina propria taxanda recensere. *Sicut Petrus*, bellè adiicit, *à propria suâ se laude cohibuit.* Id est, quia Petrus alter, seu Petrus ipse, se quasi à propria cohibuit, modestiæ causâ, commendatione. 46.

Abstinet Marcus à laudibus Petri, quia laus propria in ore vilescit. Matt. 14. Matt. 16. Marc 8. Marc 14. Damian.

Quid de boum attexam fortitudine? Messium testor abundantiam. *Vbi apparent plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.* Prou. 14. Vbi Hugo Card. *Bouis, id est, Prælati excolentis Ecclesiam. Quasi diceret. Abundantia frugum probat diligentiam & fortitudinem boum* Abundantissima ægyptus frugibus Eucharistiæ. Marcus Discipulus ille, qui Domino circa Eucharistiæ mysterium disserente, profatus: *Durus est hic sermo.* Ioann. 6. si grauibus Doctoribus adhibenda fides. At Marcus, cui 47.

Ex Marci labore copiosa Eucharistia segetes. Prou. 14. Hugo.

sermo

sermo quondam durus, totam Ægyptum iam effecit Eucharistieis frugibus abundantem. Quàm manifesta hinc boum Petri ac Marci fortitudo? E præfatis edocemur, quam potenter charitas, è duobus vnicum constituat operarium.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Misit illos binos ante faciem suam.

Marci Euangelij scriptione elogia.

Vnde colligo, vtilium scriptorum authores commendabiles.

48. *Marcus scribens Euangeliũ vsque ad messem iudicij laborat.* Beda. Procop.

Tò *Ante faciem suam* Beda exponit. *Prædicatores enim suos Dominus sequitur,* vsque ad sæculi consummationem: messis enim iudicij instantia: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* An Diuis post mortem laborandum? Certè Marci impiger labor hinc etiam post mortem exponitur. Procopius, *Marcus Euangelium fecit, vt non prædicatione solùm; sed Euangelicâ etiam Scripturâ his, qui postea futuri erant, Verbi Dei hominis facti conditionem enuclearet.*

49. *Semper Marcus ex Euãgelio operãtur.* Damian.

Petrus Damianus serm. 15. *Dum ipse Scriptor, qui Prædicator extitit Euangelij, idem quodammodo faber, qui & agricola, ipse sibi vomerem fabricauit, quo videlicet ad spargenda sacra fidei semina, humani cordis arua proscidit.* An post Marci discessum vomer periit? Minimè planè. Imò nunquam non & agricolæ ex Marci nominis inscriptione, & vomeris munus obibit.

50. *Quotidie Solis instar in Euangelio exoritur.* Procop.

Procopius, *Magnum certè hoc, Marce, tuum fuit, & planè diuinum Opus. Nam vox tua supra tonitrus sonitum fuit, & Euangelij tui lumen* (attende) *supra Solis radios effulsit.* Sicut enim Sol quotidie exoritur, Marci labores, per Euangelij lectionem, quotidie exoriuntur. An non Solis *à summo cælo egressio, & occursus eiusdem vsque ad summum,* rursum ad Orientem recurrentis? Planetæ magni cursum Marcus Euangelij scriptor æmulatur. Damianus serm. 14. *Cum Marcus Alexandriam & splendoribus Euangelicæ prædicationis, & effusione sacrosancti sanguinis illustrasset, ad Italiam deinde quodam postliminio fuit reuersus. Vt eadem potissimum terra, in quâ datum sibi est Euangelium scribere, sacras mereretur eius reliquias possidere. Et vbi sibi concessum est Euangelicæ descriptionis iubar effundere, illic per gloriosæ glebæ suæ præsentiam plurimis radijs coruscaret.* Ac si in morem Solis ex Euangelij scriptione ad Orientem recurreret, vt iterum (vsque ad sæculi terminum) ad currendam viam, Mundumque illustrandum exultaret. Damian.

51. *Etiam post obitum scriptores viuũt, & illuminant.* Matth. 5. Damian.

Vos estis (Dominus Euangelicis ministris) *lux Mundi,* Matth. 5. Quæ quidem metaphora quatuor speciatim congruit Euangelistis, sacrisque Scriptoribus, qui, in morem Solis, nunquam non exoriuntur. Petrus Damianus citatus, *Si diligenter omnium Euangelistarum, in quibus defuncti sunt, loca percurrimus; neminem eorum; in eo, quem sortitus est, perseuerâsse tumulo reperimus. In Ioannis sepulturâ post obitum non corpus eius, sed manna repertum est. Matthæi corpore non Æthiopia, vbi peremptus agnoscitur, sed Salernitana potius ciuitas decoratur. Lucas cum in Bithiniæ partibus obierit, de Achaiâ Constantinopolim translatus est, cum sacrosanctis Andreæ reliquijs. Marcus verò de Alexandriâ transuectus est, Deo misericorditer disponente, Venetiam.* Quorsum hæc? Etiam post obitum viuit Euangelista? occumbit? exoritur? Solis in morem prosilit è tumulo? Quod in Marco Doctor ostendit, *Marcus de Alexandriâ transuectus est Venetiam, vt qui tunc totum Orientem, velut aureus Lucifer illustrauerat, nunc per plagas Occidui climatis præsentiæ suæ radijs enitescat. Per Ægyptum quippe sibi dedicat ortum, per Venetiam tenet occasum. Est itaque velut sydus aureum toto Orbe præclarum, ac celebri totius Ecclesiæ veneratione conspicuum.* Hæc sacri Scriptoris excellentia, nunquam non viuit, semper exurgit operarius, continuis Ecclesiæ profectibus cælestis fœlicitatis gloriam adauget. *Gentium cœtus mysteriorum authorem* (loquor cum Procopio) *celebrant, & magnificè, vt Christi scribam extollunt.* Pondera proximam particulam, *Vt Christi scribam.* Erat Marcus author Voluminis, quod solum Christum proferebat: vnde Scriptor commendabilis exponitur. Quàm vtilis Ecclesiæ huiusmodi scriptio! *Eiusque adijcit, diuini aduentus testem honorant. Cuncti enim eius doctrinam adiutricem senserunt.* Non laudas, non honoras doctrinam, è quâ ad crimina sumis illectamenta. Plaudis fortasse cæcus, dormiens; sed euigilans, perspicaci lumine, de seductione conquereris, ignique addicendum iudicas Volumen, cuius halitu lasciuiæ flammæ in te deseuiere.

52. *Commendabiles vtiles scriptores.* Procop.

SECTIO SECVNDA.

Operarij Euangelici.

TEXTVS.

VERS. 2. ET dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Rationem reddit Dominus, cur septuaginta duos Discipulos designârit?

1. *Multa messis multi operarij designantur.* August.

MEssis *quidem multa, operarij autem pauci.*] Quia multa erat messis Euangelica, duodecimque Apostoli pauci operarij, septuaginta duos Dominus adiecit Discipulos. Messem auditorum multitudinem vocitauit. An Iudæorum vel Gentium? Augustinus serm 42. de Sanct. asserit messem appellari Iudæos. *Quæ erat illa messis? Non messis in Gentibus erat, vbi nihil fuerat seminatum. Restat ergo vt intelligamus istam messem fuisse in populo Iudæorum. Ad illam messem venit Dominus messis, ad illam messem misit messores. Ad Gentes autem non messores, sed seminatores.*

Quænam messis?

2. *Ad Gentiles extendo.* Cyril.

Aptè tamen extendo ad Gentiles ab idololatriâ ad fidem pergentes, messis vocabulum. Cyrillus fauet lib.12. Thes. cap. 5. *Nec vllam rem aliam messem appellat, quam venientium hominum ab idololatria ad fidem Christi.* Aptè hi Gentiles messis appellatione designantur, factâ iam Samaritanæ fœminæ, ministerio seminatione. Præuidit & Dominus totius Orbis Gentiles Discipulorum ministerio Ecclesiasticum inducendos ad horreum.

§. II.

De paucis operarijs.

3. *Quonammodo operarij pauci?* Gregor.

OPerarij *autem pauci.*] Quonammodo operarij pauci dicuntur? An tunc existentes, vel temporis decursu prædicaturi? Gregorius homil.17. ex innumeris Sacerdotibus, ad excolendam Ecclesiæ hæreditatem aduocatis, paucos operarios asserit reperiri. *Ad messem multam operarij pauci sunt. Ecce Mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde inuenitur operator. Quia officium quidem Sacerdotale suscepimus, sed opus officij non implemus.* Morali rectè sensu. At literali pauci erant operarij, quia Apostolorum pusillus grex tantæ messi perficiendæ quonam modo operam posset impendere? Sermo ergo erat de tunc existentibus.

Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.] Quinam messis Dominus? Maldonatus asserit Christum, Patrem æternum messis Dominum appellare. Sicut alio in loco dixit: *Pater meus agricola est*, Ioan.15. Vineæ quoque Dominum non se, sed Patrem facit, Marc. 12. Se filium familias esse significat, qui pro Patre & sementem facit, & metit. 4.

De quonam Domino messis sermo. Maldon. Ioan. 15.

Probabilius cum Chrysostomo, Euthymio, & alijs existimo se ipsum messis Dominum appellasse. Postquam enim dixit: *Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*, subdidit: *Ite, ecce ego mitto vos.* Ego, inquam, Dominus messis, cuius rogati à vobis, munus est, in messem suam operarios emittere. 5.

Auctoris sententia. Euthym.

Cur autem vult rogari, vt operarios mittat messi salutares? Respondet Chrysostomus, *Vt ostenderet magnum Dei donum esse, operarios mitti in messem diuinam.* Vnde continuis est precibus à Deo efflagitandum. 6.

Cur vult rogari?

Rogate.] Ad quosnam autem sermo dirigitur? Ad Apostolos-ne aut Discipulos mittendos; an ad ipsos auditores Iudæos, & Gentiles messis nomine designatos? Putat ad auditores Gregorius profatus: *Vos fratres, pro nobis petite, vt digna vobis operari valeamus: ne ab exhortatione lingua torpeat.* Sæpè ob prædicatoris nequitiam lingua infrænatur. *Quare tu enarras iustitias meas?* Psalm.49. Sæpe ex vitio auditorum sermo subtrahitur. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo,* (inquit Deus) *& eris mutus; quia domus exasperans est. Rogate* igitur. Orando enim digni reddemini, ad quos ministri operarij mittantur. Aptè etiam Caietanus, *Datur præceptū prædicatoribus rogādi pro seipsis, vt faciat se ipsos operarios, & multiplicet.* Subscribo. 7.

Quinam rogare debent? Gregor. Psalm.49. Caietan.

In Marcum

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

Ex Euangelicis operarijs.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Messis quidem multa; operarij autem pauci.

Vnus Marcus operator multę suffi- cit messi: toti Ægypto pręficitur.

Non enim operariorum multiplicatio sæpè, sed laboris intensio segetum exponit abundantiam.

QVONAMMODO multa messis, si pauci operarij? Vndenam tanta seges fuit excitata? Quia pauci Apostoli, operatiorum est multitudo. Beda, *Messis multa omnis turba credentium est; operarij pauci Apostoli, & imitatores eorum qui mittuntur ad messem.* Operatores duodecim Apostoli toti Orbi terrarum sufficiunt. 8.

Beda.

Stans

9. *Vnus operarius Petrus messi copiosissima sufficit.* Act. 2. Amos 9. Lyran.

Stans(ait Lucas) *Petrus cum vndecim, eleuauit vocem ſuam, & loquutus eſt eis.* Porrò ſermonis vnici fructus trium millium animarum fuit conuerſio. *Qui ergo receperunt ſermonem eius baptizati ſunt: & appoſita ſunt in die illa animæ circiter tria millia,* Act. 2. Explicans Lyranus locum illum Amos 9. *Et comprehendet arator meſſorem*, ponderat vim Petri, eiúſque prædicationis efficaciam, dum ſimul cum ſeminatione, iam ſit effecta meſſis Dominica tanta hominum copia. *Ad prædicationem enim Petri conuerſi ſunt tria millia, & poſtea quinque millia.* Tantæ-ne meſſi vnicus ſufficit operarius?

10. *Vno loquente operario, omnes operibus vocalibus loquuntur etiã cum non concionantur.* Act. 2. Chryſoſt.

Profectò vno Euangelico operario loquẽte, ab omnibus concionatoribus operariis iuſtè viuentibus, adiuuatur. Preme τὸ *Stans Petrus cum vndecim.* Vnus Petrus loquitur; ſed cuncti Apoſtoli aſtantes modeſtiâ, ac fide conteſtabantur. Chryſoſtomus apud Strab. *Quid autem eſt Petrus ſtans cum reliquis vndecim? Communem vocem edebant, ac Petrus omnium erat os. Sed ſtabant vndecim illi comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur. Sola præſentiâ, modeſtiâ, ſilentio, patientiâ comprobant, loquuntur, communem vocem edunt.* Non ſolùm Euangelij miniſtri actu docentes debent modeſtiâ, ſilentio, patientiâ nitêre; ſed & non actu concioni operam dantes, tenentur perfectionem exponere, ne ex eorum nequitiâ doctrina Euangelica (ſine morum approbatione) inefficacior reddatur. Dum igitur omnes ſunt operarij, exemplo obiecto, vnus miniſter prædicans ſufficit geminum multitudini.

11. *Marcus ſolus toti Ægypto ſufficit.*

Operariis Diſcipulis vbique prædicantibus, Marcus ſolus toti Ægypto Euangeliſta ſufficit, quia plus operibus, quàm ſermonibus vtebatur. Teſtor Ægypti fruges ex Nili fluctibus exurgentes. An tanta germinatio ex fluminis impetuosè decurrentis ſonitu, obſurdeſcere facientes ſæpe incolas; an ex irrigationis beneficio? Certè rigatio, non ſonitus efficit agros fertilitate illuſtres. Marcum in Nilo contemplare. Procopius, *Tota Ægyptus Marcum ſortita, tanquam alterum Nilum myſticum habens, ita ſpirituales eorum agros irrigantem, quemadmodum frugiferos ille alter irrigare ſolitus eſt. Vt Euangeliſtam, vt Martyrem patientiæ magno præconio extollit.* Quaſi tantas ſegetes excitàrit non ſolùm quia Euangeliſta; ſed quia Martyrio patientiæ ac reliquarum virtutum gloria emicuit. Si vndecim Petri expreſſam doctrinam, *patientiâ* expoſitâ, comprobabant, vt aiebat Chryſoſtomus: Marcus Euangelium, ſeu prædicationem ſuam, Martyrio patientiæ expoſito, efficaciorem reddebat.

Procop.

12. *Marcus eſt quoddam ver floribus ſtipatum nouos fructus præſignantibus.* Procop.

Quid ſi Vir Apoſtolicus Marcus vt ver floribus ſtipatum, Eccleſiaſticam præ ſe ferat abundantiam? Gazæus ad hæc: *Simul cum vere ſuauiſſimo, huius ſancti Viri dies feſtus exortus eſt: & inſtar ſplendidiſſimi Solis, humanos animos illuſtrauit. Namque, vt nunc terra ipſa floribus ornata eſt, ita & præſens dies præclaris Marci factis decoratus, omnes ad ſe congregauit.* Profectò Marcus qui in Euangelij ſacerrimo volumine viuit, & operatur, floribus quotannis ſtipatus exoritur, fructuum proximorum abundantiam præſignantibus. Ediſce non ex multiplicatione miniſtrorum; ſed ex laboris intenſione meſſis vberrimæ horrea præparari.

Ant. de Eſcobar & Mend. Tom. IV.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Meſſis quidẽ multa, operarij autem pauci.

Marcus operarius magis ad meſſem mittitur, quàm ad ſementem gerendam.

Quia qui concionaturi ad oppida mittuntur, plerumque, Deo fauente, omnia reperiunt facilia, nulla non eis impedimenta cedunt.

CHRYSOST. excitat quæſtionem. *Qualiter meſſem vocat, cum res ad præſens exordiũ ſumatur? Nondum, facto aratro aut ſulcis productis, de meſſibus tractat.* Meſſis-ne Gentium arua nondũ parentia aratro proſcindẽti? Euãgelicarũ Miſſionũ hinc fulgurat gloria. Huiuſmodi miſſis omnia facilia, hyemi autũnus adhęret, magis ad metendum, quàm ſerendum proficiſcuntur. 13.

De Miſſionibus. Chryſoſt.

Confirmo ex eodem adiiciente Doctore, *Poterant Diſcipuli vacillare: Qualiter nos numerus* 14.
breuis, emendare poterimus Mundum, idiota Sophiſtas, munitos, nudi, dominãtes ſubditi? Ne igitur conſideratione taliũ turbarentur, vocat Euãgelium Meſſem. O Diſcipuli, *ecce mitto vos.* In miſſionibus omnia facilia, non laborandum vobis circa terram proſcindendã, ſementis diſperſionem, meſſis inſtat; & (vt vulgariter exponam) *No ay ſino llegar, y coger. Ac ſi diceret:* (pergit Doctor) *Parata ſunt omnia. Mitto vos ad paratam collectionem fructuum. Eodem die & ſerere poteſtis, & metere. Sicut ergo colonus exiens ad meſſes lætatur: ſic etiam vos multò ampliùs, & alacriùs neceſſarium eſt exire in Mundum. Nam hoc negotiũ meſſis eſt, agros nobis exhibens præparatos.* Teſtor vos, Ieſu Societatis alumnos binos, inſtar Diſcipulorũ, immiſſos ad opus Euãgelicũ. Nonne vobis omnia *parata?* Profectò *eodẽ die & ſerere* ſoletis *& metere.* Ruſticitatis-ne auditorũ obſtãt impedimẽta? Impœnitẽtis-ne cordis proteruia repugnat? Miſſionũ vi bruta ipſa quodammodo, ipſi quaſi dæmones diſciplinæ parẽt.

Omnia parata prædicatoribus Miſſioni incumbentibus, nil difficile. Chryſoſt.

Dominus mittendis profatur, *Euntes in Mũdum vniuerſum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ,* Marc. 16. Omni creaturæ? Brutis-ne, & inanimatis? Scio omnis creaturæ appellatione hominẽ ſolummodo intelligi, ex omnibus creaturis aliquid participantem, vt ex Gregor. & Beda tom. 2. dedimus. In præſenti ſequor Caiet. fatũ, *Prædicate Euangelium omni creaturæ, omnium ſcilicet hominum conditioni.* Ad ſunt homines brutali adhuc conditione induti, vt vix à brutis ſemoueri videantur? Vos Diſcipuli mei *euntes,* id eſt, miſſi, bruta ipſa ad humanitatem allicietis. 15.

Vel bruta eis ſubijciuntur. Marc 6. Gregor. Beda.

Mittuntur Diſcipuli ad oppida prædicatum: 16.
& vix agrum ineunt, cum manipulis ſtipati Magiſtro ſiſtuntur, fati: *Domine, etiam dæmonia ſubijciũtur nobis in nomine tuo,* Luc. 10. Vbi Caietan. *Emphaſis quædam nominis Ieſu ſignificatur.* In Miſſionibus etiam illa dæmonia ſubiiciuntur, de quibus dici poſſit: *Vos ex patre diabolo eſtis,* ſiue, *Vnus veſtrûm diabolus eſt.* Iam, ô ſocij, *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur.* Non vobis ſubiiciuntur; ſed miniſterio: non miſſo ſocio, ſed miſſionis muneri potentiſſimo.

Vel dæmones eis parent. Luc 10. Caietan.

17. *Vul Marco Itali Sophistæ se se subdidere, quia missi.* Procop.

Immissi Marci victoria fuit Italorum conuersio. Aut viris tunc animos brutos, aut versutiâ sophisticâ dæmones, ad humanitatem adduxit. *Italorum Gentem* (ait Procopius) *subiecisti*, ò Marce, *non sophisticâ argumentorum vi; sed simplici oratione, & veritate solâ vsus. Pythagoras ille cum falsas opiniones defenderet, & multas fabulas disputaret, Italis persuadere non potuit. Marcus ea proponens, quæ absunt ab hominis saltatione, illos ipsos, quos aduersarios habebat, ad sibi obediendum faciles reddidit.* Tanta est missioonum vis ad duros animos emolliendos. *Per ipsum igitur* (bellè concludit) *rebus creatis Deus prædicatus est.* Respicit illod: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quonam modo & brutis, & Dæmonibus prædicabimus? *Euntes. Pergite, ecce ego mitto vos.* Si mittimini, omnia parata sunt.

Observatio III.

Ad illa verba:

Operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Pluribus Deus muneribus donauit Ægyptios, vnum immittens Marcum operatorem.

Fateor præstans Dei beneficium, Præsule nos operario donari.

18. Chrysost.

Chrysostomus, *Insinuat, quòd magnum donum est, operarios mitti in messem diuinam, per hoc quod dicit, Dominum messis super hoc esse rogandum.* Continuis precibus profusis instandum, præstantissimo nos beneficio donari, scilicet Præsule operatore.

19. *Dominus exorandus, vt Spiritus operator immittatur ad vitam.* Ioan 4. D. Thom.

Samaritanæ fœminæ Dominus, *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere:* tu forsitan petijsses ab eo, *& dedisset tibi aquam viuam*, Ioan. 4. Vbi Doctor Angelicus, *Gratia Spiritus sancti rectè dicitur aqua viua. Quia ita ipsa gratia Spiritus sancti datur homini, quod tamen ipse gratiæ fons datur, scilicet ipse Spiritus sanctus. Et inde est, quòd si aliquis donum Spiritus sancti habeat, & non Spiritum, non continuatur suo principio, & ideo est mortua, & non viua.* Igitur munus fœminæ promissum est, eam accepturam esse Spiritum sanctum illa omnia operaturum ad vitam. *Hæc enim omnia* (adiicit D. Thomas) *operatur vnus Spiritus.* Profectò vt huiusmodi operarius in animi vitam immittatur, Dominus exorandus est. *Forsitan petijsses à me, & darem tibi aquam viuam*, siue Spiritum operatorem fidelium Magistrum. D. Thomas, *Quis est, qui dicit, scilicet, si scires eum, qui dare solum potest, qui sum ego.* Dei munus egregium Ecclesiæ alumnos operario Præsule, aut Concionatore donari.

20. *Marcus operator egregius.* Procop.

Quàm id Marco congruat, aperit Procopios, *Ægyptiorum regioni à diuino Spiritu assignatus Magister, qui munus in manum sibi commissum Apostolicis laboribus exornauit.* O quot Magistri in labiis munus, non excipiunt in manu, in operatione! *O diuinum Discipulum, qui terrarum Orbem lustrauit! O corpus tot, tantisque operibus non fatigatum! O salutaris prædicationis semper florentem, & immortalem potentiam!* Sic Gazæus exclamat.

21. *Quàm munificè donentur Ægyptij Marco viuo operante, & quàm magnificè Marco mortuo Venetia ornatur.* Iob 31. Damian.

Dono multiplicato Ægyptij à Domino ornantur, dum vnum Marcum Præsulem accepère. Vis nosse quàm Ægypto munus egregium Euangelista viuus. Exprimo quàm mortuus Venetiæ præcelsum cessit in donum. *Non adæquabitur* (Iob ait) *ei aurum, non commutabuntur pro eo vasa excelsa, non adæquabitur ei aurum.* Cap. 31. Ad quæ Damianus, *Tu fœlix es, & nimium beata Venetia, quam, ad hoc vt pretiosum corporis sui thesaurum tibi commendaret, elegit. Plurima quidem diuitiarum copia ex diuersis in te Mundi partibus confluit; sed hæc gemma cælestis, quæ in medio tui posita est, in excelsum te gloriæ conspicuæ dignitatis attollit. Incomparabilis enim iste thesaurus omnia vibrantium metallorum supergreditur genera. Sicut enim beatus Iob de Sapientiâ dicit: Non adæquabitur ei aurum, &c. Gaude igitur, & exultans in Domino, plaude Venetia; quia per illud pretiosi thesauri talentum, quod in te constat esse reconditum, facta es Superni Regis ærarium.* Tam egregio munere Venetia donatur ex Marci cadauere? Quam ineffabili dono Alexandria afficitur, Præsule viuente, operario messi operam dante!

Observatio IV.

Ad illa verba:

Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios.

Marcus operibus magis, quàm verbis, pro semine vsus.

Vt edoceat Euangelij ministros, profusis virtutibus prædicare.

22. Gregor.

Vlcarem D. Gregorij pondero sententiam. *Ecce mundus Sacerdotibus plenus est; sed tamen in messe Dei rarus valde inuenitur operator.* Quàm multi dicentes, quàm pauci operantes!

23. *Marcus operibus pro semine vsus.* Procop.

Porrò Marcus magis operibus, quàm verbis, pro semine vsus est. Procopius, *Ab extremis terræ partibus, vsque ad extremas Mundi partes perrexit, vt rerum omnium Opificis Euangelium prædicaret, variáque rectè factorum semina spargeret.* Et adiicit, *Orbem terrarum illustrauit, erroris impietatem extinxit, & eos, qui idolorum victimis, atque cruoribus contaminati erant, abstersit, atque purgauit, Deóque ipsi per Baptismum purgatos obtulit. Pro scuto enim, & hastâ linguam habebat.* Quàm operatrix lingua, quæ instar hastæ & scuti, in direptionem hostium, Ecclesięque protectionem exerebatur!

Rogan

24. *Christus cæcorū & claudorum curatione concionabatur.* Math.6. Albert.

Rogantibus Ioannis Discipulis, num Messias Christus? ipse profatur, *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur*, Matth.6. Vbi Magnus Albertus, *Per duos sensus disciplinales instructi, sufficienter fuerant certificati.* Nec enim Iesus solis verbis pulsabat auditum, sed & visum gestis egregiis complebat, actionibus quidem æquè, ac verbis, disciplinalibus. Opera enim efficax disciplina.

25. *Visus Doctor efficacior, quā auditus.* Bernard.

Bernardus serm. de D. Benedict. *Sermo viuus, & efficax exemplum operis est plurimum faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile, quod suadetur. Quæ audistis, & vidistis.* Num Doctor ex auditione sermonis sui efficacior, an ex operum visione? Respondeo ex Seneca: *Eum elige Doctorem, quem magis admireris, cùm videris, quam cum audieris.* Chrysostomus contestatur, *Doce me, vita tuâ: hæc doctrina optima est.* Et Basilius, *Habeat vita tua claram vocem, quæ ista doceat.*

Senec. Chrysost. Basil.

26. *Operibus vtens, cum imperio arguit.* Tit.2. Anselm.

Ad Titum Paulus, *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Cap.2. An illa particula, *cum omni imperio*, prædicatoris innuat arrogantiam? Minimè, sed efficaciam operationis. Anselmus, *Imperij nomine non dominationem potentiæ; sed authoritatem suadet vitæ: cum imperio quippe docetur, quod priùs agitur, quàm dicatur.*

27. *Exēplo grex vtiliter pascitur.* Bernard.

Pastor bonus pascit *inter lilia*, dum puritate reficit gregem, castimonia impinguat. Vnde Bernardus sermone 76. in Cantic. *Boni, sollicitique Pastores impinguare pecus non cessant bonis, lætisque exemplis, & suis magis, quam alienis. Et ego si vobis apposuero Mosis mansuetudinem immitis ipse, & impatiens, sermo minus sapidè eueniet, & vos minus auidè capietis.*

28. *Odorem Dei manifestat operarius.* 1.Cor.2. Caietan.

Ad hæc Paulus, *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*, 2. Corinth. 2. Boni prædicatores non solùm verbis tradunt Dei notitiam, sed & notitiæ odorem operibus expressis. Apposite Caietanus, *Inter bonos & malos Euangelij prædicatores hoc interest, quòd mali notitiam Dei tantùm tradunt; boni autem manifestant etiam notitiæ diuinæ odorem, hoc est suauitatem, appetibilitatem, delectabilitatem: suauitas enim diuinæ notitiæ consistit in operibus conformibus notitiæ.*

29. *Christus ideo vocat ad campum.* Cant.2. Bernard.

Ideo Sponsus, *Ego*, inquit, *flos campi*, Cant.2. Quod premens Bernardus sermone 47. ait: *Illâ monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat. neque putat quidquam persuasibilius fore illi ad ineundum certamen, quàm si seipsum certantis aut exemplum proponat, aut præmium.* Sic Doctor non solùm vocibus auditum, sed & visum operibus instruit: *Renunciate Ioanni quæ vidistis & audistis.*

30. *Marcus prædicat efficaciter cæcis videntibus, claudis ambulantibus.*

Tu es, o Marce, qui venturus operator egregius; an alium Ægyptus expectabat? *Cæci vident, claudi ambulant.* Operibus magis, quàm verbis prædicauit Procopius; *Qui pedibus antea mutilatus erat, integer postea factus, magister is proponebatur, qui ad currendum veloces erant. Qui oculorum lumine carebat, pupillarum deinde aciem habens acutissimam, alios ad cognitionis lumen, tanquam manu protensa, deducebat.* Igitur Domini, Magistri optimi imitator potest Marcus profari: *Euntes renunciate, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant.*

31. *Marci verba vtilitas operum.* Psalm.18.

Dauid appositè, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*, Psalm.18. Vbi Procopius legit: *Sermonum vtilitas*, pro *verba eorum.* Et quid vtilitas sermonis, nisi opera, quæ sermonem reddunt efficacem? Magis certe res, quàm verba nostrum commendant operarium. *Decet* (inquit Gazæus) *de Marco illud dicere: In omnem terram exiuit sonus eius, & in fines Orbis terræ verborum eius vtilitas. Hæc vox sola tibi iure, Marce, conuenit. Hæc sola vox supra omnes alias Rethoricæ facultatis voces tibi congruens est: Vtilitas sermonum. Nam & cursum tuum, & certamina, hæc ipsa exprimit.* Sermo igitur vtilis ille, qui magis operibus, quàm verbis profertur. Si rebus, si operibus, si certaminibus, si miraculis, vsus pro verbis Marcus, quidni exuberent segetes?

Procop.

SECTIO TERTIA.

Euangelici Operarij descriptio.

TEXTVS.

VERS.3. ITE, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. 5. In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui. 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem ad vos reuertetur. 7. In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede suâ. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis. 9. Et curate infirmos, qui in illâ sunt: & dicite illis: Appropinquauit in vos Regnum Dei.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Diſcipuli agni emittuntur ad lupos?

1. *Vim verbis addit.* Imperf. Chryſoſt. ITa, *ecce ego mitto vos.* Et vim verbis, & Diſcipulis animum addit, vti Imperfect. Author adnotauit. Chryſoſtomus, *Quia inter omnia pericula eorum ſolatium erat virtus mittentis.* Ego vos immitto, qui & poſſum à cunctis ingruentibus periculis liberare. Sic Abſalon ſeruis præcipiens, vt fratrem Ammon confoderent, *Percutite*, ait, *eum & interficite. Ego enim ſum, qui præcipio vobis*, 2. Regum 13. (2. Reg. 13.) Siue qui vt Regis filius charior, vos facilè defendam.

2. *Lupi hæretici, ac quicumque Tyranni, Eccleſiæ perſecutores.* *Sicut agnos inter lupos.*] Idem Apoſtolis, *Sicut oues in medio luporum.* Quid Apoſtolos, & Diſcipulos, vti oues inter, aut in medio luporum immitti? Non dubium, quin oues & agni pauci, lupi multi. At puſillus grex inter luporum exercitum conſtitutus, quid nouerit, niſi pauore concuti? Nolitè timere, a lupis innumeris vos poteſtas Paſtoris mittentis proteget, eripiet. Quinam lupi? (Beda. Ambroſ.) Beda, *Scribæ, & Phariſæi.* Ambroſius, *Hæretici.* Cunctos Eccleſiæ hoſtes lupos eſſe quis dubitet? Profectò ſi, authore Ambroſio, Scribæ Phariſæi, hæreticíque lupi vocantur, *quia volebant deuorare Christi Diſcipulos*: eadem ratione quicumque Tyranni, hoſtes, Dominicum gregem inuadunt, luporum notabuntur appellatione.

3. *Hæretici lupi deſcripti.* Ambroſ. Operæpretium duxi (vt agnoſcentes, ouiculæ, agniculi, fugiatis, ſeu caueatis) vobis horribilis lupi hæretici obiicere deſcriptionem ex Ambroſio profante, *Lupi hæretici, qui more luporum Christi ſtabula intrare non audent, & ideo non ſanantur, ſicut ſanatus eſt ille in ſtabulo, qui incidit in latrones: ſed circa caulas nocturno tempore fremunt, ſemper enim perfidis nox eſt. Explorant ſomnum canum, paſtoris abſentiam, aut deſidiam; præſentibus enim paſtoribus oues Christi incurſare non poſſunt. Ouium guttur inuadunt, vt citò ſtrangulent. Feri, rapaces, naturâ rigidiore; non enim à ſuo errore deflectunt. Si priùs hominem vident, vocem eripiunt, verſutâ ſcilicet diſputatione præuenientes, faciunt obmuteſcere. Quod non accidit, ſi prius deprehenduntur impietatis eorum commenta.*

4. *Regiminis manſuetudo indicitur.* Gregor. *Sicut agnos.*[Regiminis manſuetudinem Diſcipulos edocet vt Gregorius exponit, Paſt. *Multi cum regiminis iura ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos inardeſcunt, terrorem poteſtati exhibent. Diſcipuli vt agni inter lupos mittuntur, vt ſenſum ſeruantes innocentiæ, morſum malitiæ non habeant. Qui ſubditum ferus, quaſi inſequendo caſtigat, intus paternâ pietate diligat.*

§. II.

De ſacculi, peræ, calceamenti, ac ſalutationis prohibitione.

NOlite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.] In cuius expoſitionem præmitto Diſcipulos Domini calceatos inceſſiſſe, ſandaliis ſcilicet, vt patet Marc. 6. (An ... bita Lyran.) Quare igitur calceamenta prohibentur? Lyran. *Sandalia non propriè computantur inter calceamenta, quod ſunt aperta ſuperiùs, & inferiùs clauſa.* non diſplicet ſolutio. Sed facilius, opinor non prohiberi calceamenta (quæ quidem eodem vocabulo ac ſandalia ſignantur; ſandalia enim, quibus vtebatur & Chriſtus, calceamenta aptè nuncupantur iuxtà illud: *Non ſum dignus eius corrigiam calceamenti ſoluere.* ſed prohiberi calceamentum duplex, vnum pedibus, alterum perà allatum.

Totum iam locum expendo. *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta*: 6. *Sacculus pera, & calceamenta prohibentur* Euthym. Sacculum, quo pecunia geſtetur; peram, qua cibaria reponantur; calceamenta ad vſum futurum repoſita. Sandalia afferentur; Ab iis, quibus ſpiritualia impenderis, metetis temporalia. Euthymius, *Quoniam alendi eſtis ab iis, quos docetis: quid vobis ſacculo opus, vel pera, vel calceamentis?* Verbum *portare* meam firmat expoſitionem. Nam calceamenta prohibentur, quæ portantur, ſicut pera, aut ſacculus, non quæ pedibus geſtantur. Sacculi autem & peræ differentiam ſic Doctor expendit: *Per ſacculum ſignificatur repoſitorium pecuniarum, id eſt, marſupium, per peram vero cibariorum repoſitorium.*

Neminem per viam ſalutaueritis Excitat 7. *Cur ſalutatio prohibetur.* Lyran. Ambroſius quæſtionem, *Quomodo Dominus hunc vſum humanitatis auellit* Et reſpondet Lyranus, *Neminem ſaluum dixeritis in hac vita eſſe, in qua quilibet eſt incertus de ſalute ſua: niſi ſuper hoc certificatus fuerit reuelatione diuinâ.* Myſtica non literalis expoſitio. Sequor commune Doctorum placitum non prohiberi Diſcipulis humanitatis officia; ſed commiſſi muneris diſtractionem. Ambroſius ſic ſuam ſoluit quæſtionem. *Non hoc eſt ſolum: Neminem ſalutaueritis, ſed non fruſtra additum, vbi in viâ. Non hìc ſalutationis officium, ac ſedulitas aufertur. ſed obſtaculum impedienda deuotionis aboletur. Vt quando diuina mandantur, paulìſper ſequeſtrentur humana.* (Ambroſ.) Id quod Eliſæi puerum mittentis, & ne quem in viâ ſalutaret, prohibentis, exemplo confirmat. *Feſtinatò enim iubebat ad eum contendere, vt celebrandæ reſurrectionis exequeretur officium. Ne confabulatione alicuius obuii, mandato reflecteretur à munere.* Idem Euthymius, & alij plures.

***

§. III.

§. III.

De Pace Apostolicâ.

8. *Cur imprecantur pace.* IN *quamcumque domum intraueritis, & receperint vos, primum dicite : Pax huic domui.*] Visitata Hebræis salutatio : *Pax tecum*, vt ait *Hieron.* Hieronymus. Cur imprecantur pacem ? An vt pacificus Euangeliei ministri innuatur aduentus An vt his, quos salutant, omnia bona precari Discipuli videantur ? Omnia verè. Sequor *Caietan.* tamen Caietani expositionem. *Pax huic domui. Imprecatiua salutatio omnis boni sub vno nomine pacis. Pax enim fert secum omne bonum, quoniam fert tranquillitatem animorum secum, etiam deficientibus rebus.*

9. *Cur domui pax? Titus.* Quare autem domui & non potiùs incolis, aut domesticis pax dicitur ? Titus Bostr respondet, *Non domui, sed habitantibus in domo vult dici.* Methonymia est, vt omnibus maioribus pariter, ac minoribus pacem imprecarentur.

10. *Quid, pacem ad Discipulos reuerti?* *Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos reuertetur.*] Si ibi fuerit hospes pacis amator vel pace dignus, veniet pax vestra super eum, euenient ei bona hæc pacis nomine designata. Si autem non adfuerit filius pacis amator, siue omnibus hisce bonis dignus, *reuertetur ad vos*, id est, vel vobis eueniet, quod illis fueratis imprecati *Psalm. 34.* iuxta illud ? *Oratio mea in sinum meum conuertetur*, Psalm. 34. Remigio approbante : *Mihi* *Remig.* *eueniet, quod inimicis precatus sum.* Vel (eodem authore) *quæ precati fueratis, non euenient illis pace non dignis.*

11. *Authoris expositio. Isa. 55.* *Ad vos reuertetur pax vestra.* Non quidem vacua. *Verbum meum non reuertetur ad me vacuum*, Isai. 55. Quia eadem mercede cælitus munerabor ac si pacis, me precante, bona hospites recepissent. Hanc amplector expositionem, *Caietan.* quam ex Caietano confirmo. *Si non fuerit dignus pace, siue in quo possit quiescere pax vestra, pax vestra ad vos reuertetur, quoad meritum. Hoc est, non perdidistis meritum salutationis, quamuis non acquisieritis fructum in salutatis.*

Hinc Euangelici ministri nullum, aut paruum fructum ex prædicatione colligentes roborantur. Agricolæ est serere; Domino profectus adscribendus est.

---

§. IV.

De alijs documentis.

12. IN *eadem autem domo manete.*] Id præcipit, ne inconstantes, & leues esse videantur, ex Chrysostomo, & Beda. Ne viderentur delicati, qui in iis, quæ apponerentur primo in hospitio, non contenti meliora quæritarent, ex Euthymio, & Theophylacto. Ne priorem hospitem offenderent, quasi parum dignum, ex Chrysostomo. *Cur in eadem domo sit manendum? Chrysost. & alij.*

Ego autem etiam præceptum eis id esse dixerim, vt hospitem obligarent Discipuli ad persoluendum debitum. Pace donatus est hospes Discipulo ingrediente : sumptus igitur debitos impendat. Sic Gregorius, *Si pax vestra recipitur, dignum est, vt ab eis terrena stipendia consequamini.* Ne hospitium relinquentes, hospes ingratitudinis valeat incusari : vósque (adiicio) e domo in domum transeuntes hospitalitatis curam grauiorem reddatis. 13. *Authoris sententia.* *Gregor.*

Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt, (dignus est enim mercenarius mercede suâ) nolite transire de domo in domum.] *Ecce* (ait Gregorius) *quibus peram & sacculum portare prohibuit; sumptus & alimenta ex eadem prædicatione concedit. Edentes*, inquit, *& bibentes quæ apud illos sunt. Per quod* (Caietanus) *vetat illos inquirere hoc vel illud : sed contenti sint ijs, quæ illis efferuntur.* Nec cum rubore, quæ apposita fuerint, absumatis, *Dignus est enim operarius mercede suâ.* Exigua autem merces cibo & potu redonari. *Duæ* (Gregorius fatur) *nostro operi mercedes debentur, vna in viâ, quæ nos in labore sustentat : alia in patriâ, quæ nos in resurrectione remunerat.* An prædicationis finis edere ? Gregorius occurrit, *Verus quisque prædicator non ideo prædicare debet, vt edat, & bibat; sed ideo edit, & bibit, vt prædicare valeat.* Igitur requirentes cibum & potum nolite de domo in domum transire. 14. *Sumptus ex prædicatione. Gregor. Caiet. Gregor.*

Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, &c. Et curate infirmos, qui in illâ sunt.] Cur infirmorum imperatur curatio ? Caietanus, *In testimonium Euangelij.* Ex curâ erga ægrotantes primùm exposita Euangelij suauitas innotescat, ministrorum charitas exponatur, vt faciliùs auditores ad verbum alliciantur. 15. *Curatio infirmorum. Caiet.*

Et dicite illis : Appropinquauit in vos Regnum Dei.] Prædicationis en materiam! Exilio addicta ex Protoplastorum lapsu, & maculis ex illo fonte profluentibus misera propago, iam Redemptor aduenit, vos à captiuitate in Regnum cæleste translaturus. 16. *Prædicationis materia.*

Caietanus, *Appropinquauit Regnum Dei per aduentum Iesu, quod ab initio Mundi vsque modò distans fuit.* *Caiet.*
sic Cardinalis.

* * *

In Marcum

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS circa literam.

Ex Euangelici operary descriptione.

Observatio I.

Ad illa verba:

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.

Marcus ad prædicandum immissus, inter ipsa mundialium illecebrarum venena securus.

Vbi pondero, quàm securus degit inter peccatores qui Missionum incumbit ministerio.

17. *In Missionibus securitas, Strab.* CVR illa Discipulis prohibentur? Strabus: *Vtrumque* (pera scilicet & calceamenta) *de corio mortui animalis fit. Nihil mortale vult esse in illis quos ad prædicandum mittit, ne mortis timore retardentur ab iniuncto opere.* Qui iustè in cellulà constitutus, times hostes, difficultates, tribulationes, exitium perhorrescis, dùm mitteris ad prædicationis munus, nihil est quòd timere debeas, Domino promittente securitatem.

18. *Moyses immittendus ad prædicandum non indiget calceamentis, quia mordendus non est.* Exod. 3. Ambros. Accedenti Moysi ad rubum Dominus; *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. Aculeis vulnerabor. Non timeas, dùm ad prædicationis officiū iam electus immitteris Ambros. eleganter lib. 7. in Luc. *Ad Moysem dicit: Solue calceamentum de pedibus tuis. Mortale igitur calceamentum iubetur soluere, cum mitteretur ad populum liberandum. Huius enim minister muneris timere nihil debet, nec à suscepto officio mortis periculo retardari. Nolite* igitur *portare calceamenta*, siue mortis spiritualis, & temporariæ timorem excutite.

19. *Time hærens Altari, non timeas missus ad impudicos peccatores.* Exod. 12. Ambros. Obiicis, in Ægypto Hebræos calceatos iuberi agni interesse conuiuio. *Calceamenta habebitis.* Exod. 12. Cur ergo ad Ægyptum serpentibus redundantem, sine calceamentis Discipuli immittuntur? Certè vel Eucharisticæ hærens mensæ regularis timere debet ne lædatur à viperâ. At qui ex instituto prædicator immittitur, ab omnis timoris occasione, redundantibus serpentibus, liberatur. Ambrosius bellè. *Qua ratione in Ægyptū calceati iubentur edere agnum, Apostolis autem sine calceamentis ad prædicandum Euangelium diriguntur? Qui in typo Pascha celebrat, patere potest vulneri; qui autem minister est veritatis, euitat, venena non trepidat.* An concionator securus degit, dùm per oppida missus cursitat, dùm inter peccatores, inter impudicos commoratur? quàm dùm cellulæ recluditur, quàm dùm hæret altari? O quàm liberi fratres à veneno, qui missi ad oppida omne studium rectè exequendo muneri impendimus!

20. Non-ne inter illecebrarum mundialium mortes ad prædicandum missi, Dei instar, *quem Diuinitas extra illum posuit*; Seneca admirante, sarti tectique versantur. Apud Melitam insulam Paulus concionatur, à viperà inuaditur, à quà cùm illæsus remaneret, ab incolis est Diuus adiectus. Ambrosius citat. *Momordit Paulum vipera, & videntes pendentem de manu eius viperam, loci illius incolæ putabant eum esse moriturum: sed vbi inoffensum stare viderunt, Deum esse dicebant, cui venenum nocere non poterat.* Quando non à viperà liber, qui concionandi per compita, per oppida muneri incumbit? Quando non quodammodo Diuus missionarius, qui nullo fragilitatis periculo terretur, nullis inuisibilis hostis pauescat insidiis. Ambros.

21. *Marci perì ulæ securitas.* O Marci inter hostes teterrimos securitas. An timet tonitru æthera quatiens? Po[illegible] cuncta vocis impetu efficit perhorrescere. Sp[illegible]tus-ne carnis tentatur illecebris? Haud carnis aculeis timet vulnerari. Marcus tonitrui & spiritûs meritò appellatione decoratur. Amos: *Ecce ego firmans tonitru, & creans spiritum, & nuncians in homines Christum ipsum.* Cap. 3. Amos 3. Ac si diceret. Dùm Marci ex ore Christum annuncio hominibus, ipsum concionatorem, & tonitru, & spiritus in morem faciam mi[illegible]mè perterreri. Procopius: *Ab extremis Mundi partibus vsque ad extremas Mundi partes Marcus perrexit, vt rerum omnium Opificis Dei Euangelium prædicaret. Vnde eum à quo formatus est, velut tonitru & spiritus sequi illæsus fluaust.* Vt sci[illegible]cet Dei Conditoris imago veneni[illegible]non pateret incursibus.

Observatio II.

Ad illa verba:

Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Marcus inter lupos Agnus à Domino immissus.

Vbi assero, idem periculum pastori agnóque imminere: Missis oblatam esse à Domino securitatem: Societatis bona vi improbos fieri iustos: Ex gradúque submissiori posse te cum Magistris add[illegible]i.

22. O Quantam Discipuli formidinem conci pere potuerant, audientes se instar agnorum ad

rum ad lupos emitti. Attamen non leo tàm indomitæ, ac pingitur, feritatis & immanitatis. Id quod ex Marci elogiis sequentibus punctis enodarum.

Capvt I.

Marci in custodiendo grege vigilantia.

23. *Idem periculum imminet Pastori, & Agno.* Strab.

LVPVS *ouile circuinit nocte*(loquor cum Strabo) *canis somnium, pastoris absentiam, vel desidiam explorans.* An non pastor, hic agnus? Ita planè. Imò hinc innuitur causam agi pastoris, cùm causa agni geritur, & pastore & agno simul periclitante. Perit agnus? Pereat pastor necessum est, si bonus Pastor.

24. *Attendat ergo sibi Pastor simul & gregi, quia pariter perire necesse.* Ioann. 20. Bernard.

Petro Dominus: *Petre amas me.* Ioann. 20. Quam rursus & iterùm sententiam repetiuit. Quare? *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* An, ô Petre, Pastor Ecclesiæ, paratus es sicuti agnus à lupis absumi? Existima eandem pastoris ac gregis conditionem. Fugiat somnus ab oculis, tibi, ac agnis attende, communiter imminente calamitate. Bernardus serm. 76. in Cant. *Non otiosè toties repetitum est: Petre, amas me? in commissione ouium. Ac si illi dixisset Iesus: Nisi testimonium tibi perhibente conscientiâ tuâ, quod me valdè ac perfectè ames, hoc est, plusquàm tua, plusquam te, nequaquam suscipias curam hanc. Propterea attendite vobis, quicumque opus ministerij huius sortiti estis; attendite, inquam, vobis.* Tàm enim vos lupi obiecti estis direptioni, quàm agni vobis in custodiam commissi.

25. *Pastor ab Ecclesia petitur sub Agni appellatione, vt sibi attendat à lupo tentanda.* Isai. 16. Lyran.

Hinc Isaiæ mens innotescit, fantis: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Cap. 16. Glossa Moralis: *Cùm dicitur, Emitte Agnum, vox est Ecclesiæ viduatæ, Deum deprecantis pro bono Pastore.* Cur igitur non dixit: *Emitte Pastorem, Domine?* An quia Pastor debet mansuetudine decorari? An quia non alius à grege custodiendo, ne superbiat, dùm se diuersæ speciei, altiorisque naturæ arbitratur? An quia aptus miserationi, qui eidem subiacet infirmitati? Certè Pastor Agni sub nomine petitur, vt intelligat tàm se patere luporum incursibus, quàm agnos custodiendos.

26. *Pastor ouiculam quærit, quasi seipsum errantem requireret.* Luc. 15. Hugo.

Pastor ille, cuius vna ouicola periit, dimissis nonaginta nouem, pergit quæsiturus erroneam. *Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos.* Luc. 15. Hugo Cardin. *Quia peccata nostra ipse portauit.* O bone Pastor, cur ob vnam ouiculam totum gregem lupo excurrenti derelinquis? Visus profectò sibi se absumptum à lupo, dùm vnica ouis absumebatur. Vnde quasi erro, ipse dimittit oues. Ac si diceret. Etiam ipse sum à lupo laceratus. Ambrosius apud D. Thom. *Ecce ego mitto vos Pastores, sicut Agnos inter lupos. Contraria sunt sibi ista animalia, vt alia ab alijs deuorentur, id est, agni à lupis: sed bonus Pastor lupos gregi suo timere non nouit.* Dixit Pastores agnos esse, posteà addit, bonum Pastorem gregi suo lupos non timere. An non deberet dicere: *Bonus Pastor sibi ipsi lupum timere non nouit?* Profectò idem est, Pastorem timere lupum gregi,

Ambros. l.

ac timere sibi, quia Pastor & grex eadem sunt sorte coniuncti.

Custos gregis ac sui ipsius iogiter Marcus egregius. Isaias: *Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus.* Præmiserat Propheta: *Clamauit leo.* Cap. 21. Quinam leo clamans, nisi Marcus per leonem ab Ezechiele designatus? Leo igitur Euangelista apertis semper oculis custodiæ gregis incumbit. At ne se alienum à periculo ouium existimare videretur. Addit: *Et super custodiam meam ego sum.* Quasi leo fortissimus naturam agni indueret, vt non minùs propriæ custodiæ, quàm ouium agnorúmque studeret. Dionysius Carthus. in D. Marc. *Marcus designatus est per leonem, qui factis dixit; Super speculam, &c. Vigilantissimum habuit respectum circa gregem Dominicum; sed quia non debet aliorum saluti ita incumbere, vt negligat saluti propria promdere, in personâ Marci subditur: Super custodiam meam ego sum stans.* Consequenter enim sui gerit curam, qui de grege sollicitus obiicitur, si Pastor grex est.

27. *Se Marcus & gregem custodiuit.* Isai 21.

Carthus.

Capvt II.

Marcus Agnus à lupo absumendus, immissus in luporum agmine, etiam dilaceratus non timuit.

28. *Missis Iesus offert securitatem.* Chrys.

CHrysostomus: *Hoc sufficit ad consolationem vestram, hoc sufficit ad sperandum, & non timendum superuenientia mala, quæ significat, subdens; Sicut agnos inter lupos. Hoc,* inquam, *sufficit, quòd ego mitto vos.* Mitto vos Pastores, vt à lupis, agnorum instar, diripiamini; sed non timeatis, quia ego immitto.

29. *Agnus Præsul non timeat etiam dilaceratus, si à Deo mittitur.* Isai. 16. Lyran.

Rursum Propheticam expendo sententiam: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Isai. 16. Vbi Lyranus: *Hic consequenter redditur ratio cuiusdam dicti in capite præcedenti. Dixerat enim Isaias: Cor meum ad Moab clamauit; scilicet per compassionem. Et ideò hic reddit huius compassionis causam, scilicet propter Christum, quem Propheta videbat nasciturum de populo Moab per Ruth Moabitidem, quam acceperat Booz in vxorem, ex quâ genuit Obeth, & Obeth Iesse, siue Isai, qui fuit pater Dauid, de quo Christus.* Compassionis igitur Propheticæ causa erat, quia Christus venturus erat Præsul Agnus à lupis dilacerandus. *Tanquam Agnus coram tondente se obmutescet.* Et vndenam victor aduersus cunctos hostes euadet: *Emitte Agnum, Domine.* Missus vtique etiam dilacerandus, comminuendus, ab omni formidine liberabitur. *Ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*

30. *Missus à Deo Marcus, etiam mactatus agnus, viuus, & triumphans.* Procop.

Quàm intrepidè Præsul Agnus Marcus luporum subiit horrores! Procopius: *Totus Marcus laboribus Apostolicis sanctus, totus Martyrij stigmatibus ita ornatus fuit, vt & Martyrij præmijs & brauijs omnibus nunc fruatur. Qui enim antea sacrificium offerebat, is propter Christum etiam sacrificium factus est, & Pastor, ea quæ ouium propria sunt, vnà cum ouibus suscepit. Nam & ipse, tanquam ouis, in medio luporum*

porum missus, & hostia viuens Deo oblata est. Pende illod: *Hostia Deo viuens.* Quàm apud mortem viuus, qui *missus in medio luporum. Ite* igitur intrepidè, *ego mitto vos.*

Capvt III.

Marcus socium sese dans hostibus Ecclesiæ lupis, eos vertit in agnos.

Lvpi immissis ad illos agnis, societatis bo-
31. næ beneficio in agnos commutantur. Chrysostomus: *Hoc fuit manifestum indicium præclari triumphi, vt circundati essent Discipuli Christi ab hostibus, quasi Agni inter lupos, eos tamen conuerterent.* Quàm bonum cùm fermentum, quod non corrumpit massam, sed à corruptione liberat!

Lupi mutantur in agnos societatis bonæ vi. Chrysost.

Profatur Ambrosius: *Mittit agnos inter lu-*
32. *pos, vt compleretur illud: Tunc lupi & agni simul pascentur.* Isai. 66. An quia lupi agnos deuorabunt? Minimè; sed qui in agnos lupi mutari societatis vi, simul cum grege Dominico commorabuntur. Saulus lupus ex Tribu Beniamin, cui parens: *Beniamin lupus rapax* Gen. 49. Ananias ouis ad lupum immittitur, & ouis societate lupus Saulus mansuetum mutatur in agnum. Ambrosius ad Psalm. 108. *Lupi sunt persecutores, docere nesciunt, vlulare consueuerunt. Sed nemo moueatur, si mittantur agni in medium luporum. Beneficio Christi lupi mutantur in agnos. Beniamin lupus rapax erat, mutatus est in agnum, factus est Apostolus.*

Lupus Saulus fit agnus ex Ananiæ societate. Ambros. Isai. 66. Gen. 49. Ambros.

Hic Discipulorum astus, se lupis ingerere, vt
33. valeant eos in agnos commutare. *Ecce ego mitto vos* (alibi Dominus) *sicut oues in medio luporum, estote ergo prudentes sicut serpentes.* Matt. 10. Serpentium astum imitati societate vestrâ lupos conuertite. Augustinus: *Si vnus lupus inter multas oues veniat, quantacumque sint ouium millia; vno lupo in medio turbantur. Qualis erat ergo ista ratio in medio luporum oues mittere? Non ad limites luporum, sed in medio luporum? Erat ergo luporum agmen, oues pauco. Quid plura? Conuersi sunt lupi, & facti sunt oues. Estote ergo, inquit, astuti vt serpentes.* Eo astutia ouium, hærere lupis, vt eos oues efficiant.

Hic Discipulorum astus, se ingerere lupis, vt mutent in agnos. Matt. 10. August.

Misit Dominus Discipulos *binos ante faciem*
34. *suam.* Marcus autem solus ad lupos proficiscitur. Cur sine socio Euangelista? Quia ipse mox lupis hærens, eos in socios agniculos immutabit. Laurentius Iustin. Marcum Angelum appellans, præproperam ex conuersatione suâ hostium conuersionem expendens, ait: *Omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluebant, mox per continentiam, ac totius sanctæ conuersationis instantiam, tanquam ad monastica perfectionis fastigium peruolabant.* Vide an socij Euangelistæ superstiot?

Marcus sine socio mittitur, quia plures socios fecit, lupos in agnos mutando. Iustin.

* * *

Capvt IV.

Licet Marcus ex Discipulorum Agnorum cætu, attamen dignissimus inter Apostolos oues numerari.

Hvgo Cardin. Apostolis dictum est: *Mitto* 35.
vos sicut oues; septuaginta duobus Discipulis: Mitto vos sicut Agnos. Cur Apostoli ouibus, Discipuli Agnis designantur? An quia Apostoli celsioris dignitatis attigêre fastigium? Beda: *Sicut duodecim Apostolos formam Episcoporum demonstrare non est qui dubitet. Sic & septuaginta duos Discipulos figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum, gessisse sciendum est.* Apostoli itaque oues matres. Discipuli autem agni filij.

Apostoli oues, Discipuli agni vocantur. Hugo. Beda.

At Marcus ex Discipulorum cœtu adeò ex- 36.
celluit, vt Apostolus diei mereretur. Non iam sicut agnus *inter lupos*, sed sicut ouis *in medio luporum* immittatur. Procopius: *Ipse Marcus tanquam ouis vna cum Apostolico cœtu in medium luporum missus, hostia viuens Deo oblata est.* Alij Discipuli agni missi inter lupos. Marcus verò ouis in medio luporum immissa, de more Apostolico. O tu qui ad demissiorem gradum es vocatus, laboribus ita honestari cura, vt detur tibi ex Discipulo Magistrorum sedi addici.

Marcus in numero agnorum erat, sed meritò posset ouium Apostolorum gregi addici.

Observatio III.

Ad illa verba:

Neminem per viam salutaueritis.

Nunquam sistens Marcus ad verbi sacri euulgationem.

Edocentur Concionatores à descriptionibus inutilibus abstinere.

Cvrrite, ô Discipuli, viam concio-
nis, sine verborum inutilium distractio- 37.
ne. Nazianzenus apud Thom. *Mandauit hoc eis Dominus, ad verbi gloriam, ne videretur in eis magis vrgere blanditias. Voluit etiam eos non esse sollicitos verbis alienis*, scilicet alienis à concione.

Nazian.

Semper cursores Euangelij ministri, nun- 38.
quam in viâ moris vtentes. Paulus Prædicator egregius: *Quomodo audient sine prædicante, aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 11. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? In Ierosolymâ sermonem non immissi profundent? Profectò essentiale quodammodo prædicationi, nunquam non mitti, semper currere, nullis distractionibus impediri. Ambrosius: *Non erunt Apostoli, nisi mittantur.* Quonammodo mittuntur? *Neminem per viam salutaueritis.* Semper viæ concioni hærescite, nunquam non ad iniunctũ munus, ablegatis otiosis clausulis, deferamini. Sit prædicatio opus, non verbum otiosum.

Prædicator nunquam distrahitur à cursu, quia tota Prædicatio opus est, non otiosum verbum.

Naum

39. Naum fatur: *Quàm speciosi pedes euangelizantium?* Cap. 1. Vbi Ambrosius: *Pedes dicendo aduentum significat Apostolorum circumeuntium, & prædicantium* Prædicatorum pedes commendantur, dùm viam concionis percurrentes, nullis verborum inanium morulis distrahuntur, sed semper circumeunt, quærentes quem liberent à leone deuorante. *Pedes Apostolis* (addit Doctor) *semper circumeuntes, & Regnum Dei aduentare prædicantes.* Regni Dei apparatus non inania verba, sed humilis oratio. Nec enim Regem humilem decent phantasticæ mundialis penùs descriptiones.

Prædicantes Regnum non sistens, sed appropinquans, nunquam sistunt inani distractione. Naum 1. Ambros.

40. Hinc fulgurat Marci sine distractione prædicatio. Quatuor illa animantia, quibus Euangelistæ designantur, pennis multis deferuntur. Ezech. 1. Ne scilicet percurrentes concionis viam, alicubi sistant. Laurent. Iustin. *Habet alas quatuor hic Angelus noster Euangelista Marcus. Hinc tanquam quibusdam spiritualibus pennis ferebatur in cælum.* Vt aduentantis Regni inde hauritet spiritum, & properantis eius cursui properans ipse posset conformari.

Marcus nunquam distractus, semper volans. Ezech. 1. Iustin.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Primùm dicite; Pax huic domui.

Verbo Marcus, veluti gladio vulnerans, eodem se velut scuto protegebat.

Contra Concionatores mordaces.

41. EVANGELISTÆ pacis congruit vocabulum. Chrysostomus: *Bonorum*, inquit, *omnium mater pax est.* Non copiosa messe fruuntur, qui asperis vsi verbis nimiùm carpunt auditores, præsertim cùm delinquentis cognitio non patescit. Gladius sanè Dei verbum non potest non percutere, vt sanet, sed scutum gladio copuletur. Gladio adeò vulneret concionator, vt ipse à iustis querelis scuto prudentiæ protegatur. Vidi concionatores tàm immoderatè proximos percutientes, vt sine protectione appositâ seipsos vulnerent. O verbi asperitas!

Chrys.

42. Dauid: *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & a verbo aspero.* Psalm. 90. Venatores sunt dæmones; verbum asperum, nimiùm rigida reprehensio. Deus me, inquit, tàm prudentem fecit sacri verbi præconem, vt nullus occasione concionis diabolico laqueo illigaretur. Incognitus: *Multos enim per verbum asperum misit diabolus in laqueos, in quos per verbum asperum concionatoris multi cadunt.* Euulgat quis Prælati auaritiam asperitate sermonis vsus. Mox auditores, Concionatorem passio excæcauit (inquiunt, aut Prælati taxant defectum; vnde diaboli laqueis irretiuntur. Addit aptè Vates: *Scuto circundabit te veritas.* Eadem veritas, quâ auditorem vulnerasti, te proteget instar scuti, ne murmurantium aut querentium acie iustè percutiaris, si prudenter te geras.

Prudens concionator, sic percutit auditorem, vt ipse à vulnere querelarum infestorum protegatur. Psalm. 90. Incogn.

43. Marcus veritatis acie vulnerabat, & simul se eiusdem veritatis scuto protegebat. Quid moror? Procopij acumen: *Pro scuto & hastâ linguam Marcus habebat, quâ prædicationem firmissimam omnibus annunciabat, turbásque multas ad veram vitam traducebat* Haud rectè munitus tantus incederet, ad aciémque tenderet concionator, si vulneratutus hasta non se prudens ipsius veritatis scuto protegeret. Plura alibi.

Marcus veritate vulnerat, se eiusdem veritatis scuto protegit. Procop.

Observatio V.

Ad illa verba:

Primùm dicite: Pax huic domui:

Marcus pacem euulgans Euangelij, alter veluti Christus.

Concionator enim pacificus, vbique beneficus Dominum æmulatur.

CHRISTVS cum pace exortus, quam Angeli annunciant: *Et in terrâ pax*, pacem adtruit Orbi, pacem Apostolis relinquit, pacem ad Iudæos, ad Gentes immittit. Dicite: *Pax huic domui.* Discipuli igitur pacis euulgatores, Dominum pacis Principem imitantur. 44.

Pacem equidem omnia bona comitantur, vti ex Caietano vidimus Certè omnibus bonis dixerim merito abundare regionem, quæ Marcum pacis præconem excepit. Id expendo, dùm vel mortui Euangelistæ, ex largitione abundantiæ pacis gloriam obiicio. Petrus Damian. *Molestiarum & affectuum examen cùm eos perturbat, ad Apostolum Marcum, tanquam ad medici officinam, ex quâ scaturiunt curationes, homines confugiunt. Vniuersa Ægyptus Marcum Magistrum, & adiutorem sibi adscribens, etiam in omnibus ijs quæ tristia contingunt, auxilium implorat. Diuinum ipsius Euangelium amplectitur, vt tabulas à Deo insculptas, vel, vt rectiùs dicam, tanquam ipsum Christi os veneratur; verbáque a Deo pronunciata ab Apostoli ore se audire arbitratur.* Quid mirum, regionem omnibus bonis abundantiæ pacis donari, si Marcus velut alter Christus nunquam non Euangelio manu sua scripto pacem euulgat? 45.

Cuncta bona Marcus pacis Euangelicæ euulgator Ægypto exhibuit, vt Christus alter. Damian.

Vis egregium Christi imitatorem Marcum obiiciam? Christus humilis, & excelsus; quia ex eo quòd submissus ostenditur, Mundi fabricator apparet. *Discite à me*, inquit, *quia mitis sum, & humilis corde.* Matt. 11. Vbi Paschasius; *Discere mandat à se, non Mundum fabricare, sed humiles esse, vt pessimus omnia sustinere.* Quasi humilitas subiiciatur, vt basis diuinæ celsitudinis. Omnia, instar Creatoris, sustinet, omnia continet, qui humilitatis cultor exurgit. Marcus tàm excellens quàm humilis, tàm humilis quàm excelsus. Petrus Damian. *Marcus excelsus mandato interpretatur. Et verè beatus hic vir non erat excelsus animo, sed mandato. Quia dum mentem gereret humilem, vitam satagebat habere sublimem. Et qui cunctis sese in humilitate substrauerat, per viam mandatorum cælestium sublimiter incedebat.* Tàm sublimis quidem, vt mandatum pacis *velut Angelus,* 46.

Christum humilem, & celsum imitatur est. Matt. 11. Pasch.

gelus, authore Iustiniano, deferret, & instar Solis cunctis Orbem bonis cumularet.

47. *Quodammodo Marcus vbique potens, & immensus.* Psalm. 138.

Quid si in morem Domini, bonorũ elargitor Marcus adoretur vbiq; quodãmodo? *Si ascendero* (ait Psaltes) *in cælum tu illic es. Si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Psalm. 138. Dei vbique commorantis immensitatem Dauid profitetur & omnipotentiam. An quodammodo Marcus immensus, omnipotens? Laurentius Iustin. *Marcus vbique, Vbique est magnus. Vbique est potens, potens in miraculis, magnus in donis, potens virtute, magnus honore. An non potens est, qui tantũ, quotidie beneficia poscentibus prabet? Inuocat illum oppressus, & leuamen sentit. Eius implorat auxilium infirmus, & sospitatem recipit. In mari, in solitudine, in periculis, inter latronum acies exoratur.* Quàm vbique præsens, quam Dei instar potest quodammodo vbique! Pacis Euangelicæ præco Deum cunctorum bonorum largitorem æmulatur.

Iustin.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Edentes & bibentes quæ apponuntur vobis; dignus est enim operarius mercede suâ.

Marcus munificentissimus redditor eorum quæ ab hospitibus recipiebat.

Vbi emolumenta recenseo, ex obuenientia, qui Concionatoribus aut Confessarijs subsidia necessaria impendant.

48. Strab.

STRABVS sic: *Si pax vestra recipitur; dignum est vt in eadem domo maneatis, temporaria stipendia ab eis accipientes, quibus cælestia offertis. Ecce qui saccum & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit.* Illud pende: *Si pax vestra recipitur.* Plus dedistis, quàm ab eis accipere potestis. Spiritualium scilicet & temporalium bonorum, pro exiguâ annonâ exhibetis abundantiam.

49. *Prædicator retribuit pro temporarijs dona spiritualia.*

Spiritualia quidem, quia securus ad diuinum Tribunal accedit, qui Concionatoribus alimenta prouidit. *Venite* (inquit Saluator) *benedicti Patris mei, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Matt. 25. Cur *mihi*? Num [illegible] quocumque in paruulo egens Christus con[illegible]citur [illegible] emphatice particula, *mihi*, apposita, vt de Prædicatoribus D[illegible] [illegible]tibus ministerio sermo procedat. *H[illegible] [illegible]eram, & c[illegible]cepistis me.* Augustin. in epist. ad Gal. *Illud vsitatum præceptum [illegible], vt Prædicatori præbeat necessaria, cui prædicatur. Hortandi enim erant, vt egenti Christo ministrarent, staturi ad dexteram cum agnis.*

Matt. 25.

August.

50. *Retribuit & temporaria.* Isai. 58.

Temporalem simul retribuit receptus Dei minister abundantiam. *Egenos vagos[illegible]* [illegible] ait *induc in domum tuam.* Cap. 58. Id est, interprete Abulense, Euangelij concionatores ad hospitium cura adducere. Quo præmio? *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum* Ibid. Abulensis: *Ponitur magnum præmium hospitij: Erumpet quasi manè lumen.* Existima, Solem te hospitio excepisse qui interminabili cursu, te instar magni luminaris omni repleat abundantiâ.

Abulens.

51. *Marcus accipiens exigua, retribuens magna.* Iustin.

O Marci excepti ab Ægyptiis ineffabilis retributio! Contemplor Euangelistam, vel nunc à fidelibus domo recipi, & annonâ donari, dùm preces profundunt. Certe recipit preces, vt spiritualem & temporalem vitam retribuat. Laurentius Iustin. *Per Marcum Deus gratificat munera, manum porrigit Euangelista, suscipit preces, & retribuit vitam.* Vitam scilicet spiritualem, & ad temporariam vitam tuendam necessaria subsidia rependit.

52. *Instar Geon fluuij.* Gen. 2. Damian.

Geon fluuius *circuit omnem terram Æthiopiæ* Gen. 2. Non-ne Marcus continuò, fideles, munificentiâ suâ Geone signabitur? Petrus Damian. *Marcus Geon perspicuus, ac purus eructat, & humanas mentes salutiferi madoris inundatione fœcundat. Qui circuit omnem terram Æthiopiæ, id est, vniuersitatem complectitur Ecclesiæ, peccatis præcedentibus denigrata.* Quam frugifera Æthiopiæ regio ex Geone! Qui ad domum suam Marcum adducit, spiritualibus & temporariis fructibus oppletur.

53. *Circulum Solis imitatur semper fructum pariturum.* Exod. 25.

Doctores alij, dùm superstites, terram excoluerunt, hospiteque præmio redonarunt. At Marcus semper ex scripto Euangelio Prædicator, nunquam non recipitur, nunquam non in morem Solis fructus parturit spirituales, temporarios germinat. *Facies* (inquit Deus) *quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor Arcæ angulos, faciesque vectes.* Exod. 25. Arca Ecclesia, circuli quatuor Euangelistæ, qui Solis in morem, fructuum cælestium & temporariorum parentes. Petrus Damian. *Marcus verè aureus circulus est, ex perseuerantiâ docendo, Perseuerantes Doctores quærendi sunt.* Semper edocet Marcus, semper recipitur hospitio, & semper, in morem Solis circumeuntis, cunctis muneribus replet Ecclesiam.

Damian.

LIBER QVARTVS.

PHILIPPVS ET IACOBVS

Paraphrasis, Commentariíque literales ad Cap. XIV. Ioannis.

PANEGYRICI MORALES circa literam

In Philippum & Iacobum Apostolos.

PROLVSIO.

CHRISTVS corporeâ suâ præsentiâ Discipulos priuaturus, à turbatione ob persecutiones, ac calamitates ab hostibus inferendas, sequuturâ, eos aggreditur eripere, cœlestis Throni obiiciens mansiones. Nonne militia fidelium vita super terram? Nos militantes Christus coronâ dignatur stipare. Martialis quidem est circulus; sed ex pacem oliuâ præferente; Philippus enim & Iacobus duæ oliuæ, è quibus diademata contexuntur. Ne igitur præcordia hominum ob euentum belli, varium vtrique, compungantur, si hodiernâ solemnitas thronum offert dimicantibus, & coronam, dum gemina cœlestis Paradisi germina præsentat. Laurentius Iustinianus serm. de Apost. *Christus coronat gratissimè omnes timentes, Sanctis suis duplicia præstat. Attende, quid tibi hodie proponit Ecclesia. Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi merita commendat, & gloriam.* Hæc militibus Ecclesiæ thronus & corona. *Apostolici vitalis Legis* FRVCTVS QVARTVS.

IOAN. CAP. XIV.

VERS. 1. NON turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.

PARAPHRASIS.

1. *CVM vehementer essent animus perculsi discipulis, clementissimus Dominus mærentes consolatur. Si vestram fiduciam in Deo, & in me collocaueritis, non est quòd formidine afficiamini. Ipse certandi fideliter formam, ac specimen exhibebo.*

2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.

2. Iam in domo Patris mei multæ mansiones victoribus sunt præparatæ. Quòd ni certò scirem iam paratas vobis esse mansiones, quæ vos tentatos excipiant fœlicitate fruituros, iam præmonuissem vos, me ideo præcedere ad Patrē, quò vobis quoque, quos à me distrahi non patiar, illic locum pararē. De præmio igitur non est, quòd sitis solliciti, tantū agendū, vt fortiter certetis.

3. Et si abiero, & præparauero vobis locum; iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis.

3. Quod si abiero vobis ampliorem paraturus locum: non est tamen, quòd interim vobis destituti videamini: Rursus enim ad vos venturus sum, vt vos totos ad me recipiam, nunquam posthac à me distrahendos. Vt iam vbi sim ego, sitis & vos.

4. Et quò ego vado, scitis, & viam scitis.

4. Non est, quod diffidatis, vos eò peruenturos, quò ego nunc præcedo. Siquidem & scitis, quò vadam, nec viam ignoratis, quasi hoc Discipuli nescire non possent.

5. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus, quò vadis: & quomodò possumus viam scire?

5. Porrò mæror & oblitio faciebat, vt quod toties auditum sciebant, vix scirent. Vnde Thomas, Domine, inquit, cùm nesciamus, quò vadas, qui possumus nôsse viā? imò vtrūq; nescimus, quod nos faris cognoscere.

6. Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

6. Cui Dominus, Qui fit, Thoma, vt neges, te nôsse viam? nisi me totum adhuc ignoras. Ego enim sum Via, Veritas, & Vita. Si quæritis, quò vadam? ad Patrem eo; si viam, quâ consequi possitis, scire expetitis, nemo venit ad Patrem, nisi per me. Iam noscitis vtrumque.

7. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis: & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum.

7. Si me cognouissetis, nimirum & Patrē cognouissetis. Imò iam aliquo pacto cognouistis Patrem, quem ignotum vobis esse creditis: nec cognouistis eum solùm ex legis institutione; verum etiam vidistis eum. Hoc ænigmate Dominus submonuit suos, Patrem esse inuisibilem: nec inuisibilem tantum oculis corporeis, verum etiam intellectus, si natura sua relinquatur, & supernaturali lumine non eleuetur.

8. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

8. Philippus igitur cunctis auidior discendi: Domine, ait, ais nobis visum esse Patrem; imò hoc vtinam nobis largiaris, vt Patrem tuum liceat conspicere, nostris esset votis satisfactum, nec quicquam vlteriùs desideraremus. De eo audiuimus multa, tantùm superest aspectus.

9. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodò tu dicis: Ostende nobis Patrem?

9. Rudem Philippi postulationem Dominus corrigit fatus: Philippe, tantum iam temporis vobiscum versor, & non me cognouistis. Cùm sim imago Patris illi per omnia similis, meq; tu non ex facie; sed ex factis, dictisq; iam nosse debuisses quomodò mihi dicis Ostende nobis Patrem? quasi, qui me viderit, non idem & Patrem meum viderit. (Porro nouisse quodammodo vidisse est) Non quòd non alius sit Pater, quàm ego, si Personas accipias; sed quòd inter duos nulla sit dissimilitudo, imo, nec distinctio, iuxta naturā sublimiorem, nempe diuinā.

10. Non

10. Non crediris, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.

10. Si ratione consequi non potes, quod dico, crede. Audistis me loquentem, vidistis me miracula patrantem; in his nimirum Patrem audistis, Patrem vidistis. An nondum credis, quod inseparabili naturæ, voluntatis, & virtutis consortio, Pater in me est, & egò in Patre? Quidquid loquor ex illius animo loquor: quidquid facio ex illius facio sententiâ. Quomodo igitur tu separas inseparabiles, & altero conspecto, alterum conspici à te non fateris: alteroq; cognito, ignotum alterum arbitraris?

11. Non crediris, quia ego in Patre, & Pater in me est?

11. An nondum vos cæteri creditis quoque, omnia Patris esse, quæ per me dicuntur, aut geruntur, & nullum inter nos duos horum operum esse discrimen? Hoc mihi toties docenti credere debueratis.

12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet: & maiora horum faciet; quia ego ad Patrem vado.

12. Et si dictis meis parum haberetis fidei, certè facta, quæ vidistis Deo digna, & homine maiora, vobis fidem facere debuerant, Patris esse quidquid ex me proficiscitur. Hoc igitur credite, hoc tenete. Quod si credideritis, quod nunc videtis Patrem per me agentem, idem agam per vos. Imò clariùs exeram vim meæ Diuinitatis postquàm hanc infirmitatis speciem vobis subduxero. Quisquis enim se mihi iunxerit per fidem, quemadmodum ego per naturam à Patris consortio nunquam seiungor, per me maiora quoque facturus est, quam ego facio, quoties gloria Dei miraculum poscet.

13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio.

13. Nec hoc solùm fiet, sed quidquid petierit alioqui à Patre per nomen meum, quod ad Patris, nominisq; mei gloriam pertinebit, hoc faciam, vt per vos etiam glorificer apud homines, quemadmodum Pater hactenus est per Filium glorificatus, gloriaq; affecto Filio, Pater etiam glorificetur.

14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

14. Ne vos igitur mea perturbet discessio, quæ lucri vobis tantum est allatura. Tantum petite quod voletis, audiet Pater vota vestra, & ego patronus assiduus apud illum, efficiam, vt quidquid petieritis, impetretis.

SECTIO PRIMA.

Cælestes Mansiones.

TEXTVS.

VERS. 1. NON turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum; vt vbi sum ego, & vos sitis.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Apostolorum turbatione.

1. *Cur turbantur Apostoli* NOn turbetur cor vestrum.] Quare turbatione Apostoli afficiuntur? Existimat Maldonatus Christum, Discipulos, mœstos quidem propter verbum illud: *Quo ego vado, vos non potestis venire*, consolari. Ne igitur putarent solos relinquendos Domino discedente, aut à Regno cælesti excludendos, iubet eos æquo animo esse, patientérque illam ferre molestiam, postea secuturos: nec defuturum illis, quandocumque venerint, in Regno suo locum, cum in domo Patris multæ adsint mansiones.

2. *Authoris expositio.* Ego autem Græcos Doctores ferè omnes secutus, ideo opinor turbatos Discipulos, quia audierant Christum Petri abnegationem prædicentem, metuentes, ne & ipsi, quod minimè volebant, eum essent negaturi: quando qui omnium erat dux, abiuraturus ac negaturus prædicabatur. Ita Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, & alij. (Chrysost. & alij.) Ex Latinis multi, è quibus vnum Augustinum lib. 3. de Cons. cap. 3. (August.) audite, *Cum secundum Ioannem hoc prædictum esset: Ter me negabis: sequitur idem Ioannes, & conserit Domini sermonem dicentis. Non turbetur cor vestrum.* Credite vos, &c.

3. *Credentes nõ timeant.* Rupert. *Creditis in Deum, & in me credite.*] Haud vos, ô Discipuli, à fide cadatis, licèt Petrus infirmitate laboret, & non erit, vnde timore corripiamini. Sic Rupertus, *Non turbetur cor vestrum, ne vacillet fides vestra, quod me morientem videatis.* Nec enim casus vnius, licèt Petri, licèt Præsulis, ac Ducis vos fidei hærentes poterit adducere, ac trahere in ruinam.

4. *Cur dixit: Cor* *Non turbetur cor vestrum.* Cur dixit: *Cor* ac si alia in ipsis minimè turbarentur? Respondet D. Thomas, *Principium turbationis à corde est. Vnde aliquod dicitur turbari, quando commouetur cor.*

§. II.

Quid credere in Deum, & in Iesum?

5. *Crede in Deum, & in Iesum.* Caietan. CRedidis in Deum, & in me credite.] Vbi Caietanus, *Anceps est vtrobique ad imperatiuum, vel indicatiuum, id creditis, vel credite. Credite in Deum, & credite in me.* Potest legi: *Creditis in Deum, ergo in me credite.* Ac si fides in Deum sit fides in Iesum Non fides duæ, altera in Deum, altera in Iesum. Sed eadem ratione, quâ credimus in Deum, credendum in Iesum. *Implicitè* ait Cardinalis) *significat se esse Deum. Ex eo enim, quod ex credere in Deum, infert credere in Iesum, manifestè sequitur, Iesum esse Deum.* Alcuinus, Consequens est, vt si in Deum creditis, & in me credere debeatis; quod non esset consequens, si Christus non esset Deus Non dixit *Creditis Deo, credite & mihi.* Sed, *Creditis in Deum, credite & in me.*

Augustinus cum interrogatione legit: *Creditis in Deum? Et in me credite. Et exponit, consequens est, vt si in Deum creditis, & in me credere debeatis. Quod non esset consequens si Christus non esset Deus.* Vultis (ac si diceret) nec cum Iuda recedere; nec cum Petro negare? (id quod vestros animos afficit turbatione) sicut in Deum creditis, ita & in me credite, Deum me esse profitemini, à quo recedere infælicitas, quem piaculum abnegare: à quo abstrahi mors. 6 *August. positionem.*

§. III.

De Paterna Domus Mansionibus.

IN domo Patris mea mansiones multa sunt.] Videbat turbatos Discipulos, ne recedentes cum Iuda, aut abiurantes cum Petro cœlesti tabernaculo priuarentur. Consolatur proinde eos asserés mansiones plures in cœlis eis in fide persistentibus præparatas. Petre, Discipuli vel non grauiter delinquentes, vel pœnitentiam gerentes post crimina, Thronos cœlestes occupabitis, æterno Regno potiemini. 7. *Mansiones turbatis promittit.*

Quæstio non vulgaris apud Doctores, vtrum de Ecclesiæ mansionibus, an de cælestis Ierosolymæ sedibus diuersis vtique sermo procedat? De Ecclesiæ sedilibus exponit Hieronymus, *Multa mansiones sunt apud Patrem meum Non in Regno cælorum diuersas significat mansiones, sed Ecclesiarum in toto Orbe numerum.* Mentem inferius exponit, *Manifestissimè Scriptura docet, non de Ecclesiarum numero, sed de cælorum mansionibus, & de æternis Tabernaculis Domini fuisse sermonem.* Consentiunt omnes ferè Patres; vnum dabo præterea Augustinum. *Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquas mansiones esse extra Regnum Dei, quas esse Dominus dixit in Regno Patris sui.* 8. *De quibus'nã mansionibus sermo?* Hieron. August.

Multa.] De præmiorum discrimine expono cum D. Thoma 4. sent. dist. 49. quæst. 1. art. 4. *Dignitates præmiorum sunt multa mansiones.* Ex Augustino accepit. Elias exponens Nazianzenum ad orat. 5 fatur, *Mansiones multa sunt, hoc est, dignitatum, & conditionum discrimina. Non enim dixisse Dominum putare debemus, multas esse mansiones, respectu discriminis locorum, sed ordinis donorum. Nam quemadmodum luce te Sole, non aqualiter omnes, sed pro puritate facultatis aspicientes, quilibet ex eo voluptatem percipit sic etiam de luce illâ, qua caret vespera, existimare debemus. Iusti omnes vno, eodémque velut contubernio fruentur sine discrimine. Sed ipsorum quisque pro mensurâ suâ ab vno, eodémque Sole illustrabitur.* 9. *Præmiorum discrimen.* Thom. August. Elias.

In domo patris. Vna domus, beatitudinis respicit vnitatem *Mansiones* autem *multa* differentiæ beatitudinis electorum respondent. D. Thomas sic, *Vnitas domus respondet vnitati beatitudinis, quæ est ex parte obiecti. Et pluralitas mansionum respondet differentia qua in beatitudine inuenitur ex parte Beatorum.* 10. *Mansionum vnitas & pluralitas.* Thom.

Si quominus dixissem vobis. Caietanus. *Sin minus dixissem vobis.* Ex sequenti tamen sententiâ: 11. *Varietas lectionis.* Caietan.

tiâ : *Quia vado parare vobis locum.* Particulam, *quia*, superfluere in originali affirmat; quod non probo. Dionysius Carthusianus, D.Thomas, & alij sine ablatione coniunctionis *quia*, locum interpretantur.

Carthus. Thom.

12. *Expenditur tota sententia.* Totam sic expendo sententiam : In domo Patris, in cælo mansiones multæ vobis a constitutione Mundi sunt præparatæ, varia scilicet iuxta differentiam meritorum reposita præmia. Sin minus, id est, si ita non esset, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Quod quidem non dico; quia iam sedes vobis, iam tabernacula sunt præparata. *Si aliter esset*, (inquit Carthusianus) *seu minus, quam vobis nunc dixi, videlicet si iam in domo Patris mansiones multæ non essent, dixissem vobis, quia, id est, quod vado vobis parare locum, seu mansionem in domo Patris cælestis. Sed hoc dicendum non fuit, quoniam iam paratæ sunt mansiones istæ ex parte Dei,* parati vos mundos corde Regno donare.

Carthus.

13. *Si paratæ mansiones, quonammodo præparaturum eas Dominus recedit?* *Et si abiero, & præparauero vobis locum : iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum ; vt vbi sum ego, & vos sitis.* Nonne dixit, mansiones iam esse præparatas ? Quonam ergo modo dicit, se mansiones discedere præparaturum? Magna Doctorum hâc in re varietas. Ego consulens breuitati, sic difficultatem cum Doctore Angelico soluo : Non vadit Christus ad præparandum locum, & vadit ad locum præparandum. Vadit, & non vadit? *Quod primum dicit, paratas iam esse mansiones, intelligitur quantum ad primam præparationem ab æterno. Quod autem hîc dicit : Si abiero, & præparauero, intelligitur quantùm ad executionem æternæ prædestinationis. Præparauit autem Dominus per recessum suum nobis locum quinque modis. Primò, dando locum fidei. Secundò demonstrando eis viã eundi. Tertiò, pro eis orãdo. Quartò, sursum attrahendo. Quintò, Spiritum sanctum eis mittendo.*

Thom.

Scio sic posse legi clausulas istas : Si quominus, id est, si necesse esset, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Si quominus, id est, si necesse esset, dixissem vobis: si abiero, & præparauero vobis locum. Cum Augustino autem existimo hanc clausulam ab illa distinctam. 14. *Aliæ expositiones.* *Parat* (ait) *mansiones mansionibus* iam præparatis, *præparando mansores. Quia iam mansiones sunt in prædestinatione, sed nondum erunt in operatione.*

August.

Iterum venio.] Quando? Alcuinus, *Cùm venerit iudicare viuos, & mortuos.* D.Thomas, *Venio iterum per illustrationes.* Carthusianus, *Mortis articulo.* Alij aliter. Sic expono: Iterum venio mortis articulo, vt animum ad Superos adducam ; nouissima autem die, vt animum simul ac corpus ad cælum faciam auolare. *Et accipiam vos ad me ipsum; vt vbi ego sum, & vos sitis.* 15. *Quandonam Dominus rursum veniet?*

Thom. Carthus.

16. *Roboro expositionem.* An non Discipuli tunc vbi Christus aderat commorabantur? Cur ergo ait : *Vt vbi ego sum, & vos sitis?* Respondet Lyranus, *Intelligendum de æterna beatitudine, ad quam eos ducere debebat.* Quare ergo non dixit : *Vbi ero*, sed, *Vbi ego sum ?* Quia *iam ipse beatus erat in quantum Deus ; & in quantum homo, quoad animam.* Confirmo ex Caietano profante : *Si abiero per mortem*, &, cæli ostio reserato, *præparauero vobis locum beatitudinis per mortem, resurrectionem, & ascensionem meam. iterum venio seu veniam, & accipiam vos ad me ipsum resuscitando vos integros ex animo & corpore constantes ad me ipsum, ad consortium meum : vt vbi sum ego, & vos sitis. Et non dicit : Vbi ero, sed vbi sum ego ; quia ipse erat in beatitudine secundum supremam animæ partem.* Addit Cardinalis *Dixit quoque hæc de secundo aduentu, ad mitigandum dolorem Discipulorum de suo recessu. Et ad hoc significandum præposuit. Et si abiero*, &c.

Lyran.

In Philippum, & Iacobum

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS

circa literam.

Ex cælestibus Mansionibus.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba :

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

An non, si alia domus Dei non subessent fundamina, Philippus, & Iacobus sufficerent?

Edocemur, nullum Ecclesiæ ministrum necessarium adeo, vt alio non niti possit ædificium.

17. DIONYSIVS Carthusianus, *Quia ab vno ipsorum se dixit tradendum, & quia Petri negationem prædixit, Discipuli turbantur vehementissime. Mitigans ergo Christus mærorem, ait : Non turbetur cor vestrum, in domo Patris mei mansiones multæ sunt.* An afficimini turbatione, ne deficiente Iudâ, ac Petro negante, Ecclesiæ Paternæ domus mansionibus, seu fundaminibus exædificatio corruat ? *Non turbetur cor vestrum.* Licet enim Iudas pereat, licèt abneget Petrus, Ioannes, Iacobus, Bartholomæus, reliquique Apostoli fundamen per me præberent ædificio. Quid plura? Philippus, & Iacobus sufficerent, vt Ecclesiæ fundamina obfirmarent à Petrâ Dominicâ solidati.

Nullus necessarius minister Ecclesiæ adeo, vt alij non adsint munerí subeundo. Carthus.

18. *Solus Iesus necessarius, & sufficiens.* Fidem Eucharistiæ Christus super Apostolicam statuit firmitatem : *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Quibusdam autem retrò abeuntibus, quia tanti mysterij pondus non sustinebant, *Dixit Iesus ad duodecim : Numquid*

Ioan.6. Thom.

& vos vultis abire? Ioan. 6. Vbi D. Thomas, *Vt ostendat se non indigere eorum sequelâ.* Apostolis deficientibus Ecclesiasticæ domus corruet exædificatio? An non stabilita *supra fundamentum Apostolorum?* Equidem *summo angulari lapide Christo Iesu* omnia illa fundamina innituntur, si cunctis recedentibus, adhuc in Iesu domus firmitas: quid vno, aut altero deficiente, dum tot adsint sanctissimi viri ad Ecclesiæ fundamina assumendi?

19\. Sole deficiente, æterna nox, quia Mundus non alio splendoris æqualis iubare potiretur. At cælum Ecclesiæ plura luminaria ostentat, multiplici Soli exhibet domicillum. Finge tibi aliorum Apostolorum, (quos lucem Mondi Dominus appellauit) Ecclesiam orbatam splendore, Philippo solùm ac Iacobo persistentibus, sufficient-ne hi duo obfirmando & illustrando muneri? Ecclesiæ Proceres, fundamina domus Paternæ, & Mundi lumina, sermone sapientiæ, linguarum generibus, interpretationibus sermonum apte munus obibant? Licèt igitur cætera fundamina deficerent, licèt alia intermorerentur luminaria, ad Ecclesiæ mansionem, seu fundamen firmandum, ad Orbem illuminandum Philippus & Iacobus sufficêrent. Laurentius Iustinianus sermone de Apostolis, *Horum Apostolorum* (Philippi scilicet, & Iacobi) *præcelsa sunt merita, quibus per Spiritum datus est sermo sapientia, & scientia, genera linguarum, sermonúmque interpretationes, & dona cætera, quæ ad Ecclesiæ ac fidei stabilimentum, & ad conuersionem fidelium necessaria esse probantur. Erant planè tanquam luminaria magna, perlucida, verbum vitæ in se continentia, ac in opaco huius sæculi loco radiantia.* Nullus igitur Euangelij minister audax iactet: Ecclesiæ fundamini, animarum illuminationi necessarius sum. Superiùs plura.

Deficientibus cunctis Ecclesiæ fundaminibus, Philippus & Iacobus sufficerent.

Iustin.

Observatio II.

Ad illa verba:

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Philippus & Iacobus ædificare potuerunt, vbi solùm veræ mansiones reperiuntur.

Quia nihil perituro in sæculo manens.

20\. Apud Superos multæ mansiones, apud terricolas nulla prorsus. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 65. *Illic verè mansio est, præsens vita tentorium vile est, quod simul neque compactum, ac firmum est, eodem temporis puncto soluitur.* Quid in sæculo manens? An Regia sedes? an ipsum Christi tabernaculum?

Pelus.

Regio certè in Throno mansio nulla. *Absalom creuerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum. Dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei*, 2. Regum 18. Non requiro, an titulus ille maius esset, an statua tantæ suæ index pulchritudinis: Solummodo disputo, quonammodo Absalom tres habens filios, vnámque Thamar filiam, vere dixisset: *Non habeo filium?* Num quia filij Absalon iam diem obierint? Sic Rab. Dauid Kimhi. Sed adhuc reliqua Thamar. Num quia & si filios haberet Absalon; attamen non proficiebant ad pulchritudinis monimentum, quod æternare intendebat? Non inficior. Sed facilior sic ducitur sensus: Non habeo filium, cuius hic mansura sit sedes, cunctis humanis corruentibus. Qui igitur regnare, siue sedere permanenter haud possum in filiis hominibus, in lapide saltem non perituro permanebo. Abulensis quæst. 21. Absalon dixit, se non habere filios, quia quamquam haberet, non proficiebant ad memoriam, eò quòd filij sui non erant permanentes. Nihil enim humanum hîc non perit. Iosephus adiicit: *Non habeo filium, hoc erit monumentum nominis mei. Id est, licèt moriantur filij mei, ista statua non moritur, & manebit ad memoriam.* Sic lib. 7. Antiquit. Sed adhuc deceptus Absalon: nam & lapis etiam aliquando periturus. Solo in cælo nil peribit, id est, in domo Patris cælestis. 21.

Regni nulla temporary mansio.

2. Reg. 18.

R. Dau.

Ioseph.

Christo dæmon *ostendit omnia regna Mundi in momento temporis*, Matth. 4. An in momento videnda obiecit, aut momentaneâ duratione stabilienda ostentauit? Profectò cunctæ mundiales sedes tam sunt obnoxiæ ruinæ, vt illud ipsum ædificari Regna, sit corruere, & in morem fumi euanescere. Chrysostomus, *Tunc Archidæmon* (ait ad Psalm. 2.) *omnia regna Mundi coegit, cum omnibus apparuit, vt cum omnibus euanesceret.* Dixerat ei Dominus: *Vade retrò, Sathana.* Vt igitur retro cederet, vt abscederet, vt fueret illicò, mundialibus regnis illigatur. Tam præpropera enim horum ruina, vt fugaciora vento dispareant. Vnde velocissimè Diabolus ablegandus à Domino, in alis Regnorum auolantium ad exitium, collocatus est: *Cum omnibus apparuit, vt cum omnibus euanesceret.* 22.

Regnorum fugacitas, & ruina.

Matth. 4.

Chrysost.

Regi Domino Petrus Tabernaculum præparare curabat. *Faciamus hic tria Tabernacula, tibi vnum*, &c. Matth. 17. Addit alter Euangelista, *Nesciens quid diceret.* Cur nesciret Apostolus, quid efflagitaret? An quia tria Tabernacula exædificare molitur, cum vnum sit Tabernaculum Euangelij? Ita Hieronymus. Num quia oblitus est se, ac socios suos mortalitate pergrauari? Sic Remigius. Num quia voluit electorum Regnum in terra constitutus? Adhuc Præsul. Nos autem ideo Petri sententiam taxatam dicimus, quia Christo Regi hîc æternam sedem, mansionémque exædificare, inutiliter moliebatur, quòd exequi non poterat. Christus nobiscum? Fateor, sed vsque ad consummationem sæculi, non post omnium ruinam. Titelmanus, *Dixerat Petrus: Construamus hic diuturniorem mansionem tibi, & tuis: nesciens quid diceret.* Erras Petre, æternas mansiones hic quæritans, quæ solum Patris in domo constituuntur. 23.

Nec Christo Regi hic tabernaculum præparari æternum potest.

Matth. 17.

Titelm.

Non

24\. *Immortalis Apostolorum mansio.* Iustin.

Non hîc Philippus & Iacobus construere intendebant Tabernacula, domos luteas in ciuitate sæculi negligebant, quæ quidem consumente tinea, demoliente ærugine, ac effodientibus furibus corruunt. Vbinam ædificium construebant? Laurentius Iustin. respondet: *In ciuitate Domini virtutum, supernâ videlicet Ierusalem, spirituales sibi diuitias Philippus & Iacobus aggregabant, quas non consumit ærugo, nec demolitur tinea,* neque fures effodiunt. An non it mansionem æternùm duraturam exædificare? Omnia ibi manentia, cuncta in sæculo pereuntia.

Observatio III.

Ad illa verba:

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Philippus & Iacobus non duobus Dominis, sed in domo, vbi mansiones multæ, vni Domino obsequium egregiis operibus præstitere.

Vbi adnoto, illi soli Domino seruiendum, qui seruis potest exhibere mansiones operibus iustis comparandas.

25\. August.

AVGVSTINVS: *Respuendi sunt, qui putant, ideò dictum multas esse mansiones, quia extra Regnum cælorum aliquid vbi Beati maneant.* Non enim ait Dominus; *In Regno mansiones multæ sunt*, sed *in domo* regnantis vbique, facientísque regnare Beatos. Regnum cælorum, Regia domus, cælestis beatitudo. O vos sæculari domino seruientes, quàm sine mansione, sine requie laboratis! Ad domum Domini vos recipite, vbi mansiones laborantibus stabiliuntur.

26\. *Vnico Domino Apostoli seruiere eius domestici.* Laurent. Iustin.

Laurent. Iustin. *Cùm possent Philippus & Iacobus temporali pace potiri, & in hoc sæculo florere feliciter, delegerunt tamen ob amorem Dei temporaliter pati, vt futuræ gloriæ mererentur esse participes. Nouerant prænominati Apostoli duobus Dominis seruire non posse, neque licere vtriusque sæculi voluptatibus frui.* Domùs cælestis Domino seruiunt, non Regni multiplicis multis Dominis obsequuntur; vnde iustitiæ operibus curant vnico Domino placere.

27\. *Laboribus æternam mansionem præpararunt, minimè vepeatibus (?) seruientes.* Hieron.

Laboribus huiusmodi in domo Domini mansionem augustissimam præpararunt. Sic expendit Hieronymus verba illa: *Si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, &c. Dicerem*, inquit, *vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, si non mansiones multæ essent apud Patrem. Hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi, non ex sola largitate Dei, sed ex proprijs simul operibus prapararet. Ideò non est meum parare, sed vestrum. Quia & Iudæ non profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit.*

28\. Accedit Mater Iacobi & Ioannis, mansiones eis à Domino efflagitans. *Dic vt sedeant, &c.* Cui Dominus: *Calicem quidem meum bibetis. Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matt. 20. Non meum dare, quod ab æterno Pater operaturis parauit Tabernaculum, sed vestrum operibus bonis aptare sedile. Hieronymus: *Non est Filij dare, & quomodo Patris est præparare? Parata, inquit, sunt in cælo diuersa & plurima mansiones, plurimis diuersisque virtutibus, quas non persona accipiunt, sed opera. Frustrà ergo à me petitis, quod in vobis situm est, quod Pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem.* Igitur filiorum Zebedæi Philippus & Iacobus imitatores, *cùm possent temporali pace potiri* (loquor cum Iustiniano) *delegerunt pro amore Dei temporaliter pati, vt futuræ gloriæ mererentur esse participes.*

Iustus filiorum Zebedæi paratas sibi à Domino sedes operibus ornarunt, & ampliùs præparare studuerunt. Matt. 20. Hieron.

29\. *Innumeras mansiones sibi operibus præpararunt, ex vniuerso beatitudinis penu.*

Tàm illustres operibus Apostoli, vt apud vnius Domini domum innumeras sibi mansiones præpararent. Eis Magister: *Eo præparare vobis locum.* Paratæ vobis mansiones à Patre; sed vos tàm multiplici sanctitate conspicuos parata Tabernacula haud quodammodo excipient. Vnde ampliores mansiones opus est præparare. Omnium Sanctorum perfectio octo illis beatitudinibus circumscripta obiicitur. *Beati pauperes* quibus mansio respondet illa: *Quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Beati mites,* quibus ille thronus præparatus: *Quoniam ipsi possidebunt terram.* Matt. 5. At si Philippus & Iacobus omnes octo beatitates complectantur, non singulis mansio vnica, sed vni & alteri singulariter omnes simul mansiones adscribendæ. Pulchrè Laurentius Iustin. *Philippus & Iacobus sedulâ intentione orationi vacabant. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Emustebant suspiria, lachrymas vbertim fundebant. Beati qui lugent. Ieiunijs atterebant corpora, domabant carnem vigilijs, semper nudâ cubabant humo. Beati pauperes spiritu. Marinis se committebant fluctibus; per fluminum vada transibant, latronum pyratarúmque se periculis exponebant. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. De gemitibus egenorum, de pauperum inedia, de lacrymis viduarum, de conuersione peccatorum sibi diuitias aggregabant. Beati misericordes, beati mites, beati mundo corde, beati pacifici.* Quid plura? *Quatenùs calcatis Mundi illecebris placerent soli Deo, cælóque labores præmitterent suos.* En cunctis sanctitatis ornamentis fulgentibus Diuis cunctæ mansiones adscribuntur!

Matt. 5. Iustin.

30\. *Christi, cui innumera Tabernacula debentur, imitatores Apostoli.* Matt. 17.

Domine, faciamus hîc (ait Petrus) *tria Tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Lucas sollicitudinem Apostoli taxat; *Nesciens quid diceret.* Et cur nescire quod postulat asseritur? An quia curat Domino exædificare hîc thronum, dùm eius Regnum de hoc minimè exilio? Profectò Petrus etiam reprehenditur, quia cùm Moysi, & Eliæ vnum Tabernaculum adscribi curauit, vnum etiam Christo præparari studuit. Moysi esto, & Eliæ congruè vnum solummodo Tabernaculum construas; non enim datum tibi singulorum Diuorum discutere merita. At Christo, quem fontem sanctitatis profiteris vnum solummodo Tabernaculum præparas: vnam construis mansionem? Quo nam modo mansione vna tanta sanctitas circumscribenda? Facis tria Tabernacula? Om-

Hie on. nia vni Domino præparentur. Hieronymus: *Petre, nescis quid dicas, si quæris tria Tabernacula, nequaquam seruos cum Domino conferans.* Innumeræ sedes immensurabili debentur sanctitati. O quàm Apostoli operum Domini imitatores! Eis non vna sedes, non vna vnis; sed multæ mansiones cunctorum Diuorum, imò Regis cælestis imitatoribus adscribantur.

SECTIO SECVNDA.

Via & terminus Iesu.

TEXTVS.

VERS. 4. ET quò ego vado scitis, & vitam scitis. 5. Dicit ei Thomas: Do-
mine, nescimus quò vadis; & quomodo possumus viam scire?
6. Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.
7. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis, & amodò cogno-
uistis eum, & vidistis eum. 8. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem,
& sufficit nobis. 9. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cogno-
uistis me? Philippe: Qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende
nobis Patrem? 10. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba,
quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse
facit opera.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Discipulis scientibus, & ignorantibus viam.

1. *An pugnent hæc verba cum sequentibus? Doctorum solutio.*

ET *quò ego vado scitis, & viam scitis.*] Videntur pugnare verba hæc cum sequentibus: *Nescimus quò vadis, & quomodo viam scire possumus?* An deceptus Dominus, existimando illis viam notam & terminum? An illi mentiti, veritatem abnegârunt? Affirmo vtramque veram esse sine repugnantiâ sententiam. Vno modo sciebant, altero ignorabant Discipuli. Quonam modo sciebant, & ignorabant? Num quia scire dicimur, quando scire potuimus, licèt nondùm re verâ ad scientiam perueniremus? *Et me scitis* (ait superius Dominus) *& vnde sim scitis.* Ioann. 7. Cap. 7. Scitis itaque, quò vado, & viam, quia vnde scire potuissetis, vos docui: at ipsi de facto ignoratis. Huius expositionis meminit Toletus. Tolet. Nùm quia re verâ nouerant Christum ipsum, qui erat via, per quam ad cælum patet aditus, tamen nesciebant illum esse viam? Nouerant item Patrem, & sciebant esse Regnum cælorum, tamen ignorabant hunc esse locum, & terminum ad quem Christus iret? Sic Ioann. Ioann. 9. 9. *Tu credis in Filium; quis est vt credam in eum? Et vidisti* inquit, *& ipse est qui loquitur tecum.* Si vidit, quomodo tanquam ignorans quærit, quisnam esset? Viderat quippe quia nouit eum qui erat Filius Dei, attamen talem esse nesciebat. Alij aliter.

2. *Auctoris sententia.* Ast ego sic expono. Scimus aliquid in habitu, tamen actu ignoramus, quia non recordamur, nec mentem applicamus. Sic Apostoli sciebant viam, & quò Christus iret; habitu tamen, non actu, quia non considerabant, nec quod nouerant, applicabant. Thom. Huc respicit D. Thomas, fatus: *Sciebant Discipuli quò pergeret Christus, & viam; sed se scire ignorabant*, quia videlicet habitu, non actu cognoscebant. Consentit Euthymius. Euthym.

§. II.

De Via.

DIcit ei Thomas: *Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?*] 3. *Vndenam hæc Thomas* Ex affectu cognoscendi, quò Dominus abiret, obiecisse Thomam Toletus affirmat: *Nescimus quò vadis.* Tolet. Viam igitur non possumus scire, termino ignoto. De quanam viâ Thomas? Arbitror loquutum de viâ, per quam ipsi Magistrum possent consequi. Vt igitur Dominum, ad explicandum quò abiret, induceret Thomas, omnium Discipulorum proponit ignorantiam.

Nescimus, ait, non ego solus, sed omnes Condiscipuli. 4. *Pro cunctis locutus.* Vndenam Thomas reliquos credidit ignorâsse, quod ipse nesciebat? Respondeo, audiuisse Petrum interrogantem, *Quo vadis?* nec responsionem à Domino accepisse. Ignorante autem Petro, verisimile omnes Discipulos simul ignorâsse.

Dicit ei Iesus: *Ego sum via, & veritas, & vita.*] Variè à Patribus hæc verba exponuntur. 5. *Quonam modo Christus via, veritas, vita?* Basilius: *Quoties Dominus appellatur via ad sublimiorum intelligentiam, potius quàm ad vulgarem, animo ferimur. Audientes enim viam, seriem & ordinem intelligimus per opera iustitiæ, donec perueniamus ad beatum finem qui est Dei cognitio* Basil. Coniunxit in ratione viæ operationem iustitiæ, *&c.* Tria Hilarius aliter Hilar. exponit: *Non nos in erratica atque inuia deducit ille, qui via est. Nec illudit per falsa, qui veritas est. Nec in mortis relinquit errore, qui*

vita est. Ac si clarioribus verbis dicat. Ego sum via, non fallax; sed certa, qua non ad mortem, sed ad vitam ducit. Ambrosius sic; *In viâ possibilitas, in veritate fides, in vitâ præmium significatur.* Cyrillus in hunc modum: *Tria sunt, per quæ ad æternas perueniendum est mansiones. Vnum est, varia operatio virtutum; alterum, fides recta; tertium, spes vitæ. Propter primum dicitur: Ego sum via; ipse enim legem operum virtutum nobis dedit. Propter secundum; Ego sum veritas, quia rectæ fidei author. Propter tertium; Ego sum vita, ipse enim nobis vitam restituit.* Vera omnia præmissa, dùm id solummodò Cyrillo obiiciam, viam dici non posse variam operationem virtutum; nisi enim fides adsit, omnis operatio virtutum non est ad vitam via.

Ambros.
Cyrill.

6. Nos igitur sic luculentiùs cum Chrysostomo hom. 72. expendimus locum; *Ego sum via, quia per me venietis. Veritas, quia sine dubio hæc erunt, & in me non est mendacium. Vita, quia nec mors prohibere poterit, quin ad me veniatis.* Dicitur Christus *via*: vt enim per viam à termino vno ad alium fit transitus; ita per Christum à peccato in iustitiam, & ab hoc sæculo in beatitudinem veniendum, nempè fide in ipsum, & mandatorum ipsius obedientiâ. *Veritas*, quia non solùm non mentitur, nec fallit; sed quæ promittit, implet. *Vita*, quia nos resurgere à morte faciet. Hisce ergo verbis Discipulos Dominus discessurus instruit; dùm edocet viam confirmat, dùm promissa stabilit; allicit, dùm vitam promittit. Græcorum in codicibus, vti Maldonatus & Toletus adnotant: hæc habent singulos articulos: *Ego sum illa via, & illa veritas, & illa vita.* Sic legit Caietanus.

Mens Authoris.
Chrys.
Maldon.
Tolet.
Caiet.

§. III.

De termino.

7. **N***Emo venit ad Patrem, nisi per me.*] Ego sum via. Terminus autem, quem per me tenere curandum vobis, Pater est; *Nemo ad Patrem venit, nisi per me*, id est, per fidem viuentem. *Per me*, indicat particula hæc, Christum esse Dei & hominum mediatorem, per quem habemus reconciliationem, & accessum ad Deum, cuius gratiâ & merito reconciliamur, & saluamur.

Christus Dei & hominum mediator.

8. Superiùs dixerat: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ioann. 6. Nunc autem: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Nemo, inquam, venit (authore Chrysostomo) *non est possibile aliâ venire viâ.* Nemo igitur potest ad Filium venire, nisi per Patrem; nemo potest venire ad Patrem, nisi per Filium. Quorsum hæc? Chrysostomus, ex quo didicit Diuus Thomas; *Exæquat se Patri nunc, qui superiùs dixerat: Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit.* Ad Patrem terminum ego via duco, Patre viâ ad me terminum adducente.

Nemo ad Filium venit nisi per Patrem, nemo ad Patrem nisi per Filium.
Chrys.
Thom.

9. *Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis.* Vultis, ac si diceret, dignoscere, vndenam procedit, vos nescite quò vadam? Me non perfectè cognoscitis. Patrem cognosceretis perfectè, si mei perfectam haberetis cognitionem. Vna etenim Patris ac Filij Diuinitas, & substantia? Diuidi-ne potest Diuinitas, & substantia? Haud aliter cognitio & fides hæc indiuisa est. Ex Cyrillo & Chrysostomo.

Cognito perfectè Filio Pater cognoscitur.
Cyrill.
Chrys.

10. Quæris, quonam sensu Discipuli Christum non nouisse dicantur, si credebant ipsum esse Filium Dei? Respondet Cyrillus: *Dictum non est propter Discipulos; sed propter omnes.* Augustinus: *Propter aliquos Discipulos dictum, quorum aliqui nouerant, aliqui non.* At Chrysostomus sine distinctione affirmat propter Discipulos sententiam expressam. Non enim perfectam fidem habebant, qui quantumuis Christum Filium Dei crederent, nondùm tamen eum consubstantialem Patri, ab ipsoque procedentem prorsus intelligebant, sicut posteà nouerunt Spiritûs Sancti illustratione.

Quonam sensu Discipuli Iesum non noscerent.
Cyrill.
August.
Chrys.

11. Scio Nonum legisse: *Si cognouistis me, cognouistis Patrem meum.* Hilarium autem de præsenti scripsisse: *Si scitis me, & Patrem meum scitis.* Accommodatior lectio nostra. Hæc est igitur causa, ô Discipuli, cur nesciatis quò vadam, quia me perfectè non nostis. Nam si me perfectè cognosceretis, si in me perfectè crederetis, necessum esset Patrem in me cognoscere, & confiteri, quia Patris & Filij vna Diuinitas.

Varietas lectionis.
Nonus.
Hilar.

12. *Et amodò cognoscetis eum, & vidistis eum.* In Græco Textu: *Amodò cognouistis*, siue *nouistis & vidistis.* Sic Cyrillus. Nouistis per fidem in me habitam, & vidistis per signa & miracula, quæ in me operatus est. Tertullian. lib. adu. Prax. *Et nouistis, & vidistis.* Sequor communem editionem, quam Chrysostomus & Hilarius approbant. *Cognoscetis eum* de futuro; *Et vidistis eum* de præterito. Quonam modo eum cognoscent, si iam viderunt?

Varietas lectionis.
Cyrill.
Tertull.
Chrys.
Hilar.

13. Non-ne quando viderunt eum cognouerant? Sic expono. Vidistis Patrem in meipso existentem. Vidistis humanitatem meam. Cùm autem vna sit Diuinitas Filij & Patris, qui per humanitatem videbatis Deum, videbatis etiam Patrem similiter per opera miraculorum: nam etiam Pater illa mirabilia per humanitatem vnà cum Filio operabatur. At non perfectè Patrem meum agnouistis, quia perfectam de me fidem non habebatis. Vnde & cognoscetis eum perfectè, quem in me videntes non cognouistis. Mentem explico: Vidit quis Regem, quem Regem esse ignorat. Vidit sanè Regem, sed Regem non agnoscit, Cæcus ille superiùs: *Quis est Filius Dei vt credam?* Cui Saluator: *Et vidisti eum.* Ioann. 9. Viderat priùs (vti superiùs diximus) sed non agnouerat; non aliter. Vidistis iam Patrem in me existentem, & operantem; sed amodò cognoscetis per fidem in me perfectam.

Expendo sententiam.
Ioann. 9.

§. IV.

De Domini cum Philippo dissertione.

14. **D***Icit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*] Hilarius: *Sufficit vt dicto suo fidem habeamus, si Patrem ostendas. Tria Christus in verbis præcedentibus pronun-*

Duplex Patrum expositio.
Hilar.

pronunciauit. Cognoscetis amodò, Patrem vidistis. Per quod est a vobis visus, per hoc est cognoscendus. Philippus autem non audens contradicere, verbo Christi respondet: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, vt sententiæ tuæ fidem adhibeamus.* Sed nescio, vnde Hilarius colligat Christum affirmâsse per id esse cognoscendum Patrem, per quod est visus ab Apostolis? Chrysostomus hom. 73. *Sufficit nobis, nec aliud intendimus, solùm agnoscere Patrem volumus.* Cyrillus: *Ostende nobis Patrem, & sufficit, vt contra Iudæos te transgressum legem, & dæmonium habentem contendentes, præualere valeamus.*

Chrys.
Cyrill.

15. *Authoris placitum.* Cyrill.
Ego quidem eiusdem Cyrilli alteri, quàm ipse simpliciorem & expressiorem appellat, expositioni subscribo. *Ostende nobis Patrem, & omnes nos gaudij plenos confitebimur, nihilque ad beatitudinem nobis deesse arbitrabimur.* Tu nos de tuo discessu & aliis, quæ dixisti, tristes & timidos consolari, & confirmare curas, promissione aduentûs tui, & assumptionis nostræ ad te, & præparationis mansionum. At *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, vt non opus sit te pluribus vti rationibus, ad tuos Discipulos confirmandos. Meatm Caietanus: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis de omnibus*, seu pro *omnibus quæ dixisti.*

Caiet.

16. *Philippi opinio de Iesu.*
Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me. ? Existimabat Philippus Patrem à Filio separatum, quales humani patres sunt, quorum filij videri & cognosci possunt, non visis, nec cognitis parentibus. Ideò Patrem sibi petit ostendi, quasi iam nouerit Filium, Paterque solus agnoscendus superesset. Ex hac ignorantiâ petit: *Ostende nobis Patrem.*

17. *Refellitur à Domino.*
At Iesus: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me.*] Nùm Philippe, me nôsti? Falsè existimas à te me fuisse cognitum, solúmque Patrē agnoscendū superesse. Debuisses profectò tanto tempore à me edoctus, me nouisse, attamen minimè nôsti, Quia si me nouisses, agnouisses & Patrem. Græcè legimus in singulari. *Non cognouisti me*, vti Hilarius & Chrysostomus. Hinc Caietanus: *Philippus aliquanta temeritatis reus, quamuis pro omnibus vsurpauerit petere, solus tamen arguitur, quod non cognouerit tanto tempore Iesum.*

Hilar.
Chrys.
Caiet.

18. *Praxeæ error circa Personas Trinitatis taxatur.* Chrys. & alij.
Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum] Praxeas hæreticus aduersus Trinitatis mysterium, sic hinc argumentatur: *Qui videt Filium, videt Patrem; ergo eadem est vtriusque persona.* Chrysostomus, Cyrillus hîc, Hilarius lib. 7. Trinit. Basilius lib. de Spiritu sanct. cap. 2. aduersus præfatam hæresim, vno o[illegible] insurgentes, asserunt hisce verbis non confundi Personas; sed potiùs apertè distingui. Ni[illegible] enim duæ essent Personæ, non esset dictum: *Si cognouistis me, cognouissetis & Patrem; & qui videt me, videt & Patrem.* A[illegible] intelligendam affirmant sententiam de s[illegible]tudine, vt qui vnum videt simile, alterum consimile in eo aspiciat. Id quod Hilarius sentire videtur.

19. *Expon[itur] sententiam* Basil. Cyrill. Athan.
Hæreo Chrysostomo, Basilio, Cyrillo, & Athanasio, de naturæ & Diuinitatis vnitate exponentibus. Ac si diceret Dominus. Tu, o Philippe, existimas te videre me & non Patrem, quasi alia sit natura Patris à meâ & ideò petis videre Patrem, eúmque tibi ostendi. Qui me videt, scito Patrem videre simul. Equidem cùm natura diuina Christi hominis & Dei, sit eadem Patris, & Filij, non poterat videri Filius, quin & Pater videretur, quod esse nō posset, nisi vna esset vtriusque natura, & etiam homo ille Deus esset.

Vnde ex verbis hisce multos fidei articulos comprobari cum Toleto affirmo. Primum, *homo ille Deus est.* Si enim esset merus homo, qui eum videbant, non dicerentur Deum Patrem videre. Secundum, *Pater & Filius eiusdem & vnius substantiæ sunt.* Aliàs enim non subitò qui videt Filium, videret & Patrem. Tertium, *Alius est Filius, & alius Pater in personis.* Aliàs non diceretur, *me & Patrem.* 20. *Articuli fidei multi ex sententiâ hac stant.* Tolet.

Enimuerò vt pleniùs reddatur præfatæ clausulæ sensus, duplicem esse visionem, corporis scilicet & mentis, tradimus. Visione corporis Deus non potest videri per se, sed per aliud. Quando olim Deus in corporeis figuris apparebat, etiam lumine corporeo videri dicebatur, non quidem in se, sed in figurâ repræsentante. Ita etiam in humanitate assumptâ Deus aspiciebatur; erat enim Deus homo, qui videbatur, & eâ ratione qui videbat Christum videbat Deum, non per se, sed per illam humanitatem. Visio autem mentis, aut fides est, aut visio intuitiua; si de intuitiuâ loquamur, verissimum est. *Qui videt Patrem videt & Filium; & qui videt Filium videt & Patrem.* Si de fide (quæ etiam visio dicitur in sacris. *Videmus nunc per speculum.* 1. Cor. 13.) etiam vera est sententia. *Qui videt Filium videt & Patrem*, Qui enim Diuinitatem Filij confitetur, eum Patris Diuinitatem necesse est profiteri, cùm vna & eadem sit. De quanam igitur visione sententia procedit? Hilarius: *De visione mentis.* Quod etsi non improbo, non sequor. Congruentiùs enim Textui opinor de visione corporeâ & sensibili (modo exposito) sententiam explicandam. 21. *Ampliùs exponitur locus ex visione duplici.* 1.Cor.13. Hilar.

Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non credis? Quia ego in Patre, & Pater in me est.] Euthymius non interrogatiuè, sed affirmatiuè legit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me.* Me Philippe, non nôsti, licèt tanto tempore mecum sis commoratus. Qui videt me, & meam cognoscit naturam, simul videt Patrem. At tu sicut me non vidisti, ita nec Patrem. Quomodo ergo dicis: *Ostende Patrem?* Quasi me noueris? Non credis me esse in Patre, & Patrem in me Non igitur meam vidisti substantiam, sicut nec Patris. Magis subtilis quàm vera expositio. 22. *Sensus expenditur Euthymij.* Euthym.

Sic interpretor. Si igitur qui videt me videt & Patrem, cur petis vt ostendam tibi Patrem, quasi à me separatum, cùm ego in Patre, & Pater in me sit, vnáque sit vtriusque Diuinitas? *Non credis, &c.* Caue ne ita proferas, attende quid petis; nam id dicere & petere, est non credere me vnum esse cum Patrē Deum. 23. *Authoris sententia.*

Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Postquam legi Doctores, omnium ferè doctrinam circa hanc sententiam in vno inueni Caietano. Manifestat enim Christus se in Patre, & Patrem in ipso esse, cùm locutione, tùm operatione. Ego in Patre, & Pater in me est, quia verba quæ ego loquor, non loquor a meipso, sed a Patre. *Et intendit per hoc quòd indiuisi sunt ipse, ac Pater in loquendo, ac per hoc ipse in Patre,* 24. *Quonam modo Iesus quæ loquitur non loquatur, & in ipso Pater operetur?* Caiet.

in Patre, & Pater in ipso est. Ego item in Patre, & Pater in me est; quia Pater in me manens ipse facit opera quæ ego facio. Vnde *cùm dixit: Lazare, veni foras, & similia verba quæ dixit, non dixit à seipso solùm, sed etiam à Patre*; & Pater in ipso manens simul operatus est. *Simul adijcit indiuisionem sui, & Patris* (quod attinet ad diuinam essentiam) *quoad facta, & probat indiuisionem sui, & Patris, quoad verba.*

25. Quæris cum Chrysostomo hom. 73. Cur non dixit: *Verba quæ loquor, à meipso non loquor: Pater autem in me manens ipse loquitur.* Sed dixit: *Pater autem in me manens ipse facit opera?* Respondeo esse Hebraismum, & causâ breuitatis sic dictum loco huius sententiæ: *Verba quæ ego loquor à meipso non loquor*, & opera quæ gero à meipso non facio; sed Pater in me manens ipse loquitur mecum, & ipse mecum operatur, vt communia sint vtriusque verba & opera, sicut eorum eadem natura diuina.

Quæstioni satis. Chrys.

In Philippum & Iacobum

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam. 36.

Ex viâ & termino Iesu.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ego sum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.

Philippus & Iacobus per Iesum viam ad Patrem incedentes, priùs deorsùm demittuntur, quàm sursùm euehantur.

Quia qui ascensum moliri parat, de demissione priùs curare debet.

26. CAIETANVS. *Ego sum illa via, vt intelligamus quod Iesus non est quæcumque via, sed suprema via. Et dixit: Ego sum via ad conuincendum Thomam, quòd sciebat viam sciendo Iesum. Verè autem dicit: Ego sum via illa, quoniam ipse moriens, resurgens via est, & quâ ipse iuit, & quâ eundum est.* Ex quâ igitur parte Iesus moritur, & ex quâ resurgit, Via est, quâ incedentibus & deorsùm & sursùm ambulandum. Descendamus priùs, vt ascensum possimus præparare. Nam & Christus, *qui ascendit*, ipse est, *qui & descendit in inferiores partes terræ.* Viæ ergo sequamur per valles & iuga ducatum.

Caiet.

27. Exemplum Philippi & Iacobi præmitto. Quorum illum *cùm funibus* (loquor cum Laurentio Surio) *à talis vinxissent, sublimè suspendunt præcipitem. Illud autem tacitè significabat directum eius ascensum ad superiora.* Quonam modo directus hic ascensus Philippi ad superiora innuitur, si præceps ille datur? Profectò ipse descensus, ipsa præcipitatio directa erat animi ad superos ascensio. Dominica enim via sic homines dirigit ad Patrem, vt priùs diriget ad abiectionem, ad labores; sic ducit ad superos, vt priùs nos efficiat inferiora lustrare.

Philippus præcipitatus ascendit. Surius.

28. Adijcit ille de Iacobo: *Iacobum autem è Templi pinaculo deijciunt; sed conuersus ille figit humi genua. Quidã verò ex eis, accepto fuste validè infligit eius capiti, & sic iustus tradidit animam.* En vt ascendat, vt Patri animam, Iesu instat commendet, priùs deijcitur. Hæc est via per rupes, per præcipitia, ad Oreb montana ducens, moriendo scilicet & resurgendo; quam qui init priusquàm resurgens ascendat, descendens moriatur necessum est.

Iacobus etiã præcipitatus ascendit. Surius.

29. Christus fatur: *Sinite paruulos venire ad me.* Apostoli enim increpabant eos nè ad Christum accederent. Matt. 19 Vbi acutè Paschas. *Euangelista effectum præsentis rei futurorúmque sic temperat, vt per ea quæ efficiebantur in pueris prophetia futuri monstraretur. Nam infantes verè oblati sunt, veréque inhibiti.* Quomodo oblati & inhibiti? Quonam modo dum inhibentur offeruntur? Christus via est, ad quam venire pueros hortatur. Per huiusmodi autem viam paruulos incessuros priùs oportet quasi remoueri, siue deorsùm tendere cogi, vt directà per Christum ascendant ad superos. Non recedunt à viâ; sed intra eiusdem itineris terminos, sine recessu recedunt, dum descendunt & ascendunt ad viæ caput, dum per necessarium recessum ducuntur ad superna.

Recedentes pueri ad Dominum ascendunt. Matt. 19. Paschas.

30. Petro curanti Christum à Cruce reuocare, sic Dominus *Vade post me, Sathana, scandalum mihi es.* Matt. 17. Sathanas idem ac *aduersarius*. Ideò Petrus hoc notatur nomine, quia diuinæ dispositioni circa Christi ascensum aduersabatur, viámque reformare studebat, totam planam esse cupiendo. *Vade post me*, idem est ac *discede*, recede. *Emittit Petrum* (inquit Caietanus) *sicut emiserat diabolum tentantem, sed non eodem affectu.* Quia diabolum à se reiecerat absolutè, quasi non rediturum. Petrum autem à se remoueri curauit, vt quasi per deuiationem & recessus necessarios viæ, verè ad superos auolaret. Mentem meam expono. Audierat Petrus à Domino sibi Discipulisque per Crucis viam incedendum, vt ad montem conscenderent. At Petrus intendens sine descensu ascendere Christum, à laboriosâ via reuocare curabat, cunctisque Discipulis vias planas præparari. *Non erit tibi hoc. Vade post me*, me imitare descendentem & ascendentem. Hæc est viæ conditio: si plana tibi non sum

Reprehenditur Petrus quia curabat reformare viam. Matt. 17. Caiet.

via, si montana obiicior, quonam modo poteris ascendere sine descensu? An poteris ipsam rursùm ingenio tuo reformare, accommodare viam? *Ego enim* (cum Caietano loquor) *sum illa via. Quoniam ipse moriens, & resurgens via est, quâ ipse iuit, & quâ nobis eundum.*

Observatio II.

Ad illa verba:

Ego sum Via, & Veritas, & Vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.

Philippus & Iacobus, Christo comite, per Crucis viam incedentes, termino potiuntur.

Quia sine laborum regiâ viâ haud cælum iniri potest.

31. Caiet. CVR non dixit; *Nemo vadit*; sed *nemo venit ad Patrem.* Respondet idem Caietanus: *Non dicit; Nemo vadit ad Patrem* (scilicet sine ipso) *sed nemo venit, tanquam comes ipsius. Vt Pater insinuetur communis terminus, quò vadit Iesus, & quò venit quicumque it ad vitam æternam.* Quanam igitur viâ Christo ac Discipulis incedendum? Lyranus: *Mors fuit via eundi ad Patrem.* Nobis igitur currendum, Crucem portando. *Tollat Crucem suam,* ait, *& sequatur me.* Non vadis, sed venis, Christo comite, tendis ad Patriam.

32. *Iacob Iesu crucifero comite, ad Patrem tendit.* Gen. 28. Eustach. Vulgaris ille locus Geneseos argumentum non vulgariter illostrabit. *Vidit in somnis* Iacob *scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, & Dominum innixum scalæ.* Cap. 28. Eustachius ex catena Græcorum affirmat Iacobum vidisse *corpoream Christi speciem, quæ pateret oculis, & quæ loco circumscriberetur.* Rogo, an Christus, quem vidit Iacob, sit ille quem Moyses Dominum appellauit? *Et Dominum innixum scalæ.* Opinor Patriarcham & sursùm ad scalæ terminum Dominum Patrem aspexisse, & deorsùm iuxta scalæ principium Christum contemplatum. Sic Isidorus apud Strabum: *Ipse est sursùm in capite; ipse deorsùm in corpore suo, id est, Ecclesia.* Ipse sursùm Deus Pater futuri sæculi, ipse deorsùm Eustach. Christus Ecclesiæ caput. Quid scala? Eustachius. *Crucis illi trophæum scala præsignauit, cui suspensus fuit & affixus Dominus.* Iam sensus innotescit. Scala Crux, per Crucem omnibus incedendum, vt Domino, Patri viæ scilicet termino, hærere possimus. At non vadere, sed venire iubemur, dùm sese nobis Christus socium exhibet, eandem Crucis viam accipiens, imò seipsum viam Crucis ostendens. *Ipse* (in- Isidor. quit Isidorus) *scala, qui ait apud Ioannem; Ego sum via.* Tantùm abest, quòd nos solos pergere iubeat, vt ipse via sit, qua nunquam sine Christo, qui nunquam sine via, nobis sit incedendum.

33. *Venit cum Iesu Sponsa Crucis ferculo.* Sponsum audite: *Surge, propera, amica mea, & veni, columba mea, in foraminibus petræ.* Cant. 2. Sic interpretatur, qui sic apices apponit. Anselmus: *Veni columba mea in foraminibus petræ. Nidificat quidem columba in petrâ. Per petram habemus Christum; foramina, plagæ Dominici corporis.* Vulnera ergo Crucifixi animæ Cant. 2. Anselm. profecturæ adsunt receptacula. Non mittitur columba sola; sed venire iubetur, vt Christo crucifero comite iter instituat. Crux Christi & Sponsæ est ferculum; *Veni in foraminibus.* Mea vulnera tibi & vehiculum exhibent, & ducatum.

Triumphus Philippi & Iacobi cum victoria 34. Domini copulatur. Crux enim vehiculi instar, *Cruce ad superos deportatur Philippus.* vtrumque ad superos deportauit. Surius ad hæc: *Philippus Cruce condemnatur. Mouetur repentè* Surius. *terra, circumagitur vniuersus ille locus, & in profundum demittitur. Philippum circumstantes inuocant seruatorem.* Et meritò, quia, testante terræ commotione, Philippus Seruatoris Magistri imaginem referebat.

Quid Iacobus? E pinnaculo Templi præceps 35. deijcitur, obruitur lapidibus: *& cœperunt in* *Cruce ad superos Iacobus deuehitur.* *eum iaculari lapides* (cum Laurentio loquor) *quoniam deiectus non erat mortuus.* Quid expe- Surius. ctas anima sanctissima? Te recipe in Patriam. *Figit humi genua, dicens; Domine Pater, dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt.* Non discedit è carcere Iacobus, donec imaginem omninò Crucifixi exerat. *Quidam autem ex eis, accepto fuste, validè inflixit eius capiti, & sic iustus tradidit animam.* Lignum illud Crucis referebat simulacrum. *Sic tradidit animam Iacobus:* quam quidem, nec præceps missus, nec lapidibus vulneratus, tradiderat, vt in morem Iesu quasi Cruci suffixus occumberet, & sic duæ columbæ purissimæ in petræ foraminibus, vnà cum Domino pergerent ad Patriam, per scalamque Crucis Angelici illi spiritus Magistrum secuti, in Patris conspectu requiescerent. Sine Crucis onere cælestis non teritur via; imò via ipsa Crux est. Christus est affixus patibulo, quem inimus viam, quem sortimus comitem, vt patria potiamur.

Observatio III.

Ad illa verba:

Dicit ei Philippus; Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

Philippus & Iacobus sanctissimi ex Iesu consuetudine.

Vbi innuo, Sacerdotes plus Christi familiares, sese ampliùs sollicitos ad diuina exequenda mandata exhibere.

VNDE NAM ausus Philippus, hoc à Do- 36. mino singulariter efflagitare? Respondet Hilar. Hilarius lib. 7. Trinit. *Commouit Apostolum Philippum nouitas dictorum: Homo cernitur, Dei se Filium confitetur, cognito se cog[...] dum Patrem fatetur. Prorupit igitur Apostolica familiaritas, Dominum interrogans. Vnde dicitur: Dicit ei Philippus.* Si Apostolica familiaritas prorupit, omnes Apostoli dicere de-

berent

37. *Philippi & Iacobi specialis cum Iesu familiaritas ex specialissimâ sanctitate.*

berent. *Domine, ostende nobis Patrem.* Quare ergo solus Philippus loquitur? Reuoca in mentem Petrum studiosum ediscendi, quisnam esset Dominum traditurus. Adit ille Ioannem, Christo scilicet magis familiarem, vt Apostolica familiaritas vno Ioannis ex ore proferetur: *Quis est qui te traditurus est?* Haud aliter in gratiam Philippi fari liceat, ex ore illius omnem Apostolicam familiaritatem prorupisse. Ipse namque inter Sponsi amicos haud nouissimum locum sortiebatur, Doctores Iacobi minoris sanctitudinem ponderantes, aiunt minimè deliquisse circa Resurrectionis mysteria, specialissimáque sanctitudine (vnde nomen iusti) decoratum, vti, ex mente Augustini, ampliùs à Domino amaretur, cuius gratiâ Sedi Ierosolymitanæ à collegio præficitur. Apostoli itaque hi specialiter Christo familiares. Ergo concito gressu ad viæ terminum, ad Patrem vtique festinárunt. (Augnst.)

38. *Qui magis Deo familiaris magis sollicitus circa eius obsequium.*

Amicitiæ lex eos magis sollicitos ostentari circa Domini obsequium, qui ab ipso præstantiori familiaritate excipiuntur. Sponsum audiamus. *Surge, propera, amica mea, & veni.* Cant. 2. Paulo superiùs clamabat: *Ne suscitetis dilectam.* Cur, quæ iubebatur dormire, quiescere, iam præcipitur properare? Illud ipsum profectò dormire, quiescereque, in morem Ioannis, supra pectus Sponsi dilectam, signum est specialissimæ dilectionis, & familiaritatis præstantissimæ. At qui manifestauit specialissimè familiarem esse, consequenter iubet eam ad actiones obsequij properare. Bernardus serm. 58. *Non-ne ipse est, qui paulò antè suscitari dilectam tantopere prohibebat? Quo pacto ergo nunc non solùm vt surgat, sed vt acceleret iubet?* Sic soluit: *More suo Sponsus, vbi dilectam paululum in sinu proprio quieuisse persensit, ad ea denuo quæ vtiliora visa sunt, trahere non cunctatur. Ad desiderium bonorum operum, desiderium fructificandi Sponso, quippe cui viuere Sponsus est, & mori lucrum. Et est desiderium vehemens, quòd eam non tantum surgere, sed & surgere festinanter sollicitat.* Familiaritas specialis speciali properantis obsequio rependitur. (Cant. 2. — Bernard.)

39. *Qui in sinu Dominico dormit, requie speciali fruens, sollicitiùs resurgit ad opera.*

Testor Discipulum in sino Dominico dormientem. Pergit Iesus ad hortum, Petro, Ioanne & Iacobo comitantibus, præcipuè familiaribus, Abulense Doctore. Amicos igitur dormire iubet. *Dormite iam, & requiescite.* Mox autem sine cunctatione eos iubet surgere, & properare. *Surgite, eamus.* Bernardus citat. *Eâ nocte, quâ Dominus tradebatur, cùm fatigatos productioribus vigilijs, Discipulos dormire, & requiescere præcepisset, in ipsâ horâ surgere coegit. Surge, propera, amica mea.* O Ioannes apud Sponsi pectus dormîsti, quieuisti! Surge, propera; Ioannes properauit, quia præstantiori exceptus familiaritate requie à Domino donatus fuit. *Dormite, requiescite.* Bernardus pulchrè: *Venit in mentem*, cùm audio illud: *Surge, & propera, amica mea*, postquàm dixit: *Non suscitetis dilectam, simile quid ex Euangelio, nocte, quâ Dominus tradebatur.* (Matt. 26. — Bernard.)

40. *Quàm solliciti ad obsequium Apostoli ex specialis familiaritate.* (Iustin.)

Vis obijciam, quàm solliciti Philippus & Iacobus ad obsequium exurgunt ex specialissimâ familiaritate? Laurentium Iustin. accipite: *Erat admiratione atque imitatione dignissimum aspicere viros hos Dei amicos.* Ecce amorem adeò præstantem, vt hoc titulo specialiter ornandi Doctori viderentur. Familiaritas, seu amicitia admirabilis? Expendam obsequij sollicitudinem. *Cælestis Regni præcones, Angelorum conciues sordescere vestibus, temporali indigere substantiâ, esurire, sitire, penurias pati, volenti animo perferre contumelias, sponte pro honore Dei & animarum salute verbera, plagas, carceres, vincula, exilia, aculeos, ferrum, ignes, gladios, ipsiúsque diræ mortis subire supplicium. Sedulâ intentione peragrabant per solitudines, penetrabant nemora, per Prouincias ambulabant, & Vrbes.* Nec specialissimæ familiaritati satisfacerent, si non huiusmodi properanti affectu cursum vsque ad mortis, ad Martyriique terminum instituerent.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

Philippus & Iacobus ex propinquitate cum Iesu obiiciuntur.

Vbi adnoto nos cogi ardenter Deum diligere, ex quo capite Christi fratres exurgimus.

41. (Hugo.)

HVGO Card. *Si vidistis Filium, & Patrem vidistis. Verè me non nouistis, quia si me nosceretis, Patrem nosceretis.* Quia ego Pater vester sum, paternis vos operibus illigaui. Vsus certè Cardinalis sensu potius accommodatitio, quàm literali. Quid igitur erga vos gessit, quòd non affectum paternum indicaret? O Christicolæ filij Iesu! Quàm ex hac necessitudine Apostoli nostri commendabiles! *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Tuos parens appellor, & existo, te Dei Filium poteris meritò appellare.

42. *Propinquum esse Iesu, idem est ac specialissimâ ardescere charitate.* (Cant. 2. — Greg.)

Porrò spiritualis propinquitas specialis index est charitatis. Imò nihil aliud est me propinquum esse Iesu, quàm Iesum diligere. Vnde quò maior est charitas, maior propinquitas annotatur. *Perge, & propera, amica mea.* Cant. 2. LXX. *Propinqua mea.* Amica vocitatur, ac simul *propinqua*, quia nil aliud propinquitas cum Domino est, quàm specialis affectus dilectionis. Gregor. apud Delrium: *Amici vocamur, qui dum cælestia appetimus, contemptis terrenis, Deo adhæremus, & eius propinqui efficimur.*

43. *Philippus Iesu filius, hæres.* (Surius.)

An Philippus propinquus Iesu? Fuit planè. Quanam necessitudine? Prorsus filij. Igitur perfectissimâ fulsit charitate. Surius bellè meam illustrat cogitationem: *In Christum Philippus perfectiorem assumpsit charitatem, vt reputaretur perinde atque filius, & locum obtineret hæredis, & constitueretur Princeps super omnem terram.* Quia præstantissimus charitate fuit, ad tàm arctam necessitudinem assumptus ostentatur.

44. Ex sanguinis propinquitate spiritualem ne-

Si sanguinis propinquitas index est specialis charitatis; quid spiritualis necessitudo. Matth. 17. Abul.

cessitudinem confirmabo efficaciter. Sanguinisne propinquitas index est charitatis? Ita planè. *Accessit ad Iesum Mater filiorum Zebedei. Dic* (ait) *vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram in Regno tuo.* Mat. 20. An sibi Apostoli persuasissent, se sedibus donandos præstantissimis? Abulensis, *specialem habebant Petrum competitorem; illum enim Christus specialiter diligebat*, ab eoque ardentissimè diligebatur. Attamen assero Apostolos sibi, prudenter equidem, humano more persuasisse se postulatis fruituros, quia nullus inter Apostolos ita erat propinquus. Vnde licet præcipuæ sedes præcipuè dilectis adscribendæ fuissent, ex arctiori sanguinis propinquitate collegerunt, se consequenter necessitudine maiori charitatis colligari Magistro. *Ita isti* (addit ille) *crediderunt, cùm inter Apostolos Christi nulli essent ita propinqui Christo sicut ipsi; quod potius eis, quam alijs concederet hunc honorem.* Nam si maiori dilectioni primæ erant aptandæ sedes, putabant se & magis dilectos à Domino specialis suæ merito propinquitatis. An non Ecclesia etiam vt Deiparæ sanctitatem expendat, maternitatis, necessitudinis vtique supremæ, vtitur argumento?

45. *Quam sanctus arguitur Iacobus ex propinquitate cum Christo.* Iud. 1.

Iacobi priuilegium specialiter fulgurat, fratris Domini appellatione condecorati. O quàm dilectionis ista est index necessitudo? Iudas Thadæus Catholicam scripsit Epistolam, cuius inscriptio: *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, ijs, qui sunt dilecti in Deo Patre.* Iudæ 1. Iudas Iacobi frater, qui Domini frater appellatur? Ineffabilis prorsus (sic arguunt Doctores) Apostoli sanctitas. Si ergo colligitur Iudæ perfectio ex necessitudine cum Iacobo: quàm præcelsa obiicitur Iacobi ex necessitudine cum Christo, singulari vnicè, sanctitudo? Audi Surium. (Surius.) *Iudas, qui Catholicarum septimam scripsit Epistolam, quomodo fecit inscriptionem? Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, ijs, qui sunt dilecti. Non ex Imperatorijs, & inanibus dignitatibus sibi tantum dignitatis tribuunt, qui sunt in Mundo splendidi, quantum ille sciebat gloriari ex eo, quòd esset, & diceretur Frater Iacobi. Quanto est igitur ipso Iacobus maior, quòd Christi Frater nominatur. Ipse enim solus assecutus fuit hæc priuilegia, & dignus est habitus, qui solus vocaretur Frater Domini.* Attende perpulchram ex propinquitate consequentiam. *Hic ergo magnus, & diuinus Iacobus erat sanctus ex vtero matris suæ.* Quasi vterus qui propter consanguinitatem seu similitudinem cum Christi fratrem emittebat, eundem sanctum vi consequentiæ eniteretur. *Ergo magnus, & diuinus Iacobus erat sanctus ex vtero matris.* Si ergo ex sanguinis propinquitate sanctitatis præstantia arguitur: quanto efficacius ex spiritualis necessitudinis intensione, charitate operante, arguetur? Felix omnino ille cui datum ad huiusmodi consanguinitatem spiritûs egregijs actionibus eleuari.

***

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Verba quæ ego loquor, à me ipso non loquor; Pater autem in me manens ipse facit opera:

Philippus, & Iacobus, Iesu instar, operibus pro verbis vtebantur.

Vbi edocemur opere pro verbis vtendum ijs, qui homines conuertere conantur.

SI verba, quæ loqueris, ô Domine, procul dubio loqueris, quomodo non loqueris verba? Augustinus, *Verba quæ loquor, non loquor? Ergo & verba opera sunt.* Licèt Christus loqui videatur, non tam loquitur, quàm operatur? quia Pater eo loquente facit opera. Cùm autem quoad naturam diuinâ idem Deus Pater & Filius, dum Pater operibus pro verbis vtitur; Christus, dum loquitur, operatur. 46. August.

Quærens Centurio puero ægrotanti medicamen, anxio spiritui requiem, adit Saluatorem. *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Matth. 8. Quid ais, ô miles? Noli profari: *Sed tantum dic*; sed fac operare o Domine pueri sanitatem. Quam rectè postulasti? Illud enim ipsum verbi dictum petere, est sanitatis opus postulare; quia Christi dicere, operari est. Bernardus serm. 86. in Cant. animum orantem, beneficiaque à Deo petentem describens, addit: *Non rectè oras, si orando, præter verbum, aliquid quæras; quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedium vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi denique quidquid accipere, vel habere hominibus expedit. Sine causâ ergo aliud a verbo Christi petitur, cum in ipso sint omnia.* Omnia accipis munera, cùm Dominico verbo donaris. *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer*; quia Christi dicere, operari est.

47. *Dicendo Dominus sanitatem operatur, quia eius dictio actio est.* Matth. 8. Bernard.

Disserente Domino de corporis sui epulo, duris quibusdam sermo durus apparuit, vnde à Iesu recesserunt. Cùm autem rogaret Discipulos, an ipsi abire vellent? *Domine,* inquiunt) *ad quem ibimus. Verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6. Quare vitalia Domini verba nuncupantur? Affer ad memoriam hominem è puluere excitatum spirante Domino *spiraculum vitæ.* Gen. 2. Haud aliter verba Iesu vitalia, quia non inaniter auolant, sed in opus perfectissimum diuinæ manus conuertuntur. Quot verba Christi audiuntur tot egregia opera præsentantur. Bernardus de verb. Abac. *Ita dico vobis fratres, vsque hodie quibusdam manifestura est, quoniam verba, quæ loquitur Iesus spiritus, & vita sunt.* Profatur Christus: *Hoc est corpus meum.* Si Adamus manuum Domini opus egregium, quid Corpus Saluatoris? Non solùm dicit, sed simul panis in corpus Christi conuersionem operatur. *Tantum dic verbo, si verba vitæ æternæ habes.*

48. *Christi verba vitalia quia operantur [illegible] simul dicuntur et exercentur manus.* Ioan. 6. Gen. 2. Bernard.

Isaias

49. *[Loquentibus Euāgely ministris, mox conuertitur animus audientis, ut verborū Iesu imitentur efficaciam.]* [Isa. 40.] [Bernard.] Isaias clamat: *Loquimini ad cor Ierusalem*, cap.40. O vos Euãgelici ministri, qui, Iesu instar, verba vitæ profertis, loquimini ad Ierusalē. Cur non ad Babylonem? Quia qui Iesu loquentis gerit personam, non tam loquitur, quàm facit; vnde illud ipsum loqui ad Babylonem est conuerti Babylonem in Ierosolymam, peccatorem in iustum commutari; quare Ierosolymæ loquuntur, si dictum mirabile opere colligatur. Bernardus citat. *Renocat peccatores ad cor, pro eo quod ibi habitet ipse, ibique loquatur faciens*, &c.

50. *[Philippus & Iacobus dicendo operabantur vitā.]* [Iustin.] Fallor nisi ad Philippum, & Iacobum Euangelicus Vates direxerit vaticinium: *Loquimini ad cor Ierusalem*. Hi namque, Iesu instar, verbis vitalibus vtentes, faciebant, dum loquebantur. Laurentius Iustinianus, *Erant planè Philippus, & Iacobus tanquam luminaria magna perlucida, verbum vitæ in se continentia. Annunciabant Dominum Iesum. Faciebant proculdubio gaudium magnum omnibus audientibus.* Illa pende: *Annunciabant, faciebant*. Ipsum enim annunciare, seu loqui, iam facere, iam erat operari. Quàm egregius Concionator, cuius verba opera, cuius labia aperire, est manus exerere!

Observatio VI.

Ad illa verba:

Sed Pater in me manens ipse facit opera.

Paternus affectus erga proximos Philippi & Iacobi expenditur.

Vbi Christi paternam erga peccatores recolo dilectionem.

51. [Augúst.] Qvæstionem excitat Augustinus, *Quid est: Pater in me manens ipse facit opera?* Et respondet, *Quid est nisi, In me maneo ego, qui facio?* Ego maneo in me Pater, idest, opera, quæ ego facio verè paterna sunt, in cunctis me Patrem exhibeo. Vnde *qui videt me, videt & Patrem.*

52. *[Christus semper operatur, vt pater, nos paterno excipiens affectu.]* [Ioan 5.] Apud Ioannem alibi Dominus, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*, cap.5. Vsque modò operatur? Nonne *requieuit ab vniuerso opere quod patrarat?* Quomodò igitur Pater *vsque modò* operatur? Profectò præter quàm quod quidquid Filius operatur, Pater operatur simul propter essentiæ identitatem: dum opera molitur Christus vt homo est, non solùm Patris æterni ope, & nomine operatur; sed & Patris affectu cuncta in nos opera exequitur. Cùm Paralyticum in die Sabbati Dominus soluisset e vinculis, *persequebantur eum Iudæi, quia hæc faciebat in Sabbatho.* Tunc Iesus, *Pater meus* vsque modò operatur, & ego operor. D.Thomas, *Noluit putare, quod in Sabbatho ita requieuerit Pater meus, vt ex illo non operetur.* [Thom.] Quia videlicet operor ego, cuius gesta sunt Patris mei, & qui affectu Paterno peccatores amplector.

53. *[Vtitur pro affectu ipso quodammodo Patre.]* [Matth. 27.] [Bernard.] Affectus, hic Paternus adeo præstans in Christo, vt ipso Patre æterno pro affectu quodammodo vtatur. Iesus iam iam spiritum efflaturus huiusmodi ad Patrem verba profudit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. Vbi Bernardus sermone 5. de verbis Isai. *Dicere-ne audebimus, quod aliquando fuerit sine Patre? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me! Habemus Christum ex Patre nascentem, in Patre cubantem, cum Patre sedentem, pro Patre stantem, sub Patre pendentem, sine Patre quodammodo morientem.* Iesusne moritur sine Patre? Certè Patrem honoraturus Christus, quodammodò sine Patre moritur. *Ideo* (inquit Chrysostomus apud Thom. in Cat.) *emisit propheticum vocem, vt vsque ad vltimam horam videant, quoniam honorat Patrem.* [Chrysost.] Et quonammodo Patrem honorauit? Affectum paternum circa homines vel inimicos exhibendo, pro Patre operatur.

54. *[Stephani complicatur exemplo.]* [Act.7.] Stephanus lapidibus à Iudæis vulneratus, *Cùm esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei*, Act.7. Sæpè illam quæstionem excitari audiui: Cur non vidit Spiritum sanctum ex Patre Filióque procedentem? Responderique ideo Paracletum non vidisse extra se, quia ipse Spiritu sancto plenus erat. Lyranus, *Cum esset plenus Spiritu sancto, hæc plenitudo fuit augmentata in Martyrio, quod est actus charitatis perfectæ.* [Lyran.] Igitur Spiritus sanctus Stephanum glorioso priuauit conspectu, quia Spiritu sancto Leuita operabatur, dum pro lapidatoribus exorauit.

55. *[Apostolorum paternus affectus.]* [Surius.] Iam ostendo paternum Philippi & Iacobi erga proximos affectum, Saluatoris imaginem in se exprimentium. Profectò Apostoli *de gemitibus egenorum* (loquor cum Laurentio Surio) *de pauperum inedia, de compassionibus oppressorum, de lacrymis viduarum, spirituales sibi diuitias aggregabant.* Nec mirum paterno isto affectu vti, qui ore ex suo omnium desiderium aperuit profatus: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Sufficit planè, quia ex paterno Iesu affectu omnia nobis cælestia munera exoriuntur. Ostendite vos, ô Principes, nobis & patrem, siue parentes vos peccatoribus ostentate, & sufficit; paternum enim vestrum affectum in nos cuncta perfecta dona comitabuntur.

SECTIO TERTIA.

Maiora Credentium Opera.

TEXTVS.

VERS. 11. NOn creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin pro-
pter opera ipsa credite. 12. Amen amen dico vobis: qui credit
in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet; quia ego ad
Patrem vado. 13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc fa-
ciam; vt glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo
hoc faciam.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. Vnicus.

De operibus Christi Patrem manifestantibus.

1. *Opera Iesu manifestant Patrem in ipso esse.* Euthym. Cyril. Hilar.

NON *creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est!*] Græcè, *Credite mihi, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Sic Euthymius. Cyrillus autem lib.9. cap.39. *Credite*, non autem *mihi* apposuit. Hilarius lib.7. Trinit. *Credite mihi. Pater in me manens ipse facit opera sua.* Diuersæ lectionis sensus idem Si non, inquit, creditis, me in Patre, & Patrem in me esse, propter sola verba mea, id est, si mihi id affirmanti fidem non habetis: saltem *propter opera ipsa*, quæ Patris sunt, *credite.*] Nisi enim Pater in me maneret, opera huiusmodi non exponerem. Id ex credentium operibus probat adiiciens.

2. *Ex operibus credentium id probatur*

Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet.] Vt Discipulis persuadeat se in Patre, & Patrem in se; nouo vtitur argumento. Si opera, quæ ego facio vobis non suadent, vt credatis, me esse in Patre, & Patrem in me, suadeant saltem opera, quæ credentes in me facturi sunt. Hi namque opera exequuntur, quæ ego efficio, nempe opera Patris, & Diuinitatis gesta. Vim expendo argumenti: Qui me esse in Patre, & Patrem in me: siue me esse Filium Dei, Patri consubstantialem credent, facient opera mira, quæ ego facio. Propter fidem igitur hanc verum est, me esse in Patre, & Patrem in me. Nisi enim hoc verum esset, qui id credit, non efficeret opera talia per hanc fidem. Auget argumentum:

3. *Quonammodo credentes maiora opera exequuntur?* Origen.

Et maiora horum faciet.] Non enim hæc facient, quæ ego facio, tantum, sed adhuc maiora his, quæ ego feci. Quæris: Quid per maiora illa opera intelligendum? Origenes homil.6. in Isa. opera hæc maiora explicat conuersionem per Discipulos factam, & credentes. *Hæc quæ ego feci corporaliter, vos maiora facietis. Ego feci resurgere ex mortuis corporaliter; vos resurgere facietis ex mortuis spiritualiter. Ego cæcis sensibile hoc lumen infudi; vos spiritualem lucem non videntibus dabitis.* Consentiens Augustinus tractat.72. ait: *Maiora fecerunt Discipuli, quia multo plures conuerterunt, quàm Domino ipso prædicante conuersi sunt; quod non solùm in Gentibus factum est, sed in ipsismet Iudæis.* Origenes item homil.7. in Numer. hæc maiora interpretatur, spiritualia opera, quæ iusti faciunt, victoriam contra Mundum, dæmones, & carnem propriam reportantes: maiusque esse, ait, virtutis argumentum, per fragiles viros, ac fœminas hanc victoriam Christum operari, quàm per se ipsum. Integram Patris sententiam proximo dabo in Panegyrico. August.

4. *Auctoris sententia.*

Nos igitur hæc maiora opera interpretamur miracula à quibusdam, Dei virtute excitata, maiora iis, quæ Christus operatus est. An non miraculum celsius Petri vmbrâ sanatos esse infirmos, quam tactû Dominicę fimbriæ sanguinem stetisse. Chrysostomus homil.12. in Act. *Hoc in Christo non est factum, proinde videre licet, re ipsâ impletum esse, quod dixerat: Qui in me credit, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Chrysost.

5. *An omnia à credentibus facta miracula, maiora?*

An τὸ *& maiora horum faciet* significet omnia miracula per credentes facta fuisse maiora his omnibus, quæ Christus excitauit? Minimè; sed multa fecisse Diuos maiora multis, quæ per Christum effecta sunt. *Non omnia* (inquit Caietanus) *facient maiora, sed aliqua.*

6. *Vtrùm generalis sit promissio?*

Num hæc promissio generalis adeo, vt omnes credentes id sint præstituri? Negatiuè respondeo. Hæc enim verba ad confirmandam sententiam illam: *Ego in Patre, & Pater in me est*, sunt expressa. Ad quod sufficit, si virtute huius veritatis, & fidei aliquando & ab aliquibus fiant, & facta sint opera diuina; non tamen necessarium est semper fieri, & à quocumque.

7. *Causam reddit, cur credentes sint facturi opera maiora.* Chrysost. Cyril.

Quia ego ad Patrem vado. Causam reddit, cur facturi sint credentes opera, quæ ipse fecit, & maiora. Chrysostomus homil.73. *Facient Discipuli, & credentes opera, quæ ego facio; quia ego ad Patrem vado, iam cum illis visibiliter non commorabor: idcirco munus meæ manifestationis credentibus in me relinquo, & ipsi prosequentur facere opera mea.* Cyrillus autem lib.9. c.41. *Nunc ad Patrem vado, & nomen meum manifestandum est Gentibus: ideo maiora, & quæ ego non feci, facient Discipuli, & fideles mei.* Hæc itaque est causa, cur facietis opera, quæ ego facio, & maiora: quia ego vado ad Patrem, & sic vado, vt faciam, quidquid petieritis in nomine meo. Ideo adiicit:

Et

8 *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*] Quodcumque, inquam, per quod mea Diuinitas, quam habeo cum Patre communem, manifestanda est. Pende verbum illud: *Hoc faciam.* A patre petitis, ego à Patre postulata impleo. Si à Patre postulamus, cur Filius præstat? Se Deum ostendit, qui talia operatur. In Græco non est, *Patrem*, sed, *Quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Idem est sensus: Vim orationis hinc vestigare licet ex Caietano fante: *Ratio, modúsque faciendi hæc, & maiora, explicatur amplissima facultas impetrandi, non aliquid; sed omne, quod petierint.* Adiicitur autem conditio necessaria, vt quod petimus, fiat: *In nomine meo.* Ad quæ Cardinalis, *Non promittit, Quidquid petieritis; sed limitat, In nomine meo. Hoc est, ad honorem, famam, & gloriam meam. Verùm intelligo, hanc conditionem non solùm respectu intentionis petentis; sed etiam respectu rei: hoc est, non solùm quòd petens petat pro gloria Christi, sed etiam quòd in rei veritate illud sit expediens tunc pro gloriâ Christi.* Adnota, vndenam aliquando optata, oratione præmissâ, non adipiscamur. Aut gloriam Iesu non intendimus; aut re verâ, quod petimus, in gloriam Iesu non cedit.

Christus facit, quidquid Patrem petimus.

Caietan.

Orationis Fis.

9. *Vt glorificetur Pater in Filio.*] Vos in nomine meo à Patre efflagitatis munera, sine vt gloriæ nominis mei studeatis. Ego id faciam, Patris mei gloriæ operam impendens. Cardinalis adiicit: *Vos quidem petitis pro gloriâ meâ; ego autem faciam pro gloriâ Patris mei; vt Pater glorificetur in gloria Filij.*

Christus gloria Patris studet. Caietan.

Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.] Chrysostomus, & Nonus totam hanc sententiam relinquunt, arbitrati forte ad textum non pertinere; vel quia satis in similibus præcedentibus sibi visi sunt exposuisse. Existimo, non esse sententiam eandem ad maiorem confirmationem, sed nouum sensum obiicientem. 10.

An eadem clausula? Chrysost. Nonus.

Quorsum igitur Christus reperit, se facturum, quidquid suo in nomine petierint? Respondet Toletus, ad distinctam sententiam hoc pertinere. Priora enim illa verba posita sunt, vt ostenderet credentes facturos opera mira, quæ fecit Christus, & maiora: & ratio adiuncta est, quia ad Patrem vadit facturus ea, quæ petierint credentes, vt Pater in Filio glorificetur. At verba ista aliam habent sententiam, & documentum generale omnibus credentibus: & non de miraculis; sed de iis, quę vnicuique ad propriam salutem sunt necessaria, procedunt. 11.

Quorsum repetitur? Tolet.

At Cyrillus dicta existimat hæc verba: *Petieritis me* à Iesu, qui dixerat: *Petieritis Patrem*, vt suam Diuinitatem significaret. Dixerat superiùs: *Creditis in Deum, & in me credite*; quia idem sum cum Deo: nec potestis in Deum credere, nisi in me, Deum scilicet, credatis. Sic concludit: Si quid petieritis Patrem Deum, si quid petieritis me. Idem enim, quod à Patre Deo petitis, à me petitis; quia Patris, & Filij eadem Diuinitas. Caietanus, *Ad extendendum, quod dixerat: Creditis in Deum, & in me credite, addit: Petitis Deum, & petite me, fidem suæ Diuinitatis adstruens.* 12.

Sensus authoris. Cyril.

In Philippum, & Iacobum

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS circa literam.

Ex Maioribus credentium operibus.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.

Non simul Christus totum Orbem conuertit, vt Philippus & Iacobus illum reducentes coronâ illustri donarentur.

Vel vnius equidem homuncionis conuersioni vacare, magni apud Deum habetur.

13. AVGVSTINVS, *Quæ sunt ista maiora? An fortè quod ægros ipsis transeuntibus etiam eorum vmbra sanabat?* Minimè, sed plures ad meliorem mentem peccatores adducere. *Nonne ab ore Iesu Diues ille tristis abscessit; & tamen postea quod ab illo auditum non fecit vnus, fecerunt multi, cùm per Discipulos loqueretur? Ecce maiora fecit prædicatus à credentibus, quàm loquutus audientibus.* Quare igitur huiusmodi maiora opera ipse Iesus exequutus non est; sed Discipulis gerenda commisit? Vt faceret Apostolos victoriis præfulgidos, triumphis gloriosos.

August.

Cur ipse Iesus hæc maiora opera per se ipsum non fecerit? August.

Magnum profectò, te ministrante, aliquem æternam consequi salutem. Vnica perit ouis, réquiritur, inuenitur, piis in humeris deportatur, clamante Pastore: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam*, Luc. 15. Quænam illa ouicula? Gregorius, *Homo perditus quærebatur.* Lyranus, *Pastor Prælatus est vnius subditi deperditi inueniendi anxius.* Iam rogas, cur non Prælatus peccatore conuerso, ait: *Congratulamini* oui, sed *mihi*? Respondet Gregórius, *Non dicit: Congratulamini inuenta oui, sed mihi; quia videlicet Pastoris gaudium est vita nostra.* Tanti ponderis vel vnius conuersio peccatoris, vt licèt Pastor bonus vnam solam oui- 14.

Magni quidem, te ministro vel vnū conuerti. Luc 15. Lyran. Gregor.

culam reportaret, ineffabilis gloriæ præmin muneratetur, cælicolis cunctis congratulantibus.

15. Redir Prodigus ad domum paternam, fame correptus. At Pater ministris: *Proferte stolam primam, & induite illum, & adducite vitulum saginatum, & manducemus, & epulemur*, Luc, 15. Nonne congruentius dixisset Patens: Et epuletur, & manducet filius longâ fame cruciatus? Manducat & Pater, epulatur & genitor. Ambrosius, *Quoniam paternus est cibus salus peccatoris, paternum & gaudium.* Disertius Chrysostomus, *Ipse pater gaudet in reditu filij, & conuiuatur in vitulo; quia misericordia sua fructu in immolatione filij sui gaudens Creator epulatur; quia hic filius mortuus fuerat, & reuixit.* Tantn Pater æternus gaudio afficitur ex vnius peccatoris conuersione, vt totum immolati Iesu vituli fructum (si opus esset) denuò lubens impenderet. Si vnius peccatoris conuersio adeò commendat reductorem: quid Regna innumera ad pœnitudinem, ad fidem adducere? Te, Francisce Xauier, testor Iaponinsum Apostolum, Orientis magnum luminare, tot Prouinciis fulgentem, tot millia spirituum cælestibus ouibus aggregantem.

Conuiuatur Pater ex conuersione prodigi filij reditu. Luc. 15.

Ambros.

Chrysost.

S. Xauerius Iaponiorum Apostolus.

16. Iam Philippi & Iacobi corona fulgurat. Animæ-ne vnius illi in caulas portitores? Laurentius Iustinianus, *Per Prouincias ambulabant, & vrbes, marinis se committebant fluctibus, quatenus cælo labores præmitterent suos. De conuersione peccatorum, atque de animarum salute in ciuitate Domini virtutum spirituales sibi diuitias aggregabant. Hinc istorum Apostolorum quanta sint merita luculenter apparet*; imò quam præcelsa gloria. Nam si vnius peccatoris conuersionis ministro tam ineffabile gloriæ pondus præparatur: quid Apostolis, quorum prædicatione tot infideles credunt, tot peccatores pœnitudinis affectu lacrymantur? Xauerio accommoda.

Quàm commendabiles Apostoli ex Prouinciarũ reductione. Iustin.

Observatio II.

Ad illa verba:

Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet: & maiora horum faciet.

Philippus, & Marcus morum sanctitudine credentium animos ad virtutem alliciunt.

Vbi probo plus esse, Christum in nostrâ fragilitate vincere, quam per se hostes debellare.

17. ORIGENES promissus in Commentar. *Verè magnum mihi videtur, quòd homo in carne positus fragilis, & caducus fide tantùm Christi, & verbo eius armatus, superet gigantes, & dæmonum legiones, quamuis ipse sit, qui vincat in omnibus: plus tamen esse dicit, quod per nos vincat, quam quod per se vincat.* Potentiæ augustioris argumentum est, per fragiles homines Christum e diabolo, Mundo, & carne tam illustrem reportare victoriam, quàm *per se*. Id quòd, Apostolis prædicantibus, quotidie cælesti munere præstitum. Iustinianus, *Conuersatione sanctâ, & religiosis moribus, ad virtutum studia credentium ædificabant animos!* An non conuersatio sancta, ac religiosi mores horribiles animi hostes connotant superatos.

Origen.

Vis ostendam, opus augustius, Christum per nos, quàm *per se* tenebrarum Proceres superare? Obiicite vobis Solis, ac Lunæ stationem ad hominis præceptum. *Sol, contra Gabaon ne mouearis, & Luna, contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna*, Iob 10. Adiicitur, *Obediente, & pugnante Domino pro Israel.* Obedit Dominus, quia pugnat? Certè Deus antea tantum prodigium non excitauit; dum autem pugnat in nobis, augustiora excitat potentiæ diuinæ documenta. Cùm quinque Reges vocantur ad exitium, Mundus perit, diabolus fugatur, voluptates comminuuntur, gloriosior Dominus in nobis pugnaturus, & victurus exurgit. Caietanus, *Par fuit, vt Deus obediret facto voci Iosue, quia ipse erat ille, qui pugnabat in viribus, & manibus Israelitarum.* Maiora itaque opera potentiæ diuinæ præsentantur, quando Deus in nobis pugnat, & vincit, quam cum per se exerit victoriam. 18.

Potentia Dei augustiorem triumphum egit in Israelitarum fragilitate, quã in sua fortitudine. Iol. 10.

Caietan.

Ingens multitudo aduersùm Israel pugnatura, locustis præ multitudine collata, exponitur. Duo & triginta millia armatorum cum Gedeone ex filiis Israel aduersùs innumeros hostes repugnare egrediuntur. Tunc Deus Gedeoni: *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manu eius*, Iudic. 7. Vbi Origenes, *Et quid, si grandis est multitudo? Nonne in bellis numerosior exercitus præstat, & est tutior ad subsidia?* Respondet, *Non efficitur clarum diuina virtutis opus, si humanis adminiculis fulciatur.* Quid plura? Pauci milites seliguntur, hydrias luteas lampadum custodes gestantes: *Cùmque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, clamaueruntque: Gladius Domini, & Gedeonis.* Cur gladius Domini solius illud opus exequutus non fuit? Quia opus illud proculdubio mirabile, opus nunquam auditum. At Dominus similia gesta hominum manibus, luteis scilicet, perficere assolet. Origenes, *Præcedat nos hoc bello verbi diuini prædicatio, pugnemus & nos in Psalmis, & canticis, vt à Deo victoriam consequi mereamur in Christo.* Siue potiùs Christus in nobis pugnans, hoc nouo, celsóque nos donet triumpho. Vt animi hostibus debellatis, *plus sit, quod per nos vincat, quàm quod per se vincat.* 19.

Luteis hominum manibus opera Dei egregia expedit Iud. 7.

Origen.

Observatio III.

Ad illa verba:

Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, & quodcumque petieritis in nomine, &c.

Philippus & Iacobus inuocatione nominis Iesu miraculorum excitatores.

Vbi de nominis Iesu potentiâ.

19. *In absentia Solis Iesu magisne fulgurant Apostoli minora luminaria?*

IDEO Discipuli, & credentes maiora opera exerent, quia *ego ad Patrem vado*. Præsente Sole lampades haud possunt emicare; absente autem luminari magno, minoris facis rutilat splendor. Dùm medius vestrum, ô aurea candelabra, ego Sol iustitiæ inambulo, coram tanto fulgore haud poteritis apparere; Ad Patrem vado; vnde gesta, quæ exponitis, egregia quidem, maiora obiicientur. Alcuinus lib. 3. in Ioann. cap. 15. *Maiora opera faciet, non quòd maior sit Magistro Discipulus, vel Domino seruus; sed quòd per illos dignatur eadem maiora facere. Vnde maiora facere potuissent; mox ostendit, dicens: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Continuò secutus adiungit causam. Quia ego ad Patrem vado.*

Alcuin.

20. *Maiora gerunt opera, quia absente Domino inuocant nomen Iesu potentissimum.*

Aptè quidem; sed existimo non eadem opera quæ Discipuli gerebant præsente Christo, ipso ad Patrem recedente, maiora apparere; sed alia maiora verè nouo fulgore præsentari. Ideò addidit: *Et quodcumque petieritis Patrē, in nomine meo hoc faciā.* Ac si diceret. Opera geretis maiora, mira, augustiora excitabitis, quia ego vado, & vos nominis mei inuocatione è superis virtutem vobis impendi ad mira efflagitabitis, effectu sequente. Theophylactus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Exponit nobis miraculorum doctrinam.* Quænam doctrina miraculorum, nisi nomen Iesu à fidelibus inuocatum? Quia nominis Iesu inuocationi Dei omnipotentiam copulari necessum.

Theophil.

21. *Sol stetit Iesu nominis inuocatione.* Ios. 10. Origen. Chrys.

Quodnam augustius omnipotentiæ documentum, quàm Solem sisti, diem sine tenebrarum intercapedine triplicari? Hoc nominis Iesu præstitit inuocatio. *Sol* (inquit Iesus Naue) *contra Gabaon ne mouearis, &c.* Ios. 10. Solem Domini appellationem honoráſſe Origenes affirmat hom. 27. in cap. 11. ad Heb. Consentiens Chrysostomus ait: *Typus erat Iesu illud nomen. Idcircò igitur hoc factum est, etiam propter ipsum vocabulum reuerita est creatura.* Communia hæc. Illud addidero speciale. Ideò nominis Iesu mystica inuocatio naturam vicit, magno miraculo excitato; quia vbi nomen Iesu, ibi Dei potentia. Caietanus: *Ratio obsequij diuini operis in Sole redditur, quia summus Deus erat tanquam bellator. Quasi diceretur. Par fuit vt Deus audiret facto vocem Iosue, siue Iesu, quia ipse erat ille qui pugnabat.* Si Iosue inuocet, si pugnet, quonam modo Deus ipse erat qui pugnabat? Quia vbi Iesu nomen resonat, ibi adest Dei potentia hostes debellatura.

Vbi nomen Iesu, ibi Dei potentia. Caiet.

Profectò præstantius diuinæ potentiæ documentum, assero sese hominem vincere, quàm hostes cunctos superare. Ex nominis Iesu inuocatione huiusmodi victoriâ potimur. Dauid cecinit: *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tuâ iudica me.* Psalm. 53. In cuius expositionem titulum Psalmi expendo: *In finem, in carminibus, vel hymnis, intellectus Dauid, cùm venissent Ziphæi ad Saul, & nunciassent Saul. Nonne Dauid absconditus est apud nos?* Fugiens Dauid a facie Saul ad desertum Ziph se recepit. Tunc Ziphæi ad Saul. Ecce Dauid latitat apud nos. Quid plura? In speluncâ Dauidi commoranti datus Saul, cuius chlamydis oram Dauid præscidit, haud eum interficiens, cùm posset. 1. Reg. 23. Iam sui ipsius debellator carmen pio ore profundit. *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me.* Vbi Hieronymus: *In nomine Iesu qui interpretatur Saluator, vt impleas rem nominis saluum me fac.* Saluum, inquam, fac me à meipso, quando percutiens hostem me lethaliter possum vulnerare. *Et in virtute tuâ iudica me.* Magister Sent. *In virtute tuâ secerne me a Ziphæis.* Me liberum abire tuâ nominis virtute præsta, sine hostium læsione, sine Ziphæorum proditorum vulnere. An non à sola Dei potentia in Iesu nomine residente, Dauidem iniuriis affectum à facili vindicta abstinuisse.

22. *Nomine Iesu inuocato homo seipsum debellat.* Psalm. 53. 1. Reg. 23.

23. Virtus nominis Iesu Saulum me iudice, prostrauit, & Ecclesiæ salutarem erexit; quo quid mirabilius. *Ego* (inquit Dominus) *sum Iesus, quem tu persequeris.* Act. 9. Gregorius: *Non ei à Domino respondetur; Ego sum vnigenitus Patris, ego Principium, ego Verbum. Prosternens igitur te, nequaquàm tibi adstruo, quòd ante sæcula Deus sum. Sed ego sum Iesus.* Salmeron tom. 3. tract. 37. *Plus est Iesus, seu Saluator, quàm Creator. Siquidem plus est suscitare mortuum ad vitam, quàm viuum generare.* Ideò Dominus se nominis potentiâ deturbasse, erexisséque Paulum ostendit, vt Apostolus Gentium, cui Dominus: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum.* Ibid. sciat experimento edoctus, queisnam armis valeat mira opera excitare.

Iesu nomen Saulum prostrauit, & Saulum erexit, ideò victoriarum instrumentum ei adijcitur. Act. 9. Greg. Salmer.

24. Et quidem plus nomen Iesu Deitatis potentiam, quàm ipsum Dei nomen commendare videtur. Angeli Deum clamantes extollunt. *Gloria in altissimis Deo.* Dauid autem: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Ps. 8. Quæ prophetia impleta est, cùm pueri conclamabant in Templo: *Hosanna filio Dauid.* Matt. 21. Lyranus ad Psalm. *Diuinitas Christi fuit confessa ab Angelis confessione laudis ab horâ natiuitatis; sed laus ista fuit perfecta, quando pueri in Templo clamabant, confitentes Natiuitatem Christi. Hosanna, id est, salue* Iesu, *obsecro in excelsis. Salutem enim nullus dat nisi Deus.* Perfectior (ac si diceret) puerorum laus quàm Angelorum: hi enim Deum tantummodò; illi verò Iesum appellabant. Apostoli nomine Iesu inuocato, cũctis hostibus formidabiles.

An non Iesu nomen magis quàm nomen Dei commendatur? Psalm 8. Matt. 21. Lyran.

25. Hæc proculdubio Philippi & Iacobi doctrina nominis Iesu inuocatione mirabilia excitare.

Apostoli Iesu nomine expresso, mirabilia expediuere. Iustin.

tare. Præco Apostolorum Laurentius Iustin. etiam hoc celebrauit elogium, fatus: *Faciebant proculdubio gaudium magnum omnibus audientibus, inferendo eorum auribus mellifluum nomen Iesu.* Quonam fructu? *Erat namque admiratione dignissimum aspicere Viros sapientiâ decoratos, faciendorum miraculorum virtute insigniros.* Quidni miraculorum gerendorum virtute insignirentur, qui nomen Iesu dulcissimum auditorum auribus inferebant? Nominis enim Iesu inuocatio *doctrina miraculorum* est. Si nomen salutare fideli non recedat à corde, ab ore minime ablegetur, nunquam non hostes debellabuntur, obsequénsque natura parebit.

PARS SECVNDA.

SECTIO QVARTA.

PHILIPPVS SINGVLARITER.

In Philippum PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS circa literam.

Observatio I.

Ad illa verba:

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Multæ mansiones in cælo exædificantur, vt innumeros Philippi Discipulos possint excipere.

Vbi adnoto, Euangelij ministrum haud solum calesti recipi in aulâ; sed alijs comitatum alumnis.

1. Chrysost. CHRYSOSTOMVS: *Quia Dominus dixerat Petro; Quò ego vado, non potes me modò sequi. Sequeris autem postea, ne existimarent soli Petro hanc promissionem esse datam; dixit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Hoc est, & vos Regio illa suscipiet, quæ & Petrum; copia enim est ibi multa mansionum.* Certè copia Tabernaculorum vel vni Philippo concionaturo necessaria est.

2. *Philippus vocatus mox de aliorum salute studio flagrat.* Metaph. Vix à Christo vocatur Apostolus, & iam alios curat adducere ad Christum. Simeon Metaph. *Cùm venisset Iesus in Galilaam, & magnū inuenisset Philippum, iussit ei vt ipsum sequeretur. Ex hinc ergo is cum eo, qui vocauerat; Magistro versabatur, & habebat virtutem.* Quam? Alios scilicet attrahendi, vti annulus vi magnetis attactus virtutem habet alios annulos itineris socios efficere. *Cum enim*, addit, *ita boni effectus fuisset particeps, assumit etiam alios socios participationis.* Hinc Gentilibus ad Christum curauit accessum. Nec enim Apostolicus vir, seu Euangelij minister, æternâ solus in mansione recipiendus.

Quid clamat Sponsa? *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1. Vbi Rupertus: *Veraciter diligit, & trahitur, & trahi cupit*, Cupit, inquam, quæ trahitur, trahi & alios ad Christum se trahentem. Sic Delrius exponit: Da vires, vt te per tua vestigia sequar. Te oportuit multa pati, & sic intrare in gloriam tuam. Iter arduum est, via difficilis. Gratia tua me attrahat, &, te iuuante, adducam mecum comites plures: conabor comitata accedere. *Adolescentula dilexerunt te.* Mecum, ait Philippus, Gentiles adduxi. *Adolescentula enim*, Honorio authore, *sunt quasi nouella; quia per Baptismum & gratiam sancti Spiritus renouata.* 3. *Cupit trahi à Domino alios simul trahi.* Cant. 1. Rupert. Delrius. Honor.

Hinc licet exponere, quàm iustè Philippus à Metaphraste *magnus* fuerit appellatus, die quà ad Christum trahitur. *Cùm venisset*, ait, *Iesus in Galilaam, & magnum inuenisset Philippum.* Quàm magnus, quàm fortissimus, quàm non solùm magnus, sed magnes, qui, quà trahitur die, virtutem alios exerit attrahendi. *Cùm enim boni effectus fuisset particeps, assumit etiam alios socios participationis.* Rursum audienda Sponsa; *Trahe me post te.* An infirmitate laboret animi, quæ trahi flagitat à Sponso? Magnam profectò fortitudine video, eâ ipsa die quà trahitur, quia præpotens ad trahendos alios obiicitur. *Curremus.* Do Bernardi excogitationem serm. 21. in Cant. *Trahi vult, qua rogat; non* 4 *Philippus ipsa vocationis die Magnus & fortis ad trahendum appellatur.* Metaph. Cant. 1.

autem

autem rogaret, si sequi per seipsam Dilectum, prout vellet, valeret. Vt quid vero non valet? An infirmam fateamur & Sponsam? Respondet: *Si vna quæuis ex adolescentulis infirmam se diceret, & peteret trahi, nequaquam miraremur. At verò de Sponsâ, quæ trahere alios, vtpote fortis & perfecta, posse sufficere videbatur; cur non durum sonet, quod & ipsa trahi tanquam infirma vel debilis habeat?* Profectò inde constat, adiicit, non petere se trahi tanquam infirmam; sed vocari, vt ipsâ vocationis die plures secum socios ad Sponsum adducat.

5\. Ad mansionem itaque vocatur Philippus, inuitatur ad ascensum, & ipse iam sociis innumeris ascensiones meditatur. Vates cecinit: *Beatus, cuius auxilium abs te, ascensiones disposuit in corde suo.* Psalm. 83. Beatus, ac si diceret, quem traxeris, quem aduocaueris, quem elegeris. Hic nempè ascensiones & aliis pluribus disposuit, quos suâ ad fidem prædicatione adduxit. Bernardus citat. *Scio me nunquam posse peruenire ad te, nisi gradiendo post te. Sed neque hoc quidem nisi adiutum abs te. Ideóque precor, vt trahas me post te. Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Beatus siquidem, cuius auxilium abs te, ascensiones* pluribus *disposuit*, simul adducendis.

Disponit Philippus Gentilibus ascensiones à Domino aduocatus. Psalm. 83. Bernard.

6\. Imaginem Philippus Domini referebat. *Et ego*, ait Christus, *si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me.* Ioann. 12. Vbi Bernardus: *Arbitror illum sermonem, quem dixit de se Vnigenitus; videlicet: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, cunctis quoque eius fratribus posse esse communem; his vtique quos Pater præsciuit & prædestinauit, conformes fieri imagini Filij sui.* Addiderim *Crucifixi*, Sicut enim Christus Cruci suffixus ad se omnia traxit siue innumeros ad Patrem peccatores adduxit, haud aliter, seruatâ proportione, qui Discipuli suffixi fuere Cruci, Christi crucifixi imaginem referentes, multos ad fidem adduxere.

Referebat Iesu imaginem, omnia ad Deum adducens, cùm à terrâ exaltatus esset. Ioann. 12. Bernard.

7\. Porrò Philippus Crucê pro cathedrâ sortitus, fidelium animos confirmauit. *In ligno*, ait Metaphrastes, *sublimè pendens, cum ijs quæ erant in ciuitate; de ijs quæ erant eis futura vtilia, toto die disseruit, & fiduciâ ad Dominum confirmans eorum animos, & pro eis supplicans, sacrosanctè cum sanctis excessit eloquijs.* Quibus planè plurimos ad æternas mansiones adduxit. Edoceantur Euangelij ministri haud solos cælestibus in Tabernaculis excipiendos, sed pluribus spiritualibus filiis comitantibus.

Cruci affixus curat Apostolus omnes arripere ad cælestes mansiones. Metaph.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Philippi charitas Nathanaëlem fratrem ad Dominum adducétis.

Vbi innuo, illud te habere, quod habet ille, quem diligis, quia omnia in omnibus charitas.

8\. QVÆNAM illa mansionum multitudo? Respondet Strabus: *Domus Dei, Templum Dei, Regnum Dei, Regnum cælorum, sunt homines iusti, in quibus sunt multæ differentiæ inter se.* Differentiæ vtique meritorum, queis mansio respondet æterna. Alij igitur aliis celsiora occupabunt Tabernacula, fulgentiori coronâ præcingentur. Quæstioni do.

Strab.

Vtrùm inuidiæ stimulo Diui sint compungendi supremæ aliorum mansionis obiectu? Haud posse liuore tentari beatos, fide tenemur profiteri. Quòd si causam requiras, in promptu est ea, quia vnusquisque illud ipsum quodammodo habet in se, quod amat in altero, in omnibus regnante charitate. Alcuinus: *Mansiones multæ sunt, quia merita cæterorum diuersa sunt. Multæ mansiones diuersas meritorum in vnâ vitâ æternâ significant dignitates, quarúmque omnia in omnibus, quia Deus charitas est: sic enim quisque etiam ipse habet, cum amet in altero, quod ipse non habet, quia regnat in omnibus vna charitas.* 9.

Qui amat non potest inuidere amati felicitatem, quâ amans ipse fruitur. Alcuin.

Strabi recolo sententiam: *Domus Dei, Templum Dei.* Vbi mansiones multæ, quia diuersæ dignitates, merita diuersa. Philippus ad Christi domum aduocatur. *Mox autem cùm fuisset à Christo vocatus*, ait Dionysius Carthus. *sollicitus fuit pro fratre suo, & eius salute. Accessit namque ad fratrem suum Nathanaelem, dixitque ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum.* Nathanaelem autem rem ægrè ferentem, *& non ex Nazareth*, vt Metaphrastes ait, *esse bona aliquod contendentem, à tuendis rebus Israelis abducit; Christo autem adducit obedientem.* O Apostole, tuâ non-ne satiùs fælicitate frui? Quid fratrem aduocas, cùm ignores an mansiones sufficiant vtrique? Quòd si iam callueris Dei in domo mansiones multas esse præparatas; saltem timere debes ne frater tuus altioris dignitatis sede donetur. Quid si præstantiorem dignitatem obtineat? Quid si collegio priueris Apostolico, in quo duodecim solummodò annumerandi? Dùm frater meus, quem diligo, sedi addicitur; nihil vereor. An non habebo in fratre quod ipse in me non habeo, vnâ in vtroque regnante charitate? 10.

Curat Philippus fratris salutem, eius non inuidens fælicitati. Carthus. Metaph.

Paulus exaudiendus: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Rom. 9. Scio ad tempus quo Saulus Ecclesiam persequebatur, sententiam hanc à Lyrano referri, cùm scilicet optabat se à Christo esse separatum, ex Iudaicæ legis zelo. Noui etiam huiusmodi sensum posse admittere, vt post conuersionem optaret aliquando semoueri à Christo per dilationem suæ gloriæ ad tempus, vt Iudæorum conuersioni intenderet. At conuenientiùs sic interpretor. Si opus esset separari à Christo, permitterem, vt fratres mei salutem adipiscerentur. Ambrosius: *Diuinus Paulus ostendit quâ esset affectione in suos. Non dixit; Vellem, sed optarem alienus esse à Christo, vt illi cum illo familiaritate & consuetudine inità fructum salutis assequerentur. Ego, quem nec vita, nec mors, nec præsentia, nec futura, nec vlla alia creatura separare poterat à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, pro Iudæorum salute libentissimè ab ipso separarer.* Dic mihi, magne, diuine Paule, gloria priuari te permittes separatum à Domino? Minimè verò, quia nullatenùs sine gloriâ viuit, qui fratres quos diligit, donatos gloriâ contemplatur. *Non quòd ipse*, ait Hieronymus, 11.

Pauli fratribus suis salute donatis, ipso in illis salute potiretur. Rom. 9. Lyran. Ambros.

mus, *perire desideret, cui viuere Christus est.* Quomodo non desiderat perire; qui vt fratres saluentur, à Christo cupit separari? Quia fratribus salutem assequutus, videtur sibi in eis eadem frui posse fælicitate.

Eodem spiritu Moses: *Aut dimitte eis hanc*
12. *Eodem spiritu Moses petit à vitali libro deleri.* Exod. 32. Hieron. *noxam, aut dele me de libro quem scripsisti.* Exod. 32. Si non suppetunt sedes, si mansiones deficiunt, ablegor ego a domo Dei, dummodò fratribus mansiones adscribantur. Hieronymus quæst. 9. ad Algas. *Hoc ipsum est dicere; Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, & dele me de libro quem scripsisti. Qui enim perdiderit animam suam pro Christo, saluam faciet eam.* Nec enim perire poterat, qui filios, qui fratres, quos amabat, præmittebat ad superos; ascensurus ipse charitatis vinculo illigatus, vt eâ potiretur fælicitate, quâ ille, quem diligebat, fruebatur.

Pulchrè Dauid: *Beatus vir, cuius auxilium*
13. *Amando beatos filios, possumus vel hic ascensionem meditari.* Psalm. 83. August. *abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.* Psalm. 83. Ac si diceret, Beatus, qui apud lacrymarum vallem consistens, ascensiones disponit, siue inuenit, quâ possit ad cælum ascendere. *In corde suo.* Amat eos qui ascendunt; vnde in lacrymosâ valle relictus cælesti fruitur fælicitate. Augustinus pulchrè: *Quantò plus amaueris, tantò plus ascendes.* Ediscant Euangelij ministri se cælestis præmij fælicitate donari, dùm peccatores ad patriam, eorum ministerio præmittuntur. O quàm celsa gloria spirituali parenti filios superis adscribi!

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio, & accipiam vos ad meipsum.

Philippi charitas, infideles beneficijs adducentis ad Dominum.

Ostendo eos qui Dei sunt, ope beneficiorum haud posse quodammodo perire.

14. August. SI multæ sunt cælestes paratæ mansiones, quonam modo illas Dominus pergit præparaturus? Augustinus: *Quomodo vadit, & parat locum, & iam mansiones multæ sunt?* Respondet: *Non sunt, sicut parandæ sunt. Easdem enim mansiones, quas prædestinando præparauit, præparat operando.* Quidnam operatur Deus? In prædestinatis cumulat beneficia. Magnum certè prædestinationis documentum, in te Dominum beneficia congessisse. Beneficijs præstitis Deus Dominus creaturæ. Ipsa autem
15. *Eductus à Deo populus, Dei est: si Dei, quomodo periret?* Exod. 32. arctiori vinculo Dei fit; Dei autem magis effecta æterno addicetur Tabernaculo.

Dilectionem populi meditanti Deo sic Moses: *Cur Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti?* Exod. 32. Ac si diceret. Educēs præstanti beneficio populū ex Ægypto, tuū arctiori titulo fecisti eum. Cur ergo à te intendis ablegare? Conatur igitur Moyses ostendere populum esse Dei, non suum, quia Deus dixerat: *Vade, descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti.* Populum Moysi Deus vocat, innuens beneficium egressionis de Ægypto Moysi deberi, vt eos Deus non suos à se valeat proiicere! At Moyses Dei populum appellat, ostendens illud a Deo beneficium populum accepisse. *Cur irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti?* Si eduxisti, tuus est tāto beneficio vinctus; si tuus, quomodo non viuet æternum. Oleaster: *Audierat* Oleast.
Moyses Deum populum, vt rem non suam, neque ad se pertinentem reijcere. Ideò conatur populum Dei facere, vt prohibeat perdere. Tu vocas populum meum, vt perdas; ego assero tuum, vt parcas. Tu liberationis opus, in me fragilem transfers, ego verò in te, qui hoc forti manu fecisti, refero. Beneficium hoc à te Israel accepit, ergo tuus. Tuus populus? Quonam modo è cælesti fælicitate deturbabitur?

Huc refero acutam Tertulliani sententiam
lib. de Ref. qui vt probet animum copulandum 16. *Quomodo non resurget caro toties Dei.* Tertull.
corpori ad vitam, Dei beneficia in carnem collata recenset. Mox ex beneficiis colligit hominē toties ad Dei possessionem venisse, quoties aliquod beneficium accepit. Hinc concludit animum æternùm victurum suo corpori illigatum. *Quam Deus*, inquit, *manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo afflatu ad similitudinē suæ viuacitatis animauit; quam domicatus totius suæ operationis præposuit. Haccine non resurget toties Dei?* Si ex collatis beneficiis Dei toties est, quomodo non æternùm viuet?

Rursùm Moyses: *Obsecro, peccauit populus* 17. *Sciebat Moses populum toties Dei, minimè periturum.* Exod. 32.
iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. Exod. 32. Augustinus asserit Mosem id dixisse ex familiaritatis diuinæ confidentiâ. Non me à se deturbabit, qui iam familiariter mecum agere assolet. Lyranus: *Dele, ait, me de libro tuo, licèt nullo modo vellet deleri.* Si nullatenùs deleri vult, cur deleri postulat? Profectò quasi vi consequentiæ illigatus. Me, ô Domine, ex Ægypto olim etiam eduxisti. Vnde dignoscere mihi datum est, me tuum esse. At ex eo quòd essem tuus, sperabam me nunquam periturum: sed libro beatorum me putabam scriptum: iam verò si populo tuo ab Ægypto educto, non prodest toties fuisse tuum, quominus deturbetur ad Tartarum, necessitate consequentiæ coactus libro vitali deleri non peto, sed delendum, proh dolor! annuncio. At Domine, nec tuus populus, nec tuus Moses deperibit, quia toties tuus, quodammodo possessionis iure, non omninò ablegabitur.

Quàm hæc conuenientia sint Euangelico 18. *Iusti beneficijs præparantur, vt rursùm sint Dei toties Dei non surgent?* Strab.
nostro testimonio, adnoto ex Strabo profante: *Domus Dei, siue Regnū cælorū, sunt iusti. Hæ autem mansiones quæ iam paratæ in prædestinatione, parandæ sunt in operatione.* Prædestinatorum duplex indicamentum: Vnum, *sunt domus Dei.* Dei sunt, ad Dei pertinent Principatum. Alterum, *Præparandi sunt in operatione.* De is in illos beneficia congeret. Domus igitur hæc beneficiis præparatur, vt sit Dei rursùm. Si autem *toties Dei*, quomodo non ad vitam destinata. *Haccine non resurget toties Dei?*

Prædicante Philippo apud Scythiam, in- 19.
stanti

Prædicatio Philippi Gentiles ad Deum adduxit munificentissimum erga illo, ut Dei essent, & gloria peterentur. Carthus.

stantibúsque Paganis, vt Marti offerret sacrificium. *Repentè* (ait Dionysius Carthus.) *draco magnus de sub base egrediens, filium Pontificis idolorum, & duos Tribunos occidit; cæteros autem Paganos suo flatu vehementer inficiens, reddidit ægros.* Queis Apostolus: *Statuam Martis confringite, Christum adorate, & colite, quatenus infirmi vestri curentur, ac mortui suscitentur.* Renuunt Gentiles inclamantes: *Fac vt sanemur, & quæ præcipis, faciemus. Beneficia nos Dei tui esse efficiant. Tunc Philippus iussit draconi recedere. Mox prece ad Dominum fusâ infirmos curauit; mortuos suscitauit.* En beneficia Dei præcedunt dominatum! *Quibus peractis conuersi sunt vniuersi.* Si temporalis valetudo & resurrectio illos fecit Dei esse, quomodo non ad vitalem æternitatem assurgerent?

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et quo ego vado, scitis; & viam scitis.

Crucis viam Philippus arripiens, nec ab ea temporis puncto recedens perrexit ad Patriam.

Vbi ostendo Crucem seu labores viam Regiam ad superos.

20. Carthus.

QVANAM Christus viâ perrexit ad Patrem? Dionysius Carthus. *Viam, quâ itur ad Patrem aliquo modo, quamuis imperfectè cognoscitis, scilicet passionem meam, per quam vado ad Patrem.* Iacobo properaturo ad cælum scala obiicitur ineunda. Crux via terenda præsentatur fidelibus.

21. *Iter ad salutare Dei cruciatus.* Psalm. 49. Apoc 14.

Dauid: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Psalm. 49. Quænam sit hæc laus, seu laudis sacrificium si requiras, expositione loci Apocalypseos respondebo: *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo quadraginta quatuor millia. Et audiui vocem: O vocem quam audiui sicut cytharædorum.* Cap. 4. Vbi Anselmus:

Anselm.

Cytharædorum, id est, carnis mortificationem ostendentium, cytharizantium in cytharis suis, scilicet proprias carnes suas affligentium. Hi sequuntur Agnum, seu imitantur Christum, quocumque ierit. En laudis sacrificium, cytharædorum concentus carnem discruciare, per Crucis viam tendere. *Illic ergo iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Vbi laudis sacrificium, vbi Crux, ibi iter ad Superos, instar Iacobææ scalæ Diuis obiectum. Cassiodorus: *In sacrificio hoc est iter, id est, via ad Deum, & scala Iacob.*

22. *Petrus sequens Dominum, sine via laborum non tendit sine scaphâ Crucis non pergit ad portum.* Matt 14.

Petrus sese tradidit vndis ad Christum properans; validè autem perflante vento, *timuit; & cùm cæpisset mergi, clamauit, dicens: Domine, saluum me fac.* Matt. 14. Nauis ventis & vndis agitata Crux est Laureto. Non semel intendit Petrus tàm Christum quàm Discipulos absque Crucis scaphâ nauigare, vt fælicitatis portus iniretur. Ideò in monte constitutus, conatus est Domino Tabernaculum exædificari, ne eius sanguine Ierosolyma purpurasceret. Videns igitur Dominum sine Crucis nauicula vndas calcantem, idem sibi cupiens, à naue discedit, sine naui curas ad cælum adduci? Scito, Petre, sine Cruce haud ad superos patere tramitem. Paschasius: *Christus passurus pro omnibus, omnium peccata ipse soluit; sicque demum Petrus ipse Dei auxilio leuatus, Martyr occurret Cruci suffigendus.* Ego pelagus sine scapha non ineo, cùm ad portum sit paranda via, Crucem primùm ascendam; vnde tibi similiter Crucis nauigium præparandum.

Paschas.

23. *Ex Abrahami & Mosis confirmatur exemplo.* Gen 15.

Abraham olim pro Sodomitis enixè deprecatus, cùm audisset à Deo, semen suum peregrinum fore subiiciendum seruituti, quadringentis annis affligendum, nullas preces ad auertendas Dei minas adhibuit. Quare? Videbat maximo filios suos beneficio onerari, cùm vix Regiæ ad superos darentur, quæ necessariò illuc peruenturis sustigenda erat. Moses *negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei.* Hebr. 11. Videbat sapiens se in mari ipso mundiali constitutum non posse ad portum properare. Vnde sese Crucis dedit scaphæ, se in laborum nauiculam coniecit. Pulchrè Chrysostomus; *Magnum ergo bonum est afflictio, in quam Moyses se conycit ex Regiâ.*

Hebr. 11. Chrys.

24. *Philippus ideo Crucis viam scaphamque non dereliquit rogatus.* Metaph.

Hac via incessit Philippus, hac pelagus tranauit scapha. Suffigitur Cruci Apostolus. *Instantibus autem* (vt scribit Metaphrastes) *ipsis Gentilibus, vt de ligno demitteretur, Philippus eorum repressit conatum.* Quare non permittis, ô Princeps, circumstantium in te pietatem exerceri? Qui te à Cruce eripiunt, vt saluent, fortasse ab infidelitatis baratro eripientur. Repressit Philippus eorum conatum: *Quia ad eum, quem desiderabat, erat migraturus.* Quomodo, via relictâ, ad Deum migraret? Quomodo, relictâ scapha, hæresceret portui? Quàm stultè immissos tibi à Deo labores curas à te ablegati! Siquidem deficiente via, non pergis, amissa non accedis nauicula.

Observatio V.

Ad illa verba:

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

Dilectus admodum à Domino Philippus, qui primus fuit electus in Apostolum.

Quia perspicuum est amoris diuini indicamentum, quem eligi ad statum perfectionis. Vbi de vocatione ad Religionem.

25. *Philippus pro omnibus locutus est Apostolis, quia plus cunctis familiaris.* Hilar.

CVR omnibus Apostolis Patrem videre cupientibus, vnus pro omnibus Philippus respondit? Hilarius 7. de Trinit. *Prorupit Apostolica familiaritas cum interrogans. Vnde dicitur, Dicit ei Philippus.* Si hoc Apostolica familiaritas erat consecutura, congrue ad Phi

lippum

mus, *perire desideret, cui viuere Christus est.* Quomodo non desiderat perire; qui vt fratres saluentur, à Christo cupit separari? Quia fratribus salutem assequutus, videtur sibi in eis eadem frui posse fælicitate.

Eodem spiritu Moses: *Aut dimitte eis hanc*
12. *Eodem spiritu Moses petit à vitali libro deleri.* Exod. 32. Hieron. *noxam, aut dele me de libro quem scripsisti.* Exod. 32. Si non suppetunt sedes, si mansiones deficiunt, ableger ego à domo Dei, dummodò fratribus mansiones adscribantur. Hieronymus quæst. 9. ad Algas. *Hoc ipsum est dicere; Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, & dele me de libro quem scripsisti. Qui enim perdiderit animam suam pro Christo, saluam faciet eam.* Nec enim perire poterat, qui filios, qui fratres, quos amabat, præmittebat ad superos; ascensurus ipse charitatis vinculo illigatus, vt eâ potiretur fælicitate, quâ ille, quem diligebat, fruebatur.

Pulchrè Dauid: *Beatus vir, cuius auxilium*
13. *Amando beatos filios, possumus vel hic ascensionem meditari.* Psalm. 83. August. *abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.* Psalm. 83. Ac si diceret, Beatus, qui apud lacrymarum vallem consistens, ascensiones disponit, siue inuenit, quà possit ad cælum ascendere. *In corde suo.* Amat eos qui ascendunt; vnde in lacrymosâ valle relictus cælesti fruitur fælicitate. Augustinus pulchrè: *Quantò plus amaueris, tantò plus ascendes.* Ediscant Euangelij ministri se cælestis præmij fælicitate donari, dùm peccatores ad patriam, eorum ministerio præmittuntur. O quàm celsa gloria spirituali parenti filios superis adscribi!

Observatio III.

Ad illa verba:

Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio, & accipiam vos ad meipsum.

Philippi charitas, infideles beneficijs adducentis ad Dominum.

Ostendo eos qui Dei sunt, ope beneficiorum haud posse quodammodo perire.

14. August. SI multæ sunt cælestes paratæ mansiones, quonam modo illas Dominus pergit præparaturus? Augustinus: *Quomodo vadit, & parat locum, & iam mansiones multæ sunt?* Respondet: *Non sunt, sicut paranda sunt. Easdem enim mansiones, quas prædestinando præparauit, præparat operando.* Quidnam operatur Deus? In prædestinatis cumulat beneficia. Magnum certè prædestinationis documentum, in te Dominum beneficia congessisse. Beneficijs præstitis Deus Dominus creaturæ. Ipsa autem arctiori vinculo Dei fit; Dei autem magis effecta æterno addicetur Tabernaculo.

15. *Eductus à Deo populus, Dei est. si Dei, quomodo peribit?* Exod. 32. Dilectionem populi meditanti Deo sic Moses: *Cur Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti?* Exod. 32. Ac si diceret. Educēs præstanti beneficio populū ex Ægypto, tuū arctiori titulo fecisti eum. Cur ergo à te intendis ablegare? Conatur igitur Moyses ostendere populum esse Dei, non suum, quia Deus dixerat: *Vade, descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti.* Populum Moysi Deus vocat, innuens beneficium egressionis de Ægypto Moysi deberi, vt eos Deus non suos a se valeat proiicere! At Moyses Dei populum appellat, ostendens illud a Deo beneficium populum accepisse. *Cur irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti?* Si eduxisti, tuus est tāto beneficio vinctus; si tuus, quomodo non viuet æternum. Oleaster: *Audierat* Oleast.
Moyses Deum populum, vt rem non suam, neque ad se pertinentem reijcere. Ideò conatur populum Dei facere, vt prohibeat perdere. Tu vocas populum meum, vt perdas; ego assero tuum, vt parcas. Tu liberationis opus, in me fragilem transfers, ego verò in te, qui hoc forti manu fecisti, refero. Beneficium hoc à te Israel accepit, ergo tuus. Tuus populus? Quonam modo è cælesti fælicitate deturbabitur?

Huc refero acutam Tertulliani sententiam 16. *Quomodo non resurget caro toties Dei?* Tertull.
lib. de Ref. qui vt probet animum copulandum corpori ad vitam, Dei beneficia in carnem collata recenset. Mox ex beneficiis colligit hominē toties ad Dei possessionem venisse, quoties aliquod beneficium accepit. Hinc concludit animum æternùm victurum suo corpori illigatum. *Quam Deus*, inquit, *manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo afflatu ad similitudinē suæ viuacitatis animauit; quam domui atque totius suæ operationis præposuit. Hæccine non resurget toties Dei?* Si ex collatis beneficiis Dei toties est, quomodo non æternùm viuet?

Rursùm Moyses: *Obsecro, peccauit populus* 17. *Sciebat Moses populum toties Dei minime periturum.* Exod. 32.
iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. Exod. 32. Augustinus asserit Mosem id dixisse ex familiaritatis diuinæ confidentiâ. Non me à se deturbabit, qui tam familiariter mecum agere assolet. Lyranus: *Dele, ait, me de libro tuo, licèt nullo modo vellet deleri.* Si nullatenùs deleri vult, cur deleri postulat? Profectò quasi vi consequentiæ illigatus. Me o Domine, ex Ægypto olim etiam eduxisti. Vnde dignoscere mihi datum est, me tuum esse. At ex eo quòd essem tuus, sperabam me nunquam periturum: sed libro beatorum me putabam scriptum: iam verò si populo tuo ab Ægypto educto, non prodest toties fuisse tuum, quominùs deturbetur ad Tartarum, necessitate consequentiæ coactus è libro vitali deleri non peto, sed delendum, proh dolor! annuncio. At Domine, nec tuus populus, nec tuus Moses deperibit, quia toties tuus, quodammodo possessionis iure, non omninò ablegabitur.

Quàm hæc conuenientia sint Euangelico 18. *Iusti beneficijs præparantur, vt rursùm sint Dei. toties Dei non surgent?* Strab.
nostro testimonio, adnoto ex Strabo profante: *Domus Dei, siue Regnū cælorū, sunt iusti. Hæ autem mansiones quæ iam paratæ in prædestinatione, parandæ sunt in operatione.* Prædestinatorum duplex indicamentum: Vnum, *sunt domus Dei.* Dei sunt, ad Dei pertinent Principatum. Alterum, *Præparandi sunt in operatione.* Deus in illos beneficia congeret. Domus igitur hæc beneficiis præparatur, vt sit Dei rursùm. Si autem toties Dei, quomodo non ad vitam destinata. *Hæccine non resurget toties Dei?*

Prædicante Philippo apud Scythiam, in- 19.
stanti

Predicatio ... Gentiles ad Deum adducit manifestissimum ... Dei essent. & gloria petiuntur. Carthus.

stantibúsque Paganis, vt Marti offerret sacrificium. *Repentè* (ait Dionysius Carthus.) *draco magnus de sub base egrediens, filium Pontificis idolorum, & duos Tribunos occidit; cæteros autem Paganos suo flatu vehementer inficiens, reddidit ægros.* Queis Apostolus: *Statuam Martis confringite, Christum adorate, & colite, quatenus infirmi vestri curentur, ac mortui suscitentur.* Renuunt *Gentiles inclamantes: Fac vt sanentur, & quæ præcipis, faciemus. Beneficia nos Dei tui esse efficiant. Tunc Philippus iussit draconi recedere. Mox prece ad Dominum fusâ infirmos curauit; mortuos suscitauit.* En beneficia Dei præcedunt dominatum! *Quibus peractis conuersi sunt vniuersi.* Si temporalis valetudo & resurrectio illos fecit Dei esse, quomodo non ad vitalem æternitatem assurgerent?

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et quò ego vado, scitis; & viam scitis.

Crucis viam Philippus arripiens, nec ab ea temporis puncto recedens perrexit ad Patriam.

Vbi ostendo Crucem seu labores viam Regiam ad superos.

20. Carthus.

QVANAM Christus viâ perrexit ad Patrem? Dionysius Carthus. *Viam, quâ itur ad Patrem aliquo modo, quamuis imperfectè cognoscitis, scilicet passionem meam, per quam vado ad Patrem.* Iacobo properaturo ad cælum scala obiicitur ineunda. Crux via terenda præsentatur fidelibus.

21. *Iter ad salutare Dei cruciatus.* Psalm. 49. Apoc 14.

Dauid: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Psalm.49. Quænam sit hæc laus, seu laudis sacrificium si requiras, expositione loci Apocalypseos respondebo: *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo quadraginta quatuor millia. Et audiui vocem: & vocem quam audiui sicut cytharædorum.* Cap. 4 Vbi Anselmus: *Cytharædorum, id est, carnis mortificationem ostendentium, cytharizantium in cytharis suis, scilicet proprias carnes suas affligentium. Hi sequuntur Agnum, seu imitantur Christum, quocumque ierit.* En laudis sacrificium, cytharædorum concentus carnem discruciare, per Crucis viam tendere. *Hoc ergo iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Vbi laudis sacrificium, vbi Crux, ibi iret ad Superos, instar Iacobææ scalæ Diuis obiectum. Cassiodorus: *In sacrificio hoc est iter, id est, via ad Deum, & scala Iacob.*

Anselm.

22. *Petrus fecutus Dominum, sine via laborum non tendit sine scaphâ Crucis non pergit ad portum.* Matt 14.

Petrus sese tradidit vndis ad Christum properans; validè autem perflante vento, *timuit; & cùm cœpisset mergi, clamauit, dicens: Domine, saluum me fac.* Matt. 14. Nauis ventis & vndis agitata Crux est Laureto. Non semel intendit Petrus tàm Christum quàm Discipulos absque Crucis scaphâ nauigare, vt fælicitatis portus iniretur. Ideò in monte constitutus, conatus est Domino Tabernaculum exædificari, ne eius sanguine Ierosolyma purpurasceret. Videns igitur Dominum sine Crucis nauicula vndas calcantem, idem sibi cupiens, à naue discedit, sine naui curas ad cælum adduci? Scito, Petre, sine Cruce haud ad superos patere tramitem. Paschasius: *Christus passurus pro omnibus, omnium peccata ipse soluit; sicque demum Petrus ipse Dei auxilio leuatus, Martyr occurret Cruci suffigendus.* Ego pelagus sine scapha non ineo, cùm ad portum sit paranda via, Crucem primùm ascendam; vnde tibi similiter Crucis nauigium præparandum. Paschal.

23. *Ex Abrahami & Mosis confirmatur exemplo.* Gen 15.

Abraham olim pro Sodomitis enixè deprecatus, cùm audisset à Deo, semen suum peregrinum fore subiiciendum serituti, quadringentis annis affligendum, nullas preces ad auertendas Dei minas adhibuit. Quare? Videbat maximo filios suos beneficio onerari, cùm viæ Regiæ ad superos darentur, quæ necessariò illuc peruenturis transigenda erat. Moses *negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei.* Hebr. 11 Videbat sapiens se in mari ipso mundiali constitutum non posse ad portum properare. Vnde sese Crucis dedit scaphæ, se in laborum nauiculam coniecit. Pulchrè Chrysostomus; *Magnum ergo bonum est afflictio, in quam Moyses se coniecit ex Regiâ.* Hebr. 11. Chrys.

24. *Philippus ideò Crucis viam scapham que non dereliquit rogatus.* Metaph

Hac via incessit Philippus, hac pelagus tranauit scapha. Suffigitur Cruci Apostolus. *Instantibus autem* (vt scribit Metaphrastes) *ipsis Gentilibus, vt de ligno demitteretur, Philippus eorum repressit conatum.* Quare non permittis, ô Princeps, circumstantium in te pietatem exerceri? Qui te à Cruce eripiunt, vt saluent, fortasse ab infidelitatis baratro eripientur. Repressit Philippus eorum conatum: *Quia ad eum, quem desiderabat, erat migraturus.* Quomodo, via relicta, ad Deum migraret? Quomodo, relicta scapha, hæresceret portui? Quàm stultè immissus tibi à Deo labores curas à te ablegari! Siquidem deficiente via, non pergis, amissa non accedis nauicula.

Observatio V.

Ad illa verba:

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

Dilectus admodum à Domino Philippus, qui primus fuit electus in Apostolum.

Quia perspicuum est amoris diuini indicamentum, quem eligi ad statum perfectionis. Vbi de vocatione ad Religionem.

25. *Philippus pro omnibus locutus est Apostolis, quia plus cunctis familiaris.* Hilar.

CVR omnibus Apostolis Patrem videre cupientibus, vnus pro omnibus Philippus respondit? Hilarius 7. de Trinit. *Prorupit Apostolica familiaritas eum interrogans. Vnde dicitur, Dicit ei Philippus.* Si hoc Apostolica familiaritas erat consecutura, congruè ad Philippum

lippum attinebat, familarium præcipuè familiarem. Vnde constat? Quia Philippus primus à Domino in Apostolum electus est. Non assero plus amicum fuisse; sed plus familiarem cunctis. Siquidem famulus priùs domum heri iniens, priùs familiaris illo, qui post eum ad domum recipitur. Certè licet apud terricolarum familias non est perspicuum dilectionis dominicæ documentum erga famulum longiori tempore seruiisse; apud Dei domum ex longiori familiaritate etiam vbertas dilectionis non incongrue colligitur.

26. *Primus electus Philippus, multùm dilectus probatur.* Carthus.

In cuius robur Dionysium Carthus. præmitto. *Philippus inter alios Apostolos primò à Christo vocatus est ad suum Discipulatum.* Obiicis Christum ante Philippi electionem, Andreæ & socio eius fatum: *Venite, & videte vbi habitem.* Respondeo, non tunc fuisse illos ad Apostolatum electos; sed ad domum Dominicam lustrandam, vt ad vocationem disponerentur. *At statim post hoc* (addit ille) *rediens Iesus in Galilaeam, inuenit Philippum, & vocans eum ad suum Discipulatum, locutus est ei; Sequere me. Post hac vocauit Dominus Petrum & Andream, ad sequendum se.* Concludit pulchrè: *Fuit ergo Philippus multùm à Christo dilectus, quòd tàm citò & primò vocauit eum, vt sequeretur se.* Quì enim primum locum obtinet electionis, frequenter præstantioris charitatis Dominicæ donatur affectu.

27. *Primus electus Moyses, magis dilectus obiicitur.* Psalm. 104 Lyran.

Moses & Aaron in Israëlis Duces olim electi, Vate canente: *Misit Moysem seruum suum, Aaron, quem elegit ipsum. Posuit in eis verba signorum suorum.* Ps. 104. Lyranus colligit vtriusque merita ex electionis antiquitate. Eligitur Moses prior ad deprecandum Dominum pro populo. *Misit Moysem ad liberandum filios Israel,* Dominum deprecando. Postmodùm eligitur Aaron ad populum verbis persuadendum; *Cui adiunxit Aaron, vt loqueretur multitudini.* Moyses primus electus, minitante Domino Hebræis exitium, fatus occurrit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Dauid: *Et dixit, vt disperderet eos; si non*

Psalm. 105. Strab.

Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius. Ps. 105. Vbi Strabus. Stetit Moyses in plagâ quâ feriendi erant, dicens: Si dimittis illis peccatum, dimitte, Si verò non dimittis illis, dele me de *libro tuo.* Preme verba illa: *Si Moyses electus eius.* Cur non dixit, *Moyses dilectus?* Quia electum primum fuisse, idem quodammodo ac primum dilectum existere. Vnde si Aaron stet iter, Israël deperiret; quia secundò electus non ad orandum pro populo Dominum; sed ad loquendum multitudini deputatur. Pondera simul illud: *Aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Non de libro vitali, vbi prædestinati recensentur: sed iuxta grauium Doctorum expositionem, de electorum ad populi gubernationem & vtilitatem spiritualem catalogo. Me (ac si diceret) electorum principem catalogo addixisti, iuxta electionis antiquitatem familiaritatis mensuranda dilectio. Si, me precante, populo transgressionem non dimittis, me ardenter diligere (electionis consequentia) non ostendis. Vnde satiùs me de catalogo electorum delere, è primóque loco ad nouissimum deturbare.

28. Qui Discipulos eligit, ipse eos appellat amicos. Do quæstioni. Cur Dominus piscatores, & non Senatores ad Apostolatum delegerit? Respondet Augustinus de verb. Dom. sec. Ioann. serm. 59. cap. 10. *Multùm valent boni amici ad bonum? Ideo Dominus noluit priùs eligere Senatores, sed piscatores.* Asserit Pater, tàm in lege veteri, quàm in nouâ electos à Domino Senatores, ad proximos adducendos. Sed priùs electos fuisse meritò probat piscatores, quia ad vberiorem dilectionem ex synceritate, & paupertatis humilitate aptiores oportebat sic eligi priùs eos, qui ad maiorem dilectionem disponi possunt, quia Deus plerumque quos eligit primos, assulet vberiori prosequi dilectione, vbetiùsque ab eis diligi.

Qui priùs eliguntur aptiores debent ad specialem dilectionem Dei sibi acquirendam. August.

A Christo denique omnium electorum primo ducam argumentum. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Cant. 5. Quàm congruè post dilectum ex millibus electum ex millibus apposuit? Quid enim ex millibus primus eligitur, qui non à Deo plus diligitur cunctis? Nyssenus apud Delrium. *Inter omnium hominum myriades, ex quo illi esse cœperunt & quousque nascentur; solus hic nouâ partus specie in hanc lucem prodijt, cui ad nascendum natura non est cooperata, sed seruijt. Ille primogenitus omnis creaturæ ex Patre genitus, ille primogenitus resurrectionis.* Vndenam dilectio tanta? Adiicit pulchrè: *Sic optimè dicitur electus ex millibus.* Quasi ex eo quodammodo, quòd inter omnes primus eligitur, plus cunctis Deo dilectus ostendatur. Certè spirituum ponderatori Deo relinquendum, num Philippus primus electus, sit ampliùs dilectus: sed non infirmum præstantissimæ dilectionis documentum, diuinæ electionis præparatio. Edisce quàm ex electione ad Regulare institutum, sis Domino debitor, quam quidem debes speciali erga vocantem amore complere, vt à Domino diligaris.

29. *Christus primus electus, primò dilectus.* Cant. 5. Nyssen.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

Qui insipientes elegit Discipulos, Philippum aduocat sapientem, vnde Apostoli humilitas innotescit.

Sacram enim sapientiam comitatur humilitas, prophana scientia superbia comes.

AVGVSTINVS: *Nondùm Philippus intellexerat, eo quoque modo ad Christum se potuisse dicere: Domine, ostende nobis te, & sufficit nobis.* Ignorabat-ne Christum? Minimè. Sed essentiam diuinam aspiciendi anxius, Patrem ostendi sibi petit. At vt essentiam diuinam videret, idem fuisset clamare: *Ostende nobis te,* quia eadem Filij ac Patris essentia. Intellexerat planè Christum Messiam à Deo immissum, quia sapiens Scripturas legerat, non

30. *Philippus doctus ab eligente idiotas (quia humiles) aduocatur.* August.

autem

autem intellexerat adhuc Christum eiusdem cum Patre æterno esse naturæ. Dionysius Carthusianus Philippum asserit *a sapientia sua commendabilem. Nam prius quàm à Christo vocaretur, sciuit Moysem, & Prophetas, prædixisse de Christo. Vnde a Christo vocatus, statim dixit Nathanaeli: Quem scripsit Moyses, & Prophetæ, inuenimus Iesum*, Ioan. 1.

Carthus.

30. *Sapientes plerumque superbi.* 1 Cor. 1. August.

Iam Philippi humilitas elucescit. Paulus ait, *Infirma Mundi elegit Deus, vt confundat fortia*, 1. Corinth. 1. Illiteratos aduocat piscatores humilitati adnatos, vt superbos debellaret. Augustinus serm. 59. cap. 10. de verbis Domini secundùm Ioan. *Si prius Dominus eligeret oratorem, diceret orator: Eloquentia mea electa est. Si eligeret philosophum, siue sapientem, diceret philosophus: Sapientia mea electa est. Differantur ergo isti superbi, aliquâ soliditate sanandi sunt. Idiota pauper, sequere me.*

31. *Sapiens Philippus tam humilis est, vt inter idiotas pauperes adnumerari valeat.* Carthus.

Dominus ad Philippum: *Sequere me.* Num præmisit τὸ *Idiota pauper?* Minimè, erat enim sapiens. Cur ergo non differtur sapiens soliditate sanandus, si scientia inflat? Quia ineffabilis sapientia Philippi humilitati hærescit admirabili. Carthusianus pulchrè, *Electus primò Philippus probatur laudabilis à sua humilitate.* Sapiens humilis est, non debet differri; quia iam vri pauper idiota ex humilitate fortia confundit.

32. *Nathanael doctus & sanctus differtur non Philippus, quia humilior fratre.* Carthus.

Obiectis Philippo, & Nathanael fratribus, Philippus eligitur mox in Apostolum; Nathanael differtur. Quare? Legi apud Doctos, quia Nathanael præditus sapientia, quam non assolet apud sæculum humilitas comitari. O mirabilis sapientia Philippi, quam socia humilitas ac sanctitudo sequebatur! Carthusianus ad hæc, *Laudatur Philippus à priuilegio suæ vocationis ad Apostolatum. Nam quamuis Nathanael frater eius fuit Doctor in lege & vir sanctus; Christus tamen præposuit ei Philippum, eum eligendo ad Apostolatum.* Licèt Nathanael esset Doctor sanctus, non eligitur in Apostolum; sed differtur, vt in Discipulum eligatur, quia adhuc aliquantula à scientiæ inflatione se se debebat expedire; si (authore Chrysostomo) illud Saluatoris: *Cum esses sub ficu vidi te*, innuat Nicodemum quadam leui vanitatis maculâ fuisse affectum. Ast Philippus Doctor legis mox eligitur, quia Doctor simul humilitatis.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit.

Philippo intercessore Gentilitas ad Saluatorem reperit aditum.

33. *Gentiles ad intercessorem Philippum occurrunt, Philippus ad Andream, Andreas ad Philippum recurrit.* Carth.

Vbi innuitur, quàm sit Diuorum necessaria intercessio.

CVm audio fatum Apostolum: *Domine, ostende nobis Patrem*, reuoco ad memoriam Gentiles simili sententiâ Philippum exorantes: *Domine, volumus Iesum videre*, Ioan. 12. *Philippus autem* (loquor cum Dionysio Carth.) *ex humilitate & reuerentiâ suâ ad Christum, non per se ipsum præsumpsit ei id annunciare; sed dixit Andreæ. Deinde ipse, & Andreas simul retulerunt hoc Saluatori.* Philippum Gentiles adeunt intercessorem, Philippus solus accedere non audens, alium intercessorem quærit, qui sanè nec solus hoc audet a Magistro petere, sed Philippum comitem sibi adsciscit. O quàm necessaria sanctorum intercessio! O quanta horum humilitas! Qui familiaris adeò erat Saluatori, vt ex intentione omnium Apostolorum proloquutus sit: *Domine, ostende nobis Patrem*, re non repentè dispositâ; sed maturè consideratâ, non audet sine intercessore pro Gentilibus intercedere.

34. *Iob intercessor agit pro inimicis amicorum.* Iob 42.

Ad Eliphaz Themanitem Dominus, *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos; quoniam non estis locuti coram me rectū, sicut seruus meus Iob. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob. & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis.* Iob 42. Cur tu, ô Domine, qui exhibes consilium holocausti, non parcis offerentibus? D. Thomas, *Quia infideles per fideles reconciliari debent*; subdit: *Ite ad seruum meum Iob, vt eo mediante, reconciliemini mihi.* Qui parcere vult, qui veniam promittit, sine intercessore non recipit accedentes. Thom.

35. *Filij defuncti intercedunt pro viuorum commoditate.* Iob 42.

Quid mirum, infideles non recipi, si fidelibus ipsis aditus recludi videtur accedentibus sine mediatore. Immissi Eliphas & amici eius ad Iob, qui quidem haud est ausus sine intercessore ad Dominum accedere. *Dominus bene dixit nouissimis Iob magis, quàm principio eius. Et facti sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & fuerunt ei septem filij, & tres filiæ.* cap. 42. Cætera bona duplicia restituuntur, secùs filij. Cur septem filij, qui obierant, non resurgunt; sed in Abrahæ sinu requiescunt? Anne ipsis filijs in commodum pararetur, dum rursum ad lacrymarum vallem aduocarentur? Certè, vt cætera bona stabilia essent viro sanctissimo, filijs mediatoribus. Num qui aliorum extitit intercessor, ipse indiget mediatoribus? Basilius apud Comitol. in Cat. *Qui parentis erant, ad oculos oblectandos manebant in vitâ; qui vero ante gressi fuerant liberi, ei, à quo sati erant, præstolabantur.* Vt scilicet spirituum sanctorum intercessione filiis viuentibus poriretur, diuitias sine periculo possideret. Basil.

36. *Vt adultero parcat Iesus ipse intercessorem agit & Iudicem.* Ioann 8. August.

Mulieri illi adulterio contaminatæ Iudex impendit absolutionem fatus; *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat*, Ioan. 8. Vbi acutè Augustinus; *Alia persona intercessoris est, alia Iudicis.* Iesus autem, qui Iudex adulteranti fœminæ constituitur, personam intercessoris gerit? Profectò tam necessarius est intercessor ad Iudicem, vt quando non suppetit extraneus intercessor, ipse Iudex se mediatorem dignatur exhibere. Adhibitâ itaque intercessione adeo cuncta pacificantur, vt & Deo, & marito fœmina conciliecur, *Puto quòd hac sententiâ Domini intercessoris auditâ, si præsens fuit etiam maritus ipse, qui violatam sui thori fidem vindicari postulabat, exterritus animum ad voluntatem parcendi ab vlciscendi cupiditate deflexit.* Edisce Diuorum adire Delubra, cùm gerendi negotij instet occasio, si fœlici termino circumscribendum velis.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Philippe, qui videt me, videt & Patrem.

Philippi tres filiæ spirituales, virgines incorruptæ, Patris actiones referebant.

Vbi adnoto, filios paternarum actionum imaginem præsentare.

37. August. QVOMODO qui videt Filium videt & Patrem? An idem Pater & Filius? Augustinus respondet, *Solemus de similibus duobus ita loqui. Vidistis illum. Sic ergo dictum est. Qui videt me, videt & Patrem. Non quod ipse sit Pater & Filius; sed quòd à Patris similitudine in nullo prorsus discrepet Filius.* Id quod licèt ad humana transferre. Ita parentis ac filij assolent assimilari actiones, vt potiùs vnus, quàm duo operatores videantur.

38. *Ob peccata Chan nepos Noë maledicitur relaturus mores parentis.* Genes. 9. Delinquenti Chan circa parentis Noë nuditatem, sic Patriarcha: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit*, Genes. 9. Quare non filius tunc delinquens, sed nepos; Chanaan Chani filius maledictione vulneratur? Num, quia ob parentum crimina filij sæpè puniuntur? Existimo, quia plerunque assolent filij parentum nequitiam imitari. Vnde patris ob nequitiam suam iustè maledicendi, filius dignus maledictione exurgeret. Ambros. Ambrosius de Noë cap. 32. *Indifferenter igitur vel paterna, vel sua malitia filius pretium luit, quoniam improbitatis commune consortium est.*

39. *Operabatur nondum natus Chanaã quodammodo cũ patre nuditatis irrisionem.* Genes. 9. Ambros. Alibi Pater ad illa verba: *Vidit Chan pater Chanaam nuditatem Patris*, Genes. 9. hanc excitat quæstionem: *Cur non simpliciter dixerit: Vidit Chan nuditatem patris; sed vidit Chan pater Chanaam? Vtique Chanaam natus non erat, cur ergo nomen adijcit filij?* An quia tam similes assolent existere patris & filij operationes, vt quodammodo iam futurus filius in patre adesset operaturus, nuditatis visionem, seu parentis opprobrium euulgaturus. Ambrosius, *Pater in filio, & in patre filius redarguuntur, habentes stultitia, nequitia, impietatisque commune consortium.* Vnde Textus Noë indicans nuditatem, quam vidisse Chan affirmat, consequenter Chanaam nondum natum nominat, quodammodo in patre & viuentem, & aperientem aui nuditatem.

40. *Abraha in operibus Leuita filij figurabant.* Gen. 12. Thom. Ambros. Abrahæ Dominus: *Egredere de terrâ tuâ, & de domo patris tui*, Genes. 12. Vbi quærit D. Thomas, *Quare voluit Deus, ipsum exire de terra suâ, & de domo patris sui? Numquid non aquè bonum erat, Dominum colere in terrâ suâ, sicut in aliena?* In cuius quæstionis solutionem præmitto Ambrosium fantem, lib. de fugâ sæculi, cap. 2. *Forsè dicas Leuita non erat;* cuius proprium paternam obliuisci hæreditatem) *sed habebat in lumbis Leui.* Ecce cur Abraham domo egredi cogitur. Pater Leuitarum Leui ergo operari quodammodo debebat in illo adhuc in lumbis existens. Discedat à parentibus, & cognatis, vt Leuitæ rectè peragat ministerium. Sic Doctor Angelicus. Exire præcipitur, *quia a propinquis, & domesticis diuino cultui contrarijs, homo cultus sacrarius impeditur.* Thom. Erat quasi sacratus cultui ille, in quo iam Leui Tribus altari sacrata quodammodo operabatur.

41. *Patris Dei imaginẽ exprimimus.* Psalm. 8. August. Dauidicum carmen expendo, *Quid est homo? quòd memor es eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Psalm. 8. Vbi Augustinus inter hominem & hominis filium distantiam, seu differentiam exprimit. Si enim nihil distaret, non *homo, & filius hominis* per disiunctionem apponerentur. *Adam igitur homo, sed non filius hominis.* Per hominem Adam, per filium hominis Christum interpretatur. Homo est, qui Adam veteris refert imaginem; filius autem hominis, qui Christi vultum obiicit. Memor itaque Deus dicitur hominis; filij autem hominis visitator. *Propterea illius memor est, tanquam in longinquo positi; hunc vero visitat, quem præsens illustrat vultu suo. Quia signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine.* Filij ergo Dei parentis optimi imaginem referimus: præsens nos Pater illustrat, vnde qui nos videt, *videt & Patrem.*

42. *Filia Philippi Patrem imitata concionabantur quodammodo Apostolum agentes.* Carthus. Philippo Dionysius Carthusianus discursum accommodat. *Commendatur Philippus a suâ fructuosâ prædicatione. Nam annis viginti in regione Scithia prædicauit, multos valde conuertens,* Mox adiicit, *Habuit quoque tres filias sacratissimas virgines, per quas Spiritus sanctus multos conuertit ad fidem.* Fœmineam præ se ferentes fragilitatem, Apostolorum instar, Spiritus sancti virtute roborantur, multósque ad fidem adducunt tanti filiæ Concionatoris. Quid mirum tam vberes fructus parturire illas, queis non à naturâ, sed efficacius à Spiritu sancto datum patrissare.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.

Quàm docilis Philippus, vt Christum dicentem solùm, non tunc facientem sequeretur.

Vbi doctrinæ operibus addictæ efficaciam expendo.

43. Chrysost. QVÆRIT Chrysostomus, *Quomodo à verbis incipiens, ad opera venit? Conueniens erat dicere Ipse loquitur verba. Num quia verba, & opera erant?* Non decebat alium loqui, & alium operari: ille dicat, qui facit, Pater opera facit, Pater dicat, vnde verba quæ loquor non loquor, quia Pater opera efficiens ipse verba profert. Quàm ineptè loqui ascendit Concionator, qui non operatur, quod dicit!

44\. *Pater, qui facit, ipse benedicit.* Matth. 25.

Probis Dominus in iudicio: *Venite benedicti Patris mei*, Matth. 25. seu à Patre meo benedicti. Cur benedicti à Patre, & non potiùs à Filio Iudice prædicantur? Num quia Christus vt homo iudicaturus vt homo loquitur, quo Pater maior est? Sic Abulensis quæst. 365. At eidem Doctori idem est, (Abul.) *Benedicti Patris venite, ac si diceretur: Venite benedicti; & percipite Regnum Patris mei. Et vocat nunc Regnum Patris sui, quia ipse accepit à Patre Regnum, & gloriam, & honorem.* Si igitur Pater est in præsenti, qui Regno beatos donat, qui illos efficit Reges, qui magnum gloriæ pondus in illis operatur: aptè & ipse est, qui benedicit.

45\. *Facientes Virtutes benedicunt.* Psalm 102. Lyran.

Affinis Dauidica inclamatio. *Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius*, Psalm. 102. Vbi Lyranus, *De illo Angelorum ordine loquitur, qui dicuntur Virtutes. In secundâ Hierarchia ordo Virtutum, eo quod ministraliter operentur in miraculis diuinâ virtute factis.* Virtutes igitur Deum potentissimum miraculorum excitatorem effetunt benedictione, quæ in miraculis operantur. Qui ergo facitis, benedicite: dictio ex ore facientis proferatur.

46\. *Christus in Baptismate tacet, quia peccatoris imaginē non facientis referebat, secus in Transfiguratione.* Matth. 4. & 17. Thom.

Dum Christus Iordanis intingitur vndis, Patris vox resonat: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matth. 4. At cùm apud Thabor transfiguratus Discipulis tribus obiiceretur, rursum Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, Matth. 17. Quare in Transfiguratione illa particula, *ipsum audite*, superadditur? Respondet D. Thomas apud Abulensem citat. *Quia Christus per Baptismum venerat ad gratiam realiter conferendam: per Transfigurationem autem venit ad gloriam ostendendam, & non conferendam. Et quia audire est de eis, quæ dicuntur, & non fiunt realiter, non debuit dicere in Baptismo: Ipsum audite, quia tunc nihil dicebat, sed efficiebat. In Transfiguratione autem dici debuit; quia tunc annunciabat gloriam futuram, quam non conferebat.* Doctè, & ingeniosè. Sed Abulensi adhæreo fauti: (Abul.) *Non erat conueniens verbum istud: Ipsum audite, tempore Baptismatis.* Quare non erat conueniens? Quia Christus tunc imaginem exerens peccatoris diluebatur à Patre: vnde qui opus ablutionis gerebat, loqui debebat, Filio tacente. At in Transfiguratione Christus, Solis in morem, Discipulos illuminans, beatitudineque repleus, loquitur. Quàm iustè loqui potest, qui quidquid loquitur, operatur!

47\. *Philippus conuertitur audiens, non videt Iesum operantem.*

Hinc commendabilis apparet Philippus, qui loquentem Dominum audiens, nec operantem videns, eum sequi contendit. *Sequere* (inquit) *me.* Cur, ó Ecclesiæ Princeps, non facientem expectas? Philippus (attestantibus Doctoribus) Ioannis erat Discipulus. Profectò Iesus Ioannis Discipulis profatur: *Euntes, renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis.* Si Philippus Ioannis Discipulus, cur non audit, & videt; sed ex solo credit auditu? Philippo ingenuo, pio, fideli sufficit audiisse, nec opus ad opera intuenda expectare. Dionysius Carthusianus, (Carthus.) *Laudabilis est Philippus à suâ docilitate. Statim namque acquieuit vocationi Christi, & secutus est eum mente, & corpore, cùm tamen non viderit eum facientem.* Sic Doctor.

OBSERVATIO X.

Ad illa verba:

Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor; Pater autem in me manens ipse facit opera:

Philippus Christum sequitur præeuntem: alij Philippum Christum insequentem.

Quia facilè præeuntis imitamur actiones.

CHRYSOSTOMVS sic exponit: *Id est, idem Pater & Filius dicunt, idem faciunt.* 48. Chrysost.
Quid est, *Ipse in me manens facit opera?* Me ad operandum suo mouet exemplo. Obiiciens enim mihi ego hominis Filius, Patrem æternum præcelsâ virtute opera in me facientem, ad illius allicior imitationē. Vnde ipse præcedens, mea opera facit: quia efficit, vt ego ad imitationem ipsius opera eadem exponam.

49\. *Facimus opera Iesu, quia præit exemplo.* Ioann. 14.

Eidem sensui do proximam illam sententiam: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*, Ioan. 14. Deū immortalem te, humo, præeuntem adeo potes enixè sequi, vt eius exeras actiones? Certè qui nos præit exemplo nostra opera facit similia, siue id efficit, vt eius imitemur actiones. Augustinus, (August.) *Priùs ego facio, deinde & ipse faciet; quia facio, vt faciat.* Ac si diceret, Ille facit, quia me prius sibi obiicit efficientem. *Et maiora horum faciet. Quæ opera* (adiicit Doctor) *nisi vt ex impio iustus fiat? Prorsus hoc maius esse dixerim, quàm creare cælum, & terram.* Hoc vtique sine Christi exemplo (qui quidem ex impio iustos fieri non potest, quia non potest delinquere) sed non sine eius auxilio, Discipuli operantur.

50\. *Stephanus Iesu sequutus exemplū, pro inimicis exorat.* Act. 7.

Christus igitur Patris virtutem præeuntem sibi obiiciens, ad ipsius operatur exemplar; nos autem Christum præeuntem aspicimus, vt tanti Magistri referamus actiones. Cùm Stephanus saxorum impetu quateretur *intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei.* Tunc clamauit: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei*, Act. 7. Cur Iesus stans describitur? An vt eius Resurrectio asseratur? Sic Lyranus. (Lyran.) An vt ad Martyris auxilium paratus assignaretur? Ita Anselmus. (Ansel.) Ego autem crediderim, stantem, formam prætendere Cruci suffixi. Quorsum hæc? Ac si Dominus profaretur: O Leuita, cum Cruci hærebam, Patris mihi obiiciens virtutem, miserando expressam, adeò fui roboratus, vt pro carnificibus exorarem: *Pater ignosce illis:* Tu similiter me tibi proponens, in easdem deferaris actiones. *Positis itaque genibus, clamauit voce magnâ, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Ibid. Ad quæ Beda, (Beda.) *Ad confortandam Martyris patientiam cælum panditur, & ne homo lapidandus titubet in terrâ, Deus homo Cruci affixus apparet in gloriâ.* Quid non facilè Magistro tanto præeunte.

51. *Philippus sequitur Iesu, Nathanael Philippum.* Metaph.

Porrò Philippus Dominicę operationis imitator non solùm è Cruce pendens, sed homines conuertens. Eo ipso vocationis die Nathanaelem ad Christi allicit imitationem. Iesus præit fatus: *Sequere me.* At Philippus idem fratri persuadere conatur. *Cùm autem* (inquit Metaphrastes) *ita boni effectus fuisset particeps, assumit socios participationis. Nathanaelem Christo adducit obedientem.* Iesum præeuntem Philippus sequitur, hunc currentem Nathanael frater secutus est. O quàm iuuat exemplum! quàm veloces vel pigritanti indit alas!

PARS TERTIA.

SECTIO QVINTA.

IACOBVS SIGILLATIM.

In Iacobum

PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS circa literam.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Non turbetur cor vestrum.

Resurgens Christus Iacobo apparet, eum liberans à mœrore.

Vbi innuitur Resurrectionis Dominicæ memoria, nostræq; innouationis spe nos eripi à tristitiâ.

1. Augu∫t.

AVGVSTINVS, *Mortem metuitis huic formæ serui? Non turbetur cor vestrum. Suscitabit illam forma Dei.* Resurgens e tumulo vos mœstos ego inuisam, vt huius mysterij fide exurgatis.

2. *Resurgens Christus incredulos sanat.* Ioan. 11. Chrysol.

Marthæ Dominus, *Resurget frater tuus.* At illa: *Scio, quia resurget in resurrectione, in nouissimo die*, Ioan. 11. Vbi Chrysologus sermone 63. *Martha, ante te est resurrectio, quam tam longè mittis. Ego sum resurrectio.* Cur non dixit: *Ego resuscito*, sed, *Ego sum resurrectio?* Quia eo ipso, quod resurgit, facit asseclas ab incredulitate suscitari. Chrysologus asserit hisce verbis Dominum suam resurrectionem præsignâsse, quâ obiectâ, Discipuli erant ab incredulitate reuocandi. *Quid est, Ego sum resurrectio, & non, Ego resuscito? Quid est? Quia resurgendo in se resuscitat omnes* ab incredulitate. Omnes, inquam, qui dubitâssent, existimo enim plures haud dubitâsse, Non opus, Iesum nos præcipiendo suscitare; sufficit se se obiicere resurgentem, à mortuis liberum, vt increduli resurgamus.

Mox adiicit Martha: *Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui*, Ioan. 11. Excitat aliam Chrysologus quæstionem, *Qui ad Lazarum venerat, quid sic occupatur in Marthâ? Respondet, Quid? Vt ante illa in fide resurgeret, quam ille resuscitaretur in carne.* Iesus obiicitur resurgens? Sufficit resurgentem apparuisse, vt Martha ab incredulitate resurgat. Christus surgit è tumulo, vt Discipuli ab incredulitate suscitentur. 3. *Sufficit Iesū obyci resurgentem vt incredulus resurgat.* Ioan. 11. Chrysol.

Iacobus quidem à mœrore resurgit; non ab incredulitate, vt probabiliter asserunt Doctores. Vnde ipsa Resurrectionis die Christus fidelissimo Discipulo apparuit. Asserit Hieronymus apud Carthus. serm. 3. Christo comprehenso, Iacobum se se iuramento illigâsse: *Non manducabo, donec Filius hominis resurgat à mortuis.* Cúmque vsque ad diem tertiam à cibo abstinuisset, in ipsa Resurrectionis die Iacobo Dominus apparuit fatus: *Ponite mensam, & panem. Deinde panem benedicens, dedit Iacobo dicens: Surge, frater mi, quoniam Filius hominis à mortuis resurrexit.* Surge non ab incredulitate (sperabat enim resurrecturum, qui vsque ad resurrectionem piè à cibo abstinere iurauit) sed à mœrore. Aliquos resurgens ab incredulitate excito; te, ô Iuste, à mœrore suscitare oportet. 4. *Iacobus, viso Domino resurgente, à mœrore resurgit, non ab incredulitate.* Hieron.

OBSER

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Non turbetur cor vestrum.

Iacobi solius quæritur testimonium contra Iesum, vt omnis populus à fide dimoueatur.

Vbi innuitur pracipites subditos ferri excedente Pralato.

5\. August. AVGVSTINVS: *Cùm secundùm Ioannem hoc Petro prædictum esset* (ruina scilicet abnegationis) *conserit idem Ioannes Domini sermonem, dicentis; Non turbetur cor vestrum, credite in me.* O quàm præstantis affectus protectionis, subditos, pereunte Prælato, non deperire, turbato Præsule, non disturbati!

6\. *Præsul turbatus quomodo potest Discipulos à turbatione prohibere?* Matt. 2. Magis aduentantibus, *turbatus est Herodes Rex, & omnis Ierosolyma cum illo.* Matth. 2. Adest ne vlla causa turbationis Ierosolymæ? Nulla, nisi Regis turbatio; nutante enim capite, corpus contremiscere necessarium est. Sed quid prophanum Principem testor? Adest Regum Rex, qui Discipulis inquit: *Non turbetur cor vestrum.* Mirum, Dominum curare Discipulos à turbatione auerti, priusquàm in illam incidant. Qui superiùs clamauit: *Anima mea turbata est*; in cœnâ similiter: *Turbatus est spiritu.* Quid, ô Domine, à turbatione curas amouere Discipulos, te turbatum aspicientes? Difficultatem calluit Dionys. Carthus. (Carth.) ad cap. 14. Ioann. *Suprà dixit Christus; Nunc anima mea turbata est, & in cœna turbatus est spiritu. Quomodo ergo nunc ait Discipulis: Non turbetur cor vestrum, præsertim cùm eius actio sit nostra instructio, & ipse cœpit facere, & docere.* Quasi mirum sit, siue consequentiæ defectus, Magistrum turbatum Discipulos à turbatione prohibere imminente. Imò hinc validum argumentum excogitatum ad præfatæ veritatis confirmationem. Tam est annexa turbationi Præsulis Discipulorum perturbatio, vt necessarium fuerit à Domino turbato Discipulos prohiberi: *Non turbetur cor vestrum*, ne inciderent in turbationem.

7\. *Petro ignorante, Discipuli ignorant.* Ioan. 14. Ghisland. Alio id nostri Euangelij testimonio roborabo: *Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Ioann. 14 Vndenam Thomas credidit reliquos ignorasse, quod ipse nesciebat? Nùm quia vulgaris erroris opinioni hærebat, id de alio suspicando, quod in se recognoscit? Antonius Ghislandus è Prædicatorum familiâ inde affirmat id dignouisse Thomam, *quia semper præsens fuerat in instructione Christi, vel quia etiam tunc conferentes dicebant se nescire.* Aptiùs autẽ argumento respõdeo Thomam audiisse Petrũ interrogantem, & Dominum minimè respondentem. Vnde collegit adhuc Petrum in suâ persistere ignorantiâ. Quid interrogauit Petrus? *Quo vadis.* Ergo Petro omnium Prælato, quoniam respõderet Dominus, haud callente, prudentes Thomas arguit, subditos cunctos eadem ignorantiâ laborare, quia capiti membra accommodantur. E Toleto confirmo: (Tolet.) *Quam cæterorum ignorantiam faciliè sibi persuasit Thomas, quia Petrum interrogantem audierat, quo vadis? nec responsum acceperat. Si igitur Petrus ignorabat, cæteros ignorare non dubitauit Thomas.*

Iam elucet, quonam astu Pharisæi & Scribæ ad Iacobum accesserint profantes: *Te valdè rogamus, ô iuste,* (verbis vtor Metaphrastis) *cohibe populum. In errorem enim inductus est de Iesu. Tibi enim nos credimus, & vniuersus populus, quod sis iustus, & personam non accipias.* Quonam modo ego ab isto (quem vocatis) errore populum reuocabo? Errat profectò grex post pastorem erronem, si ab errore reuocetur Antistes, non vltrà subditi errore dissoluentur. Quid tunc iustus? *Non est cunctatus, neque metu prodidit veritatem; sed animo & linguâ liberrimus, & magnam protinus vocem emittens: Quid me rogatis, inquit, de Iesu? Ipse sedes in cælo ad dexteram virtutis Patris sui, venturus posthac vt iudicet Orbem terræ in iustitiâ.* Hæc ille. 8.

Si Iacobus Pastor verè erraret, Iesum abnegans, oues perderentur. Metaph.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

In domo Patris mei mansiones multæ sunt:

Præcelsa militantis ac triumphantis Iacobi mansio.

Vbi ostendo, beatam Regionem etiam pœnitentes excipere, nullúsque merita adeò inaccessibilia, vt alius ea imitari non valeat.

MVLTAS præparatas Discipulis mansiones Christus affirmat, vt eos & militans 9.
& triumphans excipiat Ecclesia. Quàm præcelso & hîc & ibi Tabernaculo fuerit Iacobus donatus, vno & altero Capite indicabo.

CAPVT I.

Præcelsa triumphantis Iacobi sedes.

AVgust. *In domo Patris mei mansiones multæ. Per quod à turbatione recreantur cæteri. Quia si alius est alio fortior, iustior, sanctior, non alienabitur ab illâ domo, vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.* O quisquis sub vndecimâ diei horâ ad laborem accessisti, tibi denarius integer reponitur! *Denarius ille æqualis est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati sunt in vineâ, iubet dari, licèt multæ mansiones* (addit) *diuersas meritorum in vnâ vitâ æternâ significant dignitates.* Hinc consolatione afficiuntur, vel qui immaturi abripiuntur, vel qui senio confecti ad meliorem sese mentem recipiunt. Omnes Regio cælestis excipiet. 10.

Mansiones gloriosæ diuersa Diuitiis aptantur. August.

11. *Omnes Dilud ut Sol fulgebunt, Deum aspiciemus; sed iuxta merita fulgor addetur.* Matt 13. 1. Cor. 15. August.

Apud Matthæum Dominus: *Fulgebunt iusti sicut Sol.* Cap. 13. Apostolus autem. *Alia claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum. Sicut stella à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. In morem Solis beatos Christus asserit fulgurare; Apostolus alios instar Solis, alios in morem Lunæ, seu stellarum, æstimat coruscare. Ergo-cum sententiâ Christi Pauli dimicat testimonium. Respondet Augustinus tract. 5. de cogn. veræ vitæ: *Dominus gloriam Sanctorum generaliter expressit. Apostolus autem singulorum gloriam pro meritis distinxit. Vitæmus in Regno cælorum ut Sol fulgebit, qui tunc septies clarior quam nunc erit. Et in hac claritate tantum quisque ab alio pro meritis differt, quantum stella à stella in claritate differt.*

12. *Præmiorum diuersa pondera.* 2. Cor. 4.

Hinc colligitur, cur Paulus gloriam ponderis vocabulo designârit: *Momentaneum hoc, & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Æternum gloriæ, siue gloriæ æternitas, communem omnium beatorum signat fælicitatem. At pondus beatitudinis, gradus signat præmij, tribulationum numero ac qualitati respondentes. Origenes lib. 7. in Epist. ad Rom. *Quantò magis multiplicari sibi tribulationum Paulus viderit pœnas, tantò amplius intelligit sibi pondus & magnitudinem gloriæ cumulari.* Confectus ætate ad Christum accessisti? Satiùs tibi fuisset priùs Christo quàm tibi viuere; sed excute turbationem: *In domo Patris mansiones multæ*, quarum ex nouissimis saltem, aliqua te in morem Solis coruscantem excipiet. (Orig.)

13. *Iacobi minoris non minor sanctitas.* Vincent.

Quis verbis æquare poterit Iacobi sanctitatem, mansionisque ei respondentis celsitudinem? *Iacobus Minor* appellatus. Minor-ne sanctitudine? Vincent. Ferrar. audiamus: *Dicitur Iacobus minor ad differentiam Iacobi Zebedæi fratris Ioannis Euangelistæ, qui dicitur Maior, eo quòd prior fuit Apostolus Christi.* Apostolus de se Paulus: *Ego sum minimus Apostolorum.* 1. Cor. 15. An colligemus minimum sanctitate? Vincent. *Paulus se minimum vocat; cùm tamen sit de maioribus dignitate & sanctitate; sed quia vltimus fuit vocatus ad Apostolatum, dicit: Ego sum minimus.* Profectò Iacobus Minor de maioribus est dignitate & sanctitate, si ab vtero sanctificatus, si ad sancta sanctorum donatus ingressu. Metaphrastes sic Iacobi præcellsam exprimit sanctitatem: *Erant eius actiones hominis iusti conuenientes. Oculus eius leuis est placidus, & verè dignus qui consequeretur à Deo misericordiam. Aures diuinis verbis omninò apertæ. Manus, quæ semper mouebantur ad benefaciẽdum. Genua eius precationis assiduæ causa penitus obduruerant.* (1. Cor. 15. Vincent. Metaph.)

14. *Mansio præcelsa tantæ sanctitati aptata.* Matt 20.

Quàm celsa mansio tantæ respondet sanctitudini! Alteri Iacobo petenti sedem supremam Regni Dominus: *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre.* Matt. 20. Ac si diceret. In domo Patris mansiones multæ, præcelsis quibusdam Proceribus præparatæ. O Iacobe Zebedæi fili, scis-ne an mansio, quam tibi expetis adaptari, sit à Patre parata alij! Meritorum dominus ponderator est, qui singulos singulis præmiis remunerat.

CAPVT II.

Militanti Iacobo augusta sedes præparata.

15. *Apostoli domus Domini. ca fundamina.* Strab. Matt. 16. Thom.

STrabus: *Domus Dei, templum Dei, Regnum Dei.* Quid domus, templum, ac Regnum Dei, nisi Ecclesia? Huius multæ mansiones, siue fundamenta. Petro Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matt. 16. Vbi quærit D. Thomas: *Est-ne Christus, & Petrus fundamentum?* Respondet: *Christus secundum se, Petrus in quantum habet concessionem Christi, Vicarius eiusdem, Ephes. 2 Superædificati super fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Fundamenta Ciuitatis duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum. Ideò Christus secundum se est fundamentum; Apostoli non secundum se, sed per concessionem Christi.* Si omnes Apostoli domûs Dei mansiones, seu fundamina sunt, quid peculiare Petro datur? Certè Vicarium esse Christi præcipuum, reliquorum Apostolorum, ac domus Domini incolarum supremum Præsulem.

16. *An Iacobus, Petri in morem, sit Ecclesiæ fundamen?* Carthus.

Hinc Iacobi fulgurat priuilegium; non solùm est veluti reliqui Apostoli domus Dominicæ mansio, ac fundamentum; sed strictiori ratione, Petri in morem, dat quodammodo Ecclesiæ fundamen. Dionys. Carthus. ex Hieronymo: *Ab ipsis Apostolis Iacobus est Ierosolymorum Episcopus ordinatus; id est, Christianorum illorum primitiua Ecclesia in Ierusalem congregata, post Christi passionem, & Spiritus sancti missionem. Nam quamuis Petrus fuit generalis & summus omnium Christianorum Prælatus, ac Præsul; ipse tamen voluit Iacobum esse specialem Episcopum illorum fidelium. Iste est Iacobus, de quo ad Galatas scribit Apostolus, quòd Petrus & Iacobus videbantur columnæ esse.* Queis scilicet Dei domus innitetetur. Quid augustius?

17. *Videbantur Iacobus Ecclesiæ columna specialis, sicut Petrus.* Gal. 2. Anselm. Strab.

Paulus fatur: *Et cùm cognouissent gratiam Dei, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas, siue Petrus, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi.* Gal. 2. *Columna* (Anselmus) *id est, sustentatio totius Ecclesiæ*, siue Dominicæ domus mansiones. Columna Petrus septem aliis columnis, siue Spiritus sancti operatione multiplici fulcitur. De columna Iacobo idem licet affirmare. Strabus: *Videbantur Cephas & Iacobus esse columnæ. Columna firmamentum dicitur veritatis, quia sapientia domum ædificauit, construxit in septem columnis, quo numero septenaria Spiritûs sancti operatio insinuatur.*

18. *Quodammodo Iacobus summus Præsul.* Apoc 3. Lyran.

Vicarius itaq, Christi, & Ecclesiæ Pater quodammodo Iacobus, coram summo Patre, ac Vicario Petro obiicitur. Videbantur columnæ. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & scribam super eum nomen Dei mei.* Apoc. 3. Vbi Lyranus. *Faciam eum columnam fortem in fide, non solùm pro se: sed etiam pro aliis confortandis, & sustentandis secundum hunc modum Petrus & Iacobus columnæ dicuntur. Et scribam super eum nomen Dei. Quia tales dicuntur Dij. Ego dixi: Dij estis Repræsentant enim in Ecclesiâ personam Dei.* Tãtus Iacobus, vt hærescens Cephæ, indifferẽter generalis Ecclesiæ columna videretur. Edisce, nullum tàm priuilegiis fulgidum, cuius alter vestigia nõ possit, fauente Numine, sequi, actiones imitari.

Obser

Observatio IV.

Ad illa verba:

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Iacobus Minor Missam primò adstante Petro celebrauit.

Vbi primò hærentes Altari moneo, quanta puritas ad Missæ celebrationem requiratur.

19. Thom. Divus Thomas hîc: *Duplex est* (ait) *domus Dei; vna est militans Ecclesia, scilicet congregatio fidelium; alia triumphans, id est, Sanctorum collectio in gloriâ. In hâc mansiones multæ sunt, diuersæ participationes beatitudinis.* In illâ consequenter multæ mansiones diuersæ beatitudinis connotant militantium diuersos gradus sanctitatis ac gratiæ, quibus beatitudinis cælestis excellentia respôdeat. O quàm celsa Iacobi iustitia, in domo Dei militantis præcelsam obtinuit mansionem, aptandam beatæ!

20. *Primam Ecclesiæ Missam celebrauit Iacobus, quia omninò immaculatus.* Vincent. Præmitto Vincentij Ferrar. sententiam; *Primus inter Apostolos Missam celebrauit in Ierusalem. Nam propter excellentiam suæ sanctitatis sibi hunc honorem Apostoli fecerunt. O qualis honor in ciuitate, vbi cœpit Christianitas, vbi Christus passus est.* Dic mihi, Præsulum Princeps, qui totius Ecclesiæ clauum tenes, cur pater omnium fidelibus primò non porrigis panem? Quare te (præcipuum post Dominum Ecclesiæ fundamen) non priùs recipit Altare, incruento dantem operam sacrificio? Adstat, inquis, Iacobus iustus. Opus est Missam primam à nunquam maculato celebrari. Me indignum reputo, qui hoc primum Patri offeram holocaustum (ad cuius ministerium tanta requiritur animi puritas) ter Domino à me abnegato. Hæreat Altari primam Synaxim oblaturus, qui ab vtero sanctus nunquam polluit stolam.

21. *Edocet Petrus, quanta puritas requiratur ad Missæ celebrationem.* Ioann. 21. Chrys. Et quidem Petro sanctissimo semper infixum, quanta puritas ad huiusmodi ministerium requireretur. Tranantibus pelagus Discipulis, *stetit Iesus in littore.* Ioann. 21. *Vt scilicet* ait Chrysologus serm. 78.) *in antiquum terminum reuocaret vniuersa, firmaret dubia, iactata compesceret, turbata componeret, & statione suâ ipsa fundamenta Orbis, quæ sic commota fuerant, stabiliret. Quo mox Mundus ad sui recurreret Authoris obsequium, qui ad sui diffugerat Authoris iniuriam.* Iam obfirmata Orbis fundamina, iam Ecclesiæ mansio, Petrus vtique ad sui Authoris recurrerat obsequium, lacrymis diluens abnegationem. Quid plura? *Vt audiuit* (addit Ioannes) *quia Dominus est, tunicâ se præcinxit; erat enim nudus, & misit se in mare.* Ibid. Se tunicâ præcinxit immittendus ad pelagus? An non potiùs, etiamsi veste esset succinctus, debuit ad aquas pergens denudari? Respondet Chrysologus: *Quia innocentia nunquam nuda est, & reatus semper refugit ad velamen.* Petrus vestes resumit. *Denique sicut Adam, ita & nunc Petrus post culpam nam gestit tegere nuditatem, qui fuerant ambo vtique ante culpam sanctâ nuditate vestiti.* Ad Christum accedo? Nudus adhuc sum propter negationem, confugiam ad velamen. An non dilutum lacrymis Petri flagitium? O Apostoli humilitas, ô sancta mens, perpendens quàm sit necessaria verecundia post flagitium, ad Christum contingendum. Sed cur, ô Petre, ad aquas exilis, qui accedente scaphâ poteras ad ripam, vbi adstat Dominus, transmeare? Audiui Dauidem inclamantem: *Amplius laua me ab iniquitate meâ* Ps. 50. Qui lacrymis pro pane vtebatur, quid vlteriùs lauari expetit: *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem.* Sacrificium non vitulorum, sed Agni paras immaculati offerre? Iustè iam lotus, iterùm atque iterùm lauari postulâsti. Non aliter Petrus accessurus ad Christum post lachrymarum lauacrum, amplius abluendum sese pelago commisit. Chrysologus citat. *Misit se in mare, vt mare ampliùs dilueret, quod negatio taliter sordidauerat.* Qui sic mundus gestit Domino hærere, quid Altari sacrificium mundissimum oblaturus? Quare Iacobo lauacro minimè indigenti, humilitate præcelsus Vertex Ecclesiæ primæ Missæ celebrationis committit ministerium.

22. *Amplius Petrus ablui curat conscientiam, vt accedat ad Christum.* Psalm. 50. Chrysol.

23. *Quia & faciem & mores Domini referebat Iacobus, ei Missæ primæ iniungitur ministerium.* Vincent. Alio ex capite iusti Iacobi sanctitas innotescit. Frater Domini fuit appellatus. Quare? Num quia ex Deiparâ fuit exortus? Virgo solius Iesu Parens. Scio Christi Domini consobrinum. Attamen assero, ideò fratrem Domini appellatum fuisse, quia & specie & moribus sanctissimis, Christi referebat imaginem. Id quod adnotans Vincentius Ferrar, ait: *Dicebatur frater Domini, quia simillimus sibi fuisse perhibetur, in tantum, vt plerique in eorum specie fallerentur. Vnde Iudæi ad capiendum Christum, cùm pergerent, à Iudâ, qui Christum à Iacobo, tanquam eorum familiaris, optimè discerneret, signum osculi acceperunt, ipso dicente: Quemcunque osculatus fuero, ipse est.* Quid Ignatius epist. ad Ioann. *Si licitum est mihi apud te, ô Ioannes, ad Ierosolymæ partes volo accedere, vt videam illum venerabilem Iacobum, qui cognominatur Iustus. Quem referunt Christo Iesu simillimum facie, & vitâ, ac si eiusdem vteri frater esset gemellus. Quem, dicunt, si video, video & ipsum Iesum Christum.* Paulus: *Alium Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini.* Gal. 1. Vbi Strabus: *Frater Domini dictus est, quia filius fuit matertera Christi, vel propter similitudinem sanctitatis.* Quia igitur Petrus Iacobum vidit, Christo & facie, & moribus simillimum, ei iniunxit gerendi primi sacrificij ministerium, vt Missam, quam Christus instituit, alter similitudine Christus primò celebraret, exemplum exhibens puritatis, quæ ad tàm augustum requiritur ministerium.

Ignat. Gal. 1. Strab.

* * *

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio.

Iacobus discedentem Dominum nunquam è mente dimittit, nobísque Iudicem aduenturum proponit.

Vt Iudicij memoriâ homines virtuti adhærescant.

24. Alcuin. MAGNVS Alcuinus sic legit & explicat: *Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterùm veniam ad vos. Si abiero per carnis absentiam, veniam per Diuinitatis præsentiam, in qua vobiscum ero vsque in finem.* Rursum Doctor: *Si abiero ascendendo ad cælos, veniam iterùm iudicare viuos & mortuos. Quod Angeli attestati sunt, dicentes: Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Etiam Ecclesiæ Proceribus, Mundi luminaribus, sanctitudinis apicibus, in absentiâ Domini vtilis admodum eius redituri ad Iudicium memoria. Quis tam iustus, qui futuri iudicij obiectione adhuc non iustificetur?

25. *Se cognoscit, & humiliat, qui iudicij extremi memoriam recolit.* Cant. 1. Inclamat sponsa, *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes?* Cant. 1. Vbinam tua iudiciaria sede incubãs, agnos ab hœdis iubes remoueri? *Si ignoras te* (respondet Pastor) *ô pulcherrima inter mulieres, abi, & egredere post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Cant. 1. Ac si diceret. Si pulcherrima cùm sis, te erroneam ouiculam reputas, inter hœdos debere annumerari; *pasce hœdos tuos*, siue quos hœdos reputas, affectus, iuxta tabernaculum Pastoris, Mundum iudicaturi, vt ad oues redeas à dexterâ constitutas. Strabus (Strab.): *Nouissima fies non inter oues, sed hœdos, si ignoras te.* Vt ad propriæ fœditatis (ob crimina præterita) cognitionem venias, te reputa non ouem; sed hœdum Iudici statuendum, quâ consideratione pulchritudine ineffabili coruscans obiicieris.

26. *Iob ex memoriâ iudicij extremi continebatur.* Iob 23. Chrys. Iob profatus: *Quis mihi tribuat, vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius, ponam coram eo iudicium.* Cap. 23. Eum, instar Sponsæ, in solio sedentem quærit, vt Pastor hœdos faciat ab ouibus separari. Chrysostomus in Cat. Conuit. *Vtinam mihi licitum esset Deum inuenire, vtinam liceret ad solium illius appropiare, illicque sisti.* Cur, ô iuste, ad Iudicis curas Tribunal accedere? Nùm vt tuas deplorare valeas ærumnas? Nùm vt vitæ exponas rationem? Nùm vt dignoscas, velit-nè Iudex te pœnis grauioribus afficere, an minas remittere. Nùm quia perspectum tibi te contra arguentes laturum victoriam, si ad eum tibi aditus pateat? Hæc & alia Chrysostomus. Ast ego crediderim ideò Iobum Tribunalis Iudicis meminisse vt dùm absentem Dominum contemplatur, à patientiâ ac fortitudine non excidat. Fauent meæ expositioni proxima verba: *Si ad Orientem iero, non apparet; si ad Occidentem, non intelligam eum; si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum: si me vertero ad dexteram, non videbo illum. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ex eâ, a mandatis labiorum eius non* [illegible]. Ibid. Illud adnota: *Vestigia eius secutus est pes meus*, eius scilicet ascendentis ad Superos, dum Angeli profantur: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem.* Ac si diceret. Dùm præsentem Dominum oculis corporeis non aspicio, quia recessit, secutus sum oculo mentis scandentis cælos, vestigia, quibus resumptis ad iudicandum redibit. Huiusmodi consideratione teneo viam, à mandatis Domini non recedens.

27. *Discipuli in grege continentur ex iudicij memoria.* Act. 1. Chrys. Expendo integram Angelorum sententiam: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem.* Act. 1. Cur ad iudicandum Domini Cælicolæ indixerunt aduentum? An vt Discipuli respirarent? Chrys. *Respirarunt aliquantulum, cùm audissent eum rediturum.* Iustis autem de futuro cogitare iudicio, respirare est. Aptiùs autem existimo Angelos Iudicij memoriâ intendisse Discipulos in fide confirmare, eósque, ne discederent, à grege continere. Oecum. Oecumenius: *Ne Discipuli, velut pereunte Præceptore*, absentéque, *spe destituerentur, & propterea alius alio dispergatur metu, ac timore, ob hanc causam admonent viri, & dicunt: Hic Iesus, ita rursùm veniet.* Ex consideratione iudicij haud errabit ouicula.

28. *Iacobus iudicij memoria diuites & pauperes timorem Domini edocuit.* Iac. 5. Sibi id egregiè Iacobus accommodat: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. Patientes* (iam pauperes confirmare aggreditur) *igitur estote, ferentes vsque ad aduentum Domini.* Iac. 5. Nec aliquod efficacius medicamen diuitibus ac pauperibus poterat adhiberi, occiso, absente Domino, quàm rursùm eius ad iudicium venturi memoriâ. Metaph. Elegans Metaphrastis commentarius: *Tuum opus est, o iuste Iacobe, diuites & pauperes admonere. Illos quidem, ne confidant in diuitijs suis. Hos autem, vt mala ferant patienter, vt qui sint tolerantiæ accepturi mercedem. Et illis quidem infidelitatis argumentum diuitias ob*[illegible]*ere, vt qui in eis confidant, & non in Deo* [illegible]*, qui nunquam exhauritur. His autem tanquam Prophetam annunciare, quòd pro foribus* [illegible] *is qui iudicat.* En iustus ad iustitiam [illegible] allicit, Iudicis memorans aduentum.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio.

Iacobus Domini Resurrectionem ieiunus expectat.

Innuo Domini recessus vtiles admodum ad animi profectum.

AVGVSTINVS: *Quid est, quòd vt præparet, abiit, cùm nosipsos præparet, quod non* 29. August.

non facit ſi reliquerit? Id eſt, Cur abijt ad præparandum nos. Siquidem, vt nos præparet, & diſponat, aptiùs apud nos commoraretur? Reſpondet: *Illud ſignificat, quia vt parentur iſta manſiones, ſiue vt iuſti diſponantur, viuere debet iuſtus ex fide; ſi autem vides, non eſt fides. Eat ergo, ne videatur, lateat, vt credatur. Tunc enim iuſtus paratur, ſi ex fide viuatur, creditus deſideretur, vt deſideratus habeatur.* Profectò abſceſſus Domini iuſtos præparant auguſtius Tabernaculum; amans enim, dilecto recedente, duplicato exardeſcit affectu.

30. *Magdalena Ieſum abſentem meditando, duplici donatur charitatis affectu.* Ioann. 20. Thom.

Abſente Ieſu, lacrymis Magdalena effunditur; conuerſa autem *vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras?* Ioann. 20. Duplex D. Thomæ ponderatio. Primùm enim Ieſum videt, & non cognoſcit, ſeu quaſi videt, & non videt. Deinde Maria mirum in modum proficit, ardore duplicato ex Domini inquiſitione. *Mulier iſta* (ait) *paulatim proficit. Ploratus ex deſiderio inquiſitionis cauſabatur; quem quærit, interrogat, vt augeatur deſiderium, quatenus eum nominaret, quem quæreret, vt in amorem eius ardenter æſtuaret.* Vndenam proficit, ardet, æſtuat? Quia quærens dilectum & abſentem plorat, & animo præſentem geſtat, dum requirit.

31. *Iacobus videt Dominum Reſurrectionis fide, & ideò duplicatâ charitatis portione donatus eſt.* 4. Reg. 2.

Elias Diſcipulo efflagitanti: *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus*, reſpondet: *Rem difficilem poſtulaſti. Attamen ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* 4. Reg. 2. Elias recedens, in typo Dominus. Eliſæus autem mihi ſit Iacobus de Magiſtri querulus receſſu. Acuit Apoſtoli fidem Saluatoris abſentia, duplicique ipſe charitatis affectu donatur, Strabus: *Si videris me, quando tollar à te, id eſt, ſi oculos fidei aperueris, & cum paſſione Reſurrectionem meam fideliter credideris, petitiones tuæ effectum conſequentur.* Credidit Iacobus Reſurrectionis gloriam?

32. *Iacobus ieiunus Reſurrectionem expectat.* Vincens.

Reſpondet Vincent. Ferrar. *Mortuo Domino in die Veneris votum vouit, ſe non comeſturum donec videret Dominum a mortuis ſurrexiſſe. In ipsâ autem die Reſurrectionis, cùm vſque ad diem illam non guſtaſſet, eidem Dominus apparuit, ac eis qui cum eo erant, dixit: Ponite menſam & panem. Deinde panem accipiens, benedixit, & dedit Iacobo, dicens; Surge frater mi, comede, quia Filius hominis à mortuis reſurrexit.* Ab[...]uem videbat, qui apertis fidei oculis cum paſſione credebat Reſurrectionem. Si autem videnti Dominum, dùm recedit, affectûs duplicatio promittitur, ad ſuperos vſque conſcendit, o Iacobe, tuæ incendium charitatis.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Ego ſum via: Nemo venit ad Patrem, niſi per me.

Claudicans iuſtè Iacob per Ieſum viam perrexit ad Patriam.

Vbi innuo labores viam ad ſuperna.

33. Auguſt.

Patiens Ieſus via ad ſuperos, patens. Auguſtinus, *Verbum Dei, quod apud Patrem eſt veritas & vita aſſumendo hominem, factum eſt via. Ambula per hominem; & peruenies ad Deum. Melius eſt enim in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare.* Ac ſi ambulare per Chriſtum qui via eſt, idem ſit ac claudicare, id eſt, infirmitate affici, labores ſuſtinere.

Frequens iuſtorũ poſt Dominum currentium habitus, claudicatio eſt. Victori Dominus: *Vincenti dabo Manna abſconditum, & calculum.* 34. Manna equidem viatorum cibus, eorum ſcilicet qui ex Ægypto egreſſi Patriam requirunt. His calculus ſiue lapillus inter calceos & pedes hærere ſolitus, plantas vulnerans promittitur, quaſi beneficio cæleſti comparandus. Neceſſum etenim eſt ineuntes hanc viam vulnerari, vt claudicantes currant. Vnde aiebat Chryſoſtomus Ieſu aſſeclas *magnis viribus indigere, vt calculorum poſſint vulnera pati* ſalutari viâ.

Claudicatio ex laborum tolerantiâ habitus currentium cum Ieſu. Apoc. 3. Chryſ.

Iacobo alteri ad Patriam pergenti Angelus 35. pugnaturus accurrit: *Ecce vir luctabatur cum eo. Qui cum videret quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum fœmoris eius, & emarcuit.* Gen. 32. Cur in viâ Iacob claudicans obijcitur? D. Thomas: *Claudicat Iudaiſmus, quia una eius pars iuit ſurſum ad Chriſtum, & eſt benedicta ab ipſo; altera verò iuit deorſum.* Argumento conuenientiùs, claudicare exiſtimo Patriarcham, quia viatorum hoc iter arripientium habitus, laborum ſuſtinentia eſt. Pulchrè Rupertus Apocalypſeos & Geneſeos copulat teſtimonia: *Si vincenti datur calculus, Iacob vicit, dicens: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi, & acceptâ benedictione victor claudicare cœpit.* Cæleſti benedictione donaris, dum labores tolerans habitum Saluatoris geſtas.

Iacob Patriarcha per Ieſum currens, viam ſcilicet ad Patriam, claudicauit. Gen. 32. Thom.

Noſtri Iacobi en claudicatio? Vincent. Fer- 36. rar. *Cum ſeptem diebus Iacobus cum alijs Apoſtolis in Templo prædicaſſet, coram Cayphâ, & aliquibus Iudæis; aſcendit Iudæus ſuper gradus, vbi Iacobus prædicabat; & ipſum præcipitauit deorſum, & ex tunc claudicauit:* Quid plura? *Cum alios infirmos ſanaret, noluit ſeipſum ſanare; ſed propter honorem Ieſu illam diuiſam voluit portare.* Quomodo non Ieſu geſtaret imaginem, qui per ipſum viam incedens, ſupernam pergebat ad Patriam?

Noſter claudicauit Iacob. Vincent.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et maiora horum faciet.

An & quomodo, ex morte quaſi triplicatâ Iacobi, iſta verificentur?

Vbi innuitur cunctis fidelibus, Calicis paſſionis Dominum particulas reliquiſſe.

Infra adijcit Dominus; *Et quodcumque petieritis, hoc faciam.* Si illi facient maiora, cur Dominus ſe facturum promittit? 37. Auguſtinus reſpondet, *Ne quiſquam hoc ſibi tribueret, vt etiam illa opera maiora ſeipſum facere oſtenderet, adiecit Et quodcumque petieritis,* Auguſt.

ritis , hoc faciam. Qui dixerat : Faciet , pòst ait ; Faciam. Non vobis hoc possibile videatur; non enim poterit esse maior me, qui credit in me; sed ego sum facturus & tunc maiora quam nunc: maiora per eum qui credit in me , quàm nunc per me.

38. *Videtur Iacobus pluries mortuus, quàm Dominus.*

Profectò Iacobum patientem Dominus aspiciens posset quodammodo profari ; *Maiora faciet* , & patietur. In cuius gratiam præmitto Christum a triplici passione a Iudæis excogitatâ abstinuisse, seséque præripuisse. Hostes effugit, ipsum curantes lapidibus imperere ; ad præcipitium arripere aggredientes declinauit; militúmque eius crura perfringere molientium pressit conatum. Iacobus itaque hosce subiit cruciatus , quos Dominus noluit sustinere. Nam & lapidibus vulneratur,& datur præceps, & ei crura è præcipitio perfringuntur , Metaphraste,Surio, aliísque asserentibus. (Metaph. Surius.) Quare Dominus noluit lapidatus interire ? An-ne inter saxorum fragorem verba prædicationis non exaudirentur ? Certè inter lapidum tumultum Iacobi vox , instar Stephani pro persecutoribus exorantis audita est. Fugit-ne Saluator à præcipitio , quia in Cruce eleuandos omnia ad se trahere deberet ? Portò Iacobus præcipitio affectus nequaquàm deorsum manens moritur; sed vulneratus perticâ , Crucis figurante lignum, quasi Cruci suffixus, quasi omnia ad Christum traxit , plorimos ad fidem conuertens. Agni-ne denique ossa non confringuntur , quia solida colomna veritatis ? Plane Iacobus confractis cruribus adhuc columnæ in morem, firmus objicitur , Paulo attestante : (Gala.) *Cum agnouissent gratiam , quæ data est mihi, Iacobus , & Cephas, & Ioannes , qui videbantur columnæ esse.* Gal. 2. En Christum in Iacobo,& facientem & patientem quodammodo maiora !

39. *Dominus Iacobo illam Calicis partem reseruauit.* Matt. 26. Hilar.

Iam calleo , cur orans Dominus enixè flagitauit à Patre : *Pater , si possibile est , transeat a me calix iste,* Matt. 26 Non petit omninò auferri passionem, sed ad Discipulos etiam transferri, Hilario fante : *Quomodo à me bibitur ; ita ab eis bibatur.* Aliter expendo testimonium. Calix cunctæ amaritudine passionis oppletur Non ego , ait , ò Pater , omnia passionis genera experiar ; sed mei Discipuli aliquibus tormentis afficiantur , queis ego non vulnerot , illis dilectissimis hæc seruentur. Non ego lapidibus obruat, non præceps mittat , nec mea crura perfringantur,vt dilectissimo Iacobo hæc cælestia muneta (amoris mei erga illum documentum ineffabile) seruentur. (Caiet.) Caietanus. Non existimes Dominum è calice aliquid reliquisse, quia licèt hausisse omninò non videatur , *nunc per Apostolos & Martyres sua membra, supplet reliquas afflictiones*, siue afflictiones, quæ in vase Dominico relinquuntur , à fratribus epotantur.

40. *Vt Iacobus adimpleat ea quæ defuere passionis Iesu.* Col. 1. Caiet.

Iam spiritu Pauli Iacobus potest verba illa vsurpare : *Nunc gaudeo in passionibus meis , & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ* Col. 1. Vbi Caietanus : *Dicendo, Adimpleo in carne meâ ea quæ desunt passionum Christi , apparenter significat aliquid diminutionis in passione Christi ; secundum tamen veritatem non significatur diminuta passio Christi; sed significatur quòd deest illi coniunctio ipsius cum afflictionibus nostris.* Rectè quidem , sed sine Dominicæ passionis præiudicio integritatis, Iacobum assero adimpleuisse ea quæ passionis Christi defuere , id est, illa passum esse tormenta , quæ Christus pati noluit , vt fratri charissimo reseruaret. Edisce dilectionis Dominicæ documentum esse , si pro dilecto subeas labores.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo , hoc faciam.

Genua Iacobi in oratione persistentis, cameli instar , obdurata commendantur.

Vbi duplicem orationis conditionem expendo , petere in nomine Iesu, & perseueranter postulare.

QVÆSTIONEM Augustinus excitauit : 41.
Quid est ; Quodcumque petieritis , hoc faciam ? cum videamus plerumque fideles eius petere , & non accipere ? An fortè propterea, quia male petunt ? Respondet : *Audi , quod illic positum est : In nomine meo , quod est Christus-Iesus. Christus Regem, Iesus Saluatorem significat. Ac per hoc quodcumque petimus aduersus vtilitatem salutis, non petimus in nomine Saluatoris. Et tamen ipse Saluator est non solùm quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit , quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo, se exhibet Saluatorem. Sanè quædam , quamuis in nomine eius petamus, non tunc facit ; differtur enim quod petimus, non negatur.* (August.) Duplicem adnoto orationis conditionem; vnam, vt in nomine Iesu petamus ; alteram,vt non mox consequi arbitremur; sed precibus insistamus : perseuerans enim oratio donatur effectu , si nomen adsit salutare.

42. *Oratio perseuerans è Iesu nomine reportabit triumphum.* Exod 17.

Moyses & Iosue , siue Iesus, aduersùs Amalechitas dimicarunt , nec non triumphum egerunt. Iosue *pugnauit contra Amalech ; Moyses autem & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Exod. 17. En mysticam orationis victoriam ! Iosue Iesu nomen euulgat primam orationis conditionem. Moyses autem in oratione perseuerat : *Fugauitque Iosue Amalech.* Vbi Abulensis ex Hebræo : (Abul.) *Debilitauit Iosue Amalech. Debilitauit eos, quod Amalechitæ erant Magici, & conabantur volare , vt irruerent cum impetu super eos. Sed ostendit eis Iosue nomen Domini scriptum , & debilitabantur a volatu suo, & cadebant.* Admitto nunc Hebræorum præfatam traditionem. Nomen en Iesu conferens Israeli victoriam ! Quid plura? *Cúmque eleuaret Moyses manus , vincebat Israel.* Adiicit Doctor . *Manus Moysis eleuabantur ad orationem , quia sic docet Apostolus orare , scilicet leuare puras manus ad Deum. Vincebat Israel. In hoc patet virtus , & efficacia orationis Moysis, vt ipso eleuante manus , quod notat intensiorem feruorem orationis , vincebat populus. Si incur-*

ni .t

nasset autem, aut remisisset manus, quod notat lassitudinem in oratione, aut relaxationem, vincebat Amalech. Ecce perseuerantia precum coronatur! Concludit Tostatus: *In quo apparet quod victoria solum erat ex oratione.* Cuius sanè efficacia duplici ex illo capite oriebatur, in nomine Iesu petitur, precum perseuerantia adiicitur.

Testat.

43. *Iesus quaeritur propter ipsum perseueranti prece.* Cant 4

Ait Sponsa: *In lectulo meo per noctes quaesiui quem diligit anima mea, quaesiui eum, & non inueni.* Cant. 4. Duplici particulâ: *Quaesiui quem diligit anima mea*, & *Quaesiui eum, & non inueni.* duplex orationis conditio commendatur. Solus enim quaeritur Iesus propter ipsum; iteratio huiusce inquisitionis perseuerantiam precum significat. Nec tamen inuenit, siue non mox consequitur quod postulat, quia (vti ait Augustinus) *quamuis in nomine eius petamus, non tunc facit*, vt scilicet perseuerantia coronetur. Bernardus serm. 86. in Cant. *Sponsa lectuli secretum petebat, & noctis, orare, hoc est, Verbum quaerere volens.* Non conatur inuenire; sed quaerere, Qui inuenit, mox ab inquisitione cessat; oratura Sponsa non intendit mox inuenire; sed perseueranter quaerere. Adiicit Pater: *Non rectè oras, si orando, praeter Verbum aliquid quaeras, aut propter Verbum non quaeras.* Hoc est, in Iesu nomine efflagitare.

August.

Bernard.

44. *Iacobus perseueranter in nomine Iesu petit.* Egesipp.

Congruunt haec meo Iacobo, quem sic describit Egesippus: *Frater Domini Iacobus ex matris vtero sanctus fuit, vinum & siceram non bibit; carnes non comedit. nunquam attonsus est, oleo non est vnctus, nec balneis vsus, toties in oratione flexerat genua, vt callos in genibus sicut in calcaneis videretur habere.* Currit equidem tunc homo, cùm flexis genibus in oratione perseuerat: *Et in modum camelorum eius genua duruerunt. Appellatus est populi munimentum, quoniam pro populo deprecabatur assiduè.* Quid non peteret in nomine Iesu, qui Iesum facie & moribus referebat? Quid non vir iustus consequeretur, cuius genua, exorante spiritu, numquam defatigabantur?

Observatio X.

Ad illa verba:

Quodcumque petieritis Patrem, in nomine meo hoc faciam.

Iacobus Domini Frater Patrem orans eundem, omnia impetrat.

Vbi innuo, debere te Domini fratrem, Dei filium ostendere, vt orationi studeas.

45. Hugo & alij

HVGO Cardin. *Patrem* praetermittit, sicut Augustinus & Chrysostomus, licèt approbet hanc particulam adhiberi posse, quam quidem Maldonatus adiiciendam duxit, vt vidimus. Certè apponi debere τὸ *Patrem* existimo, vt confidenter orationis exercitamento incumbere valeamus. Quid non sperabimus à Patre filij? Ideò orationem Dominicam illa particula praecedit: *Pater noster.* Quodcumque igitur petieritis Patrem filij, hoc frater exequar.

46. *Infallibiliter impetrat, vt oportet, qui filius à Patre postulat caelesti.* Ioann 11.

O quàm infallibiliter filius à Patre caelesti, quidquid efflagitat, assequitur! Lazarum suscitaturus Dominus iuxta sepulchrum inclamauit; *Pater gratias ago tibi, quia audisti me.* Ioann. 11. Nihil ore petierat, & iam se accepisse profitetur? Orat filius Patrem? Adeò infallibilis orationis effectus, vt acceptum iam Dominus possit manifestare: Chrysologus serm. 63. *Fratres, inter Patrem & Filium non est necessitas supplicandi, ibi amore geruntur omnia.* Proculdubio fiet quidquid filius postularit a Patre; imò sine precum effusione, iam Pater ad effectum accingitur. Tam est omnipotens filiatio in exorando Patrem.

Chrysol.

47. *Illud ipsum filium esse quasi clamare est.* Rom 8.

Illud ipsum, te esse operibus Dei filium, clamori precúmque vices gerit. Paulus: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Rom. 8. In spiritu ipso filiationis huiusmodi clamamus, quia illud ipsum nos esse Dei filios, validè clamoris locum gerit. Anselmus: *Clamor iste cordis est, non faucium, non labiorum. Intus sonat auribus Dei*; Esse filium clamare est?

Anselm.

48. *Exaudita Anna clamans Dei filia in Patris conspectu.* 1 Reg 1. Ambros.

Porrò Anna Samuëlis mater *loquebatur in corde suo, tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* 1. Reg. 1. An à Deo exaudita? Ita planè, quia Dei filia in Patris conspectu clamabat: *Abba Pater.* Bellè Ambrosius serm. 17. in Psalm. 118. *Cum effectu redijt, quia cum silentio precabatur, quia clamabat in eâ Spiritus Dei, qui etiam, tacentibus nobis, clamat; Abba Pater.*

49. *Quàm efficax oratio Iacobi Dei filij fratris Iesu, aliórque Iesus orat.* Carthus.

Iacobus efficacissimis precibus vtebatur, quia Dei filius inclamitabat: *Abba Pater.* Non solùm Apostolus communi adoptione filius Dei erat: sed specialissimè *frater Domini* appellabatur. Carthusianus: *Primus inter Apostolos Missam celebrauit.* Cur non Praesuli summo illud iniunctum ministerium? Dic mihi? si adesset Iesus, quisnam primus altare conscenderet? Iesus planè. Videntes igitur Apostoli Iacobum tàm perfectam Iesu imaginem & facie, & moribus, Christum scilicet alterum, non potuerunt non ei huiusmodi honorem exhibere, vt verè Filius Patri offerret holocaustum. Praetereà cùm *Petrus liberatus fuisset è carcere, sub Herode* (cum eodem Dionysio loquor) *dixit fidelibus; Nunciate Iacobo, & fratribus hac.* Cur non dixit: Nunciate Iacobo fratri, & reliquis fratribus? Nùm quia Iacobum non tàm fratrem habebat, quàm patrem, quàm Magistrum, quàm Dominum, vt Magistri, Patris, ac Domini imaginem? Quis dubitet?

50. *Mors Iacobi Christi necem imitatur.* Metaph.

Nec non è vitâ discessurus Filij Dei simulacrum referebat. Deiectus è Templi pinnaculo lapidibus obruitur. *Sed conuersus: O sanctam animam* (clamat Metaphrastes) *figit humi genua, dicens: Domine Deus Pater, dimitte eis; nesciunt enim quid faciunt.* Cùm lapidibus Stephanus obrueretur, inquit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Cur non adhibet particulam, *Pater?* Christo-ne, id est, Iacobo fratri morientibus peculiare, Deum (exorantibus scilicet) compellere Parentem?

51. *Suffitur Cruci quodammodo obit.* Metaph.

Iam iam animam efflaturo Crux non deficit Domini fratri: *Nam cùm*, ait Metaphrastes, *sic eum appeterent lapidibus, vnus ex Sacerdotibus,*

tibus, qui erant filij Recham (de quibus Ieremias) clamauit, dicens: Cessate, quid facitis? Iustus pro nobis precatur. Quidam autem ex eis, accepto fuste, ex officina fullonis, quo comprimebat vestes, validè inflixit eius capiti, & sic iustus tradidit animam. τὸ *& sic* preme. Quasi repugnaret exire, donec Crucis adesset imago. Nec præcipitio cessit, nec lapidibus; soli ligno, Magistri in morem, spiritus sanctissimus concessit victoriam.

§ 2. David: *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Psalm. 115. *Omnis homo mendax*, præter Iesum veracem, quem iustus Iacobus imitatur? Ergo eodem debuit Dei filius Iesu frater calice compotari. Strabus: *Videns iste, quia omnis homo mendax; videns etiam se Domini gratiâ factum veracem. Ego, inquit, dono Dei verax, calicem, id est, passionem ac ipsam salutaris, id est, Iesu, qui prior passus est.* Quem me sequi prorsùs necessarium. O quam efficax Iacobi Dei filij specialissimi Iesu fratris oratio! Christus pro persecutoribus orat, ac simul Iacobus. Ierosolyma subuersa, ex Carthusiano, ob Iesu necem, non ob Iacobi; quasi Iacobus orans veniam impetrârit, quam Iesus non impetrâsse visus. An quia Iacobi efficacior oratio? Minimè: sed potiùs orans in suo Apostolo Dominus, per ipsum impetrauit, quod noluit per se, sicut per ipsum fecit, & passus est aliqua, quæ non per se. Congruenter ad superius excogitata.

Eodem precatus Iesu calice. O quam efficax filij Dei oratio! Psalm. 115. Strab.

LIBER

LIBER QVINTVS.

Iacobus Maior.

Paraphrasis, Commentariíque literales ad Cap. XX. Matthæi.

PANEGYRICI MORALES circa literam

In Maiorem Iacobum Apostolum.

PROLVSIO.

POST diluuium, à tribus Noë filiis *disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram*, Genes. 3. Vbi miratur Chrysostomus, *Quomodò ex tribus tanta multitudo succreuit? Maximè post tantam miseriam, & vitam illam in areâ: quomodo non corrupti? Quomodò non perierunt? Ne mireris* (adiicit) *Deus enim opifex naturæ erat, qui omnia impedimenta auferebat mandato suo: Crescite, & multiplicamini. Idipsum in fide videre licet, cùm tales, & tanti sunt Tyranni, qui infestant & insidiantur, vt scintillam fidei extinguant: tanta pietatis fama erupit, vt totum Orbem inuaserit: & sicut per tres illos homines genus multiplicauit Deus, ita quoque & in fide per duodecim piscatores omnem sibi Orbem conciliauit.* Illud preme, *scintillam fidei.* Profectò Iacobus duos apud Hispaniam solummodò ad fidem conuertens, fidei scintillam fecit fulgurare, è quâ diuinum & ingens, fauente Numine, operatur incendium. Quot tyrannorum flatus? quot persecutionum flumina? Fides inextinguibilem ignem imitatur. Melioris pars Mundi ô Hispania, vnico Magistro, duobus Discipulis; imò soli vni Iacobo debes, fidem tuam aduersùs tot hostes irruentes æternùm fulgurare. Quid mirum si accendens scintillam filius est tonitrui, efficiens incendium ingens, quod Dux potentissimus ab infidelium phalangum irruptione tutatur? *Apostolici vitalis Ligni FRVCTVS QVINTVS.*

MATTH. CAP. XX.

VERS. 20. TVNC accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo.

PARAPHRASIS.

20. INTEREA (*cùm ad tribulationis sustinentiam Discipulos Dominus ex obiectu Passionis excitaret*) *filij Zebedæi Iacobus & Ioannes, quoniam audierant Petro tributas regni cælorum claues, de duodecimq́; sellarum honore, rudes adhuc, putantes statim à resurrectione venturum hoc regnum quasi subornant matrem, quæ pro filijs Iesum interpellet. Quæ quidem accessit, & adoratione se aliquid efflagitare ostendit.*

21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.

21. Rogata autem, quid vellet, ait: Iube, vt sedeant hi duo filij mei, alter ad dexteram tuam, alter ad leuam in regno tuo, quod tertiâ die resurgens excitabis, vt electis Proceribus Regias sedes accommodes.

22. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis, quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

22. Iesus autem conuersus ad filios, quos sciebat matris ore locutos, respondit illis: Nescitis, quid petatis. Delectat vos mentio regni, quod ipsum longè aliud est, quàm somniamini. Futurum cùm sit regnum, in præsentiâ magis agendum de afflictione, quâ est iter ad regnum. Potestis-ne tingi tincturâ, quâ ego sum tingendus? Illi fortiter aiunt: Possumus.

23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

23. At Iesus accepit quidem, quòd se dicerent esse promptos ad suæ Crucis imitationem; sed de præmio (quod non huius temporis) negat hoc esse suum dare ipsis: ijs solùm hanc obuenturam dignitatem, quibus datum esset à Patre, vt insigni virtute primum locum mererentur. Calicem, ait, meum bibetis; cæterum vt sedeatis alter ad dexteram meam, alter ad leuam, non est meum dare his aut illis; sed hoc ijs continget, quibus datum fuerit à Patre meo, præmio virtuti respondente.

SECTIO PRIMA.

Salomes Petitio.

TEXTVS.

VERS. 20. ACCESSIT ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno tuo.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Cur Maria Salome tunc *Iacobo & Ioanni primas sedes petierit?*

1. *De particula tunc.* TVNC *accessit.* An illa particula *tunc* annotet mox, post Passionis instantis indictionem Discipulis à Domino expressam, Salomen ad Christum venisse, vt filiis postularet honorem? Communis opinio Interpretum affirmatiuè respondet. Caietan. *Tunc, id est, auditâ resurrectione Christi tã propinquâ.*

2. *Cur tunc fœmina sedes postularit? Prima sententia. Cyril.* Et cur *tunc* primas filiis sedes postolarit? Cyrillus in thes. lib. 10. cap. 5. arbitratur huiusmodi petitionem ex illis Christi verbis emanâsse: *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes iudicantes duodecim Tribus Israel*, Matth. 19. Et Euthymius, *Cùm audissent, ait, verba hæc Iacobus & Ioannes arbitrati sunt sedem gloriæ dici thronum regni, quo Ierosolymis Christus esset regnaturus. Cùmque etiam dixisset: Ecce ascendimus Ierosolymã, sperabant instare iam regnum Dei, & præeminentiæ amore capti sunt.* Victor. Antioch. *Cùm de duodecim sedibus audissent, neque quid per illas designaretur, assecuti essent, duos priores, & honoratiores ex illis duodecim occupare cupiebant.* Beda, Chrysost. & alij contestantur. *Euthym. Victor.*

3. *Aliorum sententia.* Alij autẽ asseruêre ansam dedisse huiusmodi petitioni verba proxima illa: *Et tertiâ die resurget.* Putauit enim fœmina (ait Hieronymus) Dominum post resurrectionem illicò regnaturum, ideò primas in Regno sedes filiis postulauit. Caietanus, *Accessit mater instructa, & inducta à filijs, qui hanc iam propinquam resurrectionem audierant.*

4. *Primam sententiam verior sequor, & confirmo.* Ego primæ hæreo sententiæ. Nam si ex resurrectionis proximâ mentione excitati Iacobus

bus & Ioannes, vt matrem instruerent & inducerent ad petendum; temporis interstitium necessarium fuit ad huiusmodi inductionem & instructionem. Igitur post auditam duodecim sedium promissionem, cupientes illi, celsiori throno addici, Mariam instruxere, induxeréque, vt à Domino sedes celsiores efflagitaret. Cùm autem instructa fœmina vidisset Iesum ad Ierosolymam, vbi putabat Regnum mox statuendum, accedere, *accessit* & ipsa. Fauet Chrysostomus homil. 66. in Matthæum, *Quoniam propè Ierusalem erant, credebámque Regnum Dei iam iam euenturum, hæc postulabant.* Theophylactus item, *Opinabantur filij Zebedæi, quòd vadens Ierosolymam Dominus regnaturus esset Regno quodam temporali*, &c.

Chrysost.

Theoph.

5. *Describitur Salome.* Chrysost.

Mater filiorum Zebedæi.] Quænam illa? Describit, ac commendat Chrysostomus apud Cat. D.Thom fatus: *Hæc mater filiorum Zebedæi est Salome, cuius apud alterum Euangelistam ponitur nomen, verè pacifica, quæ verè filios genuit pacis. Magna laus mulieris ex hoc loco colligitur, quia non solum filij reliquerunt patrem: sed ipsa reliquerat virum suum, & secuta fuerat Christum. Quia ille sine istâ viuere poterat; ista autem sine Christo salua esse non poterat.* Adiicit, *Nisi fortè quis dicat: quia infrà tempus vocationis Apostolorum, & Passionis Christi mortuus est Zebedæus, & sic illa sexu fragilis, ætate defecta, Christi vestigia sequebatur; quia fides nunquam senescit, & religio fatigationem non sentit.*

§. II.

De matre adorante, & petente.

6. *An sola postularit?*

ADorans, *& petens aliquid ab eo.*] Noster Euangelista ait matrem accessisse adorantem & petentem; Marcus autem ait filios postulasse. Certè simul mater & filij accesserunt, simúlque postularunt. Nam licèt eorum vox non exprimeret affectum; illud simul accessisse cum matre postulante petiisse proculdubio fuit. Sed expresse postulasse Marcus ait.

7. *Quidnã petierit ante præcipuã postulationem? Vbi de Oratione præparatoria Societatis Iesu.*

Adorans & petens.] Si iam petiit, cur Dominus mox interrogauit: *Quid vis?* Ergo nondum petierat si non petiit, quare inquit Matthæus petiisse; *Et petens aliquid ab eo.* Quid ergo petiit, si sedes non tunc, sed postea postulauit? Chrysostomus, *Reuerentiâ exhibita petit, vt quod petierit sibi detur.* Id quod adnoto in exercitiorum S.P.N. Ignatij commendationem. Monet namque orationis Magister orationem præparatoriam cum genuflexione præmittendam meditationi, vti scilicet Numinis audituri attentio quodammodo capretur. Respondes tamen illum ipsum specialem fœminæ ingressum, seu accessum, & adorationem alicuius postulationis esse indicamentum. Ideo ait generatim Matthæus, *Adorans, & petens aliquid.* Adoratio enim habitum petendi aliquid præ se ferebat. Caietanus ad hæc, *Mulier genuflexa supplicat in genere.* Id est illud ipsum genuflectere fœminam postulaturam aliquid indicabat. Barradij placet solutio, *Petens aliquid ab eo.* Priùs enim generatim dixit, velle se petere rem aliquam; postea quæ illa esset aperuit. Sic Bethsabee ad Salomonem, *Petitionem vnam paruulam ego deprecor a te.* Deinde speciatim aperuit, 3.Regum 2. Marcus expressit. Inducens enim matrem & filios accedentes, locutos asserit: *Magister, volumus, vt quodcumque petierimus, facias nobis.* Postea quid cuperent, particulatim exponunt. Et hanc mentem Caietani fuisse integra clausula comprobabit. *Accessit mater adorans, & petens aliquid. Mulier enim genuflexa supplicat in genere, petens vnam gratiam.*

Solutio aliorum.

Caietan.

Barrad. *Authoris sententia.*

3 Reg 2.

8. *Quid illud, aliquid?*

Et petens aliquid.] Accessit petens rem aliquam, rem quandam. An aliquid magnum? Minimè id significatur; sed rem communem, non magni ponderis, τὸ *aliquid*, significare reor. Quemadmodum Bethsabee, *Petitionem vnam paruulam deprecor.*

§. III.

De petitione filiorum Zebedæi.

9. *Eam Dominus excitat ad petendum.* Caietan.

QVi dixit ei: *Quid vis?*] Eam excitat Dominus, vt speciatim aperiat, quod generatim proposuerat. Caietanus, *Dixit ei: Quid vis? Vt ipsamet explicet petitionem suam in speciali. Ait illi:*

10 *Postulat illa.*

Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.] En petitio matris, & ore illius astantium filiorum. *Dic, iube*, seu concede mihi, vt duo hi filij mei Iacobus & Ioannes sedeant in regno tuo, quod proximum futurum apud Ierosolymam expectamus. Sedeant, inquam, alter ad dexteram tuam, alter ad læuam, tibi adeò proximi, vt reliquos honore præcellant.

11. *An temporarias sedes petierint, vel cælestes? Imperfect.*

Celebris quæstio, num hi Discipuli temporarias sedes Dominici temporarij regni petierint; an cælestes in æterno postularint? Author Imperfect. existimat spirituale & cæleste petiisse. *Petebant quasi religiosi, & cælestis gloriæ amatores: non quasi scientiam habentes vtilium postulationum, & nociuarum.* Inferiùs, *Non primatum sibi petebant secundum mundiales honores; quem si ex duobus vel tribus vnus acceperit, necesse est cæteros esse eo inferiores sed perfectionem pietatis petebant in Regno cælesti, quam & multi consequi possunt: & cum fuerint consecuti, alterius perfectio alterius perfectione non minuitur.* Et de matre adiicit, *Non dicimus, quia rectè petijt; sed hoc dicimus, quia non terrena; sed cælestia filijs suis optabat.* Subscribit Beda homil. de Iacobo, *Nesciebant quid peterent, qui in Regno cælestis patriæ quemquam ad sinistram Christi sessurum esse putabant: cùm in illâ discretione nouissimi examinis omnes electi ad dexteram summi Iudicis legantur esse statuendi.*

Beda.

12. *Opinor terrena, sed & postulasse.*

Opinor, fratres, parentémque & temporarium Christi regnum existimâsse, & petiisse. Chrysostomus homil. 66. *Quod nihil spirituale quærebant, nec de cælesti Regno quidquam cogitabant, perspicuum est.* Victor Antioch. *Nihil spirituale petunt.* Nimiùm-ne Discipulorum imperfectio taxata? Chrysostomus, *Nec turbetur quisquam, hoc audiens, si adeo imperfectos discipulos Apostolos fuisse. Nondum enim mysterium Crucis erat consummatum, nondum gratia Spiritus in corda illorum infusa. Si studia virtutis ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam*

Victor.

Chrysost.

Spiritus fuerint, considera: & videbis omnem ab illis turbationem animi fuisse superatam. Hac enim de causâ modò imperfectio illorum reuelatur, vt apertè percipere possis, quales subitò per gratiam effecti fuerint.

13. *Obiectioni fit satis.* Obiicis illud Domini: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.* Christus hoc loco de sedibus, quas fratres postularant, loquitur. At verò de sedibus Regni cælestis sermo procedit, quas Pater prædestinatis præparauit. Ergo duo fratres sedes cælestes postulauerant. Hoc argumento Barradius noster adducitur, vt credat probabile, sedes cælestes petiisse, præcipuè cum Marcus faueat scribens: *Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloriâ tuâ.* In gloriâ videlicet cælesti. Respondeo tamen facilè obiectioni, Christum de iisdem sedibus minimè locutum, de quibus Discipuli; sed à temporariis & terrenis quas illi postularant, ad æternas, cælestésque sermonem conuertisse. Illa autem verba: *Vt sedeamus in gloriâ tuâ*, de terreni regni gloriâ sunt intelligenda. Ostendit Diabolus Iesu *omnia regna mundi, & gloriam illorum*, id est, potentiam, splendorem.

14. *Quisnam fulti rationibus ausi sunt primis donari sedibus petere?* Voco ad disputationem, queisnam fulti rationibus Discipuli ausi fuerint primas sedes postulare? Prima sententia est, huiusmodi spem ex propinquitate exortam. Lyranus, *Per istos, qui per Matrem petierunt à Christo præ cæteris Discipulis honorari, eo quòd erant eius consanguinei, significantur ambitiosi, qui habentes Prælatum consanguineum, volunt per hoc in Ecclesiâ præ cæteris promoueri.* Et D. Thomas, *Credebant, quòd debebat eis dare, quia coniuncti erant secundùm carnem.* Secunda sententia asserit Mariam Salome se facilè consequituram existimâsse, quia Deiparentem iuuerat *in educatione Filij*, circa infantis gestationem, infantiliumque volutionem indumentorum. Est Abulensis. Tertia autem affirmat Salome Christum secutam. Marcus, *Erant & mulieres à longè aspicientes, inter quas erant Maria Magdalena, & Maria Iacobi*, (minoris) *& Ioseph mater, & Salome*, cap. 15. Salomon autem Iacobi nostri, & Ioannis matrem esse Matthæus fatus affirmat, *Erant ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum, & ministrabant ei. Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & Mater filiorum Zebedæi*, cap. 27. Quam Matthæus matrem filiorum Zebedæi dixit, Marcus Salomen appellauit. Euangelistæ autem Salomen recensent inter fœminas, quæ Christum sequebantur, illisque ministrabant. Hanc ob causam ad Christum accedere, & pro filiis petere est ausa.

Lyran. Thom. Abul. Marc. 15. Matth. 27.

15. *Causa fuit specialis Iesu dilectio.* Assero tamen Discipulos simul cum Petro præ aliis dilectos ideo ausos primas sedes postulare. Beda, *Credendum, quòd illa maximè causa carnales adhuc animos Discipulorum ad hæc postulanda concitauerit, quia nossent inter Discipulos specialius diligi.* Chrysostomus, Euthymius, & Victor contestantur. Beda & alij.

In Iacobum Maiorem

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
circa literam.

EX SALOMES PETITIONE.

Observatio I.
Ad illa verba:

Accessit ad eum mater filiorum.

Salome verè pacifica Iacobum pacificum enixa est.

Vbi adnoto, filios probos vix haberi, qui è probis parentibus non oriuntur.

16. Chrysost. CHRYSOSTOMVS aiebat, *Hæc mater filiorum Zebedæi est Salome verè pacifica, quæ verè filios genuit pacis.* Nec enim verè pacifica parens appareret, si filij osores pacis nascerentur; filiorum enim mores à parentibus assolent deriuari. Vnde verè pacificus Iacobus *verè* pacificam parentem expressit.

17. *Lucas expressurus Elisabeth sanctitatem sancti Aaronis filiam solummodo appellauit.* Exprimens Lucas Ioannis Baptistæ genealogiam, ait: *Fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen illius Elisabeth. Erant autem iusti ambo*, cap. 1. Illud premo, *de filiabus Aaron.* An non de filiis Abrahæ, de filiis, & filiabus Dauid? Cur ergo solum de filiabus Aaron exortam prædicat? Asserit Euangelista Elisabeth sanctitatem: *Erant autem iusti.* Vnde ne quis de filiæ iustitiâ posset dubitare affirmauit eam filiam Aaron. An non poterat quis obiicere peccatum Aaronis vitulum populo exædificantis? Ita planè. Ideo existimo τὸ Aaron pro solo sacerdotali nomine, quod nunquam non sanctum, hîc accipi debere. Accepit certè Petrus Chrysologus serm. 49. *Meritò prætermissis omnibus*, (quorum verè filia dici posset) *eius filia solùm dicitur, cuius in se memoriæ* seu nomen *prætulit sanctitatem.* Vultis cognoscere quam verè iusta Elisabeth? Filia est non Aaron (sic liceat exponere) qui aliquando deliquit; sed ipsius memoriæ sanctissimæ planè Sacerdotis. Luc. 1. Chrysol.

Natus

18.
Vt Seth senex moribus cognoscatur ex sene Adamo genitus obijcitur.
Gen. 5.
Chrysost.

Natus Seth, cuius nomen morum exprimit grauitatem, quod quidem senilibus operibus decorauit. *Genuit Adam* (ait Textus) *ad imaginem, & similitudinem suam, & vocauit nomen eius Seth*, Genes. 5. Vbi Chrysostomus, *Genuit secundum imaginem suam, hoc est, eorundem senilium morum, quibus iste qui genuerat, & qui seruet paternos characteres, operibúsque paternos mores exprimat.* Profectò ad similitudinem Adami esse genitum, non probat verè senem filium morum grauitate, si quidem morum grauitas senilis Adami parentis non apparet: Ingeniosè ergo Moses præmisit: *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Verè senex filius senis parentis, senis scilicet non solùm canis, sed sensibus, post longum pœnitudinis, virtutúmque exercitamentorum processum. Senex Abel moribus; nec tamen genitus ad imaginem parentis scribitur, ne de senectute morum filij dubitaretur, qui à iuuene non solùm ætate; sed moribus (ex delicto) genitus fuerat.

19.
Iacobus adeò pacificus, vt hosti hominis, imò hostium Principi diabolo misertus esset.
Anton.

Quàm verè pacificæ matris pacificus filius Iacobus! Iras Tartarus furiarum excitat, vt Iacobum à pace, à mansuetudine remoueret. Philetum Hermogenis Magi discipulum Apostolus adduxit ad fidem, a dæmonum tyrannide liberatum. *Hermogenes autem iratus* (inquit Antoninus 1. part. tit. 6. cap. 7.) *adiurans dæmones, imperauit, vt Iacobum cum Phileto ante se vinctos ducerent. Dæmones igitur plures adiurati ab eo euntes, cum appropinquassent habitationi beatissimi Iacobi, clamare cœperunt: Apostole Dei, miserere nostri, quia grauiter cruciamur.* Queis Iacobus? *Ad quid venistis ad me?* Illi, *Hermogenes misit nos, vt te & Philetum vinctos duceremus ad eum. Sed vbi appropinquauimus, Angelus Domini catenis igneis religauit nos, cruciatum inferens.* Iacobus autem, *Ipse Angelus vos soluat, & pergite ad Hermogenem, & eum ligatum ad me adducite sine aliquà læsione. Illi manibus ad tergum ligatis Hermogenem capientes, Iacobo statuerunt, rogantes vt daret illis licentiam nocendi & eius vindicare iniurias.* Quid plura? *Imperauit dæmonibus abire, & Phileto dixit: Quia Dominus mandauit reddere bona pro malo, solue Hermogenem à vinculis dæmonum.* O filium pacis, qui non solùm hominem hostem; sed & generis humani inimicum diabolum soluisti! Haud te tantæ iræ, tot iniuriæ potuerunt à verâ pace, à pietatis mansuetudine remouere. Ipsi pacis fonti sistuntur dæmones inclamantes: *Quid nobis, & tibi Iesu? Venisti antè tempus torquere nos*, Matth. 8. An Iacobus Dominum vicit mansuetudine, Diabolum accidentali eximens à cruciatu? Certè Iesus torqueri diabolum curat, vt Iacobo seruetur pacis filio vel dæmonibus misereri. Attendite precor.

Matth. 8.

20.
Iesus misit Iacobum vt plagas à se inflictas diabolo sanaret.
Matth. 2.
Chrysost.

Iustè Deus olim plagis inflictis Ægyptios diuerberauit. At Iesus recens natus portatur in Ægyptum. *Tolle puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum*, Matth. 2. An non potuit apud Israelis locum tutum latitare? Potuit. Ast in Ægyptum relegati Iesum Pater curauit. Quare? Respondet Chrysostomus sine Imperfect. homil. 2. *Recordatus est Dominus, qui non in finem irascitur, quanta mala fecerit super Ægyptum; ideo mittit Filium suum in eam, & ... illi magna reconciliationis signum, vt decem plagas Ægypti vnà medicinà sanaret.* Recordatus ergo Iesus quanta mala vel dæmonibus fecerat, accidentarias plagas infligendo, filium Iacobum (*verè pacis*) inmittit, Iesu nomine, lenaturus plagas. Ideo adiicit Apostolus: *Quia Dominus mandauit reddere bona pro malo.* Edisce filios probos & pacificos parentum virtutes similes commendare.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Accessit ad eum mater filiorum.

Iacobus verè pacis Filius pacis pretiosissimo munere donauit Hispaniam.

Vbi ostenditur, pacem cæleste munus à Domino hominibus impensum.

21.
Chrysost.

ADHVC Chrysostomi premo sententiam illam: *Mater Salome verè pacifica, quæ verè filios genuit pacis.* Quàm egregium Iacobi elogium pacis filium; imò & parentem appellari! Qui enim pacis eum filium vocitat, cunctorum in eo bonorum colligationem asserit. Quid *pacis filius*, nisi pacis paternæ hæreditate esse donatum. Inquit Dominus, *Pacem relinquo vobis*, Ioan. 14. Vbi Hieronymus, *Hæc est Saluatoris hæreditas.* Et ad Psalm. 119. *Christus Dominus noster pax est. Vadens ad cælum nobis vexillum demisit dicens: Pacem meam do vobis.* Et Bonauentura in dict. salu. tit. 7. cap. 71. *Pax est encænium Christi & pretiosius inter omnia iocalia alia: cuius causa est, quia istud pretiosum iocale legauit Christus Apostolis in morte, Amici namque amicis dant, & legant magis pretiosa in fine.* Illam Hieronymi particulam expende: *Christus pax est:* & hanc Bonauenturæ: *Amici amicis dant, & legant magis pretiosa in fine.* Si amicis pretiosius in fine legatur, quid filiis. Iacobus *pacis verè filius.* Christi filius est, quia *Christus pax.* Amicis pax legatur Apostolis? Existimo vberioris pacis filium pacis munere donatum.

22.
Amicis Apostolis reliquis legat Iesus magnam vim pacis, sed Iacobo filio vberius pacis munus dedit.
Ioann. 14.
Hieron.

Nihil certè Iesu Domini magis menti infixum, quàm Mundum hostibus actum pacificare. E cruce pendens clamat: *Consummatum est.* Ioann. 19. Vbi Salmeron noster tom. 10. tract. 45. explicat, *Pacificatum est.* Virtutem enim Deitatis Dominus soli pacando Orbi impendisse videtur. Vnde pacificari Mundum, sua fuit facinora consummari, sante Apostolo, *Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis*, Col. 1.

23.
Christus pace morte sua Mundum pacificauit.
Ioan. 19.
Salm.
Col. 1.

Profectò pacis seu Christi filius Iacobus parentem imitatus, morte suâ Hispaniam nostram pace donauit. Virtute eximiâ Hispaniam sæpe hostium horribilium actam impugnatione defendit, eámque dedit, diuturnâ pace frui. Postquam sanè cadauere beatissimo potiuit Hispania, simul pacem à parente pretiosissimum munus

24.
Iacobus pacis filius [illegible]ritis. Hispaniæ legauit pacem suæ fortitudinis filium hæredem.

nus accepit. Eleazari fortitudine perfectum olim fuit, vt Rex Antiochus populum Ifraeliticum tot impugnationibus agens, ipfius territus fortitudine pacem rogaret. *Et misit ad eos pacem facere, & receperunt illam*, 1. Machab. 6. Commendat Ambrofius lib. 1. de offic. cap. 40. Eleazarum facræ militiæ Ducem, quòd egregia fortitudine Hebræum populum pacificauit. *Eleazarus*, ait, *heredem virtutis suæ pacem reliquit.* Ac fi diceret, Pax filia fortitudinis Eleazari fuit. Certè Hifpaniæ pax fortitudinis Ducis noftri potentiffimi pulcherrima filia. Non folùm nobis pacem legauit, pacem conftituens hæredem; fed & prius hæredis pacis filiæ vnicè nos hæredes effecit.

1 Mach. 6.
Ambrof.

25\. Quoties Hifpaniæ Reges ab infidelibus fuere impugnati? Toties planè virtute protegentis Iacobi pace fuere donati noftri Principes, pacis munere, Catholicis Regibus Hifpaniæ; imò & aliis etiam fæpe donatis. An non id munus pretiofiffimum nobis à moriente Iacobo, feu dormiente apud nos relictum? De Chrifto ad Regem adducto prophetauit Ofeas, *Vinctum eum ducent xenium* (feu munus) *Regi*, cap. 10. Et cur Dominus vinctus munus vocitatur? An quia pace Principes donauit inter fe diffidentes? Sic Tertullianus lib. 4. adu. Marc. *Regi velut munus à Præside missus, Oseæ vocibus fidem reddidit. De Christo enim prophetauerat: Et vinctum eum ducent xenium Regi.* Vberius Cyrillus Ierofolymitanus catech. 13. *Munerum loco ipsum miserunt. Quare munus? Facti sunt enim mutuò amici Præses & Rex eadem die. Decebat* (addit) *enim eum, qui Mundum erat pacificaturus, vt prius etiam ipsos Principes pacificaret.* Vereor ne Principum inter fe diffidentium finiftra affectione fubditi bello deprimantur. O Iacobe, munus pretiofiffimum Hifpaniæ à Deo immiffum, tu pacandis Principibus Mundum fimul pacificaturus curam impende. Apud Hifpaniam degens fepulchro inclufus, velut thalamo requiefcens, à Gallis Chriftianiffimi Regis fubditis quæreris, adoraris. Munus ergo noftro imperio à Deo miffum cum fis, Principes hi per te, amicitiâ ftabili copulentur.

Hispania à Iacobo pacis munere donata, quo Catholici Reges in vnum copulantur.
Ofee 1.
Tertull.
Cyril.

Observatio III.

Ad illa verba:

Mater filiorum Zebedæi.

Iacobus diuinum quid halauit, dum Hifpaniæ pacandæ operam pugnax impendit.

Oftenditur, commendabilia bella illa esse, quæ mente pacificâ ex pacis quidem amore inftituuntur.

26\. MATER erat illa *filiorum Zebedæi*. Cur non dixit: Mater Iacobi, & Ioannis? Quia ex mente Bonauenturæ Iacobus & Ioannes fpiritu quidem Dei filij; carne autem filij Zebedæi: Salome ergo mater erat eorum, quatenus Zebedæi filij; non quatenus Dei filij. Iacobus profectò pacis filius. Dei filius effe oftenditur, quia pax Deitatem halat.

27\. Chriftus Iacobi pacifici Pater, apud Ifaiam Princeps pacis vocatur: *Admirabilis, Deus, fortis, Consiliarius, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, cap. 9. Nec enim Admirabilis, Dei, Fortis, Confiliarii, ac Patris nomina Diuinitatem quodammodo fatis exprimerent, fi appellatio Principis pacifici non adiiceretur. Nazianzenus orat. de pace, *Diuinitas & secum ipsa, & cum secundis rebus adeo concors, & pacata est, vt cum alijs; imò & præ alijs nominibus, quibus appellari gaudet, huius quoque prærogatiua nominis vocetur. Pax enim appellatur*; imò & *pax est*. Adiicit, *Nos admonet, vt hanc virtutem sedulo amplectamur, perinde ac Deum simul habituri.*

Pacis nomen plus quodammodo exprimit Diuinitatem, quàm ipsum nomen, Deus.
Ifa 9.
Nazianz.

28\. Ait Sapiens, *Omnes semitæ illius* (Dei) *pacificæ*, Prouerb. 3. Vbi Bonauentura afferit *Dei certissimam semitam pacem* effe, fante Prophetâ, *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram; auferens bella vsque ad finem terræ*, Pfalm. 45. Hieronymus, *Omnia bella in aduentu Domini quieuisse multorum narrant historiæ.* Narrat & venerabilis Thomas de Villanouâ Archiepifcopus Valent. in aduentu corporis D. Iacobi filij pacis in Hifpaniam *omnia bella quieuisse*. Prodigia etenim innumera excitans Apoftolus, dum equo fublimis, fcuto & enfe acerrimus Maurorum copias extinxit, pacem obfirmauit. Quænam *opera Domini* illa, *quæ posuit prodigia super terram*? Princeps exercituum cæleftium hoftes populi Ifraelis, inuifibili, vifibilique fortitudine profligauit. Sic bella vfque *ad fines terræ* abftulit. An non Princeps nofter Iacobus Mauros fternens, abftulit bella vfque *ad fines terræ*? Sic Galleciæ fines vocitantur.

Iacobus acerrimus bellator exurgès fines terræ pacauit.
Prou. 3.
Bonau.
Pfalm 45.
Hieron.

29\. Miraris armatum Iacobum per Hifpaniæ terminos curfitare, vt pacem ftabiliat? Quis oculis obiiciat Iacobum galeâ indutum, qui non cogitet de belli diuturnitate? Profectò equitat, galeâ vtitur, thorace induitur, gladium ftringit animo Imperij Hifpanici pacificandi. Olim *ingressi sunt filij Israel ad pugnandum mente pacificâ*, 1. Paral. 12. Quid menti pacificæ cum concertatione? quid cum pace vulneribus? Multum planè. Eâ enim mente pugnæ operam impendunt, vt pacem poffint ftabilire. Iacobus equidem mente pacificâ certamina inftituit, edocens Chrifticolas Principes eo animo arripere arma, exercitus ducere, vt Imperium pace fruatur. Pulchrè Hieronymus ad Pfalm. 119. *Aliquis vadit ad pugnam, & mentem pacificam habet? Sed Christianorum arma pax est*, fiue ad pacis acquifitionẽ excitari debẽt; aliàs minimè.

Mente pacifica pugnauit Apostolus.
1. Par 12.
Hieron.

30\. De Iacobi filij pacis parente Domino Dauid cecinit, *Factus est in pace locus eius*, Pfalm. 75. Ex Hebræo, *Factum est in Salem vmbraculum eius.* Ac fi diceret, Qui cupit Principis exercituum, ac fimul Regis pacifici vmbraculo, feu protectione frui, debet paci ftudere. Nec enim bellorum excitatores huiufmodi præfidio potientur. Hieronymus, *Non est vmbraculum Domini, nisi vbi pax est: vbi discordia, atque zelus, ibi non est protector Deus.* Vidifti aliquod regnum aduersùs regnum non tam ex pacis affectu, quàm ex zelo aut difcordiâ quadam dimicare? *Ibi non est protector Deus.* Quare pacis amor ante omnia habendus eft; imò & pro ipfa pace pugnandum, vt Deus per Iacobum fit belli noftri protector.

Obdormit Iacobus protectioni nostræ, si ofores simus pacis.
Pfalm 75.
Hieron.

31. O Iacobi sepulchrum, vbi Princeps exercituum nostrorum requiescit, vereor ne armorum strepitus (non certè Imperatoris nequitia, sed subditorum criminibus) dormientem dulciter excitet, qui in pacis culcitrâ quiescebat. De Iesu Dauid: *In pace in id ipsum dormiam & requiescam.* Psalm. 4. Vbi Bonauentura: *Sicut homo benè pausat in mollí culcitrâ, sic Deus quiescit in mente tranquillâ.* Obsecro, Hispaniæ decus & protector ad prælium excitare, non iam Maurorum copias deleturus (hoc enim iam præstitisti) sed Principum pacaturus præcordia. In pace dormies, requiesces æternùm: *Et erit tunc sepulchrum tuum gloriosum.* Ioann. 11. Aliter: *Et erit requies gloria.* Allicio ad mentem meam Cyrill. Ierosl. Catech. 14. fatum: *Et erit in pace sepultura eius; pacificans enim terram peccatores adducit Deo.* Nulla enim Hispaniæ nocebit aduersitas, si nulla ei dominetur iniquitas, ob quam fidelissimi Principes bellorum persecutionibus disturbantur. Edocemur, Principes *mente pacifica* ad bella esse processuros, id est, quacumque iniquâ cordis affectione, & zelo ablegatis, soli pacandi Imperij, eiúsque curâ tutandi desiderio.

Armorum strepitu excitatur obdormiens Iacobus è sepulchro, vt pacandis Principibus Christianis curam impendat, peccatores subditos Deo reconciliando. Ps. 4. Bonau. Isai. 11. Cyrill.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Adorans, & petens aliquid.

Iacobus, nec ex cognatione, nec ex affectione, aut speciali familiaritate Principatum accepit.

Edocentur electores, neminem ex sanguine aut amicitiâ alij præficere.

32. Vidimus Iacobum sedem præcelsam petiisse; non quia propinquitatis vinculo illigabatur, vt alii asserebant. Nec enim patior sapientissimum Apostolum ad verticem honoris tàm infirmis pennis volitare curâsse.

33. Cur existimas Mosem duorum filiorum parentem neutrum sibi successorem optâsse, cùm adnatum Principibus imperium filiis testamenti iure legare? Respondeo cum Hieronymo in cap. 1. ad Tit. *Vt sciremus Principatum in populos, non sanguini deferendum, sed vitæ.* Vitæ enim probitas, non sanguis, scit præcepta præscribere.

Principatus non sanguini deferendus. Hieron.

34. Iudâ ex Apostolico culmine deturbato, Iosephus & Matthias Domino eligendi sistuntur. *Cecidit autem sors super Matthiam, & annumeratus est cum duodecim.* Act. 1. Annon Ioseph insigni iustitiâ pollebat? Imò & dignus qui in Apostolum eligi posset. Cur igitur Matthias eligitur: Scio ex sententiâ Lorini Iosephum hunc Christi cognatum fuisse, vtique Iacobi minoris fratrem. Forsitan ergo Ioseph non eligitur iustus planè, ne ex consanguinitate ei impensum videretur quod ex iustitiâ deberet accipere.

Ideò electus in Apostolum Matthias, non Ioseph Iesu propinquus. Act. 1. Lorin.

35. Petro Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum.* Augustinus absolutè asserit Ioannem à Christo plus dilectum fuisse quàm Petrum. Ergo si merita sequitur Principatus, debuit Ioannes sanctissimus toti Ecclesiæ præpositus designari. Cur eligitur Petrus? Salmeron noster doctissimus respódet tom. 11. tract. 41. *Ne Christus plus dedisse videretur consanguineo, ob humanum carnis affectum.*

Ideò Petrus non Ioannes consobrinus Domini præficitur Ecclesiæ. August. Salmer.

36. Dixi tamen Iacobum visum sibi posse primam sedem ambire, ex speciali Domini, qua se donari expertus est, dilectione. Antoninus p. 1. tit. 6. cap. 7. ait: *Fuit valdè Christo familiaris Iacobus, & cum Petro & Ioanne ad secretiora admissus, vt patet in Transfiguratione Christi, in resuscitatione filiæ Archisynagogi factâ à Domino; in expressione in horto sui interni doloris ex passione imminente.* Certe argumento erant illa specialissimi amoris documenta ex meritis, ad sublimiorem sedem Regni assumendum. Attamen Dominus asseruit (vti inferiùs) nullatenùs Imperium ex speciali eligentis affectu exhibendum, ex particulari dandum amicitiâ. Ideò Christus Petro, non Ioanni chariori, Ecclesiæ reliquit Principatum. Hildebertus epist. 12. *Christus Ioannem supra Petrum dilexit. Non tamen Ioanni concessa est potestas ligandi, atque soluendi. Qui enim per Isaiam dixerat: Auferte offendicula de viâ Philosophi mei, coram Discipulis offendicula ponere noluit, nec maioribus anteponere iuniorem, quamuis eum prerogatiua castitatis præ cæteris fecerat familiarem.*

Iacobus Iesu dilectus admodum non præficitur ex dilectione. Antonin.

Minùs dilectus Petrus eligitur ad regimen, Ioanne relicto chariori.

37. Curabat Isaac Esau præfici Iacobo, non quia iustus, seu gnarus gubernandi; sed quia speciali eum affectu prosequebatur. Iacobo itaque, quem existimauit Esau, dixit: *Esto dominus fratrum tuorum.* Gen. 32. At quàm iniusta fuerat ex affectu voluntatis electio ad dominatum, sensuum deceptio expressit. Bernardus serm. 28. in Cant. *Sapiens fuit Isaac, sed tamen errauit in sensibus.* Qui enim clauum tenens Reipublicæ administrandæ præfecturis præfert, aut indignum, aut eum qui minùs dignus deprehenditur; sapiens fortasse, sed documentum præbet se visu, cunctísque sensibus captum circa eiusmodi electionem extitisse. Nec mirum errâsse Isaac, si authore Chrysostomo hom. 53. in Gen. *victus naturali affectione omnia fecit.*

Isaac sapiens alios eligere curans Esau ex affectione, captus sensibus apparet. Gen. 32. Bernard.

38. Redeo ad Matthiæ in Apostolatûs dignitatem factam electionem. Petrus supremi Senatûs Præses ex Apostolorum consilio *duos statuit*, vt vnum ex illis Deus eligeret. Act. 1. Cur Petrus non elegit; sed Numini remisit electionem? Existimo Apostolum circa vtrumque affectum fuisse ex illorum virtutibus: vnde dignos ambos dignitati adiudicauit. Non igitur eligit vt poterat, ne videretur ex affectu quemquam elegisse. Nec enim prudentem futuram electionem putauit, vbi affectus sibi specialis locum sortiebatur. Fatur Chrysostomus: *Antè non licebat ipsi eligere? Licebat, & quidem maximè. Veruntamen id non facit, ne cui videretur gratificari.* Ambos dignos vidit; vnde quemquam illorum eligere iustè poterat; sed qui simul circa vtrumque se vidit affectum, timuit ne ex affectione electioni illi, iustæ planè, aliquod incommodum assurgeret.

Petrus nec Matthiam, nec Iosephum eligit dignos admodum, quia diligebat vtrumque. Act. 1. Chrys.

39. Nullum Iosue successorem ad exercitûs gubernationem designauit, ne quo duci videretur

Ideò Iosue & Moses successorem non cum non reliquere. Philo.

erga commilitonem affectu. Didicerat à Mose, qui nec Iosue quidem sanctissimo, fortissimo, cunctis digniori Principatum voluit committere; quia ei amicus & familiaris à puero fuerat (vti adnotat Philo) ne fortè electio illa vel præstantissimi viri ex affectione fuisse inficeretur.

40. Ideò Samueli Dominus: *Vnges*, inquit, *quem monstrauero tibi.* 1. Reg. 16. Et cur ei inungendum hominem non designauit? Profectò si domum Esai ingressus Samuel mox ad se Dauidem adduci efficeret, fortasse putaretur ex affectione quadam humanâ ad Imperium assumptus. Ignoret itaque quem electurus est, & diuina credatur electio. Abulensis: *Nominatim eis designat, ne crederetur hoc factum affectione quadam humanâ.* Præficiendus planè Iacobus Ecclesiæ, Princeps futurus, sede præcelsissimâ donandus erat (de quo inferiùs.) At ne crederetur ex affectione, aut speciali dilectione factum, quod ex meritorum iure gerendum erat, tunc illi Imperium abnegatur. Accipiet posteà Principatum, non ex cognatione, non ex affectione, sed ex meritorum præstantiâ.

Ideò Samueli non designatur, qui inungendus esset.

Iacobus ex meritis erat præficiendus.

Observatio V.

Ad illa verba:

Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens.

Iacobus oratione præmissâ Regnum sibi statui curauit, præsagiens precibus suis Imperium Hispanicum esse protegendum.

Vbi asseritur, orationem stabiliendis Regnis parere victorias.

41. EX Caietani mente curans Apostolus Regiam sibi sedem stabilem vtique præparari, aptè præmisit orationem. Nec enim inconsulto Deo voluit Iacobus Regni præfici potestati, ne Saulis, Ieroboami, eorúmque successorum, qui haud præmissâ oratione, seu Deo inconsulto regnârunt, infælicitatem ebiberet, querente Domino: *Regnauerunt, & non ex me.* Os. 8. Ribera: *Id est, me non cõsulto.* Hinc Principis Iacobi Imperio Hispanico præficiendi fælicitatem auspicamur. Asserit Episcopus Valent. Villan. cunctas Hispaniæ victorias ex D. Iacobi precibus & intercessione ortum habuisse. Addo & ex Regibus simul exorantibus. Cùm enim copiæ nostræ irruentes in hostes proclamant: *Santiago, cierra España*, illud ipsum Iacobum inuocare, orare quidem est. Attamen simul Numinis opem oratione præmissâ debent Reges implorare, vt fæliciter victoria pariatur. Hinc commendo Regum pietatem, quà Cleri, Religionum, ac sæcularis potestatis excitant cœtus, vt processionibus, precibúsque præmissis à Deo, curent, Mosis in morem, Iosue triumphos impetrare.

Os. 8. Ribera.

Hispaniæ victoria ex oratione robori præstanti addita.

Sistitur Hebræorum exercitui Golias insultans. Dauid difficilem adoritur victoriam. At, notante Sapiente, hostis exultationem conuertit in luctum, vbi Dominum inuocauit. Eccles. 47. Chrysostomus hom. vlt. de Paul. & Saul. *Priusquam mitteres lapidem, eum precationis robore fueras aggressus.* Quonam modo enim lapillus prosterneret montem, si vis orationis non adfuisset? Dauidis-ne contemplatus es victorias? Vidisti nunquam deuictum rediisse? Vndenam tàm infallibiles triumphi ortum habuere? Respondet Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 35. *Dauid nunquam, nisi consulto Domino, bellum adorsus est; ideo in omnibus victor præliis.* 42.

Dauid Rex oratione præmissa, semper euasit victor. Eccles. 47. Chrys. Ambros.

Fatur Dominus: *Inimicos eius induam confusione.* Psalm. 131. τὸ *Eius* ad Dauidem refertur; proximè enim dicitur: *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam* (seu victoriæ gloriam & splendorem) *Christo meo.* Attamen Caietanus illud: *Christo meo*, ad quoscumque inunctos Reges accommodat, quorum inimicos induendos confusione affirmat? Quare? Quia super huiusmodi Reges *efflorebit sanctificatio mea.* Id est, præmissâ oratione bella adorientur; Abias, Azar, Iosaphath, Ezechias, sic ab hostibus victorias reportârunt. *Solus* (addit Cardinalis) *Iosias videtur inter Reges iustos succubuisse inimicis, quia non consuluit Dominum in illo bello.* 43.

Reges orantes vicerunt, non orans Iosias victus. Psalm. 131. Caiet.

In tentamina progressurus Dux noster, è loco conoiuij ad orationis locum perrexit, secúmque Iacubum nostrum, Petrum & Ioannem adducens, eos orare iubet: *Orate, ne intretis in tentationem.* Cur Christus apud cœnaculum hostium impetum post communionem non expectauit? Iansenius cap. 137. Concord. *Ne tanquam splendidus conuiuator, sed vt deuotus precator ab inimicis caperetur.* Vt enim orationis præmittendæ ante bellorum concertationem curam commendaret, è cœnaculo fugit ad orationis locum, vt victoria etiam orationi, & non solùm sacræ Communionis robori tribueretur. Porrò accedentibus hostibus imperauit, vt abire relinquerent Discipulos: *Sinite hos abire.* Quare? Ne qui dormierant, dùm orandum fuisset, non præmissa oratione, in certamine (fortasse) vincerentur. Vt scilicet Iacobus, Princeps militiæ futurus, instrueretur, quonam modo victoriæ essent præparandæ? 44.

Christus Rex in certamen progressurus ad orationis locum accurrit, Iacobúmque obdormientem à pugnâ deturbat, ne vincatur. Iansen.

Timotheo Paulus: *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam.* 1. Tim. 1. Sub metaphora belli aut militiæ, probæ vitæ institutionem expressit. At, vt constet militiæ necessariò (si futura *bona militia*) esse orationem præmittendam, addit: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes.* Cap. 2. Et quare præmittenda bonæ militiæ oratio? Cornelius. An non vt quæ militia à Deo incipit, desinat in victoriam? Addit pulchrè: *Pro Regibus, vt quietam vitam agamus.* Qui in aciem tendis cum Iosue, Moysi saltem oranti in montanis copulari cura, vt manuum extensione preces pro Regum victoria, imperiíque pace prufundantur. 45.

Pro Regibus militantibus oratio fiat. 1. Tim. 1. & 2. Cornel.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et petens aliquid ab eo.

Iacobus ipsam, quam appetebat Regiam sedem, parui momenti, & æstimationis haud dignam esse ostendit.

Vbi adnoto mundialia Regna omninò inania.

46. ACcoassit Mater illa cum filiis petens *aliquid*. Non quidem multum. Sciebant enim Apostoli cunctarum sæcularium rerum honorúmque inanitatem. An non multum, præfici cunctis hominem? Throno supremo hærescere; leges præscribere? *Aliquid* quidem; sed non multum esse affirmârim.

47. *Dùm Bethsabee Regnum petit, paruulam rem ambis. 3.Reg.2.*

Accessisse ad Salomonem dixi in Comment. Bethsabeam, vt Adoniæ peteret Abisag Sunamitidem. *Petitionem* (inquit) *vnam paruulam ego deprecor à te. Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor. Respondítque Rex Salomon: Quare postulas Abisag Adoniæ? Postula ei & Regnum.* 3. Reg. 2. Idem ergo Sunamitidem Abisag Adoniæ, ac Regnum postulari. Pendo iam particulam illam: *Petitionem vnam paruulam.* An petitio paruula Regnum postulare? Certè minima petitio est, quia Regni sæcularis. Vt igitur Regni petitio paruula est Salomonis matri, Iacobi parenti, imò & Iacobo ipsi, instar Salomonis, pacifico, *filio* quidem *pacis* (vt vidimus) supremæ sedis postulatio *aliquid* est, non multum. *Et petens aliquid,*

48. *Stultus ille diues, qui mundialia bona multa appellauit, & magna, cum pauca & paruula sint. Luc 16. Origen.*

Diues ille Euangelicus, Regum certè typum agens, clamabat: *Anima mea, multa bona habes, reposita in annos plurimos.* Qui quidem meritò stultus appellatur. *Stulte, hac nocte, &c.* Annotauit Origenes, stultè illum *bona* Mundialia subsidia reputare. *Vbertatem terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nesciens, quia vera bona non nascuntur in maledictâ terrâ, sed in cælestibus regionibus.* Ego autem & ideò arbitror stultum appellatum, quia multa & plurimis annis sufficientia, quasi magna, bona mundialia reputauit; quæ, quia peritura quidem, aliqualis solummodò substantiæ sapienti obiiciuntur. *Petens aliquid.*

49. *Regna cuncta pauca, seu tantilla, Matt. 25.*

Rex ille in regionem longinquam discessurus, siue familias Pater, aut diuitias, aut Imperij administrationem, vt aliquis interpretatur, sub talentorum nomine subditis distribuit. Post multum temporis venit rationem ponere cum seruis suis, quorum vni & alteri profatur: *Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. Illam particulam expendo: *In pauca fidelis.* An Regnum administrare paucum est? Certè *rationem* ponens debebat cuncta ratione perpendere, & (vt vulgariter exponam) *con cuenta y razon.* Quid cuncta mundialia? Rationem ponenti Deo *pauca* quidem, licet hominibus rationem non ponentibus magna videantur. Hieronymus: *Notandum, quod omnia quæ in præsenti habemus, licet magna videantur, & plurima, parua & pauca sunt.* Qui ergo mundialem postulat Principatum, *aliquid*, non multum efflagitat boni. *Hieron.*

Vnde fœminam aliquid postulantem Dominus rogat; *Quid vis?* Ac si diceret. Te ambientem filiis Principatum terrenum, parum aut nihil penè video postulare. Egregiè ad argumentum Augustinus 1. de Ciu. cap 8. *Si non Regna ac diuitias Deus quibusdam petentibus concederet, non ad eum ista pertinere censeremus.* Cuncta enim creata tàm parua sunt, vt vix ad creaturarum cœtum pertinere videantur. *Quis enim dixit amplissimum Regem curam gerere eorum quæ in eorum Palatio vilissima sunt?* In conspectu Domini Regna cuncta minutissimum quiddam vix alicuius nomine appellandum. *Et petens aliquid ab eo.* Mirum quidem, quantis, quàm multis exantlatis laboribus tantilla bona comparentur. 50.

Tàm paruulum Regnum, vt vix creaturarum cœtui addicatur. August.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Et petens aliquid ab eo.

Ecclesia Iacobi imperfectionem ambientis sedem proponens, ampliùs eius sanctitudinem commendauit.

Vbi ostendo Imperatorium munus seruile esse, & laboribus obnoxium.

MIror Ecclesiam, cùm debuisset eximiás Iacobi virtutes ad memoriam adducere, eius in hodiernâ Euangelij lectione imperfectiones narrare. Cur non obiecit oculis honores, ad quos Iacobus in Transfiguratione vocatus fuit? Cur specialem in ipsum Domini non recenset affectum, dùm in oliuarum montem eum oraturus adduxit? Certè elogij loco imperfectionem illam decantauit Ecclesia. Maximè enim sese cantabilem Iacobus ex sedis sublimis petitione ostendit. 51.

Curat namque Apostolus ei se præfici muneri, quo valeat proximis vberiùs subuenire. An phantasia hæc Iacobi petitio reputanda? Quid si phantasiæ effectus? Certè hæc phantasia omninò proximis salutaris fuit. Zacharias præfatur: *Petite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet niues.* Vatablus: *Fulgurationes faciet.* LXX. *Faciet phantasias.* Cap. 10. Quid cum phantasia fulguri? An non Iacobus *Boanerges* appellatus cum Ioanne à Domino, id est, *filij tonitrui.* Fulmen igitur Iacobus est, & fulgens, & hostes territans, & velocissimo Hispaniam gressu circumiens, & cordium rebellium rupes comminuens, hostiléśque turres euertens. Hæc quidem Iacobi phantasia, fulmen iste Ecclesiæ, vt Deo illustres victorias consecraret. 52.

Phantasia Iacobi tota fructus hominibus. Zach. 10. Vatab.

Dùm petit Iacobus Regno donari, vt subditis 53.

Laudabilius petimus, vt laboribus exerceamur, quàm ipsos admittimus. Psalm. 118 Ambros.

ditis prouideat egentibus, quærit planè laborum tolerantiam. Ais, expectet Apostolus sibi laborum sustinentiam dari, non ipse efflagitet. Dic mihi, nùm perfectius sit inueniri à tribulationibus, an ipsas quærendo inuenire? Dauid: *Tribulatio & angustia inuenerunt me*, Ps. 118. Quando scilicet à Samuele quæsitus sum, vti in Regem inungeret. Alibi autem clamat: *Tribulationem & dolorem inueni.* Quæsierim an Rex perfectior ac sanctior quærens tribulationem, an quæsitus ab illâ? Ambrosius: *Tribulationes iustum interdum inueniunt, interdum non.* Quando inueniunt? *Inuenitur, cui corona debetur.* Id est, ille, cui corona iure successionis, v.g. debetur, non quærit Imperium; sed ab ipso inuenitur, quia ad Regnum nascitur. At qui coronam sibi, non ex naturâ, sed ex victoriis debitam quærit, illam inuenit laudabilius. *Dolorem & tribulationem inuenit, quasi bonus athleta quæsiuit certamina, vt coronam inueniret*, Ergo se fortiorem Iacobus ostentat, quærens ac petens labores; quàm si vltrò à Domino oblatos admitteret. Egregium enim magis fortitudinis documentum est, labores ad arenam vocare superandos, quàm ab irruentibus non superari.

54. *Sponsa Regnum Crucis exoptat, & petit.* Cant. 1. Bernard.

Petebat Sponsa dilecti Regis dexteræ in Regno Crucis hærescere, dùm clamabat: *Trahe me post te.* Cant. 1. Scio me ad dexteram tuam in superis collocandam priùs debere apud Crucis Regnum, id est, laborum tentamina. *Dominus* enim *regnauit a ligno*, tecum commorari. Bernardus serm. 21. Cant. *Quam pauci post te, ô Domine Iesu, ire volunt; cum tamen ad te peruenire nemo sit qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dexterâ tuâ vsque in finem. Propterea volunt omnes te frui; at non ita imitari; conregnare, sed non compati.* Dilecta autem non solùm expetit Regno gloriæ donari; sed & petit Crucis Regno frui. *Trahe me post te.*

55. *Isaacum petit Iacob, vt donetur Imperi vt laboribus exerceatur.* Gen 32. August.

Quanto Iacob in dominatum ferebatur affectu! Non solùm à patre benedictionem, ac simul principatum petijt enixè; verum & piâ matris inductione vsus præripuit à fratre. *Esto*, ait Isaac, *dominus fratrum tuorum.* Genes. 32. Quæstio assolet volui, nùm Iacob grauiter deliquerit ambiendo & præripiendo dominatum? August. serm. 78. de Temp. cum ingeniosè liberat à criminis suspicione. Efflagitabat enim principatum, vt sibi tribulationem acquireret, fratrem autem a Cruce liberaret. Dixerat Deus de Iacob & Esau: *Maior seruiet minori.* Gen. 25, Cùm scilicet minor præripuerit principatum. Quonam modo seruiet maior minori, si potiùs Iacob Esau præstitit obsequium, ipsum dominum suum confessus est? Augustinus ad hæc: *Seruiet maior minori, persequendo, quomodo lima vel malles auro; quomodo mola seruiunt tritico; quomodo panibus coquendis fornaces.* Famulatum & obsequium exhibent subditi Principi, dùm persecutionibus actum exulare, & peregrinari cogunt? In maximum commodum Esau Iacob ambiuit dominatum; quærens enim quo terricolis subditis imperaret, inuenit, quo cunctis seruiliter, & ipsi Esau subijceretur. Iustè igitur & laudabiliter ex hoc capite Iacobus sedem temporariam requisiuit à Domino. Ediscant Principes Imperatorium munus seruile esse, & ipsos totidem subijci Dominis, quot sunt subditi, quibus præsunt.

SECTIO SECVNDA.

Sedium Negatio.

TEXTVS.

VERS. 22. RESpondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Vndenam Apostoli nescire dicantur?

1. *Cur respondet filijs, & non Matri?*

R*Espondens autem Iesus, dixit; Nescitis.*] Si Mater postulârat, quare Discipulis Saluator responder? Filij quidem cum Matre adorârunt, simúlque cum illâ, aut saltem illius ore petiêre. Ideò Christus non Matri internunciæ, sed filijs profatur.

2. *Quare dicantur illi nescire quid peterent?*

Nescitis quid petatis.] Cur autem fratres dicuntur nescijsse quid peterent? Quia sæcularis Regni honorem, veraciùs grauissimum pondus, ambire curabant? Quia existimabant Christi Regnum terrenorum Regum Imperijs esse simile? Quia sæcularis Regni petebant sedes, quando ipsum mundiale Imperium sistere, & quiescere non nouit? Quia Regnum Christi jam hîc vicinum esse putabant? Sic Chrysostomus, Victor Antioch. Theophyl. Euth. locum interpretantur. *Nescitis quam magnum, quam mirabile est, quod petitis, ac ipsas superiores excedens virtutes. Nescitis quam magna res sit, sedere ad dexteram meam & sinistram in Regno meo; nescitis quàm magnam dignitatem petatis.* Beda autem asserit nescite quid petant, *quia in Regno Christi, quemquam ad sinistram sessurum putabant.* Nihil enim in Regno Christi sinistrum, aut reprobum. Author Imperfect. sic ex ore Dominico profatur: *Ego vos creaui ad partem dexteram de sinistrâ, & vos vestro consilio curritis ad sinistram?* Idem Beda existimat nescire, quid peterent; *Quia sublimitatem*

Chrysost. & alij.

Beda.

Imperfect.

tem potius quàm operum perfectionem quærebant. D. Thomas: *Nescitis quid petatis, quia de præmio contenditis, sine merito præcedente.* (Thom.)

3\. (*Authoris expositio.* Caiet.) Ego autem existimans ambitiosè Discipulos primas sedes Regni petijsse. *Non enim volebant* (vt cum Caietano loquar) *esse ad dexteram Petri, nec ad sinistram Andreæ, sed ad dexteram & sinistram ipsius Iesu Christi*, cùm sedes duodecim Apostolis expenderentur, illam particulam adnoto, *Quid petatis.* Non enim eos taxat, quòd ambitiosè petierint primis sedibus addici; hoc enim posteà præstitit communem Apostolorum defectum carpens; sed asserit nescire quid petant, dùm post Resurrectionem Regno Christi potiri curabant. *Errârunt* (ait Caietanus) *in tempore Regni, putantes Regnum Christi sensibile secuturum statim Resurrectionem Christi; errabant etiam in modo regnandi, quia consequenter putabant, se sic viuentes, sensibiliter regnaturos cum Christo.* Si scirent illi æternum futurum in superis Imperium, Regnum post Christi Resurrectionem non postularent, eiúsque præcelsioribus collocari sedibus. *Sed peterent* quidem (loquor cum Cardinali) *per passiones, & mortes proprias transire ad Regnum Christi*, & gratiâ Spiritûs sancti donati, *ad robur confitendi, & [illegible] adicandi Regnum Christi.*

§. II.

Eis Dominus persecutionum tentamina indicit, queis acti in Regnum assumendi.

4\. (*Haud sedes in terrâ requirenda.*) POtestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum.] Extra viam Discipuli gradiebantur, eos Pastor reducit ad viam. *Nescitis*, ô filij, *quid petatis*; quia celsioribus sedibus apud terricolas donari cupitis. Haud sunt in terrâ quærendæ sedes; sed in cælo, si mei laterones adsesse curatis. In terrâ bella, certamina, pericula subeunda vobis, calix amarissimus epotandus; vt in superis immortalitatis, ac cælestium voluptatum nectare epotemini.

5\. (*Hauriendus illis calix passionis erat, ad sedium supernarum acquisitionem.* Matt. 26. Hieron. Caiet.) *Potestis bibere calicem.*] Græcè, ποτήριον id est, *poculum*. Figuratus sermo, Calicem, seu poculum, suam passionem appellat, vti Hieronymus adnotauit: *Transeat à me calix iste*, Matt. 26. Id est, *passio*, En vndenam scio vos nescire quid petatis, quia non dignoscitis quidnam vobis subeundum certaminum ac laborum, vt Regnum consequamini, præcelsisque sedibus donemini. Appositè Caietanus: *Rationem quare nesciant, quid petant, insinuat esse, quia nesciunt, quid sibi immineat post Christi Resurrectionem. Ac si apertè diceret. Ideò nescitis, quid petatis in meâ Resurrectione, quia putatis vos peruenturos ad Regnum meum, sic viuentes, cum ego surgam à mortuis; sed longè aliter est, quia modus perueniendi ad Regnum meum est per passionem & mortem; & propterea examinate vires vestras, si potestis bibere calicem passionis, & occisionis.*

6\. (*Allicit ad calicem, quem ipse bibet.*) *Quem ego bibiturus sum.*] Cur se bibiturum ostendit? Planè vt communicatione laborum cum ipso promptiores redderentur. Bibit ipse merum passionis, amaritudinis plenum mixto. Mox amicis curat propinare: *Amici bibite, & inebriamini charissimi.* Exemplo enim Duci pugnantis milites excitantur.

In quæstionem adduco, cur Iesu Passio calix siue poculum appelletur. Theophylactus: *Quia leuis est, & quod oportet nos tam facilè illam aggredi, quam si poculum esset epotandum*; & vt declararet Dominus, *quòd ipse suauiter ad mortem accederet.* Et Euthymius: *Poculum appellat Dominus mortem, vtpote læto animo pro hominibus suscipiendam.* Læto-ne animo sitiens quis epotat merum? Lætiori planè Christus mortis hausturus erat amaritudinem. 7. (*Quare passio poculum appellatur?* Theoph. Euthym.)

Existimo tamen poculum appellatam Passionem, quòd amara Christo futura fuerit, & Martyribus; sed maximè salutifera. Adde, quia quemadmodum calix breui bibitur tempore; sic passionis & mortis dolor breui tempore pertransit. An etiam mors dicta poculum, quia calix veneno plenus dari solitus damnatis, vt Socrati legimus exhibitum? Nun probo, quia apud Iudæos hic mos non fuit. 8. (*Authoris mens.*)

Caietanus addit: *Desunt hæc verba; Et baptismo, quo ego baptizor, baptizari.* Alius enim addidit Euangelista, Matthæus præterijt, quia eandem sententiam exprimunt hæc verba, quam exprimebant illa: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* Idem enim significatur poculo, quòd Baptismo. Poculum enim & Baptismus suam mortem & passionem repræsentant. Chrysost. *Baptismum idipsum poculum appellauit, vt magnam Orbi hinc futuram expiationem significaret.* Theophylactus: *Baptismum poculum mortis nominat, quod nos omnes purificat.* Adijcio Baptismum vocari mortem, quòd Baptismus Græcè *demersio* sit: moriuntur autem aliquando homines qui demerguntur. Potestis demersione, quâ ego demergor, demergi. Nec displicet Barradij sententia: *Baptismus significat intinctionem; Christus autem intinctus est sanguine suo, aspersus, & baptizatus.* Vnde Baptismus sanguinis mors, & Baptismus dicitur. 9. (*Idem significat baptismus, ac poculum.* Caiet. Chrys. Theoph. Barrad.)

Dicunt ei, Possumus.] Si primas sedes, quas postulabant in hàc vita esse arbitrabantur, in terreno scilicet & sæculari Iesu Regno, quonam modo eas assequi putant, si calicem bibant, & moriantur. An potest, qui è vitâ discedit, terreno Imperio potiri? Certè hoc argumento illigantur qui affirmant sedes in cælesti Regno æternas, quæ passione comparari assolent, postulatas à Discipulis. Quod facilè soluo. Quia Apostoli non putarunt mortem subire opus esse; sed offerre sese cunctis periculis subeundis. Viri strenui à Rege mittuntur in bellum, & rogantur: Potestis pro me ac Republicâ mori? Respondent, Possumus. Veruntamen se victuros, honorémque consecututos existimant. Chrysostomus: *Desiderio quodam animi confestim promittunt, dicentes; Possumus. Neque idipsum intelligentes quod affirmabant, sed sperantes se* (post imminentia quidem pericula superata) *postulata habituros.* 10. (*Quonam modo dixerint, Possumus, si morientes haud poterant terreno Regno frui.* Chrys.)

Imperfectus addit: *Nescientibus desiderabile est bellum.* (Imperf.)

***

In

In Iacobum Maiorem

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

EX SEDIVM NEGATIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Nescitis quid petatis.

Postulans Iacobus sedere in mundiali Principatu, nescit quid petat.

Sacularibus enim Principibus adnata ruina.

11. Imperf. IMPERFECTI Author ait: *Non tantum confidentiâ, quantùm ignorantiâ hoc*, id est, *Possumus, responderunt*. Nec enim poterant optatis frui, qui cupientes sedere, Principatu sæculari potiri petebant. An Princeps sedere putest? Minimè planè.

Fatur Isaias: *Apprehendet vir fratrem suum,*
12. *Princeps esto noster; ruina autem hac sub manu tua.* Respondétque prudens: *Noite constituere me Principem populi.* Cap. 3. O Iacobe, ó Ioannes, inuitatus ad Regnum recusat, dùm vos, vt eligamini ad ipsum, inuitatis. Ille apprehensus repellit honorem, vos honorem curatis alijs fortè præparatum apprehendere. Et cur apprehensus noluit Throno sedere? Quia dùm ad sedem inuitatur, verè rapitur ad ruinam, ipso electore profante: *Ruina hac sub manu tuâ.* Si sedere impossibile, quia *Princeps* quid ruinosum est, cur implicatoriè me ad sedem vocatis? D. Thomas: *Inuitati ad regendum recusant, quasi quoddam ruinosum.*

Illud ipsum quemquam Imperatorem facere, est ruinosum efficere.
Isai 3.
Thom.

13. Ezechieli autem Dominus: *Non pollnent vltra domus Israel nomen meum ipsi, & Reges eorum in fornicationibus suis, & in ruinis Regum suorum.* Cap. 43. Ruinæ hîc significant ipsorum Regum imperium, & dominatum, iniquum planè, & diuinæ aduersarium voluntati. Et cur potestas ruinæ nomine designatur? Hieronymus respondet, quia illud ipsum, quem Regem esse, idem prorsus, ac ruinæ non solùm obnoxium; sed addictum. Si Princeps naturâ ipsâ dominatus, labilis & ruinosus, quonam modo stabiliter sedebit in vertice?

Ruina Regibus adnata.
Ezech 43.
Hieron.

14. Ideò Dauid: *Et vos sicut vnus ex Principibus cadetis*, Psalm. 81. Quinam ille vnus ex Principibus cadens? Quicumque cupit sede præcelsâ collocari, quia illud ipsum sedere cadere est. *Dic* (ait mater Iacobi) *vt sedeant filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in Regno. Vnus* Iacobus, & *vnus* Ioannes, cadent è Throno. *Sicut vnus ex Principibus cadetis*; quilibet enim Princeps proculdubio cadit. Augustinus: *Extollimini, vt cadatis.* An quia ruina timetur, cùm quis exaltatus obijcitur? Isaias: *Filios exaltaui.* Cap. 1. Zeno serm. 35. *Exaltatos appellat, vt ruina timeatur.* Rectè quidem; sed hîc non timetur ruina; sed videtur. Illud enim ipsum sedere cadere quidem est. *Extollimini, vt cadatis, ipsum enim extolli, iam cadere est*, vti alibi Doctor affirmauit.

Vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram Regni simulatis cadit, sicut vnus ex Principibus.
Ps. 81
August.
Isai. 1.
Zeno.

Rursùm Vates cecinit: *Cogitauerunt supplantare gressus meos.* Psalm. 139. Hebraice; pro *supplantare*, habetur *impellere*. Vbi Caietanus: *Per modum impulsionis, quo impellitur, grandiens ad cadendum.* Quandonam ergo Dauidis hostes, aut æmuli eum impellere cogitauerunt, vt excideret? Respondet Cardinalis Cùm vrgebant Dauidem, vt gener Regis esse curaret. *Esto gener Regis*, 1. Reg. 18. Quid ergo cum Regis genero supplantatio, seu ad excidendum impulsio? An non securiùs sedebit, à cunctísque hætens Throno adorabitur? Genebrardus: *Supplantare Dauidis gressus, erat illum tradere in varia pericula, & ruinas.* Cum Philistæo dimicabit pastor, vt optato perfruatur coniugio. Rectè planè: sed Philistæorum pericula haud necessaria ad Dauidis ruinam, si illud ipsum in generum Regis assumi, iàm ruinosa res sit, vt non possit Dauid non cadere, dùm ad sedem inuitatur. 15.

Allicere aliquem ad Regnum, idem est ac impellere illum vt cadat.
Psalm. 139.
1 Reg. 18.
Genebr.

Ideò Dauid non solùm filiâ Saul, sed & sceptro à Domino donatus conqueritur. *Eleuans allisisti me.* Psalm. 101. Me, ò Domine, sedere fecisti; sed illud sedere allidi quidem fuit. Brixianus: *Videris extulisse me in altum, vt grauiori casu in extremas miserias me deijceres.* Non dixit: *Me in altum extulisti; sed videris extulisse*, quia illud extolli specie tenus fuit, cùm vere fuisset, *me in extremas miserias deijcere.* 16.

Queritur Dauid eleuatus, quasi deiectus.
Psalm 101.
Brixian.

Cùm Iosue populi esset assumendus in Principem, inquit Mosi Deus: *Tolle Iosue filium Num, virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum, & dabis ei partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel.* Num. 27. *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* Id est, potestatis supremæ, vt populi Imperator exurgat. Porrò quidam apud Oleastrum legerunt: *Dabis ei de deiectione, aut proiectione tuâ*, vt deijciatur, vt proijciatur. Quia nihil aliud est in Principem eligi, quàm deijci, ac proijci. Tu Princeps deiectus, proiectus verè existis. Si Iosue in Principem coadiutorem assumis, deijciatur, proiiciatur necessum est. 17

Dedit Moses partem imperij, id est, deiectionis sua Iosue.
Num 27.
Oleast.

***

Obser

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Nescitis, quid petatis.

Efflagitans sedem stabilem regni terreni, nescit, quid postulet.

Quia sedes Regia minimè potest stabiliri.

18. *Quam instabilia Imperia, & honores!* Philo.

SEDEM Regni postulas stabilem? Prorsus seduceris, vti Philo profatur lib. de Abraham, *Cui præter Deum credendum est? Principatibus-ne? At Principatus omnis est lubricus, innumeris insidiatoribus obnoxius; quod si quando confirmatur, id fit non sine multis illatis calamitatibus. Nihilo stabiliores sunt honores.* Princeps ergo obnoxius ruinæ, siue ipse necessariò ruinosus, sedi hærens impossibiliter stabili, ipsam nostris oculis ruinam præsentauit. Ergo nescitis quid petatis, quia vobis hic sedere impossibile prorsus.

19. *Imperialis vrbs sine anchora nauis haud consistens obycitur.* Ezech. 27.

Tyrus illa vrbium Regina ab Ezechiele sub pulcherrimæ nauis metaphorà describitur, *Cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum, quercus Basan dolauerunt in remos, byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum*, c. 27. Cùm omnia ad nauigationem necessaria memorasset, solius anchoræ obliuiscitur. An non anchora admodum necessaria, ne, ventis furentibus, vndis prosilientibus ac tumentibus, lignum agitatum ad rupes eliderctur? Ita planè. Sed cum ciuitas illa coronatum caput attolleret, sedes vtique Regum, necessariò sine anchoræ præsidio depingitur, quæ necessariò debet agitari, nullà vnquam stabilitate fruens. Nazianzenus orat. 16. ait, *Regna omnia fluxa, & fragilia sunt; nec quicquam est ita possidentis proprium, quod non ad alios traducatur.* Nazianz.

20. *Sub Solis, Lunæ, ac stellarum nunquam consistentium, Regnum Iosephi apparet simulacro.* Genes. 35.

Regnum Iosepho in somnio reuelatur. Vidit enim *Solem & Lunam, & stellas* adorare se, Genes. 37. Profectò non solùm à Pharaone electus in Principem ab Ægyptiis adoratur; sed & à Iacobo, fratribúsque accepit obsequium. Et cur sub Solis, Lunæ, ac stellarum simulacro regnum obiicitur? Quia sicut stellæ, Sol, ac Luna perpetuo motu cum cælis cientur: ita Regia sedes cum sedente Principe nunquam non motibus subiacet. Hinc Gregorius lib. 6. Moralium cap. 7. *Grauis labor, cùm magnâ fatigatione apprehendere id, quod is, qui apprehendit, nouerit stare non posse.* Imò non apprehendit, licèt apprehendisse videatur. Tam instabilis enim Regia sedes est, tam fugitans, vt nunquam valeat ab hominibus apprehendi. Itaque non fugit apprehensa; sed apprehendi nunquam potest. Gregor.

21. *Non potest quis Regnum possidere, quia labile.* Genes. 11.

Promisit olim Dominus Abrahæ terram lacte & melle manantem. At ille inquit promissori: *Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim terram promissam?* Genes. 11. Exponunt aliqui recentiores, quomodò possum terram illam, regnum quidem Israeliticum, ac Iu-

Ant. de Escobar & Mend. Tom. IV.

daicum possidere? An non possessio pedum sessio? Quis dubitet? Quomodò igitur potero possidere regna illa, si pedes super rem instabilem minimè valent consistere?

Saltauit in conspectu Regis Herodis puella, cui placenti ex saltationis impudicitiâ Rex: *Quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium regni mei*, Marc. 6. Vbi Ambrosius lib. 3. de Virgin. arguté, *Vide quemadmodum sæculares ipsi de rebus suis iudicent, vt pro saltatione etiam regna donentur. Quòd si iterum puella saltasset, totum prorsus regnum tribuisset, qui dimidium regni pro primâ saltatione promisit.* Illud adnoto, Regem præmium assignaturum saltationi puellæ, qua nihil inconstantius (siquidem & moriens sub congelatis fluminis aquis saltasse dicitur) nihil accommodatius, quàm regnum inuenisse. Adnatum enim præmium est saltationi id, quod nunquam recedit à saltu. Regna enim cuncta vti ait Nazianzenus) adeò *alias ad alios saltantur, & transferuntur*, vt, in morem puellæ, saltare videantur. 22. *Præmium adnatū saltationis Regnum saltās, & nunquam consistens.* Marc. 6. Ambros.

Quæ cùm ita sint, erga Apostolum se sic benignissimum Christus exhibuit, eum dilectissimum minimè regni sede donando, quæ tot calamitatibus obnoxia, inani nomine gloriatur. Nec enim sedes dici potest, quæ non valet stabiliri. An non specialissimæ dilectionis Iesu in Iacobum perspicuum documentum fuit, sedem ab eo petitam illi abnegare? Agens Ioannes de Ecclesiæ Principatu, supremáque sede, qua donatus est Petrus, se se bis Discipulum, *quem diligebat Iesus*, appellauit, cap. vlt. A Iesu Ioannes plus cæteris diligitur? Cur ergo Petro, & non Ioanni adscripsit Principatum? Imò ex eo (inquit Ioannes) colligo manifestè me Discipulum à Iesu valdè dilectum, dum alium, non me, ad Ecclesiæ Principatum assumpsit. Hinc te, ô Iacobe, Discipulum à Iesu dilectum térque, quatérque vocitarim, dum video humeris Petri, non tuis, pondus Ecclesiæ apponi. 23. *Se Deus Iacobo amicum ostentauit, eum liberans à principatu.* Ioan. vlt.

An non te à subditorum inuidiâ liberauit? *Audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus*, Matth. 20. Si petitio Principatus subditorum futurorum indignationem peperit, profectò possessio excitaret inuidiam. Amati admodum ob singulares virtutes à fratribus, cur curatis inuidiæ eorumdem subiacere? Ambrosius lib. 2. de Iacob & vitâ beat. cap. 2. *Plus confertur dilecto* (adde Iacobo) *cui fratrum amor quæritur. Plus autem adimitur ei, qui prælationis iniustâ oneratur inuidiâ.* An non benignius, mitiúsque cum Iosepho actum esset, si priuatus gregem pasceret, quàm si somniato Principatu iurgiorum, ac inuidiæ illice donaretur? 24. *Dilectissimū sibi esse ostendit, quem ab inuidia fratrum liberauit.* Matth. 20. Ambros.

* * *

R Obser.

Observatio III.

Ad illa verba:

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

Animi affectu potentissimo Iacobus se se Imperij pro Christo administrandi laboribus subeundis obtulit.

Adnoto, temporarium Imperium, & Præsulatum Crucem esse, ad quam sustinendam amor Dei necessarius.

25. *Se offert Iacobus ob dilectionem laboribus in Præsulatu subeundis.* Chrysost.

CHRYSOSTOMVS postquam Passionis, tribulationum, ac laborum, qui sedes sublimes sequebantur, indictionem à Domino ponderauit, audiens Iacobi, & Ioannis fortitudinem verbo illo expressam. *Possumus*, adiicit, *desiderio quodam animi confestim promittunt, dicentes: Possumus.* Desiderio animi. Quonam? An regnandi? Proculdubio in regno (quo iam ex Christi amore cupiebant donari) labores subeundi. Cognoscimus iam, ô Domine, Regnum, seu Prælaturam Crucem esse, hanc, subeundi labores desiderio, postulamus, vt possimus nostram, quâ erga te flagramus, dilectionem, ostendere. Et quidem qui sciens humeros regimini supponit, feruentis amatoris exhibere documenta debet.

26. *Petrus assumendus ad Præsulatus Crucem circa amorem examinatur.* Ioan. 21.

Petro in Apostolorum Principem assumendo Dominus; *Simon Ioannis diligis me plus his?* Respondet Apostolus, *Tu scis Domine, quia amo te.* Cui Iesus: *Pasce agnos meos*, Ioan. 21. Existimabam ô Domine, cum tam districtum amoris examen præcedere vidi, (iterum enim atque iterum de dilectione meâ fecisti periculum: *Petre amas me? Petre amas me?*) me è viuis ob tuum imperium, relegandum, aut æternæ captiuitati addicendum. At video me tuâ benignitate ad honorem præcelsum adsumptum. O Petre, quàm ad munus iniunctum tibi necessaria dilectio præstantissimâ! Quare? Mox adiungit: *Amen, amen dico tibi, cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans, quâ morte esset clarificaturus Deum*, ibid. Et cur assignato viro Ecclesiæ Principi iam seni mors Crucis indicitur? Existimo, quia Præfectura Crux est; vir autem Præfecturam instituens, simul Crucis martyrium subire incipiebat. Ideo Præsulatus initium cum vitæ termino copulatur. Salmeron noster tom. 12. tractat. 31.

Salmer.

Obserua, eos, qui ad Pastorum dignitatem vocantur, simul etiam ad iniunctam cum Pastoratu Crucem sustinendam assumi. Illud preme, *Ad iniunctam cum Pastoratu Crucem.* Humeri enim Pastoris simul dignitati ac Cruci obiiciantur necesse est; imò dignitas ipsa Crux intolerabilis sustinenda. Vnde indigent humeri dilectionis adiumento: *Amas me plus his?*

27. *Vt Apostoli portent Orbem, inniti eos specialissima dilectione accendi.* 1 Reg. 2.

Principes Ecclesiæ cuncti Apostoli prædicantur. O quàm ex imperio eos contemplor afflictos sub pondere quidem gubernationis! quàm Domino ex specialissima dilectione necessariò addictos! *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos Orbem*, 1. Regum 2. Hieronymus transfert, *Domini sunt afflicti.* Quinam illi? Certè Apostoli, quos Ecclesiæ Principes nominauit. *Domini sunt* Principes, id est, ei per virtutum exercitamenta valde coniuncti, & amici, vt possint tantum ponderis sustinere, de quo sanctissimus, amicissimúsque Dei Moses conquerebatur, *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Num. 11. Premo illam particulam, *afflicti*, & existimo hanc afflictionem, virtutum exercitamenta, queis amoris diuini gradus comparantur, significare. Belle Rupertus in cap. 4. Matth. *Afflictio hæc humilitas est, quæ ad portandum Orbem, id est, Ecclesiam regendam, constantes Apostolos facit.* Nec enim possent tantum Præsulatus onus, quin succumberent, sustinere, si specialissimâ in Deum dilectione, ex humilitatis, aliarúmque virtutum exercitamento comparatâ non exardescerent.

Num. 11.

Rupert.

28 *Subditi simul in humeris & corde in Dei affectu debent portari.* Exod. 18. Gregor.

Aaron olim duodecim Tribuum nomina in superhumerali portabat. *Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicij supra pectus suum*, Exod. 28. Cur nomina subditorum Pastoris humeris imponuntur? Respondet Gregorius ad lib. 1. Regum 10. *Rector & honoratur à subditis, & portat eos, à quibus honoratur; cum honoris ergo principio causa nascitur oneris. Quia vnde honor à Rectore incipitur, inde illud suscipit, quo grauetur.* Rectè quidem. Sed quare super humerale, vbi subditi portantur, supra pectus etiam portari præcipitur? Quid cum humeris portantibus pectori cordis domicilio? An quia vt portandorum subditorum onus sustineatur, debet cor in Deum maximè affectum vires addere dilectionis? Ita planè. Quod ex Salmerone nostro tom. 7. tractat. 25. confirmo. *Intelligat Pontifex, tanquam bonus Pastor, se omnes in humeris, & simul in corde (flagranti quidem) portare debere.* Quomodò enim humeri portare poterunt fragilitate pressi, si cor in Deum affectum non præstat adiutorium? Igitur, ô Magister (Iacobus ait) si ex dilectione increscunt humerorum vires ad sustinendum onus, *Possumus* quidem totum Orbem portare. Beda, *Nouit Iacobus, se inter Discipulos specialius à Domino diligi.* An non quia & ipse specialius Dominum diligebat? Ergo ex specialis dilectionis affectu proclamat: *Possumus* non solùm Regnum vnum pro te; sed vniuersi Orbis Crucem sustinere. Ediscant Præsules, quàm studiosi circa amoris diuini acquisitionem debeant ostentari, si humeri & cor simul oneri submittuntur.

Salmer.

Iacobi amoris diuini affectus.

* * *

Obser.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

Ideo Iacobus ad Calicis participationem inuitatus à Domino, quia specialissimè dilectus.

Labores enim ingentiores Dei amicissimis præparantur.

29. Victor. POSTVLABANT illi Regno præfici temporario. Quanam ratione suffulti? Victor Antiochen. *Animaduertebant se plurimum à Christo diligi.* Imò & quia plurimum diligimini, non Regnum, postulatum à vobis, accipitis; sed id quod Dominus amicissimis assolet præbere, vberiorem scilicet laborum sustinentiam: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Amicissimus petit Iacobus? Id quod amicissimum decet, accipiet.

30. *Amicissimus Dei Abrahā, laboribus afficitur grauioribus.* Abraham ad Dei amicitiam eleuatur, cuius accipe documenta, Tanquam ad amicum loquebatur ei Dominus; apud eum sub trium peregrinorum velamine diuersatus est, nil eundem celare potuit, fœdus init cum ipso, ne amicitia terminum videret; quod in vaccæ exprimitur diuisione: in Seruatoris parentem eligitur; se denique Deum Abrahami dignatur nuncupare:

Genes. 26. *Ego sum Deus Abraham patris tui*, Genes. 26.

Chrysost. Ad quæ Chrysostomus homil. 52. in Genes. *Considera misericordiam Dei. Nam cùm dixisset: Ego sum Deus Abrahæ patris tui, ostendit, quomodò sibi vendicauerit, & proprium fecerit Patriarcham, ita, vt dignatus sit, se Deum vocare Abrahæ. Et Deus Orbis, ac Conditor, vnius hominis Deum se dicens, non concludit, & abbreuiat appellatione Patriarchæ suum dominium; sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat. Ita, inquit, mihi eum proprium feci, vt apud me æstimetur tanti, quanti alij omnes.* Et queisnam gradibus ad tantæ amicitiæ verticem

Iudith 8. ascendit: Respondet Iudith, *Memores esse debent, quomodò Pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est*, cap. 8. Simul enim in amore processum laborum sustinentia comitabatur. Imò illud ipsum incrementa accipere amicitiam, erat laborum crescere tolerantiam: *Per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est*, id est, maiori amicitiâ donatus.

31. *Simul crescit hominis amor & labor fo.* Iob, *Homo natus ad laborem, & auis ad volatum*, cap. 5. Describitur à viro patientissimo Sanctorum à Deo dilectorum profectus. Auolant ad sublimia amoris diuini incrementa.

Iob 5.

Sed queisnam alis vtentes? *Homo natus ad laborem.* Pati labores volare est; sustinere tribulationes, Deo strictiori amoris vinculo est colligari. Illustrat Gregorius lib. 6. Moral cap. 7. *Inde* Gregor.
mens ad summa euolat, vnde caro in infimis durius laborat. An non quasi auis Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduersa sustinens, dicebat: Nostra conuersatio in cælis est. Ideòque Dauid hoc ipsum fatetur, cùm ait: Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt. Quid fatetur? se ad amoris diuini multiplicationem eleuatum. Quia idem est tentari ampliùs, ac ampliùs crescere dilectionē, cùm labores dilectionē sequantur. Addit Pater, *Ex Hebræo sic transfertur Psalmi carmen. Tribulationes cor meū sursum ferri fecerunt.*

Iacobus igitur ad sustinentiam vberiorem 32.
inuitatur, quia amicus alter ipse deberet eodem amaritudinis Calice potari: *Quem ego bibiturus sum.* Creuit profectò amoris affectus, cuius tunc quasi natalitium obiiciebatur; & ideo simul increscere tribulationes necessum fuit. Quis labores Iacobi apud Hispaniam prædicantis; nec exauditi, nec excepti plausu, queat dinumerare? His certè subitò ad gradum supremum Dei dilectionis est eleuatus, qui anno post Dominicum obitum secundo, perfectus iam inuentus, sanguine gladium Herodis purpurauit. *Iacobus subitò gradum dilectionis supremum tenuit, quia primus occubuit laboribus innumeris actus.*

Ait D. Ambrosius lib. 9. in Luc. *Iacobus primus ex Apostolis conscendit Sacerdotale solium.* An quia primus sacrum ordinem Presbyteratus accepit? Minimè. Existimo enim priùs supra Petrum manus Dominicas impositas. Cur ergo asseritur primum Iacobum Sacerdotale solium ascendisse? Loquitur, me authore, Doctor de præmaturâ Apostoli passione. Primus enim Apostolorum martyrio coronatur, seque Iesu amicissimum ostentauit. *Maiorem enim charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amico suo.* Iam quæritas, quare suprema hæc amoris, ac dilectionis ostensio sub Sacerdotij nomine designatur? Existimo, quia in Sacerdotio ipso, supremus amoris gradus, ac meritorum, ad quem per labores ascenditur, designatur. Ambros.

Panes Propositionis Dauid è pugnâ proce- 33.
dens olim absumpsit. 1. Reg. 21. Quo iure, si licitum minimè alicui præter Sacerdotes, vesci pane sancto? Respondet acutè Hieronymus ad cap. 2. Sophon. *Dauid non erat è Sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes Propositionis; sed quia per singula crescebat amoris opera, & persecutio Saul virtutum illius profectus erat; proptereà in fugâ illius, dum nescit, subitò Antistes efficitur, & accipit panes Propositionis, & non violat mandatum.* En persecutio & dilectio pariter incedunt, crescentibúsque laboribus adeò crescit amoris meritū, vt subitò laboribus actus, ex dilectionis perfectione obiiciatur Antistes. Sic Iacobus primus ex Apostolis conscēdit Sacerdotale solium. En Iacobum iam Principem. *Dauid instar, Iacobus Antistes factus est, quia ex laboribus gradum supremū amoris attigit.*

SECTIO TERTIA.

Sedium Promissio.

TEXTVS.

VERS. 23. AIT illis: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est a Patre meo.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Regni celsioris Apostolis sedes promittuntur.

1. *Petentibus Regnum dat Christus hereditatem.*

CALICEM quidem (ait illis Dominus) *meum bibetis*. Illi primas Regni terreni sedes postulabant; eis Dominus passionis amarissimum poculum promittit, vt celsioribus sedibus addicat Regni cœlestis. Petitis sæculares sedes? Præcellentius vobis donum tribuo, calicem passionis meæ, quem vobis hauriendum propinabo. *Donaui vobis*, Regnum petentibus (cum Ambrosio loquor lib. 5. de fide cap. 2.) *hereditatem Crucis*. Ambros.

2. *Quemammodo vterque frater Domini calicem bibit?*

Bibetis.] Vtrique planè calicem Dominus promisit epotandum. Potauit Iacobus ab Herode occisus, vti asserit Lucas cap. 12. Act. Certè Ioannem potauisse non legimus. Imò sunt, qui asserant nondum obiisse. Euthymius, *De Ioanne quæstio est apud multos. Aiunt enim, quod, quia infallibile est Christi illud vaticinium: Calicem quidem meum bibetis, & Ioannes nondum martyrij mortem sustinuit, nondum mortuus est; sed adhuc viuit, & cum Enoch & Eliâ circa sæculi consummationem occidendus est.* Non huius loci examinare huius sententiæ pondus. Assero Ioannem è vitâ discessisse; non tamen occisus est sicut Iacobus, quem *gladio occidit Herodes*. Cur additum τὸ *gladio?* Quia occisio quidem alia, quæ minimè gladio perficitur.

3. *Bibit Ioannes calicem passionis, & mortis.*

Iam respondeo quæstioni. Calicem Ioannes Domini bibit, & eius fuit baptismo dilutus, quia in dolium feruentis olei immissus, quia in insulam Patlmon relegatus, authore Hieronymo, & quia flagellatus fuit, D. Thomâ adnotante. Chrysostomus asserit Iacobum & Ioannem violentâ morte è vitâ discessisse. Admitto si violentam mortem vocitat Doctor, eam, à quâ non defuit affectus moriendi violenter, licèt gladius percutiens defuisset. Iacobus igitur bibit calicem occumbens, gladio percussus; Ioannes autem vulneratus affectu lethaliter; relegatus, in dolium missus, flagellatus effectu. Caietanus, *De Iacobo constat, quia calicem occisionis bibit occisus ab Herode gladio. De Ioanne constat, quia bibit calicem passionis flagellatus cum reliquis Apostolis, & à Proconsule Ephesi tempore Domitiani in feruentis olei dolium missus, & in exilium actus ad insulam Pathmos. Calicem verò occisionis spiritu bibit.* Chrysost. Caiet.

§. II.

Quo sensu asserat Dominus non suum, sed Patris munus esse, sedes electis distribuere, aut assignare?

4. *Non detrahitur Christi potestati, aut maiestati.*

SEdere *autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.*] An cum Arrianis Christi omnipotentiam ac Maiestatem imminuamus? Non est Iesu dare? Ergo omnipotens non est. Patres, ac Expositores Christi maiestatem, ac potentiam tuentur. Paschasius, *Non est meum dare gratis omninò; sed soluere, ac reddere* sedes pro meritis & laboribus. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 2. *Non dixit Dominus: Non est meum dare; sed non est meum dare vobis. Non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis. Non est meum, qui iustitiam seruo, non gratiam.* Epiphanius hæres. 69. *Hoc vult ostendere diuinus sermo, quod non iuxta personarum acceptionem res fit; sed pro dignitate.* Augustinus ad Psalm. 116. *Quid est, Non est meum dare vobis? Non est meum dare superbis. Hoc enim adhuc erant. Sed si vultis illud accipere, nolite esse, quod estis. Alijs paratum est, & vos alij estote, & vobis paratum est. Quid est alij estote. Prius humiliamini, qui iam vultis exaltari.* Innocent. III. lib. 2. de contemp Mundi, c. 35. *Meum quidem est dare; sed non vobis, id est, ambitiosi.* Hieronymus, *Regnum calorum non personæ, sed vitæ tribuendum est.* Aliter Caietanus, *Non est meum dare secundùm præsentem meum statum. Non enim veni nunc ad distribuendas sedes Regni.* Paschal. Ambros. Epiph. August. Innoc.

5. *Locus expositus.*

Nostra igitur expositio sit, sedes Regni cælestis, ad quod promissione calicis vos inuito, non est meum dare vobis; sed reddere aliis, quibus dignioribus, seu dignissimis Pater præparauerit. Euthymius, *Quod dixit Christus: Non est meum, non est impotentiæ, sed iustitiæ, Non est meum dare primam sedem; iustus enim sum, non personarum acceptor. Præparatum est autem ijs, qui digni sunt, vt hoc consequantur.* Euthym.

6. *Similitudine explicatur.*

Appositâ similitudine exponit Chrysostomus, *Fingamus, ad editorem munerum, atque certaminis, quo multi confluant athletæ, duos quosdã accessisse ipsi præcipuè familiaritate coniunctos, qui amicitiâ Principis freti postulare audeant, vt victores ipsi præconio declarati coronentur. Quibus ille respondeat: Non est meum id dare; sed quibus sudore, ac labore præparatum est. Num igitur quasi non potentem illum id facere condemnabimus? Nequaquam, sed iustitiam eius admirabimur; & quoniam non personam, sed rem respicit, laudabimus. Quemadmodum igitur editorem munerum, ac certaminis principem, non quia non potest, sed quia non vult luctationis transgredi leges, & iustitiæ ordinem conturbare, dicimus: sic vtique Christum dixisse affirmamus.* Aptè Cyrillus lib. 10. Thes. cap. 5. *Quoniam iniustam petitis gratiam, quam me iustum non decet vobis largiri, non est meum dare.* Cyril.

7. *Cur ergo Apostolo Iacobo & Ioanni prima sedes abnegantur?*

Iam ad disputationem assero, cur Apostolis prima abnegatur sedes, tanquam iniustè petiissent? Respondet Ambrosius, *Iure reprehenditur mulier, quia impossibilia postulauit. Cùm legero Seraphim stare, quomodò possum quòd homines sedeant ad dexteram, aut sinistram Dei arbitrari?* Chrysost. Theophyl. & Euthym. contestan- testantur. At tantorum Doctorum veniâ contrarium sententia Christi probat. Indicat enim sedes primas ad dexteram, & ad sinistram aliquibus; imò aliis esse à Patre præparatas. An impossibile sedere ad Christi dexteram aut sinistram, ipso profante: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius?* Apoc. 3. Ambros. Chrysost. & alij.

Cuinam

Negantur Iacobo & Ioanni, quia alij digniores sunt, nempe Virgo & Iosephus. Psalm 44. Athan. Gerson. Salmer. Euthym.

8. Cuinam igitur præcipuæ illæ sedes eleuatissimæ a Patre fuerint præparatæ ? Dexteræ locus Deiparæ proculdubio est, fante Dauide: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu*, &c. Psalm.44. Athanasius homil. de Virgin. *Virgo nunc, vt Regina assistens à dextris Fily, quasi in vestitu deaurato incorruptionis, & immortalitatis circumamicta, & variegata, sacris & solemnibus verbis celebratur.* Læuæ locus cuinam aptatus ? Illi, qui post Virginem præcellentissimam, meritis reliquos superet beatos. Gersoo Iosepho Deiparæ sponso dexteram tribuit Deiparæ, tribuens locum huic superiorem : ipsam enim innuit brachiis Dilecti thronum ineffabilem sortitam esse, sicut ferculum sortita *ascendit innixa supra dilectum suum.* Salmeron dexteram Mariæ tribuit ; læuam Baptistæ, Euthymius primas sedes Petro & Paulo tribuit, fatus ; *Dicimus, quòd cum præeminentiam inter Discipulos peterent Iacobus & Ioannes, nunc Christus cathedram à dextris, & sinistris dicit primam inter ipsos sedem, qua Petrus & Paulus digni habiti sunt Principes Discipulorum. Vt qui plus omnibus laborauerunt.*

Ex duodecim sedibus Apostolis præparatis primæ Petro & Paulo adscripta erãt. Euthym.

9. Placet Euthymij expositio. Sedes enim Virgini, aut alij, qui Apostolorum Principes superarit, præparatæ, alterius ordinis innuunt respectum. At Iacobo & Ioanni eas sedes primas Christus abnegat, quibus alij ex Apostolis digniores donati sint à Patre, qui plus laborantibus celsiores sedes præparauit. Illi Apostolorum Principes.

Promissis ergo sedes & abnegat. Negas primas, promittit alias præcelsas à Patre illis etiam præparatas. Ambros.

Sed quibus paratum est à Patre meo. Ambrosius, *Vt ostenderet, Patrem non petitionibus deferre solere ; sed meritis. Quia Deus acceptor personarum non est.* Vnde sanctioribus Apostolis celsiores sedes præparauit. Meum 10 itaque sedes dare sicut & Pater tribuit. At meum non est ex sedibus duodecim totidem Apostolis præparatis, dare vobis præcipuas, seu eleuatiores, quas aut propinquitatis, aut familiaritatis obiectione petitis ; sed meum est dare illas illis, quibus plus laborantis sunt à Patre meo præparatæ. An id aliquid de Filij detrahit potestate ? Minimè. Imò potestatem habere ostenditur, dum dicitur : *Sed quibus paratum est* reddendi eum Patre sedes. Præparationem enim sedium Patri tribuit, sibi redditionem. Quemadmodum nihil Patri detrahit, quod sedium filio tribuat donationem ; sic nihil detrahit filio, quòd Patri earum præparationem adscribat. Hæc enim personis tribus adeò communia sunt, vt tribui possint, modò vni, modò alteri : dummodò nulla excludatur. Caietanus pulchrè, *Scitote a Patre meo ab æterno distributas iam esse primas sedes alijs dignioribus ; vnde non sitis de his solliciti tanquam vacantibus.* Sed alias præcelsas planè, quas præparauit vobis, curate operibus adipisci.

In Iacobum Maiorem.

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS circa literam.

EX SEDIVM PROMISSIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba :

Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.

Christus Rex Hispanicæ Fidei, ac Imperio consulens, non dat Iacobo sedere ; vt continuò Protector stans ostendatur.

Vbi innuitur, bellum aduersùs fidei impugnatores esse maximè commendabile.

Iacobi militia commendatur.

11. NON *est meum*, qui Regnorum fidelium præcipuè clauum teneo, dare tibi *sedere* nec ad dexteram, nec ad sinistram in præsenti sæculo. Te enim fidelissimæ Hispaniæ prouidi Protectorem. Fidem incorruptam tutaberis, Regna ab hostium expugnatione defendes, infidelibus profligatis, extinctis. Postulas hoc in sæculo sedere ? Abnego planè. Equitandum tibi, sollicito gressu huc illuc discurrendum ad Ecclesiæ defensionem, ad Hispaniæ fidelissimæ tutelam. Ad Regni etenim mei gloriam spectat, vt defendatur Hispanica gens, è qua innumeris Regnis salus est oritura. Postmodum, mi Iacobe, victoriâ omnino comparatâ, mecum sedebis, æternóque potieris tabernaculo.

Laudatur Machabæorũ militia, quia gentem defenderunt, è qua Iacobus. Iacobi autẽ, quia defendit Hispaniam, è qua America Apostoli. Rupert.

12. Cantatissima profectò Machabæorum militia. Armis horribiles, post hostes trucidatos, post innumerabilium hostium extinctionem commendantur à cunctis, ab Ecclesiâ nouâ celebrantur. Quare ? An quia Israelitas defensabant, vnde Apostoli orituri, è quibus Mundus fidei legis gratiæ radiis erat illustrandus ? Ita planè. Rupertus lib.10.de Vict. Verbi cap.25. *Fuerunt isti Machabæi quorum prælijs, & victorijs non quærebatur, vt vlla fieret pressura Mundo : sed vt defenderetur gens, vnde esset ventura salus Mundi.* Digni protsus qui laudibus efferantur illi, qui præliis Mundo minimè nocuere ; sed potiùs defendere gentem illam, vnde noua legis gratiæ salus Mundo ventura erat.

erat. Defenderunt Tribum, è quâ Iacob Dux Hispaniæ potentissimus. Si igitur tam dignâ laude Machabæorum militia, è quâ Iacobus: quàm commendabilis militia ipsius Iacobi, è quâ nulla vnquam pressura Mundi; sed Hispaniæ defensio, *vnde* (Ignatio, Xauerio, Dominico, aliísque potentissimis Ducibus exurgentibus) salus Americæ, Asiæ, Aphricæ, Europæque pluribus Regnis præparata est.

E muro Ecclesiæ Hispanicæ Iacobus iacula miraculorum immisit, vt hostes comminuat. Cant. 8. Gregor.

13. *Si Ecclesia Hispanica* (ait Sponsus) *murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea*, Cantic. 8. Propugnaculum nostrum, militiæ Hispanicæ Imperator Iacobus, qui è muro iaculis miraculorum hostes impugnantes sternit. Gregorius, *Super hunc murum propugnacula ædificantur; quia non vt tantùm se defendat, sed vt impugnantes prosternat, miracula ei* (Iacobo scilicet) *facere conceditur.* Recole Hispaniæ monumenta, si videris Regna nostra ab infidelibus disturbata, & Iacobum non aspexeris equo sublimem, excitaris miraculis, hostibus formidabilem. Testor solummodo Alfonsi pugnam, Iacobi victoriam, quando, paucissimis Christianorum desideratis; tot Maurorum copiæ corruere. Defendit igitur Hispanicam Ecclesiam Iacobus, impugnantes prosternens iaculis quidem miraculorum.

Compostellanum templũ Silo, vbi Arca quieuit postquã circumacta est. Nazianz.

14. De Constantinopolitano Templo, post hæresum extirpationem, aiebat Nazianzenus, *Tu nobis fidei doctrinam, quæ adhuc contempta erat, excitâsti. Vale, inquam, communis victoriæ sedes, noua Silo, in qua primo Arcam fiximus in deserto circumactam, incertisque sedibus vagantem.* Compostellanam vrbem (apud quam hæc scribo) sacratissimæ Arcæ, qua Manna Apostolicum, corpus inquam Iacobi reconditur, domicilium compello. *O communis victoriæ sedes!* O fidelis excitatrix doctrinæ! An non Arca illa in desertum circumacta, incertísque sedibus vagans (Lupa Regina primò renuente; annuente postmodùm) apud te diuinitùs sortita est tabernaculum? Audi ex Antonino part. 1. tit. 6. cap. 7. Arcæ huius circumactæ peregrinationem, & requiem. *Discipuli Iacobi nocte corpus eius rapientes, illud deferentes ad maris littus, nauiculam inuenerunt paratam diuinitus, quam ascendentes cum eo, se committentes diuino gubernaculo, ad Hispaniæ oram applicuere. & Compostellam ciuitatem intrantes, in Ecclesiâ fabricatâ ad eius honorem honorificè sepelierunt. Primo autem adierunt Principissam illius Patriæ nomine Lupam pro sepulchro obtinendo Apostolo honorificè. Quæ quæsiuit dolosè variis modis eos perdere; sed, visis circa hoc miraculis, credidit*, &c. *Vale, inquam communis victoriæ sedes*, vel hîc Iacobo sedem postulanti præparata. Datur sedes victoriæ, quia nunquam non Hispania triumphat, ab infidelibus victorias innumeras ex Iacobi patrocinio reportans, sed vt stabilis sedes apud Hispaniam victoriæ exhibeatur, necessum est Apostolum non sedere. Laborat enim, cursitat, discurrit Apostolus vt *communis victoriæ* Compostella Hispanica, & ex illa, tota Hispania sit *sedes.* Victoriæ igitur Dominus per Iacobum sedem præcelsam dedit, quum sedem ipsi Apostolo abnegauit: *Aue communis victoriæ sedes.* Edisce ex præfatis illos laudabiliter exercitus colligi, illud bellum rectè instituti, quod ad fidei defensionem aduersùs infideles impugnatores excitatur.

Anton. *Sedet apud Hispaniam victoria, quia non sedet, sed currit Iacobus.*

Observatio II.

Ad illa verba:

Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis.

Iacobo non locus dexteræ, aut lææ; sed ipse quodammodo Christi thronus præparatus est, nempe vt Iesu alteri.

Vbi iusti gloria innuitur, qui possit verè, Iesus alter, appellari.

PARVM esset, ô potentissime Princeps, à 15.
Christo dilectissimum te, aut dexteræ, aut sinistræ sede donari, si ipsius Christi tibi quodammodo thronus à Patre est præparatus. *Amicus, alter ego?* Ergo Iacobus alter Iesus, amici tabernaculum occupabit. *Non* igitur (ait Christus) *meum, dare tibi sedere ad dexteram, aut sinistram:* cùm præcelsior thronus tibi sit a Patre præparatus.

Antoninus citatus, *Sententiâ Herodis Iaco-* 16.
bus decapitatus est tali die quâ Christus incarnatus est; & eodem die passus est, anno vno integro reuoluto post passionem Christi. Cur eadem die, quâ natus Dominus, Iacobus trucidatur? An nun, quia Christus alter debebat natali passionis, Iesu referre natalitium? Passus item est *eodem die* quo Dominus, vt cuius in gestis gerebat imaginem; eidem & obitus tempore conformaretur; quasi nascente & moriente Domino, Iacobus, vt alter Iesus, cælo nascatur, moriatur.

Iacobus alter Iesus nascitur sine obit, eodem, quo Iesus, &c. Anton.

Christus prædicans Hebræis, & aliquando 17.
Gentibus, non ita plurimos ex illis ad fidem adducit. At Discipulorum ministerio, *sequentibus* quidem *signis*, totum Orbem conuertit. Iacobus autem *anos* Gentiles (loquor cum Monopolitano Episcopo tom. 4) *viuus conuertere non valuit, mortuus diuino conuertit miraculo. In hoc Christo Domino assimilatus, qui per duodecim Apostolos totum Orbem ad fidem adduxit. Ita Apostolus Iacobus per nouem Discipulos totam Hispaniam illuminauit, & conuertit.*

Iacobus in prædicatione Iesu assimilatur. Monop.

Deus Ezechielis ore profatur: *Offerant mihi* 18.
vitulum de armento pro peccato. Et assumens de sanguine eius, pones super quatuor cornua altaris, cap. 43. Authore Hieronymo, Christus vitulus Patri in ara Crucis immolatus. Adiicit Textus, *Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato. Et expiabunt altare, sicut expiauerunt in vitulo*, ibid. Quinam hic caper pro peccato immolatus, cuius sanguine expiatur altare *sicut in vitulo?* Certè alter Christus Iacobus. Audi Hieronymum pulchrè fantem: *Audax est, quod dicturi sumus, sed tamen aliorum simpliciter ponenda sententia est, qui aiunt, Hœdum immaculatum post passionem* Hieron.

Christus patiens Iacobus videtur. Ezech. 43.

Dom.

Domini oblatum ad altare Domini esse Iacobum. Iste Iacobus est, qui transformatum Dominum vidit, quem interfecit Herodes, & quasi hædum immaculatum post passionem Saluatoris in die immolauit secundâ. Id est, proximo à passione Dominicâ anno. Vt scilicet vertente tempote, anno secundo celebretur Iacobi passio, ac si Iesu passio coleretur. Quia si sanguis vituli pro peccato profunditur, sanguis hirci pto peccato profusus esse asseritur. *Et expiabunt altare, sicut expiauerunt in vitulo.* Celebrato itaque passionis Iacobi solemni, quasi Dominicæ passionis dies celeberrimus instauratur, qoia Iacob alter Christus ostenditur, imò Dominus quodammodo, ipse præsentatur.

Iacobus fulgur Christum fulgur imitatur. Marc 3. Hieron.

19. Lego Iacobum tonitrui filium à Domino appellatum. *Iacobum Zebedei, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitrui.* Marc. 3. De tonitrui filio Iacobi Iub Dominus: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus.* cap. 38. Vbi Hieronymus: *Fulgura à Deo appellantur, quia isti a Deo mittuntur, vt prædicatione Euangelij Mundum illuminent; quibus Dominus ait, Estis lux Mundi.* Sic de duobus fratribus Doctor. Id quod singulariter ad Iacobum allicies. Fulgur à Deo appellatur Iacobus, quia iste à Deo mittitur, vt prædicatione Euangelij Hispaniam illuminet. An non ex hoc Christo assimilatur? *Sicut fulgur* (ait Dominus) *exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, sic erit aduentus Filij hominis.* Matth. 24. Vtitur Christus fulguris similitudine, vt velocitatem aduenrantis secundò exprimat, aut vt aduentûs futuri in Gentiles Apostolorum ministerio exprimatur agilitas. Sic Iacobus vnius anni curriculo percurrit Hispaniam fulguris gressu. Matt. 24.

Iacobus, instar Domini, non lucet, sed sub dio. Apoc. 21. Beda.

20. Annis triginta occultus Dominus apud Matris domicilium, neque in Iudæâ agnoscebatur. Prodijt io lucem totum Orbem collustrans. Haud aliter Iacobus. Ioannes celebrat fratris gloriam: *Fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorũ.* Ap. 21. Ad quę Beda: *Tertius lapis Chalcedonius, quasi ignis lucerna, pallens specie renitet, & habet fulgorem sub dio, non in domo. Iacobus domi quidem non videbatur habere splendorem, quia piscator erat; sed vbi ad prædicandum exijt, mirè Mundum illustrauit, primùm doctrinâ, deinde sanguine.*

Post mortem illuminauit Iacobus Chalcedonius Hispaniam, factus stellâ cadauere. Beda.

21. Addit Doctor: *Sed & post mortem illuminauit Hispaniam reliquijs sancti corporis sui, & fide, ac pietate; quam illi impetrauit.* An non *Chalcedonius, quasi lucerna, fulgorem habens sub dio, non in domo?* Quonam modo igitur corpus Iacobi sepulchri domo, aut Templi Tabernaculo inclusum, *Hispaniam illuminauit?* Quia apud sepulchrum Chalcedonius, non iam lucerna lampadis, sed stella fulgentissima ostentatur. Stella illa, à quâ *Campus Stellæ* illuminatio est occumbentis Iacobi. Sub dio est, quando corpus eius domi recluditur. Haud opus ad campum procedere corpus, loco addictum sepulchri. Stella est, Hispaniæ lucem præstans, ad hostes profligandos, comminuendos. Ait Delbora: *Stellæ manentes in ordine suo contra Sysaram pugnauerunt,* Iud. Quid stellæ in ordine manentes? Carthusianus asserit alludi ad Iosue victoriam, quando stante Sole & Lunâ quinque Reges periêre. Haud sic (clamat illa) accidit victoriæ nostræ. Pugnauere quidem pro nobis stellæ non consistentes, sed communi currui addictæ, triumphum ex pugnâ reportârunt. Mauris expugnantibus Hispaniam, cadauer Iacobi stella fulgentissima, haud è sepulchro prosilit, vt fugiat, quemadmodum reliquæ Diuorum reliquiæ ad tuiota loca properârunt; sed domi reclusa, modum solitum seruans sistendi, tenebras infidelium ablegauit, hostes comminuit. Nec deceret Patriæ Diuum à patriis finibus exulare. Simulacris cunctis ex finibus Vrbis olim recedentibus; solus Terminus, cuius patrocinio termini Romæ subiacebant, immobiliter apud Templum perstitit, vsque ad hostium extinctionem. Terminus noster terminorum Hispaniæ custos, haud deseruit Hispaniam, haud à sepulchri Tabernaculo aufugit; sed inde fulgentissima stella pugnauit, donec Hispania pace donaretur. Iustorum hinc commendo fælicitatem, queis datum non solùm Dominum imitari; sed eum ita referre, vt alter Christus eorum quisque possit appellari. Iud.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Non est meum dare vobis, &c.

Quàm ex Peregrinis Iacobus illustris!

Vbi peregrinationum piarum institutiones commendantur.

Datur Iacobo mortuo hic sedes Regni, dum Regna cuncta ad suum affert obsequium. Pasch. Euthym.

RASCHASII & Euthymij memoro expositionem: *Non est meum dare gratis primam sedem*; sed reddere dignis. Laboribus sedes comparandæ: *Calicem meum bibite.* O Iacobe, meæ passionis imitatori tibi dabo sedem, sed persoluam. Postulas in Ecclesiâ Principatum? Meritam sedem reddam tibi; Promissis ne stetit? Profectò si Principum est subditas habere Prouincias, ea sedes datur, seu redditur Iacobo, è quâ Regna, Prouincias, Nationes, ad suum compellat-ne, an alliciat obsequium? 22.

Aiebat Nazianzen. de Templo Constantinop. *Vale communis victoriæ sedes.* Appositè, ô Templum Iacobi, ô sanctissimum Compostellanum Delubrum, ô fortissima Imperatoris exercituum Hispanorum turris! Communis victoriæ, seu potiùs semper Victoris sedes, eius scilicet, qui Christum imitatus, semper vincens exit, vt vincat. Datum Iacobo mortuo (dicerim aptiùs dormienti) sedere, dùm Thronum hunc sortitus est. An non Regni accepit possessionem? Imò Rex Regum quodammodo ostentatur, dùm vniuersa Regna ad suum affert obsequium Antoninus patr. 1. tit. 6. c. 7. *Stupenda exstitit deuotio fidelium infusa mentibus in visitando limina eius; quam etiam sic suam Ecclesia ita firmauit, vt nullus in huiusmodi voto citra sedem Apostolicam valeat dispensare.* Num non ap- Naziànz. Antonin.

paret Regem eſſe Iacobum, cui, tributi neceſſarij in morem, vota indiſpenſabilia ab inferiori Præſule impenduntur?

23. *Mortuus, siue dormiens Iacobus, piscator est Regnorum, ea ad suum sepulchrum asserens.* Plutarch.

De Duce Timotheo Plutarchus ſcribit, lecto depingi cubantem, retibus è manu pendentibus, quibus Regna, Prouincias, Nationes illigabat, hic quidem inſcriptione: *Si tanta, vel dormiens, conficio, quid excitatum me facturum putatis?* Illud expendo: *Tanta dormiens conficio.* Vidiſti-ne Regnorum omnium innumeros ciues ſexus vtriuſque vſque ad ſepulchrum Piſcatoris confluentes? Piſcator noſter Timotheo dormiente fortior. Ille illigabat, ne fugerent horribilem hoſtem; hic illigat, vt ſe offerant vltrò ad obſequium.

24. *Compensauit Deus honoribus corpori Iacobi exhibitis vitæ illius breuitatem.*

Querebar aliquando Iacobum tàm illicò à morte peremptum. Siquidem vix Sol ſplendidiſſimus, Apoſtolus, inquam, vnius anni curſum conſummauit poſt Domini mortem, cùm in breui ipſe conſummatus, multa tempora explens, Herodis eſt gladio trucidatus. An tam exiguo temporis interſtitio laborans poſſit cum Paulo proclamare: *Plus omnibus laboraui?* Illud mihi compertum, diuinam munificentiam vitæ breuitatem magnificâ gloriâ compensâſſe. Victus ab Apoſtolis, quoad vitæ diuturnitatem, quam glorioſiſſimæ victoriæ comitarentur; ſed omnium ſepulchra circa honorem ipſis impenſum victa omninò ab vnico Iacobi Compoſtellano monumento. Pulchrè Antoninus Vbiſ. *Quod minus cæteris Apoſtolis illi in vitâ collatum fuit honoris & gloriæ à fidelibus, propter breuitatem eius; hoc quaſi diuina munificentia suppleuerit, poſt mortem eius pluſquam Apoſtolorum aliorum omnium viſitatis & honoratis reliquijs.* Antonin.

25. *Quàm gloriosum Iacobi sepulchrum?* Isa. 11.

De Iacobi ſepulchro accinit Iſaias: *Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Cap. 11. Confluunt ad Ieſſe filium, Chriſti conſobrinum Iacobum dormientem, cunctæ Nationes, vt ſepulchrum eius gloriâ ornatum appareat. Bonauentura term. 2. Iacobi: *Ad ſepulchrum corpus Beati Iacobi eſt delatum, & non fuit fœtidum, ſed odoriferum; non deſpectum, ſed glorioſum, vt nullus vnquam Regum habuerit ſepulchrum ſic ab hominibus honoratum. Vnde benè eſt dictum: Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Bonau.

26. *Maria primam ad Iacobum peregrinationem instituit, ciuis tanti Regis facta.*

Ex obſequio igitur, quod Iacobo cunctæ impendunt Nationes, glorioſus ipſe apparet. At immenſum gloriæ pondus Apoſtolo adijcitur, dùm *Regina Regnorum* Maria, primam quaſi ad Iacobum peregrinationē inſtituit. Recole meo tom. 3. lib. 3. Cæſarauguſtæ hiſtoriam, cùm Deipara adhuc ſuperſtes Apoſtolum noſtrum inuiſit, peregrinos tot exemplo ſuo ad Iacobum adducens. Olim Saba Regina Ieroſolymam inuiſura Salomonem aduenit. De quâ peregrinatione ſic Iſidorus Alleg. ad 3. Reg. *Venit Regina Saba ſui populi oblita, in aperto peregrina; ſed in occulto Sanctorum fieri ciuis exoptabat.* Iam, Beatiſſime Apoſtole, te Deus prima ſede donauit, petito Regno frueris, ſi Regina Regnorum, cui prima ſedes ætherea præparata eſt, te peregrina in aperto inuiſit, curans in occulto ſe ciuem tuam aſſignari, tuóque quodammodo imperio parére, vt alios ad ſe trahat. Isid.

27. Quonam autem fructu tot ad Iacobum dormientem confluunt Regna adoratura Piſcatoris cadauer? Innumerabilia prorſus beneficia, quibus peregrini a Iacobo afficiuntur. Vnum ſolummodo ex ore Antonini citati ſubiiciam, à quodam Gallo peregrino acceptum. Regna enim Francorum Iacobo ſpeciali addicuntur affectu. *Quidam de Lugduno deuotus multum ad Apoſtolū pluries viſitabat limina eius. Semel autem cum peregrinationē huiuſmodi inchoâſſet, nocte in fornicationem incidit. Poſt quod diabolus ei apparens in formâ Sancti Iacobi dixit: Ego ſum Apoſtolus Iacobus, ad cuius ſepulchrum ſæpius acceſſiſti: ſed non eſt mihi grata peregrinatio, quia fornicatus es, nec cōfeſſus. Et oportet te domū redire, & confiteri peccatum tuum, & poſtea in puritate conſcientiæ iter perficere. Quod ille totum credidit, & reuerti diſpoſuit. Sed iterum dormienti apparuit diabolus, dicens peccatum illud per confeſſionem dimitti non poſſe, niſi ſe ob eius honorem occideret. Quod, ille euigilans, totum à Beato Iacobo reuelatum exiſtimans, ſe occidit. Socij autem euigilantes, & occiſum videntes, timentes ne caperentur, vt ſceleris rei fugerunt quam citiſſimè. Cum autem pararentur exequiæ eius, ſubitò ille reuixit, & cœpit narrare cunctis modum mortis ſuæ, & deceptionem diaboli. Addens, quod cum anima recedens à corpore feſtinanter à dæmonibus portaretur, ad inferos perducenda propter ſui homicidium, Beatus Iacobus ſequebatur eos, increpans dæmones de hominis fraude. Venientes ad quoddam pratum, inuenerunt Virginem glorioſam Domini Matrem, cum multis Sanctis ibi manentem. Et cùm Iacobus querelam poneret coram Virgine de hominis fraudulentiâ à diabolo erga ſuum deuotum patratâ. Virgo diabolum increpauit, & in abyſſum ire mandauit, & ipſum vitæ reſtituit, & ſaluti. Remanſerunt cicatrices vulnerum ad fidem miraculi aſtruendam.* Sic Florentinus Præſul. Peregrinationum hinc ſalutarem commendo inſtitutionem.

Peregrini Iacobi ab Apoſtolo muneratur. Antonin.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Non eſt meum dare vobis.

Non datus, ſed redditus ob egregia merita Iacobo Principatus.

Vbi oſtendo Eccleſiæ Præſulatus merita ſequi debere.

Aiebat Cyrillus Alex. lib. 10. Theſ. cap. 5. *Iuſtus ſum Iudex* (Dominus ait) *& honores ſingulis, quos per gratiam offero, quaſi debitos laboribus, virtutibúſque ſuis, diſtribuo.* Petis, Iacobe, tibi dari Principatum? Non eſt meum iuſti Iudicis dare tibi, ſed debitum quodammodo ſoluere; Principatu tibi fortiſſimo debito, potieris. 28. Cyrill.

29. *Iacobus efficitur Princeps, dum primus properanter exurgit ad bellum.* 1 Par. 10.

Dùm expugnaretur Iebuſæorum aſylum, aſcendit primus Ioab, & factus eſt Princeps. 1. Par. 10. Et cur Princeps Dauidici exercitus effectus? An quia Dauidis familiaris? An quia de præcelſa Tribu? An quia diuitijs clarus, aut munere militari

militari splendidus? Minimè: sed quia *primus ascendit*, ad concertationis pericula subeunda. *Το primus* diligentissimi strenui militis, properantiam adnotat. Primus ascendit, & breui temporis interstitio sibi gloriam; Dauidi victoriam comparauit. Sic ex mente Chrysostomi.

Par. 10.

De Iacobo Antoninus: *Hic igitur post aduentum Spiritus sancti ad Hispaniam accessit ad prædicandum; & reuersus est Ierosolymam.* Accessit, & reuersus est? Ergo Gentiles minimè debellauit. Profectò Iacobo illud Cæsaris veraciùs adscriberetur: *Veni, vidi, vici. Ascendit primus* Iacob, & illud ipsum accedere ad Hispaniam, fuit equidem illam expugnare. Velocissima peruolat victoria; sed tàm diuturno fidei triumpho, vt asserat Monopol. Episcopus: *Quod de Iacobo magni faciendum censeo, illud est, quod Hispaniam primùm per se* (ascendit primus) *perambulans, & prædicans, quam semel illa recepit lucem, non deseruit. Alij Apostoli, licèt admirandâ virtute, & prodigijs, vnusquisque quam sortitus fuerat Prouinciam, ad fidem conuertisset, tamen non multo pòst tempore ad cultum dæmonum se conuertit. At Hispania postquàm semel recepit fidem; ab eâ non discessit: sed qui erant tenebræ, facti sunt lux in Domino, vt filij lucis ambulantes.* Factus itaque Princeps, quia primus surrexit in Hispaniam, tantóque accessit militari igne accensus, vt subitò ills conflagrârit, Iacobúsque vincens Ierosolymam reuerteretur.

Antonin.

Quam constanter Hispania Iacobi alumna fidem retinet, quam tàm breui tempore à Iacobo est edocta.

Episcop. Monopolit.

30. O quantâ sanctitatis gloriâ Apostolus Principatum acquisiuit! Iosue Iericuntinos agros peragranti inquit Angelus: *Solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas terra sancta est.* Cap. 5. Et vndenam terra deserta illa sanctitudine donata est? Respondet pulchrè Origenes hom. 6. *Quia quocumque venerit Princeps militiæ Domini, sanctificat locum.* Tàm sanctus Dux militiæ Christianæ Iacobus, vt cùm primùm ad Hispaniam accedat, illud ipsum accedere, sit illam sanctificare. Vnde clamare possit Archangelus, cui Hispaniæ commissa custodia: *Solue calceamentum de pedibus tuis, &c. Quocumque enim venerit Princeps militiæ Domini, sanctificat locum.*

Quocumque Princeps Iacobus venit, terra sancta illicò redditur.

Ios. 5.

Orig.

31. Nec mirum, si Rubo inter flammas minimè conflagranti, apud Hispaniam mox accedens, desertum consecrauit. Testor sacertimum Cæsaraugustanum Virginis delubrum ab Apostolo exædificatum. Si accedens Iacobus ad Hispaniam adeò sanctificat terram, vt Rubus Marianæ protectionis & deuotionis in ea exoriatur, mirabiles fructus germinaturæ, quid mirum Iacobo Mosi militiæ Domini Imperatori indici. *Solue calceamentum de pedibus tuis; terra enim in quâ stas terra sancta est.* Exod. 3. *Cùm videret Apostolus* (loquor cum Antonino) *gentem Hispanicam doctrinam eius non accipere; nam tantùm duos ad fidem conuertit, reuersus est Ierosolymam.* Vndenam ergo tàm mirabilis postmodùm fructuum germinatio? An non satis Iacobum accessisse, vt sanctificationis semine fœcundaret? Ita planè: *Quocumque venerit Princeps militiæ Domini, sanctificat locum.* Non dixerit, quocumque pugnaturus, aut audiendus, & recipiendus venerit: sed solummodò, *Quocumque venerit, sanctificat locum.*

Non mirum, si Mariæ Rubum mox Iacobus in Hispaniâ plantauit.

Exod 3.

32. Audi nostri Principis inaugurationem Sauli futuro Israëlis Principi sic Samuel: *Hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in Principem. Cùm veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.* 1. Reg 10. Vbi Antonius Paduens. serm. de Domin. 2. Quadrag. hinc Principatûs Iesu signa rimatur, Transfigurationis solemni. *Petrus Pastor hædos affert, Ioannes amore flagrans, meri lagenam ostentat. Iacobus autem tres tortas panis adducit, id est, triplicem suauitatem mentis, quæ cordis superbiam reprimit, carnis petulantiam restringit, Mundi auaritiam abijcit.* Principi perfectissimo Christo Iacobus obiicit gesta, queis veraciter exurgat in Principem. Annon eisdem aptus ad Principatum ipse ostentatur Apostolus? His certè operibus non datur; sed soluitur debitum Regnum.

Virtutes Iacobi ad ipsius Domini principatum apto ostenduntur quodammodo, quid principatum Apostolicum?

1. Reg. 10.

Anton Paduens.

Petro & Andreæ Dominus: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Nil simile Iacobo ac Ioanni dixit; sed *vocauit eos. Illi autem relictis retibus & patre secuti sunt eum.* Matt 3. Vbi pulchrè Chrysostomus hom. 14. in Matt. *Faciam vos fieri piscatores hominum Petro & Andreæ promisit. Iacobo verò nihil tale pollicitus est. Vocauit eum: ille autem relictis retibus & patre secutus est eum.* Plus reliquit Iacobus, qui non solùm retia, sed & patrem reliquit, vt liberior Dominum sequeretur. Cur ergo vt relinquat non ei promittitur celsioris piscationis ministerium, sicuti Petro & Andreæ? Profectò Iacobus, dùm viam perfectionis instituit, iam perfectus ostenditur, qui spoliis non indigeat. 33.

Perfectissimus ostenditur Iacobus primo gressu, dignus principatu.

Matt. 3.

Chrys.

Postmodùm Magister iam perfectis Discipulis ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Matt. 16. Et quare post Crucem, & abnegationem non eis præmium Regni accipiendum obiecit? Respondet Ambrosius lib 3. de interpell. cap. 12. *Imitatores Christi* perfecti vtique, *non propter spem boni sunt.* Certè non ob præmij spem operantur; cùm iam perfecti, Domini studuerint imitationi. At ante imitationis curam primo viæ spiritualis gressu adeò perfectum esse, vt sine spe præmij quis operetur, solius Iacobi sit, qui vel affectu primo ad virtutis & perfectionis viam capessendam, dignus est Principatu. Vnde Petro & Andreæ dicitur: Faciam vos fieri piscatores hominum, id est, Ecclesiæ Principes. Iacobo autem non dictum de futuro, *Faciam*: illud enim ipsum, retia & patrem tàm generoso affectu dimittere, Principatu iàm potiri proculdubio fuit. 34.

Iacobus instituens perfectionis viam, iam perfectus ostenditur, haud ex spe operans: vnde mox Principatus ei datur, non promittitur.

Matt. 16.

Ambros.

Iam à cunabulis perfectionis viæ Iacobus Princeps ostenditur à Domino, præmium illi non promittente. *Glorificauit* (de Mose Ecclesiasticus) *illum in conspectu Regum.* Cap. 25. Vbi Bonauentura serm. de Iacob. *Rectè per Moysem Beatus Iacobus intelligitur, quia vterque ex aquâ assumptus est, vterque in filium adoptatus: sed Moyses à Pharaonis filiâ, Iacobus à diuinâ sapientiâ. Vterque Princeps Dominici populi factus est.* Moysem Pharaonis filia educandum suscipiens, diuturnum exhibuit magisterium. At sapientia Dei velociùs suum instruxit alumnum, si Moyses post plures annos euolutos. Iacobus autem illicò 35.

Educatus Iacobus à diuinâ sapientiâ, velocior Mose exurgit in Principem.

Eccl 25.

Bonau.

Princeps

Princeps est effectus. Constat igitur Ecclesiæ Principatum egregia opera comitari.

Observatio V.

Ad illa verba:

Non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.

Ad dexteram sedit Iacobus, primam sedem occupans, dùm Apostolorum primus Martyr occubuit.

Vbi cuiusvis virtutis Magistros maximè commendabiles ostendo.

36. IN prima sedes Iacobo adscribenda Martyri Apostolorum primo? Ideò Dominus: Non meum dare tibi primam Martyrum Apostolicorum sedem, quæ iam à Patre tibi est præparata. De Iacobo canit Ecclesia: O *lux & decus Hispaniæ, Sancte Iacobe, qui inter Apostolos Primatum tenes, primus eorum Martyrio laureatus!* En prima sedes adscripta Iacobo: *Primatum tenes!*

Iacobus inter Apostolos, primus sedet, exhibens cunctis Martyrij magisterium. Ambrof.

Sedet certè Iacobus inter tres, Petrum,
37. Ioannem, & Andream, imò inter cunctos Apostolos è cathedrâ, primariâ quidem sede cunctis Martyrij exhibens magisterium, non doctrinam. Iacobus enim edocet (fari sic liceat) Apostolos, non solùm pro Christo moriendi formam; sed docendi alios Martyrij fortitudinem præcepta tradit. De fortissimo Machabæo Eleazaro sic Ambrosius lib. 2. de Iacob. cap. 20. *In moriendo tormentis factus est cæteris magisterium perseuerantiæ.* Non solùm Magister, sed magisterium, dùm fratribus fortissimis Ducibus præcepta moriens primus tradit, quæ illi alios possint edocere: *Magisterium perseuerantiæ.*

Cur existimas Deum permisisse Iacobum,
38. adeò Ecclesiæ imbuendæ necessarium, tàm citò occidi ab Herode? Vt huiusmodi magisterium perseuerantiæ Apostolis cunctisque Martyribus exhiberet. Reliqui Apostoli diu superstites milites imbuant Discipulos. At Iacobus, qui Magistris exhibuit magisterium perseuerantiæ alijs tradendum; illicò moriatur, suum quippe impleuit ministerium. Bellè Chrysostomus hom. 26. *Idcircò occidi permisit ab Herode etiam Principem Iacobum.* Quia scilicet moriens primus, iam diuturnum, imò æternum Ecclesiæ fructum germinârat.

Permisit Deus Iacob. tàm citò necari, quia iam abundè impleuerat minister suum, Magisterium edocens Martyrium. Chrys.

Tò etiam premo. Nam Chrysostomus præmiserat præmaturam Stephani mortem; fuit enim Leuita, tàm necessarius miles Ecclesiæ nascenti protegendæ, illicò lapidum vi a viuis relegatus, à cælesti Curiâ exceptus. Et cur permisit Deus tàm necessarium Ducem tàm propere trucidari? Iam certè egregium suum impleuerat ministerium, tradens Martyribus magisterium constantiæ. *Idcircò occidi permisit etiam ab Herode Principem* Iacobum, qui tàm necessarius Ecclesiæ protectioni. 39.

Sic Stephanum citò occidi permiserat. Chrys.

Adscribitur ergo primo Apostolorũ Martyrij Magistro prima sedes. Ambros. lib. 9. in Luc. *Iacobus primus ex Apostolis conscendit Sacerdotale solium.* An quia primus Sacerdos? Minimè. Sed quia primus Martyr, sic exponit meus Antonius Paduens. serm. 1. de Quadrag. *Loquitur Ambrosius de solio Sacerdotij æterni, quia primus inter Apostolos occisus est ab Herode.* Primus ergo occisus primam sedem debuit occupare. 40.

Ideò Iacobo prima sedes adscribitur. Ambros. Anton Paduens.

Igitur Iacobus postulans Regnum à Magistro, iam coronâ stipatur, dùm ei conceditur primum Apostolorum sanguinem profundere. 41.
An non Stephano debetur corona Regni Martyrum? Audite Chrysostomum: *Habeat in nomine coronam Stephanus: Stephanus, qui bellum, in quo se exercuerat nemo hominum, vita manifestauit, qui pugnam quam nemo docuerat, Mundo patefecit.* Habeat & Iacobus, non solùm in nomine, sed in gestis coronam, Regno petito potiatur, primæ addicatur sedi, qui bellum, in quo se exercuerat Apostolorum nullus, Collegio Christi manifestauit. Hinc edisce, quàm digni præstantissimo præmio sint; qui fidelibus alicuius egregij facinoris exhibent magisteria.

Dignus ideò donari Regni coronâ sicut Stephanus. Chrys.

PARS

PARS SECVNDA.

Iacobi Translatio.

Paraphrasim & Commentarios literales ad Caput vigesimum Matthæi perquire Libro hoc, Part. 1.

PANEGYRICI MORALES CIRCA literam.

IN IACOBI TRANSLATIONEM.

PROLVSIO.

QVAM verè D. Antoninus 1. p. tit. 6. cap. 7. profatur! Quod minus cæteris Apostolis in vitâ collatum fuit honoris, à fidelibus propter breuitatem eius vitæ; hoc quasi diuina munificentia suppleuerit post mortem eius, plusquàm Apostolorum omnium visitatis & honoratis reliquiis. Profectò supremus honor reliquiarum Iacobi, cadaueris sacerrimi elucescit, cùm asserentibus probabilissimè Authoribus grauis notæ, Deipara Ierosolymis tunc degens, vulneratum nepotis sanctissimi cadauer aquâ diluit, speciebus aromaticis condiuit, & lineæ arcæ aptauit, vt à Discipulis deferretur in nauem, vt ab Angelis Iriæ Flauiæ duceretur in portum. Inibi proculdubio corporis incorruptio, vbi Mariæ sacerrimæ manus aptantur. *Manus mea* (inquit ipsa) *distillauerunt myrrham primam, & digiti mei pleni sunt myrrhâ probatissimâ*, Cant. 5. An non ex trium Patrum mente, myrrhâ cadauera contra corruptionis præparantur iniurias? Ergo manus Deiparæ distillant myrrham, digitique eius myrrhâ pleni contactu illo cadauer Iacobi à mortis iniuriis liberârunt. Haud mortuus Diuus, ô viator: sed aut requiescit dulci somno pressus in tumulo, aut renascitur, primam verso tumulo in cunam. O vitales Mariæ manus!

SECTIO QVARTA.

Mortuus sedet Apostolus.

TEXTVS.

Vers. 20. ACCESSIT ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in Regno tuo.

In Iacobi Translationem
PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS
circa literam.

Ex mortuo Apostolo sedente.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in Regno tuo.

Datum Iacobo sedere post Martyrium ad dexteram Hispanico in Regno Dei, vbi sepulchrum Diui gloriosum, cunctis Nationibus venerabile.

Dominici sepulchri gloria recolitur.

1. *Translationis D. Iacobi historia.*

PRÆMITTAM Apostolici cadaueris Translationis historiam. Compostellanæ Ecclesiæ monumentis traditur Iacobi corpus ex Vrbe Ierosolymâ, per vastissimum pelagus singulari Dei prouidentiâ aduectum ad extremas Hispaniæ oras appulisse. Cúmque in Iriæ Flauiæ (quod est Galleciæ Oppidum, vulgariter *Padron*) portu primùm constitisset, non longè ab eo portu, in loco, qui nunc Compostella dicitur, conditum, ob frequentes persecutiones longo tempore latuisse sacrum hunc thesaurum, Alphonso Rege Legionis diuinitùs indicatum, idem Rex insigni Basilicâ, alijsque Regijs donis exornauit. Ab eo tempore multis magnisque miraculis Iacobi memoria cœpit nobilitari. Ipse etiam gloriosus Apostolus in difficillimis prælijs palam se conspiciendum præbens, Hispanos aduersus infideles pugnantes mirificè iuuit. Quare factum est, vt Hispania Iacobum præcipuum sibi Patronum diuino munere concessum asciuerit, & vsque ad hanc diem in primis coluerit. Cæterùm tanti Apostoli crebra miracula non modò intra Hispanias, sed in omnibus etiam Christianis Prouincijs celebrata fecerunt, vt quemadmodum Ierosolymam ad sepulchrum Domini, & Romam ad Apostolorum limina, sic etiam Compostellam ad Iacobi reliquias vndique confluant, Religionis & voti causâ, ex toto Christiano Orbe peregrini.

2. *Iacobo in sepulchro Chalcedony lapidis typus aptatur.*

Celebrat ergo Compostellana illustrissima Ecclesia suum Iacobum, vnicum Hispaniarum Patronum, habitu duplici nobis obiectum. Nam & sedet in tumulo à cunctis Christicolis Nationibus adorandus vnicus Hispaniæ Protector. Et surgit è sepulchro equo ac ense acerrimus, vt infidelium exercituum copias vulneret, deleat, comminuat. Vno quidem respectu sedens; altero autem non sedens obijcitur. Sedeat igitur hodie, & fundaminis iactæ cælestis Ierosolymæ ostentet speciem. Ex duodecim pretiosis lapidibus, totidem sedentibus Ierosolymæ descendentis è superis, fundaminibus Chalcedonium Beda D. Iacobo Zebedæo aptauit. *Tertium* (ait Ioannes) *Chalcedonius*, Apoc. 21. *Quasi ignis* (Doctor adijcit) *lucens pallenti specie. Illustrauit Mundum, primùm doctrinâ, deinde sanguine; sed & post mortem pallens lapis illustrauit Hispaniam, reliquijs sancti corporis sui, & pace, fide ac pietate, quam illi impetrauit.* Apoc. 21. Beda.

3. *Sepulchrum Iacobi Christi sepulchrum æmulatur. Corporis Iacobi incorruptio, veneratio.* Isai. 11. Bonau.

Sedet ergo pallens Iacobi corpus; sed pallentis in morem Chalcedonij, glorioso rutilat in sepulchro, à cunctis Nationibus adoratum. Ait Isaias de sepulchro Dominico. *Ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Cap. 11. D. Bonauentura serm. 2. Iacobo Apostolo Christi gloriosi sepulchri fulgorem accommodat; *Iacobi gloriosum est sepulchrum.* Vndenam, precor, gloriosum? *Ad sepulchrum Compostellanum corpus B. Iacobi est delatum, & non fuit fœtidum; sed odoriferum, non despectum, sed gloriosum, vt nullus etiam Regum habuerit sepulchrum, sic ab omnibus honoratum. Vnde benè est dictum de Iacobi translato sepulchro: Et erit sepulchrum eius gloriosum, nam & Gentes deprecabuntur.*

4. *Gloriosum Christi, & Iacobi sepulchrum ex sindone sine corpore, quia & Iesus resurgit ad mortem vincendam, & Iacobus surgit ad protectionem Hispaniæ.* Hieron.

Si Iacobi sepulchrum Dominici sepulchri gloriam æmulatur, licet ei aptare quod de sepulchro Christi D. Hieronymus scripsit: *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum; quia ibi erãt Cherubim, & propitiatorium, & Arca Testamenti, Manna, Virga Aaron, & Altare aureum. Non-ne venerabilius tibi videtur sepulchrum Christi, quod quotiescumque ingredimur, toties in sindone cernimus Saluatorem.* Preme particulam: *In sindone cernimus Saluatorem*, Id est, Saluatoris qui iacuit in sindone, memoriâ recreamur. Menti enim obijcimus Dominum, qui mortem sustinens pro hominibus in sindone iacuit, & reliquit sindonem, vt resurgens mortem hominum interimeret. Iam videmus D. Iacobum in sindone iacentem, iam in sindone nudâ contemplamur, quam quidem quotidie relinquit, vt eques deferatur ad Mauros; & pro creditâ sibi Hispaniâ pugnaturus, eas Orbis terrarum oras percurrat, vbi Hispanicus inuenitur exercitus cum Christiani nominis hostibus decertare, vel vbi infideles subditi rebellione excitatâ, obedientiæ iugum superbissimo excutiunt è collo.

5. *Sepulchrum Iacobi ab omnibus Nationibus honoratum.* Hieron.

Fatur Hieronymus, idem Christi sepulchrum gloriosum futurum à Prophetâ prædicari, *quia ab omnibus hominibus honoratur. Et erit*

erit, inquit Vates, requies eius honor, quod scilicet sepultura Domini locus esset ab omnibus honorandus. Iam Iacobi sepulchro aptaui Hieroglyphicum de Duce Timotheo expressum à Plutarcho sub specie hominis dormientis, & retibus ad se trahentis Nationes. Piscator Iacobus visus mihi non omnino retes reliquisse, siquidem in sepulchro dormiens, Nationes expiscatur.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram, & vnus ad sinistram in Regno tuo.

Sedens in tumulo Iacobus, ditionem Hispanicam pace donat, cunctis hostibus superatis.

Vbi innuitur, quantum Regnis, ac Vrbibus muniment ex Reliquijs Sanctorum.

6. SEDIT certè Iacobus in throno sepulchri, in pace requiescit, vt bello pac donare Hispaniam. Et quidem Dauid cogitans aliquando *de pace belli*, monet bello pacem tuendam. Diuus Iacobus in tumulo iacet armis cinctus, vt solo Hispaniam pacificet aspectu cunctis hostibus superatis.

7. De Duce Timotheo (vt superius dedi) asseruit Plutarchus sub specie armati Militis expressum fuisse retibus Nationes illigantem, hoc titulo: *Si tanta vel dormiens conficio, quid excitatum me futurum putatis?* Sæpè Iacobus assolet excitari ad Hispaniæ protectionem. Nam cùm aduersùm Regna Hispanica bellica insonant instrumenta, quasi strepitu excitatus Hispaniæ Protector equo enséque acerrimus prosilit in campum. Attamen, me authore, non inferiori fortitudine Apostolus iacens in sepulchro cunctas Nationes vi suâ continet illigatas, ne se ad certamina expediant. Hoc innuit Beda, fatus: *Post mortem illustrauit Hispaniam reliquijs Sancti corporis sui, & pace, quam illi impetrauit.* Idem enim est, Hispaniam corpore Iacobi potiri, ac pace donari. Hispania vndique ingruentibus hostibus agitatur? Patris punientis flagella sunt, non obdormiuit Apostolus, *nec dormitauit, neque dormiet qui custodit* Hispaniam. Quàm citò belli strepitus conticescet!

Iacobus vel dormiens de hostibus triumphat non minori fortitudine, quam cum equo enséque acerrimus dimicat.

Plutarch.

Beda.

8. Fatur Petrus coram Hebræis, *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid: quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in præsentem diem,* Actorum 2. Vbi Chrysostomus, *Liceat inquit audacter dicere apud vos de Patriarcha Dauid, Non dixit de Dauid simpliciter, sed de Patriarcha, quoniam sepultus est apud nos.* Apud cunctas Nationes nobis liceat Hispanis audacter profari: *Estaremos seguros*, quia Iacobus mortuus est, & sepultus: & sepulchrum eius apud nos est vsque in præsentem diem. Profectò nec Iacobus solummodò vocitandus, sed *Patriarcha* Iacobus, Protector Hispaniæ Diuus Terminus, cui Hispaniæ fines protegendi committuntur.

Hispani securitate fruimur, quia Iacobi sepulchrum apud nos est. Act 2.

Chrysost.

Iacobus Hispanorum Pater.

9. Fatur Diuus Augustinus lib. 18. de Ciuitate, cap. 5. Ægyptios Apim cæli Dominum sub dormientis viri specie venerari: apud quem quidem idolum nomine *Arpocrates digito oris impresso silentium indicens* ostentatur. Ac si diceret mutus: *Ne suscitetis Diuum.* Si calamitatibus premimur, si bellis fatigamur, quomodo opem adlaturum Numen non excitabimus? O modicæ fidei! Vel dormiens Apis valet opem ferre, vt à cunctis incommoditatibus euamini. Iacobus dormit, & perimus? O Apostole surge, quare obdormis Domine? *Ne suscitetis*; vel dormiens valet opem ferre.

Dum dormit Iacobus vigilat ad nostram protectionem, valuit Apis. August.

10. Ascendente Domino nauiculam aliquando, *Secuti sunt eum Discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum Discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*, Matth. 8. Adhuc coniacens dicit eis Iesus, *Modicæ fidei*, quid timore corripimini? Priùs quam surgat pelago imperaturus, Discipulorum timorem taxat. *Non enim* (ait Chrysostomus) *decentem habebant de ipso opinionem; poterat namque etiam dormiens eos liberare. O modicæ fidei, quid timidi estis?* Quia periculis ingruentibus Iacobus coniacet in sepulchro, ô Hispani, speciem exhibens dormientis, existimatis, omnino deserendos? Non decentem de Patrono vnico vestro fouetis opinionem. Potest enim etiam dormiens liberare. Surget illicò, & imperabit ventis, magnáque Christianus Orbis tranquillitate potietur. *Facta est tranquillitas magna*, quia magna Diui potestas ad bella comminuenda. Anselmus, *Magna potestas, quia de magnâ tempestate fit magna tranquillitas.* A te ô potentissime speramus Hispani, & Galli etiam toti à te expectant, illicò magnâ tranquillitate frui.

Dum periculis agitantur Hispani magna fidei, sperent à dormiente Iacobo se liberandos. Matth 8.

11. Num quia non videmus Apostolum equo & ense acerrimum hostes vulnerantem, sed dormientem contemplamur in tumulo, de pace desperamus? Stellæ quidem siue percurrant æthera, siue manentes firmiter loco hærescant, suum terricolis impendunt influxum. Iacobus stella est Hispanorum semper protegens siue circulis cælestibus agitetur, si-

Vis omnium Planetarum in Iacobea stella, sed præcipuè est Mars suo in ordine pugnans.

Iud. 7. ne octauo requiescat in Polo. *Stellæ manentes in ordine suo*, (cecinit illa) *contra Sisaram pugnauerunt*, Iudicum 7. Manentes stellæ pugnauerunt in ordine suo? Ita planè, quia manentes influxus militares hominibus immittebant. Liceat ludere verbis, Stella Iacobus manens in sepulchro, pugnauit *in ordine suo*, Equitibus Iacobeâ Cruce rubricatis influxum fortitudinis immittendo, ad præclara facinora excitandâ. Audisti Diui Iacobi vrbem felicissimam, sanctissimam hoc nomine insigniri: *Compostella*, seu *Campus stellæ*? Aliquando fulgurante inibi stella fulgentissimum Iacobi Corpus inueniendum indicabat, siue aptiùs Diuum Iacobum stellam cælestem asserebat, cuius influxu Hispani viuimus, roboramur. Quamnam ergo stellam Iacobum existimas? An Luna Apostolus? Certè qui vnius anni breui circulo illustrauit Hispaniam, & reuersus Ierosolymam, Martyrio coronatus est, aptè Lunæ velocissimæ symbolo exprimitur? An Mercurius? Profectò alatus Diuus Hispanis Euangelij pacifici nuntium attulit. An Venus? Equidem pietatis amorem, dulcissimam erga Deiparam dilectionem in cordibus fouit Hispanis. An Sol? Gentilicam Hispaniam ab idololatriæ tenebris eripuit. An Iupiter? Tonitrui filius à Domino vocitatur. An Saturnus? Fecit aurea ad Hispaniam Regna Saturnia redire. Attamen Martis stellam conuenientiùs Iacobum appellarim bellis nostris præpositam, nunquam non influxus fortitudinis præstantem, & quando pacifica moratur in thalamo, & quando bellifica ostentatur in equo.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram, & vnus ad sinistram in Regno tuo.

Sedens in tumulo Iacobus fidem & pietatem, quam Hispaniæ viuens impetrauerat, fouet, roborat.

Præcipuum Protectoris cuiusuis munus, suos in fide ac pietate roborare, edocereq; Mysteria.

12. PORRO sedentis Apostoli in tumulo alter effectus est, fouere, ac roborare fidem, ac pietatem, quam viuens impetrauit Hispaniæ. Beda, *Sed & post mortem illustrauit Hispaniam reliquijs sancti Corporis sui, & fide, ac pietate, quam illi impetrauit.* Nunquam sanè luminare fidei extinctum in Hispaniâ; hæreticorum tenebræ, quæ

Beda.

Nationes multas obcæcarunt, Hispaniæ fulgorem non potuerunt extinguere, quia stella Apostolica nunquam non fidelissimum fulgorem spargit. Dormit Iacobus in tumulo, & Hispania vigilat in fide, degit in pietate. Potest enim profari Apostolus.

Ego dormio, & cor meum vigilat, Canticorum 2. Vbi D. Ambrosius Epistol. 60. *Est Sanctorum somnus etiam operarius, secundum quod scriptum est: Ego dormio, & cor meum vigilat. Secundum quod Iacobus sanctus diuina dormiens videbat mysteria, de cælo ad terram acrem portiuum Sanctus, respicientem Deum, & pollicentem terræ eius possessionem. Itaque somno impetrauit, quod magno labore postea acquisiuit.* Profectò in dormiente Iacobo noster Iacobus exprimitur, qui dormiens impetrat Hispanis Angelis, seu Diuis scalam impleri, vt è Numine in supremo gradu commorante Mysteria fidei accipiant & ad Hispaniam deferant, vt fideles Hispani calâ illa ascendant beati, & descendant Patroni nostri Milites, vt pro Patria decertent. Dormiat Iacobus, si Deus vigilat promittens Hispaniæ Mysteriorum possessionem, id est, fidei ac pietatis stabilimentum. 13.

Iacobus dormiens fidei Mysteria ad Hispanos allicit intercessione, Angelis tutelaribus ministrantibus. Hinc in Eucharistiam Hispanorum affectus. Conc. Amb.

Christi Corpus è Cruce depositum, refertur ad tumulum. An inibi otiatur Dominus? Operatur. D. Gaudentius sermone 10. *Quoniam Dei operosa quies est, ipsa quies otiosa esse non potest. Nam corpore in sepulchro deposito, Diuinitas cum anima hominis ad inferna descendens, vocauit de locis suis animas Sanctorum.* Dei Iacobus æmulator exsurgit, dum operosa vtitur requie: corpus sepulchro clauditur, & animus Christum, Deiparam, Diuos aduocat ad Hispaniam, vt fide ac pietate rutilans ostentari valeat. 14.

Iacobus dormit, cuius corpus, eius animus ad Hispaniam aduocat Christum, Deiparam, Diuos. Gaudent.

Et quidem Iacobo debetur specialissimus ille affectus, quò Hispania abripitur in Deiparam. Testor Delubrum illustrissimum, quo Cæsaraugusta Iacobi exædificatione honoratur. Testor Marianæ Conceptionis putissimæ arcanum reuelatum primò Hispanis à Iacobo, vt testatur Flauius Dext. & alij. Apparuit equidem Deipara viuens in lacrymarum valle Diuo Iacobo Cæsaraugustæ oranti, de quo tom. 3. lib. 3. vt se conciuem daret Hispanis, è quibus tot Martyres, tot Confessores, tot Virgines ornaturi nouam erant Ecclesiam. Cur ô Mater fidelium Ierosolymam deseris, & in Cæsaraugustam tendis? An vt peregrinationem ad tuum Iacobum primam instituas? Certè sub specie peregrinantis, ad Hispaniam venisti, vt tot sanctorum Regina colereris. Olim Regina Sabba, famâ Salomonis exauditâ Ierosolymam venit. Quid quæreret Regina? Respondet D. Isidorus Hispanus lib. Allegor. ad 3. Regum 10. *In aperto peregrina, sed in occulto sanctorum fieri ciuis exoptabat.* Aptius ô Hispaniæ decus, Hispallensisque ornamentum Ecclesiæ asseruisses Deiparam Cæsaraugustam iniisse in aperto Iacobi peregrinam, in occulto autem exoptantem sanctorum esse Reginam Hispanorum, qui tam ardenti in ipsam feruntur affectu. 15.

Iacobus Hispanos edocuit pyssimè erga Deiparam affectu. Flau. Dext. Isidor.

Quid de victoriâ ineffabili quam sepultus Iacobus de idololatriâ reportauit, attexam? 16.

Sepultus Iacobus idololatriam oppressit.

Nota

Ambros. Nota est Sampsonis historia euertentis Templum, & idola, idololatrásque secum sepelientis. Ambrosius Epist.70. *Videtur Sampson ad aduersariorum exitium magis captus, quàm quòd ipse deiectus fieret, aut minor esset. Non enim est se expertus inferiorem, cuius sepultura præstantior, quàm viuentis potentia fuit.* An non Iacobus, Sampsonis instar, potentior ostenditur in sepulchro? Viuens non multos Christicolas fecit, sepultus totam sanctificauit Hispaniam.

Ergo plus honorabilis mihi Diuus apparet in tumulo quodammodo, quam in cælesti throno. Ambrosius pulchrè lib. 10. in Lucam, cap. 96. *Vnde te euocem Petre? E cælo, vbi Choris iam insertus es Angelorum? An de tumulo?* Vnde te euocem Iacobe? Profectò è tumulo. Nam si indigeo protectione, si cupio fide ac pietate à Numine donari: è tumulo ô Patrone sanctissime exsurgis ad hostes delendos, è tumulo Hispanis impetras fidei firmitudinem, affectum pietatis. 17. *Euocatur Iacobus è tumulo, vt de cælo.* Ambros.

SECTIO QVINTA.

Mortuus Apostolus non sedet.

TEXTVS.

VERS.23. SEDERE autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.

In Iacobi Translationem

PANEGYRICVS MORALIS SEXTVS circa literam.

Ex mortuo Apostolo non sedente.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.

Iacobo apud Ecclesiæ Hispanicæ Regnum haud data copia sedendi; quia semper currit vnicus Protector.

Qui enim alicuius gerit tutelam, minimè requie potiturus.

1. *Non omnibus concedendum in præsenti sedere.* SEDERE autem.] Recole sectionis proximæ Commentarium. In præsenti quidem, vt ansam præbeam excogitationi D. Iacobi Translationem celebraturæ, illud expendo: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* An Iesu authoritas minor, quam Patris? Arriani id ausi fuerunt asserere, vt apud Maldonatum Epiphanius, Ambrosius, Idatius, & alij adnotarunt. Attamen certum putaui, non fieri comparationem inter Filium & Patrem, vt Arriani putant, quasi Pater possit, Filius non possit: sed inter personas, quibus huiusmodi honor dari possit, quod non omnibus sit illicò concedendum sedere.

2. *Iacobo sedere hic non conceditur.* Luc 1. In cuius expositionem adnoto Regnum Christi, Ecclesiam esse ad Patriam properantem, ad brauium percurrentem. Hæc domus Iacob, vbi regnaturus Dominus perhibetur, *Et regnabit in domo Iacob*, Luc.1. Discipulis igitur sedere postulantibus ad dexteram & sinistram Christus ait: *Sedere ad dexteram, aut sinistram non est meum dare vobis.* Hæc particula *vobis* premenda. Meum est dare cunctis meo in Regno quiescere, aut ad ministeria properare; sunt enim in Ecclesiæ Regno qui cum Mariâ sedeant, & qui cum Marthâ sollicitè ministeriis curam impendant. *Vobis* simul haud sedendi copiam præstabo. Sedeat Ioannes siue apud sinum meum lubeat requiescere, siue apud sepulchrum dormire, siue in Paradiso diu meum expectet aduentum. Iacobus autem dum Ecclesia militauerit sessurus non erat. Caietanus, *Non veni nunc secundùm præsentem statum ad distribuendas sedes Regni.* Caietan. Quia secundùm præsentem statum debeo commodis militantis Ecclesiæ operam impendere: vnde *meum non est*, siue meam prouidentiam non decet Iacobo sedendi veniam exhibere.

3\. *Non sedet Iacobus, quia Hispanis vbique terrarũ pugnaturis opem laturus erat.*

Quare? Quia cum exercitibus Hispanicæ Ecclesiæ prælio. Cùm autem Hispani apud cunctas Nationes dispergendi sint, ab hostibúsque vbique terrarum tentandi, Patrono fortissimo indigent, qui non sedeat, sed equo acerrimus deferatur, aut pedes omnes lustret Prouincias, vbi Hispani cum hostibus Ecclesiæ concertauerint. Secundario hoc sensu viam adstruo Translationis D. Iacobi alteri Panegyrico.

4\. *Quam sollicitus Iacobus mox post assumptam Hispaniæ protectionem.* Hist. Compostel. vii in festo Transl. Iac. eiusdem Ecclesia.

Prouidentia cælesti Diuus Iacobus siue à Deiparâ, siue à Collegio Apostolico ad Hispaniam immittitur, quam tam velociter illustrauit, vt dubium pepererit temporis angustia, vtrum Apostolus potuisset Hispaniam attingere? Attigit, suâ præsentiâ proculdubiò honorauit tonitrui filius, cui angustiæ temporis exhibent ingenitum operum opportunitatem. Intra annum Ierosolymam ex Hispaniâ reuersus eodem die, quo Saluator, ab Herode trucidatus est. Corpus eius sanctissimum ex vrbe Ierosolymâ (non sine specialissimâ Deiparæ operâ, quæ suam muniro iam curabat Hispaniam) per vastissimum pelagus, Dei singulari prouidentiâ aduectum, ad extremas Hispaniæ appulit oras. In Iriæ Flauiæ (vulgò *Padron*) portu Galleciæ Oppido primùm constitit, inde ad Compostellam (sic nunc locus ille appellatur) maximam iam Galleciæ vrbem translatum ob frequentes persecutiones longo tempore latuit, sed non sedit; sacratissimæ enim reliquiæ opem Hispanis vbique laborantibus præbuere.

5\. *Ossa Iacobi visibiliter ne ad certamina procedunt vti Iosephi ossa?* Genes. 50.

Profectò aut corporis virtus ex sepulchro prodiit pugnatura, aut ipsa ossa ad certamina inuisibili expeditione processerunt. Moriturus Ioseph fratribus ex Ægypto profecturis in Palestinam fatur: *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terrâ istâ ad terram, quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Asportate ossa mea vobiscum de loco isto*, Genes. 50. Quare asportari iusserit Prorex ossa? An in ipsius Iosephi vtilitatem? Strabus, *Ioseph sicut pater eius terram promissionis tota mente desiderabat.* Vel mortuus expetiuit sacrâ terrâ recondi. *Asportate ossa mea*, (inquit Menochius) *vt cum patre, auo, & abauo sepeliar in Chanaam.* Alij accommodatiùs nostro instituto, asserunt ob vtilitatem filiorum Israel ab Ægypto discessurorum, id fuisse imperatum. Sæpe enim populus electus erat cum hostibus concertaturus, ad quæ bella vbique deserti, & vrbium ossa ducatum præstitura victoriam reportarent. Diui Iacobi ossa auxilium Hispanis datura procedunt vbique terrarum ad campum.

Strab

Menoch.

6 *Ideo fortasse cadauer Iacobi nõ patet aspectui, ne accolæ sauciorentur, dum à sepulchro prosilire ad bella viderent, vel cadauer Moysis.* Deut. 34.

Cur cadauer sacerrimum adeo reconditum subterraneis adoras, vt oculis non pateat? Quia tam crebrò ossa Hispanis pugnantibus opem latura ad campum properant, vt requisita ab incolis mirum in modum sauciarentur. Ne igitur ossa requirantur, non pateant obtutibus. Moysis corpus datum olim Hebræis in bellorum præsidium. *Mortuúsque est ibi Moyses seruus Domini in terrâ Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor; & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem*, Deuteronom. 34. Vbi Procopius, *Sepelierunt eum propè domum Phogor, vt cum prope esset, bella dæmonis dissolueret. Et vt Israelis accolæ legislatorem inspiciendo ad pietatem conuerterentur.* Si aspiciunt accolæ cadauer, vt ad pietatem conuertantur, quomodò incognitum ab hominibus sepulchrum perhibetur? Certè, quia præsens & absens obiiciebatur. Præsens quidem, quia credebant inibi repositum corpus sanctissimum. Absens autem, quia oculis minimè obiiciebatur. Quare? Nonne, quia dæmonis bella vbique terrarum, pugnantibus Hebræis soluturum necessariò sæpissimè corpus à sepulchro discederet accolarum quidem mœrore? Præsens & absens Apostoli cadauer adoramus: non aspicimus, quod apud nos iacere minimè dubitamus, ne crebris expeditionibus ad dæmonis bella vbique terrarum dissolutura ossa requirantur communi eiulatu. Procop.

Num Regni Galleciæ abest corpus iniuriâ? Tam velociter se dat expeditionibus instar tonitrui filij, vt breuissimo temporis interstitio reuertatur; vnde semper apud nos remanere asseri possit. De Christo Dauid, *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, Psalm. 109. Id est, *vsque in finem*, vt interpretatur Apostolus 1. Corinth. 15. Vnde Chrysostomus affirmat Christum dexteræ paternæ immobiliter hærescere vsque ad finem. At aliquando post ascensionem Christus ad terram descendit. Fatur Paulus, *Christus mortuus est pro peccatis nostris, & sepultus est secundum Scripturas, & visus est Cephæ, & post hoc vndecim*, &c. *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est mihi.* Ananias confirmat Apostolo profatus, *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres Iustum, & audires vocem ex ore eius*, Act. 22. Addit Lucas, *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto*, &c. Act. 23. Ergo aut duobus in locis simul Christus extitit, aut è cælo aliquando discendum discessisse. Respondet D. Thomas tam velociter cursum illum, vel ei similes egisse, acturúmque esse, vt vix dici possit non semper apud cælicolas commorari. Adeo velox tonitrui filius è sepulchro recedit ad ferendum Hispanis opem, vt vix recessisse videatur. 7. *Tam velox pergit cadauer, tam velox redit, vt instar Domini, vix abesse à sepulchro videatur.* Psal. 109 1 Cor 15. Chrysost. Act 22. Act 23. D. Thom.

Quid si ossa sacerrima pluribus in locis simul existant? Quid si vbique Hispaniarum existentia Diuinitatis immensitatem imitentur? Quid si ossa Apostoli ac Diuinitas simul gradiantur? De Iosephi cadauere Textus, *Et conditus* Ioseph mortuus, *aromatibus repositus est in loculo*, Genes. 50. At loculus siue capsa illa recedentibus postmodum Hebræis ad promissionis terram adducta est. *Veteres Hebræi* (loquor cum Pererio) *duas commentati sunt fuisse arcas, vnà incedentes in deserto, alteram Diuinitatis, alteram Iosephi.* Vnà cum Iosephi ossibus Diuinitas incedebat? Quid mirum vbique deserti, vbi Hebræi à quacumque calamitate tentarentur, præsentissimam opem attulisse? Vidisti Iacobi sepulchrum vnà cum Arca Eucharisticâ assidens? Vnà Iacobi ossa & Diuinitas gradiuntur. Vnde cadauer & apud nos commoratur, & ad campum 8. *Pluribusne in locis more Diuinitatis cadauer Iacobi existat simul?* Gen 50. Pereri.

pum Hispanis præstiturum auxilium procedit.

Si vel dormiens hæc præstat, quid excitatum Apostolum, id est eius animum præcedentem ad campum præstiturum putamus? Plutarch.

9. Quòd si non mortuo cadaueri (inter mortuos quidem viuenti) sed spiritui Israelis custodi nunquam dormitaturo hæc gloria sit adscribenda: si corpus exanime tanta præstitit, quid viuax spiritus? Si cadauer non sedit, quid Apostoli anima? Ille fortissimus Dux Timotheus (de quo Plutarchus) post mille triumphos à celebratoribus pingebatur sub dormientis hominis simulachro, è cuius manibus retia procederent, queis vrbes, & oppida illigarentur, adducerentur. At cùm Dux aspexisset effigiem, profatur: *Si tanta vel dormiens conficio, quid excitatum me facturum putatis?* Dormiens Apostolus tanta confecit, tot hostium copias comminuit, tot lauris coronatur: quid excitatum eius spiritum facturum putatis, cùm equo & ense acerrimus Mauros furentes sternat? O vnicum Hispaniarum Patronum!

Tu bella nos cum cingerent,
Visus es ipse in prælio
Equóque & ense acerrimus
Mauros furentes sternere.

Iacobi haud sedentis ad bella aduersus Mauros, & Indos ab Hispanis victos expeditiones recensio. Hist. Hisp. Valera. Gariu.

10. Tu ad Hispaniarum restaurationem Regi Ramiro sub hàc specie apparuisti propè Lucronensem vrbem in campo montano, nomine *Clauno*, vbi septuaginta millia Maurorum occidisti, vt Hispanicæ exprimunt Historiæ. Tu Comiti Ferdinando Gonzalez apparuisti auxiliator, contra Almanzor Ducem Abderraman Regis Cordubensis apud Piedrahita, cùm socius Conitis gladio illius, virtute propria, tres Reges occidisti, innumeros Mauros superâsti. Valera 4. part. cap.18. Garibai lib.10. cap.10. Tu Ferdinando Magno huiusce nominis primo Conimbricensem vrbem mirâ expugnatione tradidisti. Stephanus tunc Græcus Episcopus apud Galeciam commorabatur subridens, dum audiret Apostolum equo & ense acerrimum Militibus Hispanis apparere. Nocte illâ à Iacobo claues gestante inuisitur, fantéque quidem: *Ego sic pro meis Hispanis decerto, in crastinúmque vrbem Conimbricensem hisce reseratam clauibus Ferdinando tradam.* Rodericus lib.6.cap.11. Gariu. lib.11.cap.2. Caliat. Pap. de Iacob. mirac. Tu Infanti Alfonso apud Xerez de la Frontera visibiliter apparens auxilium exhibuisti copiis Maurorum extinctis. Rades in Chronic. Ordin. cap. 22. Hispalensi Archiepiscopo affirmante oculato quidem teste, tu apud Nauas de Tolosa equo acerrimus repugnasti. Cruci triumphus adscribitur? Fateor, sed Cruci purpureæ Iacobi tot hostium sanguine adhuc fucatæ. Nec enim tantum bellum, è quo fidei Hispanicæ fulgor, sine Patroni vnici virtute erat superandum. Guindisaluus Gonzalez de Cordoua Dux potentissimus cur ad tuam Basilicam supplex accessit? Cur altare sacerrimum monumentis cingitur, piis vocibus hæc resonat aula? An non quia vbique pugnans tuum præsentissimum auxilium expertus est? Hispanicis-ne finibus tua ô Princeps, gloria circumcluditur? Angulus quique terrarum Orbis, vbi Hispani propagatione fidei dimicarunt, te præsentem vidit, te est equo insignem veneratus. Testor apud Indiam Orientis ducem Ildefonsum de Albuquerque, & alios Duces dum Goam, Cananor, & Æthiopiam expugnarent. Castañeda Histor. Indic. cap.50.53.57.67. libri secundi. Sanroman. lib.1.cap.20.& 30. & lib.3.cap.23. An non apud Occidentalem Ferdinando Cortesio anno 1519. sæpe apparuisti Hispaniæ nouæ expugnatori? Quonammodò posset tot pericula superare, tot barbaros extinguere, Mexicanam vrbem fidei, ac Hispanico Imperatori acquirere, nisi Iacobus exiguam Hispanorum manum tonitruum efficeret, quod fulmina pro militibus parturiret? Iam te, ó Apostole, Indi ex cruce purpureà, equóque & armis niueis agnoscebant, & trementes venerabantur. Cælesti prouidentiâ effectum, vt exiguus Hispanorum exercitus tot hostes superaret, vt Patrono cederet victoria. *Ne glorietur contra me Israel, & dicat: Meis viribus liberatus sum*, Iudicum 7. Legendus Oxea Histor. D. Iacob. cap.42. Tu apud Mexicum nouam Prouinciam, Duce Domino Ioanne de Oñate, septuaginta Hispanis tantum roboris addidisti, vt quatuor millia Indorum superarent, quorum reliqui proclamabant: *Ducis senis ope vicisti.* Sic Oxea suprà. An non sub specie senis apparet, qui innuit canos tot bellorum iniuria exactos? Post aliquorum annorum laborem Filius hominis Ioanni coma candida apparuit asserens quidem ex accuratà Ecclesiæ custodiâ speciosum formâ præ filiis hominum incanuisse, Apocalyps. 1. Tu denique ó Ecclesiæ Hispanicæ Protector Ieremiæ in morem cunctis pugnantibus Hispanis Machabæis porrigis gladium, quo valeant hostes teterrimos trucidare. *Hic est* (Onias Sacerdos inquit Iudæ Machabæo) *fratrum amator, & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo & vniuersà sanctà Ciuitate Ieremias Propheta Dei.* Moa Ieremias manum produxit, Ducíque fortissimo tradidit gladium fatus: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicias aduersarios populi mei Israel*, 2.Machabæorum 15. Nullus Hispanus barbarum, aut infidelem hostem comminuit, qui tua ope, ô Ieremias, ô Iacobe & orans, & pugnans, non gereret victoriam. Tibi igitur, dum nos bella cingunt, non licet sedere, nec Christi prouidentiæ est, sedendi co[illegible]m tibi pugnaturo concedere: *Sedere autem non est meum dare vobis.*

* * *

Marginal references: Roder. Gariu. Calixt. Rades. Arch. Hisp. Castañeda. Sanrom. Iud. 7. Oxea. Apoc. 1. 2.Mach.15.

Observatio II.

Ad illa verba:

Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

Paratum iam & dispositum à Patre, vt ex Ducibus cælicolis Christianorum custodiæ deputatis, Michaël, & alij Proceres Spiritus sedeant, vt solus Iacobus vnicus Hispaniæ protector exurgat.

Dux enim non debet sedere, sed primus ad certamina properare.

11. *Currens, non sedens Iacobus Patronatus Hispaniæ iure potitur. Ergo Michaël sedens sem, er haud appellandus Hispaniæ Patronus specialis.* Ecclesia lect. huius Festi.

NON datur Iacobo Duci, Iesu approbatore, copia sedendi, quemadmodum Ducibus his, quibus paratum est *à Patre, vt sedeant*, seu eius Tribunali assideant, ad Orbis, cuius & ipsi tutelam gerunt (à longè quidem) gubernationem. Sedeat Michaël, cui iam ab Orbe condito paratum est à Patre sedere. Sedeant reliqui spiritus, qui adstant Altissimo; non sedeat Iacobus vnicus Hispaniæ patronus. Canit Ecclesia in Translat. fest. *Hunc thesaurum* (id est, Iacobi corpus) *Alphenso Regi Legionis diuinitùs indicatum, idem Rex insigni Basilicà, alysque Regys donis exornauit. Ab eo tempore multis magnisque miraculis Sancti Iacobi memoria nobilitari cœpta est. Ipse enim gloriosus Apostolus in difficillimis prælys palam se conspiciendum præbens, Hispanos aduersus infideles pugnantes mirificè iuuit. Quare factum est, vt vniuersa Hispania Sanctum Iacobum præcipuum sibi Patronum diuino munere concessum asciuerit, & vsque ad hanc diem in primis coluerit.* Igitur Iacobo nomen gloriosissimum Patroni præcipui dedit sollicita ad Hispanos leuandos expeditio. Nec enim patronatûs iure gaudebat Apostolus, dùm sepulchro recludebatur, dùm sedebat. An Patronum æquè præcipuum Hispaniarum appellemus Michaëlem, qui nunquam non sedet, Hispaniâ dimicante?

12. *Assident Deo septem spiritus, qui non mittuntur.* Tob 12.

Testor Raphaëlem apud vtrumque Tobiam profatum: *Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem qui adstamus ante Dominum.* Tob. 12. Astamus, seu *sedemus.* Lucifer enim. *Sedebo* (inquit) *in mente Testamenti, similis ero Altissimo*, Id est (ex aliquorum mente) Princeps ad Consiliariorum munus à Domino assumar, speciali Conditoris sedentis similitudine decorandus. Vt autem exponam Raphaelis sententiam, primò non mihi probatur, quod quidam putant, nihil hîc certo definitóque numero præscribi, ita vt in septenario numero magna Angelorum multitudo significetur. Quod licèt non rarò in Scripturâ contingat, verùm toties septenarius iste Angelorum numerus occursat, vt audaciùs ille & duriùs dixisse videri posset, qui hunc dicendi modum tàm frequentem, figuratum appellet. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt.* Apoc. 4. & sæpè alibi. Quare de septenario numero in propriâ significatione sumendum existimo. Deinde credo hos septem Angelos esse spiritus quosdam præcipuos, qui assident Deo: oculi quidem eius, & quasi Consiliarij. Oculos Zacharias septem, hosce Angelos appellauit. *Septem isti oculi sunt Domini*, cap. 4. Philo lib. de somnijs: *Sunt quadam purissima substantia, optimaque omnium, qua altius diuiniúsque sapiunt: ista terrestria tanquam magni Regis aures, & oculi, audientes, & videntes omnia.* His quidem quasi Consiliarijs Deus de rerum gubernatione deliberat, maximè cùm res intercedit grauior, quæ magis accuratam solertiam & studium desiderat. Scio Deum Consiliario, aut consultatione non indigere; sed video eum in loquendo, aut etiam operando, humanis rationibus accommodari. D. Thomas 1. part. quæst. 22. *Quamuis consiliari non competat Deo, secundùm quod consilium est de rebus dubys, tamen rationem ipsam rerum gerendarum in Deo dici consilium, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perueniunt: Vnde dicitur Ephes. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sua.*

Apoc. 4. Zach 4. Philo. D. Thom.

Profectò Michaelem vnum ex his septem Consiliarijs, imò præcipuum esse multi affirmârunt. Liceat mihi Gasparis Sanchez sapientissimi sententiam exprimere ad cap. 12. Tobiæ. Fatur Ioannes: *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt*, Apoc. 1. *Qua verba* (inquit ille) *consilium indicant, & consultationem. Neque aliam ob caussam iam olim ab antiquissimis Ecclesia temporibus depictum esse arbitror Michaëlem cum staterà & lance, quasi in particulari animarum examine, atque iudicio, quod Deus exercet solus, suas quoque partes Angelus obeat, & quasi iudicy censors meritorum omnium pondus expleret.* Paratum igitur à Patre est, Michaëlem sedere, à Thronóque iudiciario minimè separari; sed Dei oculorum in morem, cuncta lustrare quæ in Orbe geruntur. Non itaque Hispaniæ belligeranti Patronus addicendus, qui bellorum concitationes aspectabit, ponderabit victoriæ merita; sed non manus cum Mauris properans ad campum commiscebit. 13.

Michaël vnus est ex hisce Consiliarys, qui perpetuò sedent. Gaspar Sanch.

Obijcis Raphaëlem ipsum vnum *ex septem, qui astant ante Thronum Dei*, non quidem sedentem, sed sollicitè Tobiam ducentem, ac reducentem, eúmque ab innumeris periculis liberantem. Ergo non semper septem illi sedent, sed ad hominum auxilium præstandum immittuntur. Lyranus affirmat Raphaëlem vnum ex septem assidentibus Throno, non esse. Siquidem immissus fuit ad ministerium; sed vnum ex septem Angelum immissum, sed paratum, vt immittatur, tanquam Consiliariorum Regalium ministrum. *Non accipitur* (inquit) *hic astare, prout distinguit Angeles assidentes à ministrantibus; nam Raphaël non est de superioribus ordinibus, qui non mittuntur ad hac inferiora, propter quod dicuntur assidentes Deo, sed de inferioribus, qui mittuntur, propter quod mini-* 14.

Raphaël missus ad Tobiæ protectionem, non erat ex eis, qui sedent ante Thronum, sed qui stant, vt mittantur. Lyran.

ministrantes dicuntur. Raphaël autem fuit missus ad curandum Tobiam, & liberandum Saram. Ideò non assidet, sed adstat; vt imperia Consiliariorum exequatur. Michaël ergo non cursum arrepturus adstat, sed assidet.

15\. *Michaël semper sub specie sedentis apparet.* Dan. 12.

Michaël, ais, Moysi conflagranti apparuit in rubo, Hebræos ab igne tribulationis erepturus, ex quorumdam sententia. Certè alieno vsus ministerio, & arbori sedens hominum saluti consulebat. Populi Israëlitici Patronum gessit. An sedens curârit Hebræorum salutem, an currens equóque & ense acerrimus? *Michael Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui.* Dan. 12. Haud armis indutus pergit ad campum; sed stat, seu assidet Throno Conditoris, instar Moysis, preces effundens. Duxit populum ex Ægypto ad terram promissam properantem? Non abnegârim, sed adnotare licet illum sub columnæ igneæ aut nubeæ specie apparuisse. An non innuit Archangelus naturam eius decere sessionem, si columnâ stabilitas ipsa apud sacra & propbana exprimi solita?

16\. *Diabolum conterit Michael, non Mauros comminuit.*

Dux est, ais, cælestis exercitûs Michaël: Protegit quidem Michaël Ecclesiam, armis cingitur Archangelus, gladium stringit, sed ad diaboli inpugnationem. Iacobum vidimus *equo & ense acerrimum Mauros furentes sternere. Michaelem* autem *in virtute contêrentem Zabulum.* Gabriel Danieli: *Princeps Persarum restitit mihi, &c. Et ecce Michael vnus ex Principibus primis venit in adiutorium meum.* Dan. 10. Vbi Rupertus lib. 9. de vict. ver. sic D. Hieronymi sententiam memorans: *Profectò etsi huius Doctoris authoritas deesset, prudens tamen auditor Principem illum Angelum malum intelligere non dubitaret, scilicet contra quem bonis Principibus præliandum erat.* Et Cassianus lib. 8. cap. 13. *Principem Regni Persarum aduersariam potestatem esse, quæ fauebat Genti Persarum, inimicam populo Dei, minimè dubitandum est.* Zabulum itaque Princeps potentissimus Michaël conterit. Iacobus autem homines infideles sternit. Hærens ille Throno, assidénsque Regno, hostem Tartareum comminuit, Raphaëlémque religatutum immitrit. At hic equo & ense acerrimus è Throno prosilit, Maurósque furentes prouocat ad certamen, non quidem semel singulare. Apostolus enim apud vrbem *Melilla* potentissimum Maurorum exercitum, coniecit in fugam, dùm considentibus nostris militibus solus Iacobus descendit in arenam. Quod cùm Dux obiecisset. Homo eques solus vos terret? Responderunt, Nubis instar, fulmina solus hic huc illuc contorquet.

(Dan. 10. — Rupert. — Cassian. — *Iacobus Mauros sternit singulari certamine.*)

17\. *Ipse Raphael lubens Iacobo se inferiorem profitetur.* Gen 32.

Parua hæc, nisi Archangelus idem potentissimus, quoad hominum Hispanorum protectionem, Iacobo cessisse videatur. Iacob ad patriam properans *mansit solus; & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè. Qui cùm videret, quòd eum superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum; Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Gen. 32. Asserit Propheta victum Angelum à Iacobo: *Directus est cum Angelo, & præualuit ad Angelum,* Quinam hic spiritus tàm imbellis, vt ab homine valeat superari? Quinam hic tàm fortis vir, qui Angelum vicit potentissimum? Affirmat Pantaleon Diacon. Angelum illum esse Michaëlem, cælestis militiæ Ducem. At Iacob nostri Iacobi perspicuum gessisse quis non nouerit simulacrum? Cum ascendit aurora fidelis diei, cùm obijcitur Hispania, filia primogenita luminis, à Iacobo illuminanda, Iacobus Princeps eius constituitur, Dux exercitûs Hispanici assignatur, cadit Archangelus, se victum profitetur, vt fides Hispanica vnico Apostoli nitatur patrocinio. Quonam modo potuit homo Archangelum tàm validum superare, vt Deum ipsum vicisse perhibeatur? *Si contra Deum fortis fuisti, &c.* Profectò quia Michaël ipse sic vires attemperauit, vt nullatenùs posset Iacobum vincere: Audi Theodoretum: *Dispositione diuinâ decretum factúmque est, vt Angelus assumeret corpus in tantâ mensurâ virium, quòd non posset supra vires Iacobi luctando. Et sic verificatur quod Angelus experimento vidit, quod non potuit vincere Iacob luctando.* Superiorem Archangelus, quoad pugnandi munus, Iacobum profitetur, ipso Archangelo vires moderante. Fateberis ad mutuam pugnam, sed non ad concertationem vtriusque cum hostibus. Si Michael & Iacobus vnà ad bella opitulaturi Hispaniæ procedant, nonnè fortiores contra Mauros exurgent? Quid si abnegem? Pende illam particulam: *Quod non posset suprà vires Iacobi luctando.* Sic Michael vires attemperauit, vt nihil suprà vires Iacobi addatur ad pugnam. Quidquid ex Michaële & Iacobo simul auxilij expectas, id totum solius Iacobi reperies in robore, vltrò Archangelo cedente, vt vnicum Iacobi expetas patrocinium. O Apostole, *si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Sedeat itaque Michaël, cui *paratum a Patre.* Non sedeat Iacobus, cui negatur à Filio, vt eques Hispanicum defendat exercitum. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*

(Pantal. serm. in fest. Mich. — *Vires sic Michael attemperauit, vt non posset Iacobum vincere, potiùs ab ipso superaretur.* Theod.)

Observatio III.

Ad illa verba:

Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre.

In bellis Christianorum aduersus Christianos institutis, licèt patronus vnicus, aliquando sedet Apostolus.

Vbi innuo, amici iniuriâ vnius, minimè alteri auxilium impendendum esse, laborúmque nostrorum memoro incursionem ad fideles probandos, flagellandósque iniquos.

18\. *In bellis contra infideles Iacobus pugnat, in bellis amicorum curat pacificare exercitum vtrumque.*

SI Iacobo sedendi venia non datur, cur hâc tempestate sedere videtur, dùm Hispani sui tot tempestatibus quatiuntur? An visus est

ſus eſt ipſo in prælio hoſtes furentes ſternere? minimè planè Cauſam requiris: Ea eſt in promptu. Pugnante Philippo IV. Magno equidem, ſemper inuicto aduerſus Mauros, proculdubio videret Iacobum ipſ[um] in prælio, equóque & enſe acerrimum Mauros furentes ſternere. At dùm iuſtè pugnat aduerſus Chriſticolas, protegit Apoſtolus; ſed ſæpè quaſi ſedens obijcitur, nolens quidem amicorum extremâ ruinâ amiciſſimis auxilium impendere. Addo ſic fidelium probari virtutes, peccatorúmque conſcientiam flagellare.

19. *Præliatur Iacobus ſine querelâ fidelium.*

Illuſtro Machabæorum gloriâ, de quibus Rupertus lib. 10. de vict. Verb. cap. 25. *Fuerunt Machabæi, quorum prælijs & victorijs, non quærebatur, vt vlla fieret preſſura Mundo; ſed vt defenderetur Gens vnde eſſet ventura ſalus Mundi.* Fuit equidem Iacobus, cuius prælijs & victorijs non quærendum, vt vlla fiat Mundo preſſura. Dùm igitur Apoſtolus ſedere videtur, Gens defenditur, vnde ſalus Mundi vtriuſque futura. Deſcendit ex equo Apoſtolus, baculo vtitur pro gladio, videt fideles amicos concertantes, haud vnum aut alterum exercitum exitialiter percutit; ſed baculo pacem conatur ſtabilire, rebellibus ſolùm debellatis.

20. *Bellis ingruentibus fidelium virtus probatur, Ideò à Patrono noſtro videmur derelinqui.* Gen. 28. Gen. 35. Rupert.

An non ſic fidelium virtus periculo ac probationi addicitur? A nobis quaſi fugere videtur Patronus, vt locum tribulationibus obruentibus exhibeat. Deus Iacobi Patronus vnicus appellatur: *Ero cuſtos tuus, quocumque perrexeris.* Gen. 28. Porrò *cuſtos* idem eſt ac *Patronus*, vti cap. *Cùm autem. de iure Patronat.* aſſeritur. Patronus itaque Iacobi *receſſit ab eo*, Gen. 35. Et cur Deus Patrooi munus eùm geſſiſſet, à Iacobo receſſit? An pietas Patroni promiſſis non ſtetit? Reſpondet Rupertus requirens: *Quomodo à ſancto & iuſto receſſit Deus? Eo modo vt permitteret eum tentari, vt magis aduerſis occurrentibus, ad augmentum meriti premeretur.* Ergo ad fidei probationem vultus Patronus nonnunquam, pijſſime amiciſſiméque aſſolet reſidere.

21. *Iniquitas ſimul bellis flagellatur.*

Nec ſolùm probatur virtus; ſed ſimul iniquitas flagellatur. Vides Vrbes noſtras nonnullo temporis interſtitio retineri, aut hoſtes intra terminos noſtros aliquandiu morari? Id diuinâ præſtitum prouidentiâ, vt iniquitas ablegari poſſit. De Sidonijs, Sarrapis Philiſtinorum, Cananæiſque intra limites Iſraëlis commanentibus ſic Dominus: *Non eijciã eos à facie tuâ, anno vno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ,* Exod. 23. Vbi D. Auguſtinus quæſt. 17. *Mirum, ſi non beſtiales cupiditates, & libidines intelligi voluit, quæ ſolent de repentino ſucceſſu terrenæ fælicitatis exiſtere.* Fælicitas Hiſpaniam beſtiis creſcentibus, in ſolitudinem ne trahat omninò, à facie noſtrâ hoſtes domeſtici anno vno aut altero non eijciuntur.

Exod. 23.
August.

22. *Periculosè belligerans ſine Deo.* Iud.

Addit D. Iſidorus: *Voluit Deus eos docere, quid eſſet prælium, vt diſcerent quàm periculosè illi belligerantur, qui Dominum contra ſe offenſum in bello habent.* Quid ſi occaſione belli libidini aut latrocinio indulgeas? An quæreris ſi ab vnico Patrono Marte potentiſſimo deſeraris? Ad Martis delubrum aliquando Dux querulus properauit, quòd opem à Diuo minimè recepiſſet. Cui Mars adultero quidem & raptori: *Ego militum Patronus, faueat Venus laſciuo latroni, Cacus opituletur.* Iacobus, cuius nomen (authore Georgio Veneto) anagrammate pulchro ſonat, *Galeatus*, haud fauet adulteris, haud latrocinantibus præſtat adiutorium.

23. *Iacobus terram Hiſpanicam pedibus contingens, eam ſanctam reddit.* Ioſ. 5. Orig. Chryſ.

Patrone ſanctiſſime, ſi nulla Hiſpanis nocebit aduerſitas, ſi nulla eiſdem dominetur iniquitas, ex equo deſcende, Hiſpaniæ limites pedes luſtrare digneris, terrâ quidem ſanctitudine tuo greſſu donandâ. Ioſue ad agros Vrbis Ierichuntinæ properanti Angelus: *Solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Terra-ne tot iniquitatibus maculata ſancta appellatur? Origen. reſpondet hom. 6. *Quia quocũque venerit Princeps militiæ Domini, ſanctificat locum.* Quinam Princeps militiæ, niſi Iacobus, de quo Chryſoſtomus hom. 26. in Acta: *Idcircò occidi permiſit ab Herode etiam Principem.* Quocumque igitur veneris militiæ Princeps, locum ſanctitudine donabis, vnde illicò ab ingruentibus bellis liberemur.

24. *Cur Hiſpania munita Iacobi patrocinio Michaëli præparat patronatum.* 1 Reg. 13.

Huiuſmodi quidem Hiſpania à ſuo Iacobo patrocinium expectat; ſed ad Michaëlem ſimul, cæleſtis militiæ Principem accurrit, vt multiplicato patrocinio fælicior euadat. Mouetur, quia bella grauantur; multiplicantur hoſtes a propriis alumnis, Hiſpania deſeritur, rebellibus recedeotibus. Per Iacobum ſperat adiuuari; ſed ſimul Michaëlis æquè Patroni auxilium implorat, cura eſſet, me auctore, ſuperuacanea. Propheta Samuel, qui *poſitus à Deo*, interpretatur, vnicus Regis Saulis Patronus erat. Promiſit Regi ad eum ante diei ſeptimi conſummationem reuerſurum, vt præſentiſſimam opem impenderet. Dies ſeptimus illuxit, & non apparuit vnicus Saulis Patronus opitulaturus. Quare Rex holocauſtum Deo obtulit, poſtulans proculdubio ab Angelis adiuuari. Ante conſummationem diei acceſſit Samuel, ſtans promiſſis, qui Regi profatur: *Si non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuũ ſuper Iſrael in ſempiternũ.* 1. Reg. 13. Indica mihi Saolis delictum? De auxilio-ne Patroni accipiendi diffidit? Carthuſianus: *Honorauit Saul Samuelem, quia ſuis meritis multa bona à Deo obtinuit populo; ſed & hac vice ſperauit adiuuari per Samuelem.* Quodnam igitur delictum, ob quod tot calamitatibus addictus eſt? Crediderim ideò puniri, quòd Patronum fortiſſimum, quem expertus erat auxiliatorem, cælo obtulit holocauſtum, poſtulans Angelos ſuperaddi Patronos. Id-ne Samuelis iniuria?

Carthuſ.

25. *Iacobus ſpoliatur Patronatu præcipuo, dùm Michaëli Patronatus adſcribitur.* Gal. 3. Ambroſ.

Tertullianus ad hæc: *Deſpector Propheta Samuelis appellatur.* Vereor ne deſpectores Iacobi appellaremur, ſi cum tantùm Patronum habeamus, ad Angelorum ſpeciale accurreremus patrocinium, Michaelem Patronum Hiſpaniæ nominantes. Galatæ curabant Chriſti legem non quidem contemnere, ſed ſimul Moyſis ſtatuta colere. Quibus Paulus: *Ante quorum oculos Chriſtus proſcriptus eſt*, cap. 3. Ambroſius: *Proſcriptus, id eſt, condemnatus, hæreditate priuatus & ſpoliatus.* Socium enim præcipuum hæreditatis Chriſto præcipuo hæredi aſſignare, idem eſt ac eum priuare hæreditate. Eo ipſo quòd Michaël ſit Patronus Hiſpaniæ, Patronatus Iacobi ius proſcribitur, hæreditate Apoſtolus

stolus spoliatur? Cap. *Nullus*, dist. 99. *Quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Generalis Hispaniæ Patronus Michaël assignatur? Hoc nomen derogatur Apostolo. D. Gregorius, cap. *Ecce*, ibi: *Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quòd me fateatur vniuersum.*

An Hispaniæ impunitate huiusmodi gereretur proscriptio? Apud Salgado legi sententiam Clementis Alexand. fantis: *Rem dicturus sum mirabilem; sed inde omninò non hæsites. Expedit in Deum magis peccare* (cum grano salis accipe) *quam in Ducem nostrum. Nam si Deum ad iracundiam prouocaueris, Dux noster illum reconciliare potest: si verò Ducem perturbauerimus, &c.* quis Hispaniam à turbatione bellorum liberabit? Quàm piè Magnus Philippus vnico Iacobi subiacet patrocinio, cui tributum mille aureorum annuo redditu post ingentem pecuniæ vim Basilicæ consignatam consecrat!

PARS TERTIA.

IACOBI MIRACVLA

Operibus sex dierum expressa.

PROLVSIO.

CVM apud nostrum Compostellanum Collegium commorarer, & Diui Iacobi obsequentissimus, apud manuscriptorum S. Ecclesiæ Metropolitanæ illustrissimæ Bibliothecam, Diui Calixti II. Pont. Max. volumen aureũ euoluissem, de Apostoli gestis & miraculis vehemẽter dolui, tàm augusta Iacobi opera, tam præclara in Diuum Elogia sub tenebris cubiculi latitare, quæ possent totum Orbem fulgore complere. Cæterùm quam potui lucem, ex illo fonte luminis hausi, & vt Compostellanæ Ecclesiæ Proceribus, ac Vrbis sacræ ciuibus propinarem, Mundi sex diebus primis infudi, & sex Dominicis Quadragesimæ proximæ diebus prælibaui. Illis D. Calixti verbis innitor: *Beati Iacobi Miracula tanto lumine coruscârunt, vt possent primi opificij dies fulgore complere, ad Mundi illuminationem.* Præmitto Theophili Antioch. lib. 2 ad Autolic. sententiam, sex dierum elogium. *Exameri ordinem, vel dispositionem, nullum hominem posse pro dignitate eloqui certum est. Nec si quis haberet decies mille ora, totidémque linguas, nec si totidem annis in hoc Mundo peregrinans viueret; tantam esse excellentiam, magnitudinem, & tantas diuitias diuinæ Sapientiæ in hac tractatione latentes agnosceret.* De miraculis autem D. Iacobi Calixtus: *Si mille haberem ora, milléque linguis præditus essem, non possem partem laudum Apostoli attingere, nec miracula eius cuncta innumeris diebus recensere.* Igitur ex hac Miraculorum immensitate, quæ innumeris diebus vix celebrari possunt, ea solummodò Miracula elegi, quæ sex dierum vnicâ horâ exprimi valeant, vt ex sex fulgentissimis sex dierum horis, immensa Diui Iacobi gestorum fulgentissimorum sæcula dignoscaris. Denique operæ pretium duxi, non solùm è Compostellano suggestu D. Iacobi hæc Miracula Apostoli ciuibus aperire; sed & Volumine Apostolico exarare curaui, vt alij alibi concelebrare valeant vnici nostri Patroni facinora. Vbique etenim Hispaniæ Vrbium D. Iacobus stellæ campum sortietur; tota namque Hispania quasi vnica est tanti Patroni Ciuitas.

Profectò

Profectò duplex miraculorum genus ex Calixti aliorúmque Doctorum mente adnotaui. Vnum eorum quæ gessit Iacobus, curans suorum alumnorum, aut Peregrinorũ incolumitatem, aut rogatus, aut vltroneus, quorum quidem innumerabilia poteram recensere. Prædicationem Apostolicam signa sequebantur. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Marc. vltim. Consequebantur miracula, veluti Israëlitas petra, Prædicatores. Vltronei enim miracula gerebant Apostoli, in profluentis legis gratiæ misericordiæ commendationem. Deus Moysi: *Cùmque dixerit vobis Pharao, Ostendite signa, dices ad Aaron, Tolle virgam tuam, & proijce eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum*, Exod. 7. Vbi Caietanus. Considerandum quòd vult Deus vt non incipiant facere miracula, nisi rogati. Ait enim: *Cùm dixerit vobis Pharao, Ostendite signa, &c.* Id quidem cùm Dei stillabat pietas; at cùm profluit misericordia, Iacobus non rogatus coram Hispanis Gentilibus olim tot miracula excitat, vt vix possint ad numerum adduci.

Alterum planè Miraculorum genus id esse asseruerim, quæ Apostolus quotidie gerit occultè, Hispaniam suam liberans ab infidelium tyrannide, fidei propugnacula adijciens, ne deficiat credulitas nostra, hostium comprimens impetus, non iam equo enséque acerrimus, sed occultus animarum pacator. Quæ planè mira, licèt secreta sint, & inuisibilia; tamen ampliùs videntur nobis Patroni nostri gloriam protectionémque commendare. Recusare curans Moyses Principatum: *Non credent mihi*, ait, *nec audient vocem meam.* Dixit ergo ad eum Dominus; *Quid est quod tenes in manu tuâ?* Respondit: *Virga.* Dixit Dominus: *Proijce eam in terram; proiecit, & versa est in colubrum, &c.* Dixítque Dominus: *Vt credant, quòd apparuit tibi Dominus Deus patrum tuorum.* Exod. 4. Ex Hebræo alij: *Ob eam rem*, siue *propterea, credent.* Quonam modo ob eam rem, siue ob id miraculum credent, si non vident, si ab eorum oculis & cognitione remotissimè gestum est? Nescio, quâ occultâ cælitùs vi occulta Patroni ac Protectoris vnici Hebræorum miracula certiùs manifestat, & præclariùs publicat patratoris gloriam. Iacobus vnius Hispaniæ Patronus & Protector, dùm occultè mira gesta patrat ad protectionem fidei, ad Hispaniæ defensionem, nescio quâ cælitùs occultâ virtute fama Apostoli buccinatur.

SECTIO SEXTA.

Opera sex dierum, seu Iacobi miracula.

TEXTVS.

VERS. 1. IN principio creauit Deus cælum & terram, &c. *Vsque in finem Capitis.*

In Iacobi Miracula

PANEGYRICVS MORALIS SEPTIMVS circa literam.

Ex operibus sex dierum.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Dixitque Deus; Fiat lux, & facta est lux, factùmque est vespere & manè dies vnus.

Miracula Iacobi primi diei operibus fulgurant.

Vbi assero, illustria Diuorum gesta nitorem mutuare lucis, seu publicationis suffragio, aliáque plura ingero documenta.

1 Gen. 1. FATVR Moyses: *In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi; & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux. Et vidit lucem, quod esset bona, & diuisit lucem a tenebris. Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem, factùmque est vespere & manè dies vnus.* In operibus sex dierum, vidimus Tom. 3. de Sanct. lib. 4. sex miracula, quæ successiuè in Virgine Deiparà patrauit Conditor, expressa fuisse, quorum primus dies Conceptio purissima est, in conditione lucis significata. (*Conceptio Deiparæ in lucis conditione expressa.*) Huius lucis fulgorem D. Iacobus ostentauit Hispanis, quia primus fuit apud nos immaculatæ Conceptionis assertor, vt ex Flauio Dextro suprà dedimus. (Flau. Dext.) Profectò vnicus Hispaniæ Patronus erga Conceptionem Deiparæ fulgentissimam curauit nostrum succendere affectum, ad fidei nutrimentum, ad gloriæ fulgorem, ad sanctitudinis munimentum.

CAPVT I.

Primi diei opera recenseo.

2 *De cælo. Orig. & alij.* IN principio creauit Deus cælum.*] Empyreum scilicet (Tostaro, Molina, Origene ac Bonauentura authoribus) Vbi Beatorum Tabernacula exædificantur. Mox creati Angeli cæli illius habitatores, vt Augustinus, Beda, Victorious, & alij testantur.

3 *De terra.* Tertull. Clem. Alex. *Et terram.*] Aquæ plenam Deus terram condidit, quam Tertullianus semina rerum informia vocitauit. *Terra autem erat inanis & vacua.*] Clemens Alex. *Sicut crumena vacua pecunijs ostentatur.* Interiùs carebat seminibus & mineralibus; forinsecùs hominibus & brutis, arboribus ac plantis. Nondùm distincta in colles & valles; nondùm amnibus ac fontibus vt venis irrigua; nondùm firma & stabilis super aquas, sed his pressa & cooperta.

Tenebræ erant super faciem abyssi.] Quia illum incompositum *caligine, quasi pannis infantiæ* inuoluerat, vti Iobo Deus, cap. 38. 4 *De tenebris.* Iob. 38.

Sed Spiritus Domini ferebatur super aquas.] Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Cyrillus, 5 Basilius, Ambrosius, de Spiritu sancto exposuere. (*De Spiritu.* Cyprian. & alij. Hieron. Diod.) Hieronymus: *Vectabatur in similitudinem auis, oua calore animantis.* Diodorus. Sicut auis oua fouet alis; sic Spiritus sanctus, vt ad procreationem aptos redderet.

Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux.] 6 Ex D. Thoma in scholâ commune, hanc lucem Solem fuisse informem, & imperfectum. Dionysius Areopag. Maximus, Basilius & Nazianzenus contestantur. (*De luce.* D Thom. Dionys. & alij.)

CAPVT II.

Præclarissima Iacobi Miracula augustissimum mutuant nitorem, dùm ex tenebris præconij afferuntur ad lucem.

APtè quidem lucis conditio cunctorum quinque dierum sequentium opera præcedit, vt nitorem suffragio lucis possint mutuare. 7 (*Rectè opera ostendenda à iustis, ad proximorum ædificationem, ad Dei glorificationem.*) D. Ambrosius: *Fiat, inquit Deus, lux. Vnde vox Dei in Scripturâ diuinâ debuit inchoare nisi à lumine. Vnde Mundi ornatus nisi à luce exordium sumere? Frustrà enim esset, si non videatur.* (Ambros.)

Porrò *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* 8 vt opera spiritu Dei gesta innuerêtur, vt naturæ miracula suũ cælestem connotarent Authorem. (*Opera gesta spiritu Dei proferuntur ad lucem.*) At opera huiusmodi spiritu Dei excitata haud congruè in tenebris delitescerent, Domino monente: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matt. 5. (Matt 5.) Particula: *Opera bona*, ea commendant gesta, quæ Dei spiritu aguntur, & videnda esse Dominus ait ad Patris gloriam. Ergo postquam Deus vidit operationem Spiritûs sancti inchoari, præmisit lucem gerendis operibus, ne tenebris obruerentur, lucis nitorem acciperent, ad Numinis glorificationem. Ambrosius: *Cùm præmissus est spiritus Dei, vt diuina incipere habeat operatio. Fiat, inquit, lux.* (Ambros.) Nec enim aptè opera Dei spiritu gesta tenebris obruerentur, quæ deberent ad publicum vocari, in pro-

xinorum

ximorum ædificationem, & Dei gloriam.

Apostolis Dominus: *Vos estis sal terræ.* Quod
9. ad vitæ sanctitatem, qua proximi condiuntur, Strabus Fuldens. accommodat. Mox addidit: *Vos estis lux Mundi.* Matt. 5. Cur ex sale properauit in Solem? Vt innueret opera illa egregia ad lucem afferenda esse, vt videantur, & Dominus glorificari à videntibus possit. Vt autem bona opera non possent à luce separari, quod sal est, lucem esse Dominus asseruit. *Vos estis sal, vos estis lux.* Affirmat Chrysologus serm. 120. Persas curauisse sic opera sua ad lucem afferre, vt ipsi operatores essent lux, seu cælestia luminaria. *Persarum Reges, subiecta nunc pedibus sphæra, vt polorum se calcare vices mentiantur, nunc radiato capite, ne sint homines; Solis resident in figurâ, nunc impositis sibi cornibus, quasi vires se esse doleant, effæminantur in Lunam, nunc varias velut syderum formas sumunt, vt hominis perdant figuram, & non nihil supernæ claritatis acquirant.* Putabant se operatione plusquàm homines, & curabant Solis, Lunæ, stellarúmque fulgores tot operibus ita illigare, vt diuidi vix possent. Nihil profectò illi magnum putabant, si à luce commendationem non acciperet. Si ambiebant prophani Principes sua tenebricosa gesta totâ Planetarum luce compleri: quantò potiori iure Apostoli Mundi sal debent Solis indui fulgore, vt egregia opera videantur.

Sal virtutum Apostolicarum manifestationi luce copulatur, vt videri possint.
Matt. 5.
Strab.
Chrys.

10. *Vbi eras* (Deus Iobo inquit) *quando ponebam fundamenta terræ? Quis posuit mensuras eius, si nôsti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases eius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius. Cum me laudarent simul Astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*, cap. 38. Vbi Gregorius lib. 28. Mor. cap. 14. *Nec negligenter audiendum est, quod additur simul.* Particula, *simul*, cur apposita. Certè ex Anselmi sententiâ, Astra matutina, stellæ sunt fulgore suo Dei opera illa manifestantia, vt scilicet ab Astris vespertinis, siue hominibus videantur, & Deum glorificent Conditorem: *Et iubilarent omnes filij Dei.* Opera ergo mira D. Iacobi Hispaniarum salis aptè in lucem afferri studeo in communem ædificationem, vti omnes filij Dei toto Orbe; & videant, & iubilent, & tanti fulgoris Authorem cælestem personantibus efferant elogijs.

Cum operibus Dei simul lux acconditur, vt à filijs Dei videantur, ad Conditoris gloriam.

CAPVT III.

Iacobus est cælum Empyreum, Angelus inanis terræ fortitudo, Spiritus Domini fœcundans aquas, ac Orbis lux.

IAm ostendo primi diei opera in D. Iacobo verificari. Primum igitur *cælum Empyreum*
11. *est* (ait Calixtus) *in quo Dei gloria mirificè rutilat*, iuxta illud: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Inibi quodammodo beatitudine potitur, quicumque à Iacobo protectore suscipitur.

Iacobus cælum Empyreum, vbi adolescens gloriâ potitus est.

Gallus quidam vir illustris carebat filijs, ob vxoris sterilitatem; venit Compostellam, precatur, redit in Patriam, post nouem mensium terminum peperit vxor. Cùm quintum decimum annum ageret filius; cuncta familia gratias Apostolo redditura Compostellanam pergit in vrbem. Apud Occæ montes exitiali ægritudine correptus, moritur adolescens; parentes Iacobum enixè precantur, resurgit filius, clamans se à Diuo sui sinu exceptum, & in eius sinu ex horâ tertiâ vespertinâ Veneris vsque ad totum Sabbathum cælestibus delicijs fuisse potitum. Iacobus enim cælum Empyreum est: *Ascendo* (ait Christus Discipulis) *ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, Ioann. 20. Ad quæ Cyprianus serm. de Ascens. asserit Christum ad gloriam profectum fuisse, vt ad se suos adduceret quasi ad cælum, vbi Patris delicijs fruerentur. *Hoc Vnigeniti gloria accumulat, quòd beatitudini suæ non patitur solitariam esse magnitudinem, sed addi* [illegible] *atres.* Eos vtique excipiens, vt in proprio gremio, cælo vtique capacissimo, æternâ beatitudine potiantur. O capacissimum Apostoli gremium, quod Iesu sinum æmularis!

Christi [illegible] *Discipuli beatitudine fruuntur.*
Ioan. 20.
Cyprian.

Deinde Iacobus Angelus est. Calixtus. *Gaudebat phalanx Angelorum, eò quòd recepissent*
12. *socium.* Probat autem Angelum extitisse, dùm affirmat omnia omnibus effectum esse, quia Angelus, Mannæ in morem, omnium saporum refert suauitatem. Postquàm Seraphicus Franciscus (vt Ioannes Maior asserit) Compostellam veniens, peregrinationis ergo socium Angeli officia referentem expertus est Iacobum. Qui quidem Franciscum à pluribus periculis eruit, Diui socium, quem ægritudo retardauerat, tandem pergentem Apostoli in vrbem, scaphæ in morem, ad fluuij profundissimi & rapidissimi vlteriorem ripam deuexit. Eliam superbum curauit orante Francisco edocere humilitatem, aliáque officia gessit Angelica. Et quidem superbum carpere delinquentem Angelicum munus est. Oziam Dei minister fortiter increpauit: *Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino.* 2. Pat. 26. Quinam ille reprehensor? Crediderim non tàm hominem quàm Angelum extitisse. Chrysostomus hom. 4. de verb. Isai. *Vide libertatem, vide mentem seruire nescium, vide linguam cælos attingentem, vide hominis corpus, & Angeli mentem.* Cùm audis Iacobum, superbum Francisci socium corripientem, hominis corpus videas: sed Angeli mentem contemplare. Vnde Seraphicus Pater conquestus est, quòd Elias Angelum correptorem iracundum verbis effugârit.

Angelus est Iacobus, omnia An[illegible] *ca munera gerens erga D. Franciscum.*
Calixt.
Specul.
Exemp.
Super[illegible] *corripere Angelicum munus.*
2. Par. 26.
Chrys.

Tertiò, Iacobus est vacuæ & inanis terræ
13. virtus. Calixtus: *Virtus diuina inerat in Apostolo.* Inclytus (ait Pontifex) Miles Galliæ concertaturus cum Turcis, vouit se, Compostellam profecturum, si Apostolo fauente victoriam reportaret. Victor euasit; sed votum tradens obliuioni, à Iacobo punitur. Ita enim vires oppressæ sunt, vt tanquam terra inanis & vacua, vix posset spiracula attrahere. Eius Armigero apparet Apostolus, robur promittens ægro, si innouato voto, Compostellam petere curaret. Votum renouat, benedici efficit peregrinationis vestimenta, & mox Iacobi virtute diuinâ roboratus exurgit à lecto, & iter instituit. Tempestas oboritur, pelago ventis agitato, vouent pecunias Compostellano Templo, quas militis manu reponunt; & illicò Diuus apparet pelagum sedaturus. Fatur Salomon: *Ruina est homini deuotare Sanctos, & post vota retractare,*

Est Iacobus vacuitatis nostræ virtus roborans renouantis votum infirmitatem.

Ruina est homini, votum emittere, & non implere. Prou. 20. August.

tare, Prouerb. 20. *Ruina* quidem est, quia omni virili deficiente virtute, tota corruit ædificatio. Monet Augustinus Epist. ad Pauli. *Quia iam vouisti, iam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris, quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses.* Francus ille esset, si non vouisset: post votum non impletum, quasi non erat, viribus omnino deficientibus, & terræ primam referens inanitatem.

In Iacobo radiabat Spiritus Domini, ad peccatorũ ablutionem quasi Baptismalem, dum delet schedulam peccati grauissimi. Calixt.

13. Quartò, si *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, vt sacramenta prælibaret, Calixtus asserebat de Iacobo, *Radiabat in eo Spiritus diuinus* ad peccatorum ablutionem. Narrat Pontifex temporibus D. Theodomiri hominem suâ in patriâ grauissimum piaculum perpetrâsse, quod cùm suo Episcopo aperiret, non ausus est Prælatus absoluere, sed pœnitentem ad D. Iacobum remisit absoluendum. Scripsit ille peccatum in schedulâ, quam super Diui collocauit altare, lacrymas profundens deprecatur veniâ donari, & illico, obliteratâ criminis scripturâ, candida omnino apparet schedula. O pœnitentiæ ardens affectus Baptismi referens lauacrum? Manifestauit ille peccatum, ob quod morti esset addicendus, & Deo sententiam ferente, omnino liberatur, nec ab Episcopo vllâ grauatur pœnâ, qui ab Apostolo absolutus est. Præuenit prudens suâ scriptâ sententiâ Dei sententiam Iudicis. Paulinus Epistol. 10. *Diuinam sententiam praeuenerunt suâ*. Vt exclamet Zeno serm. 3. ad Neoph. *O dulcis sententia; ò damnatio necessaria! Homo iugulatur, vt viuat; percussor, percussorisque non cernitur gladius; percussique non hiat vulnus, non destuit sanguis, non decolor color est; ipse est, & tamen ipse non est.* Etenim quasi è Baptismi lauacro immunis à piaculo liber surgit à pœnâ.

Pœnitens absoluitur, dum se condemnat. Paulin. Zeno.

Iacobus Sol est lucernis honorandus, fores aperidi Templi portas. Calixt.

14. Denique Iacobus *Lux* Mundi, seu *Orbis Sol* à Calixto appellatur. Vndè ardentibus lucernis vti Planeta magnus honorandus obijcitur. Comes quidam (authore Præsule fratre socio,) inuisit Apostolum. A sacerrimi Templi ostiario petit illa nocte gerere excubias iuxtà sepulchrum Apostolicum. Quod cum ei (de more) abnegaretur, repetit Comes hospitium, aduocat cunctos peregrinos, qui sacrà morabantur in Vrbe numero ducentos, soccensis lucernis pergunt ad Delubrum, solem Iacobum honoraturi; hærens autem Comes pius ostio clauso profatur: *Sit tibi ò Sol, lucernarum acceptabile obsequium, nobis ad tuum sepulchrum venerabile pateat ingressus.* Mox fores reserantur tanto quidem fragore, vt cuncta ligna in particulas redigi viderentur, *Quâ in re* (addit Calixtus) *perpendi potest, quam sit exaudibilis pia petitione, qui seruorum suorum tam benignus supplicationi assuit; dum lucernæ pietatis quidem monumenta accenduntur.* Et quomodo posset Comes non exorare dum insignia pietatis petitioni robur addebant? Reserantur peccatoribus cælestis ostia Templi precante Mariâ & vberibus ostensis, simul Christus vulnera manifestas, vt Matris preces efficaciores redderentur. Et illicò portæ clausæ reserantur; quia preces impetrant, cùm pietatis monumenta, aut insignia ostentantur. Arnoldus tractat. de laudibus Virginis, *Securum accessum iam habet homo ad Deum* (cæli portis reseratis) *vbi mediatorem causa sua Filium habet ante Patrem: & ante Filium Matrem. Christus nudato latere Patri ostendit latus, & vulnera Maria Christo pectus, & vbera; nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt, & orant omni linguâ disertius hæc monumenta, & insignia pietatis.* Vbi pietatis monumenta & insignia adsunt, non possunt orantes affici repulsâ? Ergo orantes peregrini expositis pietatis monumentis, hoc est, succensis lucernis faciiem habent ad Apostolum accessum, ostiis vtique reseratis.

Exorat, qui monumenta pietatis exponit. Arnold.

Observatio II.

Ad illa verba:

Dixit quoque Deus: Fiat Firmamentum, & diuidat aquas ab aquis, &c. Et factum est vespere & mane dies secundus.

Opera secundi diei Iacobi Miracula manifestant.

Vbi commoda pacis, & concordia ab ipso Deo firmata enuncio, aliáque ingero monita.

DIXIT quoque Deus, Fiat Firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus Firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub Firmamento ab ijs, quæ erant super Firmamentum. Et factum est ita. Vocauitque Deus Firmamentum Cælum: & factum est vespere & manè dies secundus.* 15. Gen. 1. A Calixto Apostolus, *Firmamentum Ecclesiæ* vocitatur, iuxta illud: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos Orbem.* Porrò Deiparam Richardus Laurent. lib. 7. de laudibus eius, Firmamentum esse profatur, *Maria Firmamentum dicitur quoad se, quia sic firmata est in omni virtute & gratiâ, quod postea nullo modo peccare potuit, nec venialiter, nec mortaliter. Vnde dicit, Et sic in Sion firmata sum. Quoad nos, quia suos firmat in bono, & in ipsis firmat gratias, & virtutes; & propter hoc appellatur Firmamentum cæli, hoc est, Ecclesia.*

Iacobus Firmamentum Ecclesia. Calixt. *Deipara Firmamentum in se, & in nobis.* Richard.

Caput I.

Secundi diei opera expono.

F*iat Firmamentum.*] Dominus Firmamentum apposuit vt murum, qui aquas superiores ab inferioribus diuideret. Per concomitantiam aër vergens in terram, & sursum ignis sphæra efformatur. 16.

Firmamentũ quid.

Diuisitque aquas, &c.] In tres proculdubio partes liquorem diuisit. Vnam portionem eamque medianı subitò cælestes condensauit in orbes. Alias duas iussit aquæ substantiam, & accidentia retinere. Et vnam quidem reor partem mansisse impositam toti cælestium corporum hoc die creatorum globo, subditam Empyreo seu cælo cælorum. Alteram relictam infrà concauum Orbis Lunaris suprà terrarum molem: & hanc imam vim aquarum rarefactâ earum non exiguâ parte in aeris & ignis fortas-

De aquarum diuisione.

T sis

fis elementum migrâsse; reliquam, quod erat, aquam remansisse.

17. *Vocauitque Deus Firmamentum cælum.*] Et orbium, & aëris solidam illam molem cælum Conditor appellauit. Profectò Aristoteles asseruit quandam velut quintam essentiam primò à Deo efformatam, è quà cunctas creaturas velut ex materià educeret. At D. Ambrosius improbat meritò, cùm nulla in Genesi eius memoria, nullúmque vestigium appareat. Aptiùs ideo Clemens Rom. Theodoretus, Anastasius Synait. Augustinus, Anselmus, Marius Vict. Beda, & Iunilius affirmarunt aquas & cælorum & aëris extitisse materiam.

De Firmamenti nomine. De Materia rerum. Arist. Ambros.

Clem & alij.

Capvt II.

Iacobus meliùs est Ecclesiæ Firmamentum, quia vnionem quidem, & pacem, non diuisionem gessit.

18. Fatur D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, *Intuendum, quòd Scriptura in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & sexto die, expletis operibus singulorum, dixerit: Et vidit Deus, quia bonum est; in secundo die hoc omnino subtraxit.* Quodnam precor secundi diei piaculum, quòd approbationis huiusce honore priuatur? Porrò secundi diei opus fuit Firmamentum, quod aquas ab aquis diuisit: *Et fecit Deus Firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub Firmamento, ab ijs, quæ erant super Firmamentum.* Et quonam modo poterat in Dei conspectu commendabilis apparere dies, in quo conditum Firmamentum quasi stabilem, & æternam vnius aquæ ab alterà firmabat separationem?

Non laudatur à Deo secunda dies, quia firmauit aquas ab aqua separationem. Hieron.

19. Meliùs firmamentum Iacobus, qui cælestis aquæ, hoc est Hispanicæ fidei nunquam non obfirmauit statum, ablegatis noxij inferni liquoris, id est, hæresum vndis. Quique pacem nostram stabiliuit, cunctis infidelibus ablegatis, qui diuisionem efficere moliebantur. Nunquam Hispania post acceptam ex Apostolo Magistro fidem ab ipsà recessit, tot hæreticis dimicantibus. An non id assecuta est, Iacobo patrocinium deferente? Hic proculdubio Dux exercituum *ordinauit* Hispanica in Ecclesia *charitatem.* Christi sponsi dormit in sinu. *Læua eius*, inquit, *sub capite, meo, & dextera illius amplexabitur me.* Iam clamet sponsus, *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit.* Cant. 2. Quænam hæ Ierusalem filiæ, quæ possunt dormientis Ecclesiæ quietem perturbare? Certè infidelium Doctorum noxius dogmatum strepitus, & docendi exitialis diuersitas. Iustus Orgelitanus, *Filias Ierusalem sanctas & pacificas Doctorum animas dicit, quas per munda, & velocia animalia, quæ ruminare non desinunt & in campis sanctarum Scripturarum aluntur, coniurat, ne suscitare faciant donec ipsa velit. Idem dicite*, ô Doctores, *idem sapite* vti monet Apostolus. Nihil enim sic placidam Ecclesiæ quietem sic perturbare potest ac confusus diuersorum dogmatum strepitus. Profectò Doctores Hispaniei Iacobi beneficio Patroni sanctæ ac pacificæ animæ sunt sic ab hæreticis recedentes, vt nec voculæ sibilo noxio Ecclesiæ somnum interrumpi permittant.

Iacobus melius Ecclesiæ Hispanicæ Firmamentum, quia omnino ablegauit noxiũ hæresum liquorem. Cant. 2.

Iust. Orgel.

Profectò fides Hispaniea adeo pacifica est, protectore Iacobo, vt totus Mundus confiteri cogatur Hispaniam admodum fidelem. Vndè non solùm fidelis semper fuit, sed & Catholica à cunctis fidelibus Nationibus appellata est. Scio multas alias Nationes Catholicę fidei hęrescere firmiter: sed Catholicæ non appellantur. At Hispania & est Catholica, & à cunctis fidelibus Catholica appellatur. An plus est appellari Catholicam, quàm existere? Audi Dominum, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, Matth. 5. Ex Theophylacti mente per pacificos. annotantur qui vni fidei hæresciunt sine dissensionum schismate. Cur autem his pacificis fidelibus non promittitur futuros esse filios Dei, sed vocandos filios? Respondet Maldonatus noster, *Plus quiddam mihi videtur vocari quàm esse significari. Nempe ita aliquid esse, vt appareat, & omnium ore celebretur. Itaque beati pacifici, quia non solùm filij Dei erunt; sed ita erunt, vt Mundus ipse filios Dei confiteri cogatur.* Ita Hispani pacifica fide fruuntur sine hæreticorum perturbatione, vt felicissimè quidem non sulùm filij Dei sunt, sed ita sunt, vt Mundus ipse id confiteri cogatur. Hoc habet Hispania ex nostri Firmamenti munimine, ex Iacobi vnici Patroni beneficio. 20.

Non solùm Hispania Catholica est, sed ita ab omnibus Nationibus appellatur, & habetur.

Matth. 5.

Maldon.

Qui quidem noster est Choriphæus Doctores continens vt opinionum diuersitate dulcissimâ vnom ex primant melodiæ tenorem. Ioannem Præcursorem Rupertus *Præcentorem veritatis* appellauit. Ex mente Doctoris veritas euangelica velut harmonicus Chorus est, in quo variè resonant voces ad melodiam temperatæ. Porrò vocum altus, medius aut profundus sonus haud perdit harmoniam, sed mirè seruat. Profectò Hispanicarum scholarum Doctores sapientissimi dulcissimum Chorum efformant vocum, seu opinionum diuersitate concordem, quia vnam cuncti concinunt veritatem Choriphæo Iacobo dirigente: qui velut Ioannes Iudæis, testimonium de lumine seu Christo dedit Hispanis, verè *Præcentor lucis.* 21.

Iacobus Choriphæus noster, vocum diuersitate continens in Doctoribus Hispanis vnã fidei melodiam. Rupert.

Capvt III.

Iacobus Essentia quinta, Firmamentum seu virtus Dei, Vitalis calorum constitutio, Ignis refrigerium, Aërque vitalis existit.

Propterea Iacobus est secundi diei operum epilogus, si, authore Calixto, quasi Quinta rerum essentia potest appellari: *Radiabat*, inquit, *in Iacobo Diuina virtus ad opera cuncta* 22.

Iacobus quinta essentia, seu diuina

virtus formans Episcoporum calos ad Hispanorū vitā. Ostendo in Petri Bracharensis. resurrectione stupenda. Calixt.

cuncta. En veracior Quinta rerum essentia, quam Philosophica illa. Quod si ex illa essentia, siue potiùs ex virtute illa diuina vitalis quædam vis indita creaturis, ex Iacobi virtute Hispaniæ vita profluxit, dum curauit Episcopos nostris Ecclesiis præficere sanctitate, ac sapientiâ conspicuos, qui possent fidei Firmamentum fulcire. Cum Israeliticæ tribus temporibus Nabuchodunosoris è Ierosolyma fuere deturbatæ, eas secutus est Propheta quidam, nomine Daniel iunior, aut Malachias senior; quâ illustri appellatione & pulchritudo eum, & morum grauitas decorârat. Porrò Tribus adductæ fuere in Hispaniam à Nabuzardam, seu Pirro Præfecto nostro; & Propheta ille viginti annos in Hispaniâ degens, diem suum obiit, honorificéque sepultus est. Equidem post sexcentorum annorum euolutionem D. Iacobus Galeciam Prædicator iniuit, & ad fidei, quam proferebat confirmationem Prophetam illum à mortuis, incolarum stupore maximo, excitauit, & Petrum in Baptismo appellatum Episcopum Bracharensem instituit. Iesu Præsul mirus gloriam vbique Lusitaniæ profert, Regis filiam insanabili ægritudine pressam sanitati restituit, Reginā parētem ad fidē ex miraculo affectam simul cum filiâ sacrâ diluit vndâ. Rex irâ succensus lethaliter in agro percussit Episcopum, inhumato relicto cadauere, quod ex montis vertice Eremita dignouit indicantibus lucis radiis è corpore Martyris procedentibus. Tot quidem apud sepulchrum Diui miracula replicantur, vt Delubrum augustissimum fuerit sanctissimo Præsuli exædificatum. Cum suscitatus ille Daniel à D. Iacobo sacrâ vndâ diluitur, dicitur proclamasse: *Nunc viuere incipio cum Iesu meo obsequium impendo.* Et planè vitæ tunc exordium ducimus, cùm pristinâ seruitute ablegatâ (veram diceris mortem) Iesu suauissimo iugo colla subiicimus. Exituris de Ægypto Hebræis Deus ait, *Mensis iste vobis principium mensium, primus enim in Mensibus anni*, Exod. 21. Num annorum, mensiúmve antea Hebræis ratio non constabat? Cur mensis iste, quo exeunt de Ægypto primus dicitur, & anni mensiúmque principium? An nunc viuere incipiant? An dies, quibus inter Ægyptios vixerant, in annos, & menses non fuerant computandi? D. Gaudentius tractat. 1. in Exod. *Non sunt imputati Israelitis dies illi, quos consumpserunt in Ægypto; sed quando conuersi sunt ab operibus duris, tunc audiuerunt: Mensis iste &c.* Et quonam modo vita appellanda, quæ in operibus duris transigitur? Certè Daniel iunior illam non imputauit vitam, quam duxerat diu sub grauissimo legis Mosaycæ iugo; sed quando suscitatus à Iacobo Iesu iugum suauissimum cæpit sustinere, clamitat: *Nunc viuere incipio.*

Tunc incipimus viuere cum Deo obsequium impendimus.

Exod 21.

Gaudent.

23. Iam assero Iacobum Ecclesiæ fideique Firmamentum. Vir quidam Turcarum è progenie in Patria infideli moraliter se rectè gerebat à numine petens eniaè vera credulitate donari. Deiparæ se se ei ostendentis monito Iacobo adhærescit, quo duce trium dierum viam conficit. Iterum, atque iterum à Deipara iussus, ducente similiter Apostolo, maris ad littora, nauigium init, Vlisipponensem Vrbem ingreditur. Indè denique à Iacobo Compostellam adductus, Maximiliano Austriaco, tunc Archiepiscopo, sistitur, & Patribus Societatis Iesu traditur instruendus: sacra vnda diluitur, & Apostoli obsequio reliquum vitæ tempus voto consecrat. Instructor Mauri Ioannes Benaluides è nostra Societate vir pius & doctus refert, & approbat Historiam. Cur Turca non potius alijs Euangelicis ministris traditur edocendus? An apud Compostellam fidei Firmamentum? Porrò Deipara expetentem vera fide donari Iacobo tradidit fidei Firmamento. Edocet Turca sese voto adstringens Apostoli seruitio, pro beneficio maximo gratitudinem. Post saturatas turbas monet Dominus, *Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Ioan 6. Vbi D. Bernardus serm. 51. in Cant. *Iubemur* (inquit) *colligere fragmenta, id est, nec minima beneficia obliuisci.* Si minima beneficia obliuioni committenda non sunt, quomodo maxima munera obliuioni tradis? A potestate diaboli quotidie eriperis, & vix semel ad gratiarum actionem muneris recordaris.

Iacobus fidei Firmamentū esse ostētatur in Turca cuiusdam mira conuersione. Societatis Iesu Compostellanæ monumenta

Pro beneficijs gratitudo necessaria.

At si vitalis quædam vis orbi cuilibet cælesti inest ad animantium viuificationem, cuncti influxus vitales vno In Iacobo meliori cælo continentur. Theutonicus quidam ciuis (asserente Calixto) cum adolescente filio ad Compostellam profectus est. Aureos, argenteosque nummos subodoratus hospitij præses hospites curauit inebriare, & argenteum vas in eorum sacculo abscondit (Beniamini tragœdiam excitans) vt illos argueret latrocinij. Ex hospitio peregrini decedunt, insequutor criminis author clamat, vas argenteum ab illis præreptum, trahuntur in vrbem inclamantes meritò se cunctis bonis expoliandos, crucique addicendos, si vas illud apud ipsos inueniretur. Vas itaque peregrinos & bonorum expilationi, & morti addicit adolescentem, quem furti reum immatura ætas persuadere videbatur. Suspenditur filius, parensque commortuus affectu vix potuit sacra Iacobi limina pertingere. Conqueritur, Patriam repetens, filij tursum peruenit ad patibulum, vt filij miserrimi ossa sepeliret. Euolutis ergo triginta & sex diebus suspensum adhuc adolescentem inuenit, profundit lacrymas, suspirijs complet æthera. Proh Deum immortalem! filius illicò clamat: Cur ô parens bone, eiulatus emittis? An non aspicis D. Iacobum me brachiis sustinentem, ne laquei angustiæ me premere valeant? Miraculi tanti famâ peruulgatâ, Magistratus adiudicat hospitij præsidem reum esse capitis. Bonis, quæ ex Theutonico iniustè possederat, expoliatur: simul & propria bona innocentis transferuntur in ditionem, & laqueo, vti Iudas, addicitur. Vereor ne Tartareo igni grauius homini auaro, à diuitiis male partis priuari, & videre in alterius pergere possessionem. An potuit diuiti illi quiquam acerbius dici? *Quæ autem parasti, cuius erunt?* Luc. 12. Pulchrè Maldonatus, *Non dixit, Ad æternum ignem condemnaberis, quod multum maius erat malum: sed, Quæ parasti, cuius erunt? Quod eius opinione maximum erat malum. Nihil enim æquè auarus dolet, atque bonorum suorum iacturam, quæ grauior illi est, quam ignis æternus.*

24. *Iacobus cælū, è quo vita influxus peregrino suspenso profluit.* Calixt.

Qui aliena furatur, priuatur & propriys. Luc 12. Maldon.

H

25\. Enim verò si aquæ supra cælos vis tanta aduersus ignis præparatur iniurias, meritò Iacobus à Calixto *Christianorum refrigerium* appellatur: ignē enim extinguit, ne suis nocere valeat. Vno, & altero exemplo confirmabo. Apud Oppidum, *Villazaide* nomine, Franciscus Patinus & Maria de Franquis anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto conflagrante domo, Iacobi innocatione, à conflagratione liberantur. Apparuit enim illico Diuus sub peregrini specie, parentésque, ac filios dormientes ex incendio eripuit. Compostellam ineunt, inuisunt Apostolum, sed miraculum minimè manifestant ad publicam ædificationem. At reuersi ipso in ponte, qui *de la Vila* vocitatur tribus leucis vrbe dissito, concidunt peregrini debilitate pressi, nec potuere exsurgere donec votum emitterent, reuersuros in Compostellam, & ignis miraculum publicè narraturos. Mox valentes sese viæ committunt, reperiunt Iacobi delubrum, & vtrumque miraculum proferentes lætanter ad propria remearunt. Cur Apostolus sua beneficia vulgari gestit, cùm magnificentiæ proprium sit, quæ donauerit obliuisci? Seneca, *Qui beneficium dedit, meminisse non debet*. Ideo Christus cùm leprosum mundasset, præcepit illi, *Nemini dixeris*. Luc. 5. Ambrosius, *Vt doceret, non vulganda nostra beneficia, sed prementa, vt non solùm a mercede abstineamus pecunia, sed etiam gratia*. Quare ergo Iesu æmulator Iacobus punit illos, qui accepta beneficia non peruulgarunt? Profectò Apostolus facto hoc nomini suo parcit, vt nostræ consulat vtilitati: atque æquius se fert iudicari exactorem, quàm nos esse immemores, & ingratos.

Iacobus ignis reprimit vim velut aqua, quæ super cælos sunt. Ostendo in domo conflagrante. Calixt.

Vt nos ab ingratitudine liberet Apostolus, quodāmodo nomini suo parcit. Senec. Luc. 5. Ambros.

26\. Iacobus de Vorag. Vigil. Iacobi asserit, apud Castrum Prato inter Florentiam & Pistorium, adolescentem rusticà simplicitate Curatoris sui messes incendisse, quòd imminuere sibi curaret hæreditatem, quam à parentibus acceperat. Comprehenditur accusatus iuuenis, ingenuè se incensorem profitetur, caudis equorum alligatur, vt mittatur in ignem. Certè reus cum solà lineà tunicà indutus reptaretur, à D. Iacobo inuisibiliter subleuatus, (cui quidem se deuouerat) nullà est affectus læsione. Palo alligatur, ignis circum apponitur, qui vincula sola comminuit, adolescentem autem Iacobum inuocantem contingere non audet. Denique in rogum coniectus, visibiliter à Iacobo excipitur, & à cunctorum oculis abstrahitur. Si aliquis Nabuchodonosor Iacobum in igne aspiceret adolescentis illius socium vim ignis frænantem, vincula sola comminuentem, verè proclamaret, Nonne vnus missus fuit in ignem? Ecce ego video duos viros solutos, & secundus *similis Filio Dei*, Dan. 3. Nam præter quam quòd Iacobus faciei Dominicæ speciem referebat, illa ipsa tot beneficiorum elargitio cum Deo similem exponebat, fante Clemente Alexandrino lib. 2. stromatum, *Reuerà Deo est imago homo benefaciens*.

Iacobum aduersus ignem refrigerium suorum esse in iuuene liberato ex rogo probatur. Iacob. de Vorag.

Iacobus hinc Dei Filio similis ostentatur, cuius est, ignem extinguere. Dan. 3.

Clem Alex.

27\. Iacobus denique *Aer* est *Christianorum respiratio*, vti Calixtus ait. Diabolus simulans Apostoli speciem, (Hugo. Victor. authore) peregrino cuidam persuasit, tot, tantasque sæculi miserias voluntarià nece vitandas: acceptabile holocaustum sibi futurum, si pro honore Apostolico vitam proprià manu litaret. Seductus miser se exitialiter vulnerat, & exanimis ab hospite reperitur. Vix autem viuus ex admirationis euigilat somno, cum mortuus resurgit vocibus complens æthera. Clamat, se à dæmone seductore ad Tartarum deduci, sed à vero Iacobo præreptum, ac vitali halitu restitutum, vt grauissimum piaculum confessione dilueret. Edisce, (inquit Apostolus) nihil nisi è prudentis consilio peragere. Electionis Vas Paulus ad Philemonem pro Onesimo interueniens ait, *Sine consilio tuo nihil volui facere*, num. 14 Ambrosius, *Quum esset Vas electionis diuina, consortium consilij non dedignatur alieni*. Et dedignaberis stultitiæ vas a sapienti capere consilium, cùm salutis negotio prouidendum est?

Iacobū Aerē esse seu respirationē Christianorū apparet in misero, qui sibi necē intulit. Calixt. Hugo Vict.

Nihil gerā sine prudentis consilio. Phil. n. 14. Ambros.

Observatio III.

Ad illa verba:

Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum, &c. Et factum est vespere & mane dies tertius.

Iacobi prodigia tertij diei operibus illustrantur.

Ostendo augustissimum esse homini, quòd eius non desinat vnquam esse fides, aut virtus, quæ semel cœpit, pluraq; alia innuo.

28\. DIXIT verò Deus, *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum; & appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam Terram: congregationésque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus, quòd esset bonum. Et ait, Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignúmque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundùm speciem suam. Et vidit Deus, quòd esset bonum. Et factum est vespere & manè dies tertius*, Genes. 1. Preme illud, *Cuius semen in semetipso sit super terram*. Deiparæ Virginitas & Maternitas fœcundissima annotatur, fante Richardo Laurent. lib. 2. de laudibus Virgin. *De proprià substantià suà, non de seminum commixtione concepit florem, & fructum suum. Vnde dicitur Genes. 1. Cuius semen in semetipso sit super terram. Beneficio tamen roris, & pluuia Virga fœcundatur, & calore Solis fructus illius maturatur. Ros Spiritus sanctus iuxta illud: Rorate cæli desuper. Isa. 45. Calor Solis charitas Dei Patris, qui sic dilexit Mundum, vt Filium suam Vnigenitum daret*, Ioan. 3. Profectò D. Iacobus Incarnationis mysterium prædicauit Ecclesiæ, dum illud fidei dogma protulit iuxta Patrum sententiam: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, &c.*

Gen. 1.

Deipara fecunda virginitas, quam Iacobus prædicauit. Richard.

Isa. 45. Ioan. 3.

* * *

CAP.

Capvt I.

Tertij diei opera adnoto.

29. *Aquarum congregatio.* *COngregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.*] Aquam, quæ vniuersam terram operiebat, vnum traxit in alueum, terrâ apparente. Partem huius fecit Deus in valles subsidere, partem in montes assurgere. Atque ita multum aquarum in varios hinc inde hiatus se abdidit; multum etiam à terrâ, quæ altior, & maior est aquis & circumquaque decliuis iacet, per varios riuos, & subterranea in Occeanum defluxit. *Basil.* Basilius, *Reuolutis cortinis, se conspicuam terra præbet.*

30. *Marmorû ac æris creatio, ac gehennæ molitio.* Die hâc marmorum saxa ædificantur, cunctis æribus semina procreantur, quæ insatiabilis perscrutatur audacia. Denique in imo terræ centro eleuatâ inde portione tot montium, & littorum editorum vastum spatium reliquisse credidero Conditorem, vbi de ipsâ terræ substantiâ sulphurei ignis, & conflagrationis inexhaustam materiam; & per illud inane Diabolo, & Angelis eius sedes æternas, pœnámque præparauit: quem locum gehennam, infernúmque nuncupamus.

31. *Aquarum profluxio.* *Congregationésque aquarum appellauit Maria.*] Cùm Deus aquas marinas ab aliis distinxit, illis terrenas, & adustas exhalationes admiscuit, vnde salsugo: idque vt à putredine tum ipsæ aquæ, tum ingentes illæ pelagi belluæ conseruarentur. Easdem aquas in tot alueos tot locis in varios sinus terrarum intulit, vt tota hæc arida vicinior esset mari, è quo maiori ex parte nubium materia ascendit, vti commodiùs terra irrigaretur, & ventis marinis ad salubritatem, & fœcunditatem perflari posset.

32. *Germinatio terræ.* *Germinet terra herbam virentem.*] Passiuè inquam dando materiam germinationi. Illicò flores, folia, fructus, gramina produxit, quia Dei perfecta sunt opera. Tunc etiam terra rosam cum spinis, paliuros, cicutam, & omnes venenatarum plantarum protulit species. Porrò cuncta hæc verno fuere tempore excitata.

Capvt II.

Hispania ex D. Iacobi Magisterio & patrocinio, fidei, ac sanctitatis germina protulit, quæ perpetuò sua poterit appellare. Augustissima planè Hispaniæ gloria, quòd nunquam sua desinant esse illa, quæ semel cœperunt.

33. *Fidem, sanctitatémque ex prædicatione Iacobi germinauit Hispania.* GErminet, inquit Deus, *terra herbam virentem, & facientem semen*, &c. Non solùm terra gramina profert, sed & semina ad germina futura producit; vt æterna sit herbarum procreatio. Fidem ex Iacobi prædicatione, sanctitatémque germinauit Hispania, quam quidem æternùm videtur retinere. Nec enim vnquam à fide semel acceptâ recessit, filiis fidelibus fideles natos exponentibus.

34. Aiebat Plinius lib. 1. Epist. *Effinge aliquid, & excude quod sit perpetuo tuum. Num reliqua rerum tuarum post te alium, atque alium Dominum sortientur: hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cœperit.* *Hispania cœpit fides esse, & nunquam desiit.* O Hispania, magni tibi æstimandum nõ est, quòd potens regnis, ac prouinciis caput attollis; superbâ mole palatia, sumptuosi redditibus census Procerum tuorum, reliqui honorum, & opum tituli non te efficiunt vbique Nationum commendabilem: sed fides, & sanctitas, quam, virentia velut gramina tellus, imperante Iacobo germinasti. Hic honor tuus, hæc tua gloria germina cum seminibus protulisse, hoc est, Sanctorum filiorum factam esse parentem, fideique & sanctitudinis fructus tuos posse vocitari; quia ab ineunte legis gratiæ ætate semper fidelissima extitisti.

Multa regna cælum effecta aliquando fuere 35. *Quasi innatus fidei, ac sanctitatis fulgor cælo Hispanico.* augustissimis ornata luminaribus. Anglia quondam fidelissima decidit à fulgore. Attamen aliquando illustrissimis Proceribus exornatur, qui magna luminaria cælum efformant; sed subitò stellis occumbentibus, redit noctis instantia. *Gen. 1.* *Fiant*, Numen ait, *luminaria in Firmamento cæli. Fecitque Deus duo luminaria magna, & stellas, & posuit eas in Firmamento cæli*, Genes. 1. Preme particulam, *Et posuit.* Haud fulgor ille innatus, non suus erat, sed appositus; vnde & exoritur, & occumbit. Dum exoriuntur luminaria, cælum ornatur pulchritudine: dum recedunt, tenebris offunditur. Terra autem semper germinibus ornatur, & semina præparat in progeniem. Vidisti nonnulla Imperia iam cælum luminaribus magnis Diuorum ornatum, iam tristissimæ noctis imaginem extinctis syderibus. Hispania interim semper eadem & fide, & sanctitudine ostentatur ex specialissimo planè Iacobi patrocinio. Haud ei luminaria posita, sed germina sanctitatis innata.

Quòd si ex tot Diuorum Martyrum, Confes- 36. *Sol Iesus, Luna Maria, & Mars Iacobus nunquam occidunt Hispaniæ: sed in morem germinum, proferuntur semper.* sorum, Virginum syderibus cælum esse Hispaniam asserueris; fateor illud verificari: *Fecitque Deus duo luminaria magna, & stellas, & posuit eas in Firmamento cæli.* Christus & Maria duo magna luminaria Laurentino Richardo assertore, Iacobus Mars stella elucescit. *Richar.* Posuit Deus in Hispanici cæli Firmamento Martem Iacobum, quem secuta est Deiparens Filium gremio afferens, vti D. Mariæ de Pilari Cæsaraugustanum Delubrum prædicat. Porrò hæc fulgentissima sydera nunquam occidunt, sed in morem germinum proferuntur, & *semen efficiunt* stellarum, iuxta illud Domini ad Abrahamum: *Numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum.*

Fatur Ambrosius lib. 1. Examer. cap. 7. *Cur* 37. *Diu apparuit terra Hispanica vacua, cæli inornatum; vt constet, deberi Iacobo eius vbertatem, & pulchritudinem.* *Deus, sicut dixit, & facta sunt, non simul ornatus congruos rebus assurgentibus donauit; quasi non potuerit cælum insignitum stellis subitò, vt creatum est, fulgere; & floribus ac fructibus terra vestiri?* Oportebat-ne terram suam dignoscere vacuitatem, cælumque luminarium defectum, ad vberiorem brachij diuini commendationem? Sic profatur Adamus. *Ambros.* Aliquando Calixtus D. Iacobum dexteræ Dei digitum, siue Spiritum sanctum appellauit, cuius operatione *Calixt.* cuncta sunt excitata iuxta illud? *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum.* Hispania igitur, si terra est, diu appareat inanis vacuæ idolorum culturæ seruiens, inuisibilis, incom-

posita; vt Digiti Dei Iacobi operationem amplius valeas dignoscere,& commendare. Si autem cælum est,diu tenebris obruatur,vt tot Diuorum fulgentissima luminaria Digiti Dei Iacobi curâ apposita esse æternùm profiteatur.

38. *A terra Hispanica Astra velut gramina producuntur, id est, Diui.* Oleast.

At Oleaster quærit, Cur Astra à Firmamento producta non fuerint, quemadmodum herbæ, & arbores à terrâ? Et respondet, *Licèt Astra cæli perfectiones esse dignoscamur, quia tamen nobiliora valde sunt, non permisit à Firmamento produci, quemadmodum herbas,& arbores à terrâ.* Hoc mirum in Hispania, quòd germina stellifera à terra producantur, quemadmodum gramina, & arbores assolent à terrâ germinari. *Germinet* (inquit Iacobus) *Hispanica terra.* Mox stelliferæ plantæ producuntur, Dominicus, Ignatius,Theresia, Xauier,Borgia, Martyres Cæsaraugustani innumeri,Granatenses Montes Diuis redundantes,Centolla,& Helena,ac Casilda Burgenses,fortissimi Cardeniæ ex Benedictinâ Familiâ Martyres,Emeretius ac Celedonius,Iustus ac Pastor, Marcellus Legionensis, totaque familix Stellifera planè, Ildephonsus Leocadia, Isidorus, Isidrus Agricola, Braulius, Aldelmus, Antonius Paduensis,Ioannes de Saagun,Didacus, aliique innumeri Stellarum exercitus. Multæ Nationes Diuis honorantur,sed aliunde adductis. Luminaria hi magna, sed illo minimè à Firmamento producta. At Hispania terra cælestis sic Diuos producit stellas, ac si germina parturiret; vt ex Firmamento nostro proferantur, tanquam è proprio penu. Quod quidem mirabili deberi satori D.Iacobo quis valeat dubitare? Idem profectò in Franciâ nobilissimâ Diuorum parente recognosco dum lego Martyrologium Gallicanum tot Sanctis exundans. At ex Iacobi protectione ortum id habuisse non renuat profiteri, qui vidit quasi Galliam transferri in Compostellam ex frequentiâ peregrinorum, qui sacris Apostoli liminibus piè admodum procidunt.

CAPVT III.

Iacobus à carcere temporali liberat, & æterno, quasi Deus pelagi, in lapidibus mirabilis, cunctis ægritudinibus salutifera germina præparat, dum protector exsurgit.

39. *Ex tartareo carcere Peregrinum extraxit Apostolus.* Calixt.

IGitur Iacobus tertij diei opera mirificè refert. Nam si hodie carcer iniquis deputatur, carcere Apostolus liberat ab vtroque, temporario scilicet,& æterno. Ait D.Calixtus, *Iacobus homines à Deo creatos de manu mortis eripuit.*

Peregrinus alter dæmonis instigatione se se gladiolo lethaliter vulnerauit, tartaróque addictus est: nec tamen clamitare cessabat, *Iacobe miserorum Patrone, mei miserrimi miserere.* Apostolus ergo descêdit ad Tartarum,animúmque peregrini non vltimâ sententiâ damnatum, sed depositum extraxit à flammâ, corporique restituit, vt delictis se se expiaret,& Apostolicæ potentiæ gloriam efferret.

Orationis ac gemituũ musica Deum incantat.

Musicâ dicitur Orpheus Tartaro Euridicem vxorem extraxisse. Fabulosa quidem harmoniæ incantatio orationis ac gemituum vim exponit. *Domine* (inquit Isaias) *in angustiâ requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis*, cap.26. Hebraicè, *Effundunt oratoriam, quando castigatio tua eis.* Forerius, *Effundunt incantationes.* Isa.16. Foret. Efficax illa musica ad Tartareas confictas Deitates soporandas, incantandas. At gemituum harmonia Deum verum incantat, dum piaculorum in gehenna pœnitudinis affectu inclamamus: Domine miserere.

40. *Ex temporario carcere quatuor liberauit alumnos.* Calixt.

E temporariâ autem custodia Apostolum suos alumnos eripere, quatuor miraculis ostendam ex Calixto.

Alfonso regnante quidam Dux nomine Ermenjotus, aduersùs Mauros deuastantes Hispaniam decertauit Marte quidem aduerso. Nam captiuitati addictus cum Sacerdote, aliisqoe Christicolis Cæsaraugustæ fuere carceri traditi. Ad Iacobum preces, ac vota profundunt,qui vincula cælesti emolliuit vnguento,suos eduxit è custodiâ, Vrbis obsignatas Crucis signo portas aperuit, duxit in Castrum, auolauit ad Superos. Redempti autem se se in Compostellam contulere.

Alius Miles aduersùs Comitem Fontiscalcrium decertauit, victus fugit, comprehensus capite damnatus est. Cùm ad supplicium duceretur orauit Apostolum, *Sancte Iacobe, quem Hierosolyma gladio occidit, miserere mei decollandi.* Ferrum percutiens cereum redditur, iratus carnifex curat Militem gladio perfodere, sed æs transit in lanam. Ad carceris reducitur angustias, vbi inuocatus Apostolus fert opem, vincula comminuens, & virum educens è custodiâ.

Bernardus quidam captiuitate pressus, & in profundo turris illigatus, Iacobi implorat auxilium, qui manu tenens vinctum ad eacumina turris ducit sexaginta cubitorum ascensu: vnde iussus facili saltu,donatur libertate.

Meteator à Tyranno expilatus custodiæ traditur, ingemit Apostolicum implorans auxilium. Vigilantibus Custodibus, vincto apparet Apostolus. Alta turris contrahitur adeò,vt sine saltu terga daret periculo. Insequuntur Custodes,sed visum non agnoscunt,& inutili expeditione factâ,reuertuntur.

Apostolus Christũ cum suis in carcere inclusum imitatur. Matth.25. Ambros.

An non vides Apostolum cum suis in carcere inclusum,vt alleuet? Christi Iacobus morem gerit clamantis: *In carcere eram,& venistis ad me*, Matth.25. Vbi Ambrosius, *Quid mirum, si visitet Deus in carcere positos, qui se ipsum in carcere inclusum esse memorauit.* Vnde ex Calixti mente Apostolus accuratè incumbit suorum alumnorum liberationi; quia eis liberatis, quasi ipse è vinculis simul eripitur. Aiebat Saluianus lib. 4. ad Eccl. *Nullus seruorum suorum exulat, nullus frigore, nuditate, ac vinculis torquetur, cum quo ille non algeat, non illigetur. Solus cum esurientibus esurit; solus cum sitientibus sitit; solus tantummodo Christus est, qui in omnium peregrinorum vniuersitate mendicet.* Saluian. Solus tantummodò Christus? Tuâ veniâ ô Pater, etiam Iacobus suis cum vinctis illigatur, in omnium peregrinorum vniuersitate mendicat. Fallor equidem; solus enim Christus est ille. Nam cùm Iacobus suis alligatis, ac peregrinis egentibus socius adhæret, Christi gerit personam.

Iam

41. *Iacobus velut sacer Neptunus pelago imperat, vt vno & altero miro patet.* Calixt.

Iam verò Iacobus Diuus pelagi apparet, fante Calixto: *Velut rector maris, nauem Ecclesia per mare sæculi ad portum salutis perduxit.* Iacobum pelago imperitare vno & altero ostendam prodigio, dictante Calixto. E Ierosolymâ Episcopus quidam Dei laudes præcinebat in naui, obortâ dirâ repentè tempestate, ab vndis abripitur, & longe à nauigio dissitus precatur Apostolum; quo imperante mari & naui, procella ablegatur, nauis euadit, & naufragum recipit. Qui quidem Compostellam ingressus, gratitudinis ergo hoc carmen dulci melodiæ addixit, sacerrimo proferendum in Templo:

O lux clara Gallicanorum,
O adiutor omnium sæculorum.
O decus magnum Apostolorum.
O aduocate peregrinorum,
Iacobe, supplantator vitiorum;
Solue nostrorum catenas delictorum,
Et duc nos ad salutis portum.

Sine Diui patrocinio periculosè sæculi versaris in pelago. 1 Reg. 15. Rupert.

Porrò alter peregrinus irato absorbetur à pelago, inclamans: *Iacobe succurre.* Socius totelam militarem, seu scutum, iactauit ad vndas, super quam naufragus sedens tutissimam experitur scapham, tribus diebus, ac totidem noctibus suam nauem secutus. In ipsa receptus tandem est, affirmans Iacobi se Rectoris pelagi gremio nauigasse. Horribile admodùm sæculi pelagus, sine Diuo Patrono, qui possit vndis imperare, peribimus. Saul Samueli: *Peccaui* (inquit) *sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.* 1. Reg. 15. Ad quæ Rupertus lib. 4. de vict. ver. cap. 16. *Homo sæcularis animi totus deditus ambitioni, etiam ad adorandum Dominum pompaticè solitus ingredi, hoc dolebat, si eo tempore tali, in tanti triumphi festiuitate tantus Propheta sese subtraheret eius comitatui.* Cur dolet sine Diuo procedere vel ad festiuitatem colendam? Quia *homo sæcularis* secum pelagus afferebat. Periculosum planè nauiganti, mystico sine Rectore Diuo procedere, tot mari periculis exundante, quot Bernardus descripsit.

42. *Apostolus saxea corda emolliuit. In omnis præsagium lapides cereos reddidit.* Vorag. Bellech.

Marmor hodie saxáque durissima procreantur? Lapides duriores emollioit Apostolus Cadauer Diui marmoreo adaptatum feretro, quasi cereâ in domo recipitur, saxo membris aptato, vti Iacobus de Vorag. & Ioannes Bellech. scripserunt. A Reginâ Gallecia Lupâ dirè excipitur sacerrimus thesaurus, ad Regem Hispaniæ portitores remittuntur; carceri addicti cereos lapides turris experiuntur: fugientes barbari insequi conantur; sed lapides pontis cerei effecti hostes obruuntur. Apud Iriam Flauiam viuens Iacobus è saxo cedente fontem aquæ dulcissimæ extraxerat baculi impulsu, & sedens super lapidem, eum cereum expertus est, vt incusaret vetulæ cuiusdam depeauatæ duritiem, quæ tandem conuertitur exemplo saxi in butyrum motarii: An non præsagia hæc, Hispanos, qui Apostolicæ prædicationis initio saxei fuere ostentati, Iacobi ope emolliendos. Peccata quidem marmorea reddunt hominum corda. *Pharao olim descendit in profundum quasi lapis.* Ambrosius ad Psalm. 36. *Moyses pertransiuit, præcipitatus est Pharao, quoniam grauia eum peccata merserunt.* Et Origenes hom. 6. in Exod. *Iniqui demersi sunt in profundum; Sancti autem non demerguntur, quia leues sunt, & peccati pondere non grauantur.* Gratias Patrono nostro, qui saxa emolliens Hispanica nos a Pharaonis liberauit exitio.

Peccatores lapidei, Psalm. 36. Ambros. Orig.

Hodie denique medicæ herbæ germinantes, Medicum Iacobum cunctis ægritudinibus succurrentem memorant. Calixtus: *Sola Dei gratiâ sibi datâ D. Iacobus ex omnibus infirmitatibus curat.* Innumeris possum illustrare miraculis Iacobum cæleste pharmacopolium, Hispanis ac Gallis extitisse. Attamen breuitatis ergo, ex Calixti eiusdem authoritate, duplici solummodò ostendam. 43. *Medicarum herbarum munus gessit Apostolus, sanans ægrum & paralyticos.* Calixt.

Miles Appuliæ interno gutturis vulnere laborabat. Quòd cùm medicamina non proficerent, *Quis mihi,* inquit, *daret sacram aliquam concham è Gallecia littoribus a Iacobo sanctificatis mea ægritudini pharmacum planè efficacissimum adhiberi?* A peregrino quodam concham accepit, ac illius contactu miram illicò sanitatem.

Vir Nobilis è Burgundia Gulbertus nomine, ægritudinis pristinæ vinculis tenebatur in lecto paralyticus. In Compostellam affertur, comite vxore piâ, xenodochium non ex inopiâ; sed pietatis ac deuotionis causâ eligit hospitium, vbi nocte illa audiuit à Diuo: *Meum Templum ineas, in precibus perseuerare cura.* Quod cùm vir præstitisset, post vnum & alterum diem cælestem hominem, nempè Iacobum, nactus est, qui eum iussit veræ Probaticæ experiri efficaciam. Cur Iacobus paralyticum sanaturus eum ad preces fundendas allicit? Profectò gerit Dei morem, qui vt rogari possit munera differt. *Elisæus percussit aquas, & non sunt diuisa,* 4. Reg. 2. Si tandem diuidendæ erant vndæ, cur primam ad percussionem aqua non cessit? Abulensis: *Vt compelleretur orare, non sunt diuisa prima vice.* Sæpè in nomine Apostoli, haud præmissâ oratione, intendimus diuisionem fieri, hostes colligatos semoueri, tribulationem bellorum pacari. Haud sufficit, *Santiago y a ellos;* sed opus est preces feruenter humilitérque litari. Addo ex Discipulo Paralyticum alium inclamâsse, cùm Iacobus Herodianum duceretur ad gladium. *Sancte Iacobe, libera me a doloribus, quibus omnia membra mea cruciantur.* Cui Apostolus: *In nomine Iesu, ob cuius honorem decollandus adducor. Surge, & ambula.* Illicò surrexit ægrotus, vt Apostoli virtutem verè piscinam confirmaret.

Vult Deus vt preces fundamus, etiam cùm vult beneficia largiri. 4 Reg. 2. Abulens. Discipul.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Fiant luminara in Firmamento: Et factum est vespere & manè dies quartus.

Operibus quarti diei lux miraculorum Apostoli rutilat.

Assero militiam & sanctitatem difficilè vnâ in sede morari, aliáque moribus suggero documenta.

DIXIT autem Deus: *Fiant luminaria in Firmamento cæli, & diuidant diem & no-* 45.
Gen. 1.

ctem,

ctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos, vt luceant in Firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt praesset diei; & luminare minus, vt praesset nocti; & stellas. Et posuit eas in Firmamento cæli, vt lucerent super terram, & praessent diei & nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum: Et factum est vespere & manè dies quartus. Gen. 1. Preme illud: *Luminare maius, vt praesset diei; luminare minus, vt praesset nocti, & stellas.* Ad quæ Richard. Laurent. lib. 7. de laud. Mar. *Luminare maius, id est, Solem Christum, vt praesset diei, id est, iustis; luminare minus, id est, Lunam Mariam, vt praesset nocti, id est, ad illuminandum peccatoribus. Et stellas, id est, Apostolos. Christus Sol iustitia, Maria mater gratia,* impleta misericordiâ erga peccatores. Porrò erga Hispanos Maria specialissima rutilat pietate, dùm Apostolicam immisit stellam, Iacobum scilicet, qui Solis ac Lunæ, Christi, & Mariæ, nos cultum edoceret, confictis Planetis, seu Deitatibus ablegatis.

Christus Sol. Maria Luna. qua stellam Iacobum in Hispaniam immisit. Richard.

Capvt I.

Quarti diei opera expendo.

46. *Luminaria accenduntur.*

Fiant luminaria, &c,] Id est, vasa quædam luminis ex cælesti substantiâ condensata. *Diuidántque diem & noctem.*] Sol diei Præses, Luna noctis Moderatrix exurgat. Sol præsentiâ suâ diem efficit, noctem causat absentia.

47. *De Luna*

Luminaria magna.] Luna omnium Planetarum minimus est, si Mercurium excipias. Cur ergo magnum luminare vocitatur? Quia terræ propinquior, magnum apparet. Quia in nos vberiùs influit; illud autem magnum nobis, à quo munus accipimus.

48. *Quid praesse diei & nocti?* Delrius.

Vt praesset diei, vt praesset nocti.] Hebraicè, *Ad dominandum.* Quonam modo Sol Lunáque dominantur? Respondet Delrius: *Seruiendo diei, & seruiendo nocti.* Ille etenim dominatur augustiùs, qui subditis ministrat vberiùs. Porrò Sol & Luna, & Stellæ sciunt consistere, & ex suo ordine prosilire in hominum obsequium; vt temporibus Iosue accidit, ad illam celeberrimam perficiendam victoriam. Ios. 10. Pugnant etenim, quia in morem exercitûs instruuntur. *Stellæ manentes in ordine suo contra Sisaram pugnauerunt.* Iud. 5.

49. *De stellis.*

Et Stellas.] Cuncta cælestia luminaria præparantur, Firmamentique sydera succenduntur, quorum quidem, velut arenæ lucidissima grana, Innumeræ Stellæ lacteam viam ostentant. Cunctarum Stellarum munus lucere in Firmamento cæli, terram illuminare. Præcipuorum autem luminarium officium, diuidere diem ac noctem, esse in signa, &c. Non equidem vana Iudiciariorum signa; sed naturalia prognostica pluuiæ, serenitatis, gelu, ventorum. Deinde in signa serendi, plantandi, metendi, nauigandi. Tertiò in signa temporum, dierum scilicet, Mensium, Annorum, qui Solis cursu describuntur.

Capvt II.

Miraculum magnum Iacobi fuit. Milites fide ac pietate conspicuos instruxisse, cùm difficilè pietas militiæ colligetur.

Dum Stellarum exercitus contemplor, dùm earum promptissimum sub Ducis æterni imperio obsequium aspicio: Hispanorum exercituum fidem ac pietatem sub Iacobi potentissimi Imperatoris patrocinio menti libet obijcere. Nec enim facile est, Milites fidei ac pietati obsequium expedire. Isaias: *Completa est* malitia eius, cap. 4. Vatican. legit: *Militia eius.* Bernardus 2. ad Milit. *Quis igitur finis, fructúsve sæcularis huius non dico Militia, sed malitia.* 50.

Militia ne, an malitia? Isai. 4. Vatic. Bernard.

Fatur Moyses: *In principio creauit Deus cælum & terram,* Gen. 1. Particula illa, *Deus,* hebraicè non est *Iehouah*, sed *Elohim*, id est, *Iudices.* Cur non Dei misericordis sub nomine *Iehouah*; sed rigidi sub Elohin appellatione facta memoria, cùm cælum extruitur? Vt respondeam recolo illud cap. 2. *Igitur perfecti sunt cæli, & omnis ornatus eorum,* hebraicè: *Et fuerunt fines cæli, & omnes exercitus eorum.* Vbi Caietanus pulchrè: *Astra sunt sic ordinatè disposita, quemadmodum si essent exercitus corporum cælestium; & similiter volatilia sunt à Deo sic disposita ordinatè, vt constituant veluti exercitum inferiorum cælorum. Ex hoc autem ordine apparet ratio, quare Deus sub nomine Iudicis describitur Creator cælorum.* Stellæ ac volatilia efformant exercitum? *Las Estrellas son soldados puestos en el campo de los cielos, donde no faltan dragones, donde no faltan carros? Las aues forman escuadron volante?* (vulgari, quæso, parcite expositori.) Deus ergo appositè vti integerrimus Iudex obijcitur, vt adnati excessus militiæ supplicij formidine comprimantur. 51.

Deus Creator stellarum, sub nomine Iudicum annunciatur, vt qua in morem exercitus militantes, compescantur ex formidine iudicij. Gen. 1. Gen 2. Caiet.

Quàm difficilè exercitus sub pietate contineri! Cælestis Sponsus aut Ecclesiam dilectam, aut Deiparam dilectissimam laudibus effert: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Cantic. 7. Vbi Richardus Laurent. lib. 3. de laud. Virg. *Ipsam tanquam Reginam sequuntur omnes Sanctorum acies ordinata secundùm status suos, vt sub ipsâ & cum ipsâ pro nobis contra diabolum militent.* Aptiùs alij asserunt, aut Ecclesiam, aut Mariam castrorum aciei comparari, quia virtutes in Ecclesiâ, aut in Virgine, in morem exercitûs instruuntur. Cur ergo virtutes ordinatæ acies vocitantur, si virtus perfecta non potest non ordinata procedere? Certè quia tam agnata assolet esse exercitui inordinatio morum, vt vel ipsæ virtutes, dùm in morem militum procedunt inordinationis quodammodo videantur ingerere suspicionem. Vnde monemur virtutum illarum aciem esse ordinatam. 52.

Tàm difficile est exercitus sub pietate contineri, vt vel virtutum acies ordinata appellanda sit, ne credatur inordinatè procedere. Cant 7. Richard.

Iubetur Abrahamus filium vnigenitum Domino litare. Obediens è domo recedit, filium ducit ad montem, præparat ligna, Isaac humeris 53.

Mirum quòd Abraham factus miles timeat Dominum. Gen. 22.

meris apponit, ignem gestat, famulos relinquit in plano, cum filio scandit verticem, ædificat Altare, desuper ligna componit, alligat filium, ponit in Altare super struem lignorum. *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Quid plura? Numen inclamat: *Nunc scio quòd timeas Deum.* Gen. 22. *Nunc scis*, Domine? Et anteà non sciebas? Nunc, quæso, quid vidisti? Affirmat D. Basilius Seleuc. Abrahamum arrepto gladio, in militem esse conuersum, vt aduersus carnem & sanguinem decertaret. Nunc ergo quando miles, cùm sit Patriarcha, adbuc curat Domino obedire, & perfectioni studet holocausti, manifestat planè, diuino affici timore, fide nitere.

54\. *Mirum quòd gladius militis ius dicat, cùm ei agnatum sit iniurias irrogare.* Basil. Seleuc.

Exclamat Præsul ingeniosus: *O spectaculum formidandum! Amor in prolem, Deique dilectio iudicio contendunt, & Iudex ensifer,* Miles vtique, *instat Abrahamus, ac ense ius dicit, victoriámque Dei dilectioni tribuit.* Mirum equidem, quòd *ense*, quo Miles ostentatur, *ius* dicat. An non vidisti muliercùlas illas, de filio contendentes apud Salomonis Tribunal? Afferri iubet Rex gladium; qui quidem contra ius (scio Salomonis iustissimam intentionem) innocenti infanti mortem minitabatur, à verâ parente filium viuum separabat, dimidium mortuum inutiliter addicebat vtrique. Igitur mirum, quòd Patriarcha militem agens *ense ius* dicat, contra agnatam ensifero ad iniuriam (ex hominum malitiâ) inclinationem. *Nunc scio quòd timeas Deum.*

55\. *Ideò laudatur fides militis Centurionis.* Matt. 8.

Miles à Domino famulo paralytico postulat sanitatem: *Puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Quod cùm Dominus se domum initurum promisisset, replicat Centurio: *Domine, non sum dignus, vt in domum meam intres; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam ego homo sum sub potestate constitutus, & habeo sub me milites.* Dominus autem clamat: *Non inueni tantam fidem in Israel*, Matt. 8. An non illustrior fides Mariæ, de quâ Elisabeth, *Beata quæ credidisti?* Luc. 1. An non maior fides Apostolorum, retia, nauem, ac parentem relinquentium, vt tua monita implerent? Quomodo ergo asseris, te in Israël tantam fidem non inuenisse? Opus est personarum qualitatem munerúmque expendere, ac ponderare conditionem. Plus est, Militem Deo obsequium deuotum litare, quàm omnia relinquere piscatorem. Miles humilitatem præ se fert? fides cum ense copulatur? *Non inueni tantam fidem in Israel.*

Luc. 1.

56\. *Miraculum Iacobi, milites fideles ac pios ostentari.* Chrys.

Iacobus sanctissimus Hispanicum ducit exercitum tantâ fide constantem, vt priùs pectus vulneri exitiali tradat, quàm Religionis iacturam patiatur, tantâ pietate affectum, vt contra ius nihil audeat inferre. Laudat Chrysostomus Israëlitas Milites, qui Domino etiam bellando placuerunt. *Et victoria*, inquit hom. 14. ad popul. *& clades exercitatio ipsis, & virtutis instructio erat.* Recole exercitus illos, quos Iacobus speciatim dicitur direxisse, quando Crux sanctissima egit triumphum. Quanta militibus compositio morum! quanta fides ac pietas! Huiusmodi acies instruit Apostolus. Si quando autem apud Hispanos milites impietatem animos contigerit defœdare, aufugiet Apostolus, ne tàm inordinatæ aciei Rector asseratur.

CAPVT III.

Peregrinis in Compostellam sese conferentibus via lactea est ex Iacobi patrocinio, qui stelliferos cùm ducat exercitus, Christianis militibus vires addit ad victorias.

IAm exaudistis lacteam illam stellarum viam vulgariter vocitari: *El camino de Santiago.* 57.
Quare precor, nisi quia peregrinis ad Compostellam tendentibus, lacteum redditur iter ex beneficiis Iacobi, qui cuncta auferens incommoda, viam efficit lacte redundare. Calixtus vocauit Apostolum *lumen opimum*, seu multitudinem stellarum lacteam viam sternentium. Peregrini quidam (Huberto Bisuntino authore) iuramento firmant Compostellam profecturos coniunctim, vno solummodò non iurante. Pergunt, ægrotat socius, reliqui quindecim diebus expectant; sed tandem recessere molestiâ affecti commorationis. Porrò vnus ille, qui se iuramento non adstrinxerat, pius magis expectat, vt inseruiat ægroto, qui socij ducatu redit ad viam. D. Michaelis montem scandit; sed deficientibus viribus excedit è vitâ. Socius pauore afficitur propter noctis instantiam. Ast Iacobus subleuator accurrit eques, peregrinum defunctum equi collo apponit; viuum autem post tergum accommodat; & priusquàm magnum rediret luminare facturus diem, Compostellam ingressus est, quinde. im dierum itineris leucis superatis. Duobus milliatibus ab Vrbe apud montem *gaudy* onus relinquit Apostolus: ad Ecclesiæ sacerrimæ Canonicos immittit iubens peregrino sepeliendo honorificè operam dare. Quod quidem factum totius populi plausu, ac mirorum cælesti replicatione. Post dies perfidi peregrini accedunt, & à socio ex Iacobi nomine audiunt: *Nihil vobis, ò miseri, peregrinatio profuit, ob fidem peregrino fractam.* Addo ex Calixto, militem quemdam nomine Dalmatium alapâ percussisse agricolam, qui parabat peregrinationi ad Iacobum operam dare. At repentè percussoris brachium confractum apparuit, & penè exanimis corruit. Orat peregrinus, milésque donatur sanitate. Si beneficia Diui in peregrinos collata intenderem exponere, priùs & tempus & calamus deficeret, quàm materia. Quæsierim, cur Iacobus tàm pius, tàm misericors iuramenti violatoribus ostentetur, cùm Deus acerrimus, fracti iuramenti vindicator exurgat? Iosue fecit cum Gabaonitis pacem: *Et inito fœdere pollicitus est, vt non occiderentur; Principes quoque multitudinis iurauerunt eis*, Ios. 9. Post sexcentos annos Saul Gabaonitas vulnerauit, & populus peste, Saul morte, filij eius septem cruce periêre. Quonam, quæso, crimine rei illi extiterint? Assero Deum tantam velle esse iuramenti religionem, vt in Saulem filios ac populum vindicârit, antiqui iurisiurandi violatores. Chrysostomus ad Psalm. 14. addit: *Quod sexcentis annis datum erat iusiurandum, tanquam recens vindicauit, reipsâ docens iusiurandum non inueterascere,*

Peregrinatio in Compostellam via lactea est, sine Camino de Santiago. Quia nulla incommoda peregrinis. Calixt.

Iuramenti violati acris Deus vindicator. Ios. 9.

Chrys.

terascere, nec corrampi. Inferiùs: *Si ergo post sexcentos annos Deas iusiurandum vindicauit; & cùm alij iuràssent, alij qui iusiurandum violàrunt, pœnas dederunt; quid patiemur qui peierauimus.* Vndenam ergo Iacobus tonitrui filius tàm benignus ostenditur erga peregrinos iurisiurandi violatores, vt solummodò eos correptionis leui vulnere afficiat? Certè vt lacteam ostentet peregrinis viam. Si tam munificum se præbet perfidis, quid pijs ac fidelibus peregrinis?

58. Vidisti iam, in morem exercitûs, succensa fuisse cælestia luminaria. *Igitur perfecti sunt cæli, & omnis ornatus eorum.* Genes. 2. Ornatus cæli stellæ sunt; hebraicè autem scribitur: *Et omnis exercitus eorum.* Huiusce exercitûs Planetarum stellarúmque Iacobum Martem lucidissimum ac fortissimum sydus, Ducem esse quis abneget? D. Calixtus: *Radiabat in sydere Iacobo diuina virtus.* Vt scilicet militibus subditis fortitudinem impenderet ad bellorum expeditionem. Innumerabiles Iacobi equo enséque acerrimi apparitiones recenset doctissimus Dominus Ioannes Lopez de Vega, meritissimus Compostellanæ Ecclesiæ Magistralis Canonicus, de vnico Iacobi patronatu optimè meritus, in suâ eruditissimâ Defensione in lucem expressâ proximo anno 1645. Plurima Ecclesiæ Metropolitanæ à Regibus ac Principibus data priuilegia asserunt Iacobi vnici Hispaniæ Patroni militaria miracula. Prætereà Apostolus ab innumeris Mauris Christianorum Hispanorum manum apud Oran protexit. Visus enim equo candido armatus Barbarorum cateruas comminuere, ipsis hostibus reliquis profitentibus. Apud Chilensem Prouinciam Dux Andreas, Flores nomine, D. Iacobi Eques ducentis militibus Hispanis septem millia hostium, Apostolo inuocato, deleuit. Num Apostolus inter Milites? Quid cum piscatoria arundine lanceæ? Episcopus Stephanus Apostolo seruiendi affectu, Diœcesi renunciarâ, ad Templum Compostellanum venit, vbi precibus assiduis impetrauit, inibi sibi construi domicilium. Die ac nocte preces fundebat communi totius Regni plausu. Multi de more agricolæ Apostoli solemni ad sacerrimum accessere Delubrum, & deuotè cateruatim concinère. *Sancte Iacobe, bone Miles* (loquor cum Calixto) *ab instantibus malis & futuris nos subleua.* Audiens Episcopus eos, stultitiæ incusans obijciebat. Non Militem, sed Piscatorem cælestem hominum appellate. Nocte ipsâ ad Stephanum armatus, equóque vectus accessit Apostolus, claues gestans, & inquit: Amice Stephane, ego Piscator, & Miles. An ad tuas peruenit aures, Alphonsum Regem Conimbricensem Vrbem septem iam annis obsidione cinxisse? En Ciuitatis claues, crastina die tertia post meridiem hora portas aperiam. *Impetraui à Domino, vt vniuersis me diligentibus, ac toto corde inuocantibus protector sim, & adiutor pietatis in cunctis.* Haud dedecet Apostolos militare, si student non hostium exitio directè, sed Regni Dei, quod est Ecclesia propugnationi. Apostolis Dominus: *Sedete* (inquit) *in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Luc. 24. Vbi Maldonatus noster: *Apostoli Milites erant, Christo Regnum expugnaturi. Noluit ergo Milites suos inermes in aciem prodire.* Spiritus sanctus instar erat armorum, fante Bernardo serm. 3. de Spiritu sancto. *Ipse est, qui Apostolos roborauit feruentissimâ charitate. Hac Apostolicus ille chorus loricâ sese induit, sicut Gigas ad faciendam vindictam in Nationibus.* O Reges, Apostoli Iacobi virtus Spiritu è sancto est, tunc solummodò exeretur, cùm Christo Regnum sit expugnandum charitatis armis; aut, si oportet, temporariâ armorum potentia, hoc est, cùm aduersùm infideles ad fidei propugnationem, aut propagationem instruuntur exercitûs.

Quàm prosector Iacobus in bello, quàm Miles Apostolus ostenditur. Gen. 2. Calixt.

Apostoli Milites sunt, quando Christo Regnum acquiritur, siue cùm pro exaltatione fidei decertatur. Luc. 18. Bernard.

Observatio V.

Ad illa verba:

Producant aquæ reptilia, &c. Et factum est vespere & manè dies quintus.

Ex operibus diei quinti Miraculorum Iacobi splendor commendatur.

Assero, ad Martem propitium conferre conscientiæ puritatem.

DIxit etiam Deus: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatilia super terram sub Firmamento cæli: Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile, secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum. Benedixitque eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auésque multiplicentur super terram. Et factum est vespere & manè dies quintus.* Gen. 1. Mare esse Deiparam Richardus Laurent. lib. 1. de laud. Virg. affirmaint: *De hoc Mari propheticè dictum est: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat,* Eccl. 1. *Omnes aquæ dulces, seu omne genus gratiarum, intrant in Mariam, & non redundat, aut intumescit per superbiam. Audito siquidem ab Angelo: Aue gratiâ plena, &c. quando omnia flumina dulcia intrauerunt in mare, respondit; Ecce ancilla Domini. Ecce quòd mare non redundat.* Profectò Maris huius curauit Iacobus Piscator Hispanos omnes fieri pisces, dùm precibus Mariæ præsentiam impetrauit, vt in Matris Dei alueo commorantes facilè à Iacobo ad fidem expiscarentur. 59.

Gen. 1.

Maria Mare non redundans, cuius Hispani sunt pisces, ex precibus Iacobi. Ecc. 1. Richard.

Caput I.

Quinti diei opera expendo.

PRoducant aquæ reptile, & volatile.] Tàm pisces, qui reptilis nomine signantur, quàm volucres ex aquâ creatæ fuere. Cur pisces reptilia vocantur? Quia pedibus carent, & quasi repentes ventre incubant aquis. 60.

Reptilia & volatilia.

Creauitque Deus cete grandia.] Vox Hebræa 61.

Dracones, syrenes. bræa חנינים *channinim*, significat dracones, & omnia ingentia animantia, tàm terrestria quàm aquatica, cuiusmodi sunt balenæ, quasi aquatici dracones, syrenes, & reliqui huiusmodi pisces.

62. *Dei benedictio.* *Benedixitque eis.*] Dei benedicere est benefacere. Benedixit autem Deus piscibus, & auibus, cùm eis dedit potentiam sibi simile generandi. *Crescite*, numero, non mole corporis; *Replete aquas maris.* Vnde piscium summa est copia: *Auésque multiplicentur super terrã.* Quia volucres in terra nidificát, & somnum capiunt.

Capvt II.

Ad Martiales victorias confert conscientiæ puritas. Unde iniqui bellorum euentus pugnantium piaculis plerumque tribuendi, nunquam Iacobi Ducis obliuioni.

63. *Pisces perpetuo pugnant, ac vincuntur, quare peccatorum pugnantium imagines.* *Beda.* *Lauret.* Cuncta reptilia (vt ponderat Plinius) pelagi in campo continuis intestinis bellis agitantur, dùm minores pisces à maioribus requiruntur, absumuntur; nec tàm ingens marina bellua, quæ hostium non subiaceat insidiis. Nulla in pelago sine formidine victoria, quia nulli reptili Mars omninò propitius. Beda hom. 1. in Gen. asserit piscibus marinis peccatores in Mundo signari. Lauretus, *Pisces solent significare peccatores in Mundo, Gen. 1. Producant aqua reptile.* Si peccatores assignantur in piscibus, non mirum semper aduerso Marte dimicare, quia ad Martiales victorias conscientiæ puritas requiritur.

64. *Non multis millibus victoria cedit, sed iustitia ac charitati militum.* *Iud 5.* *Brixian.* Debora cecinit: *Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit*, Iud. 5. Hebraicè: *Eligebant Deos nouos, & tunc habuit hostem in portis.* An fælici Marte? Porrò dùm Dei veri iuga proijciunt, quonam modo possunt fæliciter dimicare? Brixianus: *Cùm eligeret Israël Deos nouos, & verum desereret Deum, habuit hostem in portis, cui resistere nequiuit clypeus, & hastis, quantumlibet multa millia essent in Israel.* Curant Reges decertaturi ingentes militum copias cogere, de earum iustitiâ parùm solliciti. Haud multis millibus victoria conceditur; sed charitas exercitûs triumpho potitur, ordinatâ in hostes charitate. Quid mirum miserè deperiisse, si *eligebant Deos nouos?* Alij legunt: *Elegerunt vt panem hordeaceum Deos nouos.* *Theod.* Theodoretus: *Quia nihil differt à belluâ, qui in impietate viuit.* Ex iniquitate homines in belluas marinas conuersi, perpetuis bellis nunquam prospero Marte agitantur.

65. *Recedit à Deo, & accedit hostis exitialis omninò.* *2. Par 25.* Vbi peccaror à Deo recedit, hostis accedit, exitialis quidem. Id contigit Amasiæ Regi, *qui postquam recessit à Domino, tetenderunt ei insidias in Ierusalem*, 2. Paral. 25. Profectò insidiæ periculosa certamina protendunt. An Rex victor euasit? *Cùmque* (addit Textus) *fugisset in Lachis, miserunt, & interfecerunt eum ibi.* Ibid. Quonam modo enim Marte propitio decertaret, qui ab exercituum Domino recesserat? *Hieron.* D. Hieronymus in qq. Hebr. *Ex eo tempore, quo Prophetæ consilium non audiuit, neque ad Dominum conuerti voluit, præparatio coniurationis illius facta est, & eatenus dilata, donec ad consummationem perueneris.* Si contigerit Hispanos fortissimos aliquando infæliciter decertare, haud D. Iacobo Patrono dormienti tribuenda calamitas; sed Hispanorum piaculis, Procerum delictis; quia *neque dormitabit, neque dormiet qui custodit Hispaniam, & nulla ei nocebit aduersitas, si nulla ei dominetur iniquitas.*

Scio Hispanicam Nationem multis inuisam, infidelibus; Hæreticis, ac Barbaris, ob odium Religionis, & ob diuitiarum gloriam. At nullus audebit hostis Hispanicam pacem interrumpere, aut Christiani Regni, nisi iniquitatibus irritaret hostes, vel potiùs Deum bellorum incommodis volentem filios benignè diuerberare. Deliquit Dauid, statimque hostes in sui vindictam excitauit, prosante Nathano: *Blasphemare fecisti inimicos Domini*, 2. Reg. 12. Aliter: *Irritasti inimicos Domini.* Ad quæ Cyrillus Ierosol. Catech. 2. *Irritasti inimicos Domini.* Multos enim propter iustitiam hostes habebas; sed custodiebat te temperantia: traditis autem his armis, promptos habebis stantes contra te. 66. *Hispania imò que Regnum Christianum irritabit hostes, si deliquerint.* *2 Reg 12.* *Cyrill.*

Electi populi ciues *tentauerunt te, dicentes: Est-ne Dominus in nobis, an non?* Mox additur: *Venit autem Amalech, & pugnabat contra Israel.* Exod. 17. An non populus Christianus electus Numini? Ob delicta nostra Dei ita desæuit per hostium rabiem. Hieronymus in Epitaph. Nepotiani, sui temporis bella dolens: *Infælices* (ait) *nos, qui tantùm displicemus Deo, vt per rabiem Barbarorum illius in nos ira desæuiat.* Infæliciores nos, inquam, qui tantùm displicemus Deo, vt per impetum Christianorum, & filiarum Prouinciarum, ac Regnorum fratrum, illius in nos iracundia desæuiat. 67. *Ob delicta nostra Dei in nos ira desæuiet per rabiem hostium.* *Exod 17.* *Hieron.*

Israëliticum Regem Dauidem filius Absalon conturbauit, fante Saluiano lib. 2. de Gubern. *Dauid ita Dei iudicio à se alter effectus est, vt ei quem timuerat forsitan totus Orbis, vnus in faciem insultaret filius. Quare?* Chrysostomus: *Dauid propter nefarium coniugium à filio suo Dauid bello impetitur.* Sit tibi Dauid Hispania, vel quilibet Christicola populus; delinquat hic, illicò vel filiæ Prouinciæ, seu Regna, à parente optimâ recedentes hostili affectu insurgent in matrem. 68. *Filia prouincia rebellabunt Numine irato.* *Saluian.*

Vis, ô Imperium Christianum, fælicissimo Marte pugnare, hostésque comminuere? Si quæ piacula ciues maculant, ablegari cura pœnitudine. Postquàm delictis populi Amalechitæ pugnaces insurrexerunt, fatur Moyses ad Iosue: *Elige viros, & egressus pugna contra Amalech: Fugauitque Iosue Amalech, & populum eius in ore gladij*, Exod. 17. Vbi Adamus ait à viris electis facilè hostes superari. Pugnet Hispania, vt electa, iusta, Deóque grata procedat ad certamina, corruent hostilia arma. Chrysostomus: *Vis videre ruinam eorum qui te oppugnant? Te tuorum pœniteat criminum, & corruent inimici.* Nec enim, ô Regna fidelissima, Catholica, Christianissima, grato Numine, poterunt hostes vlli desæuire. Delictis maculamur? Dormitabit Iacobus, Diui obdormient, Patroni, nostro quidem piaculo, qui non curamus eos pœnitentiæ gemitibus excitare. 69. *Regnum Christianum fælici Marte pugnat, Deo grato, per pœnitudinem nostram.* *Exod. 17.* *Chrys.*

Capvt III.

Quaſi Deus pelagi Iacobus, naufragos eleuat à profundo, dracones & ſyrenes incantat, homines efficit ſicco pede per vndas incedere.

Iacobus Deus pelagi apparet vt Nauta ruinâ dam, ſociorúmque Chriſtianorum à Mauris liberatione. Calixt.

70. PRÆMITTO D. Calixtum, qui *Deum Maris* vocitauit Apoſtolum. *Ipſe quaſi Deus Maris, ſeu caleſtis Neptunus, pelago imperabat.* Nauta quidam Friſonus nomine in Paleſtinam nauem Chriſticolis peregrinis plenam deducebat. Fortius Maurorum nauigium pugnax præſentatur; conſerunt manus milites; loricâ indutus Friſonus ſaltu infælici vndis mergitur, & profundo recipitur. A D. Iacobo Ionas alter, quem illo ipſo anno inuiſerat, auxilium implorat, & illicò naufragus plumbeus caſu, plumeus iam eleuatur in vndis; Apoſtolúſque viſibili peregrini ſpecie manu traducit ad nauem, & Maurorũ Duci profatur. Si non lubens permittis, nauigium Chriſtianorũ liberè nauigare, te tuóſque fluctuum committam poteſtati. An tu (replicat Barbarus) *Deus pelagi*, cui obtemperare debeamus; dùm eius ditioni adhæreſcimus? Haud Deus ego (inquit) maris; ſed Dei maris minimus famulus, & Apoſtolus. Renuebat adhuc infidelis Dux; ſed illicò irruens procella Barbaricam nauem abſorbuit, Chriſtiano incolumi nauigio. Quod quidem ſacerrimum pergit ad ſepulchrum, è Paleſtináque in Iriam Flauiam redit, vt peregrini cum Nauta Friſono debitas Apoſtolo gratias profunderent. Vides apud Chriſticolas mare pacatum, quod infidelis procellis conturbat. Percutitur quidem nauis fidelis; ſed non perit omninò, quia ad expiationem tentatur. At nauigium infidele vndis abripitur, à procellà rigidà ſuperatur. *Percutiam* (ait Dominus) *domum hyemalem cum domo æſtiuâ.* Amos 3. Vbi D. Hieronymus: *Poſſumus domum hyemalem appellare Regnum Iſrael, in quâ frigus erat Religionis, & cultus Dei, varijque ventorum turbines, & ſæua tempeſtas. Et domum æſtiuam Iudam & Ieruſalem, in quâ erat Templum, & offerebantur victima, & vigebat calor Religionis.* Percutitur domus hyemalis cum æſtiuâ, fidelis ac infidelis populus flagellatur; hic quidem in ruinam, ille quidem in probationem: nauim Barbaricam procella obruit, fideli dùm parcit.

Percutitur nauis fidelis, ad probationem, infidelis ad ſupplicium. Amos 3. Hieron.

Draconum ac ſyrenum Dominator oſtenditur Apoſtolus, liberans Lugdunenſem peregrinum à diaboli poteſtate. Calixt. Hugo. Antonin.

71. Noſtro pelagi Numini Iacobo dracones ac ſyrenes ſubijciuntur. An non draco Diabolum, ſyrenes autem luxuriei voluptates repræſentant? O quàm potens draco ſocia ſyrene? Ex Calixto, Hugone Cluniacenſi, Antonino, & alijs, auguſtiſſimum Iacobi miraculum exaudite. Lugdunenſis adoleſcens, diu cum matre ſuâ nitens vixit puritate, coriorum curandorum dans operam miniſterio. Multo tempore Gallus honeſtiſſimus quotidie degebat in aquâ miniſterio incumbens. Vnde aquaticus draco curans puritatem iuuenis conſpurcare, ſyrenem adduxit. Domeſticam puellam adeò gratam adoleſcentis oculis reddidit diabolus, vt eum ad impudicitiæ crimen pelliceret. De more ille ad Compoſtellam veniebat Apoſtolum adoraturus. Vt igitur ſe ab ſtupro expiaret, init peregrinationem, dracóque Tartareus ſub Iacobi ſpecie ſe oſtentans, affatur: Gratæ mihi, ó iuuenis, aliæ tuæ expeditiones. Hæc minimè, quia piaculum commiſſum, non prius quam è domo procederes, confeſſione expiâſti. Iucunda mihi peccatorum obſequia; ſed dum pœnitudine præmiſſâ ſeſe accingunt itineri: reuocat ille gradum, repetit Lugdunenſem celeberrimam Vrbem Francorum, conſcientiam confeſſionis vndâ diluit, & rursùm pergit in Compoſtellam. At draco iterùm voce ac ſpecie Apoſtolicâ ſimulatâ profatus eſt. Haud te, amice, à piaculo expedies, niſi propriâ manu tibi necem intuleris, & te mihi Martyrem præſentaueris. Credidit ſyncerus viator, ſeque gladiolo ſocij dormientis lethaliter vulnerauit. Peregrini euigilantes miſeri cadaueris ſpectaculo timore corripiuntur, ac diffugiunt. Cum autem defunctus efferretur in tumulum, rediens ad viuos proclamauit. Poſtquàm mihi necem diabolo ſuadente, inferre auſus ſum, à dæmonijs Romam versùs trahebar, Iacobo perſequente ac comprehendente. Qui quidem me à draconum manibus eripiens, floridum adduxit in campum, vbi Tribunal obijcitur, quo ius dictura Deiparens cincta cæleſtibus Viraginibus præſentatur. Mea exponitur cauſa, dracones acclamitant me damnandum, Iacobus abſoluendum, quia ſynceritate affectus memetipſum de medio ſuſtuleram. Definit Virgo, me alumnum Apoſtoli vitæ reſtituendum, vt pœnitudine poſſim diluere piaculum. Iam edoctus ab Apoſtolo exurgo, fugiendum ſyrenum conſortium, ſi cupio draconis inſidijs rursùm non irretiri. Fugit ille, ſed ſerò, qui debuiſſet primo diaboli monitu è domo exilire, ne pulchræ obiectu fœminæ fœdaretur. Ambroſius lib. de fug. ſæcul. cap. 3. *Non erubeſcamus fugere; glorioſa enim hæc fuga eſt, fugere à facie peccati.* Et quidem facies pulchra, fœda peccati facies eſt. Auguſt. ſerm. 205. de Tempor. illud premens Pauli: *Fugite fornicationem*, 1. Cor. 6. aſſerit vitia carnis, non aliter quàm fugiendo vinci. *De hâc voluptate* (ait Laurentius Iuſtin.) *quicunque fugerit, glorioſiſſime triumphabit. Innumeros hæ ſyrenes temeritate armatos debellando proſtrauerunt; terga verò vertentibus vix tenuiter manus iniecere.*

Luxuries fugiendo ſuperatur. Ambroſ. Auguſt. Laurent. Iuſtin.

72. Chriſtus verus pelagi Dominus oſtenditur, dùm ſicco pede vndas calcat, & Petrum efficit æquore ambulare. Iacobus imitator obijcitur, homines velut piſces efficiens ſicco veſtigio ſuper vndas procedere. Nauis illa, quâ Iacobi cadauer in Iriam Flauiam vectum eſt, inſtar piſcium ſeſe æquori committit, ſine velamine, ſine arbore, ſine gubernaculo. Ad Luſitaniæ littora appellit, non longè ab Oppido *Bouzas* nomine, vbi tunc diues quidam vir ex Gaya filiam ſuam matrimonio illigat filio alterius ex Amaya Equitis. Apud Bouzas nuptiæ celebrabantur, propinquorum & amicorum plauſu, qui equites haſtâ ludebant, & arundine, poſt taurorum agitationem. Porrò equus, quo ſponſus vehitur ferocitate exultans, è foro properans maris pergit ad littora, ſuper vndáſque ipſas non tàm currit quàm volitat. Pegaſea

Iacobus Deus pelagi oſtenditur, dùm efficit equitem ſuper vndas ſicco pede ambulare. Plures Authores relati à D. Mauro in Hiſtor. Iacobi.

gasea expeditione; nec sistit, donec eques nauis felicissimæ corporis Apostolici baiulæ præsentiæ adhæresceret. Mirum planè, tam equus, quam Lusitanus adolescens conchis pulcherrimis exornatus apparet Iacobi insignibus. Discipuli Apostoli, qui vectantur in naui, de sacerrimo cadauere, de Christi lege nouâ, de Iacobi Martyrio equitem faciunt certiorem. Quid (inquit ille) harumce concharum insigne significat: Hæc (respondent discipuli) Apostoli stemmata; qui iudicij nouissimo die concha hac insignitus tribunali sistetur, ab accusatoribus hostibus protectione Iacobi liberabitur. Sacrâ fælix ille diluitur vndâ, pergit nauis, equus redit ad Oppidum, lætanter excipitur adolescens, nouâ prædicat legem, Apostolici corporis profert aduentum, cunctos Nuptiarum celebratores conuertit ad Christû ipso opportunè auxiliatore, & sacerrimâ diluit aquâ: spósam ducens Christiano iure, & Lusitaniæ fidei iaciens fundamina.

Qui sanctorum reliquijs potiuntur, cunctis fruuntur bonis.

Illud semper ille clamabat: *Omnibus bonis fruimur, vnicum Apostolum Patronum dum excipimus.* Profectò ad cuncta incommoda propulsanda, multùm prodest reliquiarum Diui societas. Aiebat Chrysostomus homil. 53. *Retineamus apud nos sanctos, nec erit tempestas, erit serenitas, ac tranquillitas.* Testor cadauer illud, quod contactu reliquiarum Elisæi vitâ donatur. *Vbi pedes* (addit Diuus) *sanctorum ingrediuntur* (aut viuentium, aut mortuorum) *nihil erit, quod contristet.* Eliseus rapto Eliâ, apprehendit vestimenta, *& scidit in duas partes.* 4. Reg. 2. Quare tanto mœrore afficitur? Apprimè Abulensis q. 20. *Elias, quanquam non moriebatur, tamen nunquam rediturus erat ad communicationem hominum: ideò de eius absentiâ sicut de morte dolere poterat.* Dolet ergo quia nihil reliquum ex Eliâ, nec viuum possidet, nec cadauere potitur. Haud sic Hispani. Quamuis Apostolus moriebatur apud Ierosolymam, tamen rediturus erat ad communicationem hominum eius cadauer: ideo de eius præsentiâ sicut de resurrectione gaudere possumus & clamare: *Omnibus bonis fruimur, vnicum Apostolum Patronum dum excipimus.*

Chrysost.

4. Reg. 2.

Abul.

Redijt Iacobus post mortem ad nos.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Producat terra animam viuentem, &c. Et factum est vespere & manè dies sextus.

Ex sexti diei operibus Iacobi augustissima miracula exponuntur.

Assero, primum quem fuisse in quolibet ordine, dignum esse specialissimo præconio.

73. Gen. 1. DIXIT quoque Deus, *Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factúmque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxtà species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus, quòd esset bonum. Et ait, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum: masculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram,* &c. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valdè bona. Et factum est vespere & manè Dies sextus.* Gen. 1. Preme illud: *Faciamus hominem.* Angelos Deus alloquitur, an Pater Filium & Spiritum sanctum ad hominis excitat molitionem? D. Bernardus homil. 4. super *Missus*, innuit mysticè Deum Deiparam allocutum. *Omnia enim per manus Mariæ: nec Deus quidem factus est homo, nisi Maria diceret, Fiat.* At Iacobus Mysterium hoc expressit Ecclesiæ illis verbis: *Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Si omnia per Mariæ manus, bonis implebit esurientes, & precantibus succurret Maria. Queis Domina, *Fiat vobis.*

Deus excitat Virginem ad Filij hominis incarnationē, Iacobus aperuit.

Bernard.

Caput I.

Sexti diei opera describo.

PRoducat terra animam viuentem, &c.] Iumenta sunt animalia domestica, & mansueta, ad portanda onera accommodata. Reptilia dicuntur, quæcumque gressilia non sunt, sed repentia, vel saltitantia. Bestiæ terræ omnia reliqua animantia, præsertim quæ fera sunt. 74. *De iumentis.*

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.] Faciamus (Mysterium Trinitatis innuitur) אדם *Adam*, quod non est proprium vni homini, sed toti speciei nomen commune. Porrò totus homo Dei est imago, sed non ratione corporis, verùm ratione intellectûs, & voluntatis. Ideo hæc imago verè spiritualis est, eáque duplex, vna naturalis, altera supernaturalis. Naturalis seu essentialis vocatur, quâ homo est animal intellectu, & libero arbitrio pollens, quâ dignitate gradum naturæ supremum, in quo sunt mentes cælicæ, attingit. Supernaturalis imago, seu accidentalis in gratiâ, & iustificatione consistit, quæ demum in gloriâ planè perficietur. Nihil autem diuersum imago à similitudine significat. 75. *De homine.*

Et præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, &c.] Hebraicè, *Et præsint*, tam scilicet Adam, quàm Eua. *Masculum & fœminam creauit eos, non simul, sed successiuè, Crescite, & multiplicamini.*] His verbis benedictio continetur, non singulis hominibus de prole procreandâ datum præceptum. *Subijcite eam.*] Habitationi vestræ, domitis, aut pulsis feris, idoneam efficite. 76. *Præesse, crescere, subijcere terram.*

Vidit Deus vniuersa quæ fecerat, & erant valde bona.] Id est, optima. Carent enim Hebræi superlatiuo, & pro eo vtuntur nonnunquam additamento huius vocis: *Valde*, vti Menochius adnotat. 77. *Valde bona opera Dei.* Menoch.

CAPVT II.

Maximo afficitur beneficio Adamus, cùm primus hominum extruitur, & præconijs ex Primatu dignus apparet? Apprimè commendabilis Iacobus dum primus Apoſtolorum Dominicum calicem epotauit.

78. *Magnū elogium Iacobi primū fuiſſe Apoſtolorum Martyrem.*

INgratitudinis meritò Adamus accuſatur, quià tot beneficijs illigatus Creatoris præceptum tranſgreſſus eſt. Ille è puluere efformatus in virum, ſpiritu Dei imagine & eſſentiali, & accidentali, informatus, & primus hominum ſeu generis humani Ductor exſurgit. Porrò quolibet in gradu Primatum gerens maximo honore afficitur. De Iacobo profatur Eccleſia, *O glorioſum Apoſtolum, qui inter primos electus primus omnium Apoſtolorum Domini calicem bibere meruit?* Et addit, *O glorioſum Hiſpaniæ Regnum tali pignore ac Patrono munitum, per quem fecit illi magna, qui potens eſt?* Maximo beneficio Apoſtolus affectus eſt, dum primus Apoſtolorum Martyr occumbit. Maximo beneficio donatur Hiſpania, dum Patronum accipit primum Martyrem Apoſtolicum. Certè ex hoc nobis *fecit magna qui potens eſt.*

79. *Deus ſibi adſcripſit primatū patientia, Agnus occiſus ab origine mundi.* Apoc. 5.

Redditus ex hoc capite Iacobus Chriſti æmulator, qui primatum Martyrij totius Eccleſiç ſibi curauit adſcribere. *Agnus* enim eſt, *occiſus ab origine mundi*, Apoc. 5. Quonam modo *ab origine Mundi?* Quia Abel occiditur Ieſu Agni gerens perſonam, nè Martyrij primatum aut Abel, aut Machabæi, aut Innocentes Pueruli Bethleemitici obtinerent. Porrò qui patientiæ virtute Martyrij æmulatrice floruère, Agni Ieſu geſsère perſonam, quia à Chriſto patientia ducit exordium. D. Cyprianus lib. de bono patientiæ, *Quaſi ſerui, & cultores Dei patientiam, quam magiſterijs cæleſtibus diſcimus, obſequijs ſpiritualibus prebemus. Etenim nobis cum Deo virtus iſta communis. Inde patientia incipit: inde charitas eius, & dignitas caput ſumit.* Tanta dignitas patiendi primatus, vt eum ſibi Dei Filius adſcribi voluerit. Ergò ineffabili dignitate Iacobus ornatur, cùm Apoſtolorum primus Dominicum calicem epotauit. *Cyprian.*

80. *Dies primus auguſtiſſimus, ex initijs lucis, & tenebrarum procedens.* Gen. 1.

Et quidem quolibet in ordine primatum obtinere, maximi priuilegij, ac muneris documentum, *Dixitque Deus, Fiat lux, & facta eſt lux; & vidit Deus lucem, quod eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris. Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem: factúmque eſt veſpere & manè dies vnus.* Gen. 1. Cur non dixit diem primum ortum habuiſſe ex luce & tenebris: ſed ex veſpere & manè? Ioſephus lib. 1. Antiq. cap. 2. *Diſcreuit Deus lucem à tenebris, & his nomen impoſuit Noctem, illam verò Diem appellauit; veſpere & manè vocabulo exordium lucis, & quietis induto.* Igitur veſpere & manè exordia ſunt. At tantæ eſt æſtimationis alicuius ordinis primatum tenere, vt non ſolùm lux prima, ſed & tenebræ exordium nobile adeò habeatur, vt primi diei originem exhibeat. *Ioſeph.*

81. *Iacobus dies vnus, nō primus Eccleſiæ, quia vnicus ex Martyrij primatu.* Matth. 20. Gen. 1.

Iam pondero, *Factúmque eſt veſpere & manè dies vnus.* Quare non dixit *dies primus?* Quia primus ſecundùm indicat, & numero copulatur? ſiuè (vt vulgariter explicem *ſe adocena con los demas vulgares dias.* Primus ergò dies è quo cuncti alij proceſſere, non appelletur primus cum reliquis diebus commixtim adnumerandus, ſed *vnus* aut vnicus haud numero addicendus. Id quod de Iacobo circa ordinem ſupremum Martyrij premam. *Dic* (fatur parens Iacobi, & Ioannis) *vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram in Regno tuo.* Matth. 20. Non dixit, vnus & alius: ſed *Vnus, & vnus.* Vt in Regno Dominico, quod Crux eſt, (quia *Dominus regnauit à ligno*) vnus & alter primatum obtinerent. Profectò Dominus, *Neſcitis*, ait, *quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis. Sedere autem vnum, & vnum, non eſt meum dare vobis.* Sed vni ſolùm modò, quia vnus Iacobus in Regno meo, quod Crux eſt, primus meum calicem bibere merebitur. Ita autem erit *primus* Apoſtolorum Martyrum, vt ſit *vnus*, ſeu vnicus velut dies primus; *Factum eſt veſpere & manè dies vnus.*

82. *Maiori mercede donantur nouiſſimi quàm primi operarij, quia primi in numero recipiendi?* Matth. 20.

Ex denario diurno agricolæ in vineam Dominicam pergunt primo manè, horâ tertiâ, ſextâ, & vndecima: labore autem diei perfecto ſinguli ſingulos denarios accepêre. *Cum veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt, quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios.* Conqueruntur de inæquali mercede, Dominus autem, *Amice, non facio tibi iniuriam.* Matth. 20. Quonam modo hi iniuriâ non ſunt affecti, ſi cum ampliùs laborârint, æquali munere ſunt donati? Iuſſit Dominus procuratori ſuo, in largitione mercedis à nouiſſimis inchoare: *Incipiens à nouiſſimis*; quia curabat oſtendere poſſe hominem horâ vna tam intensè laborare, vt ſuperaret eos, qui diù labori incubuerant. Iam difficilior eſt reddita quæſtio. Si experit Dominus oſtentare nouiſſimos plus admodum quàm primos laboraſſe, cur vnico tantùm denario munerantur? Quià illud ipſum primos fuiſſe in illius denarij acceptione auguſtioris mercedis locum habet; Incipiens à nouiſſimis. Maldonatus. *Reſpondeo nouiſſimos in hoc fuiſſe cæteris prælatos, quòd cùm nouiſſimi veniſſent, primi omnium denarium acceperunt.* Eundem acceperunt denarium, quia plus vna hora quantum cæteri tota die laborauerunt. Primi autem acceperunt, quia hoc ipſum egregiæ fuit laudis, quia primum locum inter eos, quibus minus ſoluebatur, inuenerunt. Excellus ergo laboris *Primatûs* munere compenſatur!

83. *Maiori munere donātur primi operarij, quàm nouiſſimi, quia primatū munere in ordine laborandi?* Matth. 20.

Si autem plus laborauerunt, qui primum ad vineam acceſſerant, nam portauerant *pondus diei & æſtus*: non fit illis iniuria, dum æquali mercede pecuniæ donantur; quia alio ex capite ineffabili compenſatur honore mercedis

cedes excessus. Nam primo manè venerant, primi labori incubuerant, primi vitibus colendis operam dederant, primi mysticè extiterant vini Dominici calices (quod patientia est) operarij. Primatum autem patientiæ accipere, est illustrius munerari. Iacobus ergò augustissimo est beneficio donatus, dum primus omnium Apostolorum vineæ cultorum Domini calicem bibere meruit; Gloriosumque Hispaniæ Regnum ostentatur, dum fides eius a tantâ primariâ luce originem duxisse probatur: *O gloriosum Apostolum, qui primus omnium Apostolorum Domini calicem bibere meruit! O gloriosum Hispaniæ Regnum tali* primo *Patrono munitum!*

Capvt III.

Iacobus feris & iumentis dominator; Dei gerit imaginem, cibum, cunctáque munera dum expendit.

84\. *Magna Iacobi potentia. feras domare, iumenta adducere peregrinorũ fragilitati.* Calixt. & alij.

D*Ominamini* (dixit Deus) *vniuersis animantibus.* Profectò fera animantia Apostolo præstitere obsequium. Nam cum Lupa Regina Discipulos Corporis sacerrimi portitores indomitos immisit ad tauros, vt ab eis exitialiter vulnerarentur, fera animantia vei boues iugo cessere, currúmque, quo reliquiæ vectabantur, tam mansuetè deportauere, vt Ozæ nullatenus historia instauraretur. Draco flammas ore emittens è cauernâ progressus Discipulos Iacobi vulneraturus; sed signo crucis obiecto, crepuit. Planè Apostolus Dei pietatem æmulatur, dum laborantibus hominibus prouidet iumenta, quæ eorum portandis oneribus addicantur. Ideo Calixtus ait, *Iacobi terror super bestias, pietas super homines.* Tauros & draconem exterruit, piè hominum onera subleuauit. Ex eodem Calixto didici Ludouici tempore, Galliam peste succensam fuisse. Equitémque cum vxore ac liberis è patriâ Pictauia in Compostellam profectum esse. Pampilonæ vxor è vitâ excessit, Præses autem hospitij ausu furtiuo pecuniam equósque peregrini nobilis abstulit. Cogitur Pictauus pedes incedere filiorum portitor paruulorum. Occurrit ei Apostolus eques & interrogat, cur duos filios humeris deportaret? auditáque tragœdiâ, ei equum offert, dicens: *Cum ad Compostellam accesseris reddes iumentum Domino*; & disparuit. Pergit Gallus filios equo accommodans, cúmque ad Vrbem Apostolicam accederet, curans equum domino reddere, quem non nouerat, Iacobum orabat, vt ei equi dominum aperiret. Apparuit Apostolus, & *Refer*, ait, *equum in patriam.* Pompeiopolim ini, & videbis quonam modo iniuriarum peregrini mei cuiuslibet vindicator exsurgam. Cúmque patriâ domo potiare, equus domino reddetur. Lætus vir sese dedit in Galliam, Pampilonæ agnouit furem illum sese è fenestrâ domus dedisse præcipitem. Addit Pontifex, Apostolo inuisos admodum esse peregrinorum expilatores, grauissimisque supplicijs affici. Denique peregrinus perrexit in patriam, cúmque ex equo onus filiorum sustulisset, disparuit equus reddendus Apostulo. An non vides Iacobo sanctissimo feras obedire, quæ hominum iugum ob crimina proiecere, hostiliter in dominum irruentes? Ad vltionem Ægyptiorum Deus omnium creaturarum armis est vsus. Author Mira. sacræ Script. q. 19. *Istarum modus plagarum vndique, hoc est de terra, aquis, animantibus, aere, igne, nubibus conuenerat; vt ostenderetur, quod contra Deo rebelles, & contumaces sese pariter vniuersus Orbis armaret.*

Creatura in rebelles exsurgunt, subijciuntur iustis. August.

85\. Expetit Apostolus nos fieri eius imitatores circa subleuationem peregrinorum. Vbertus Bisuntin. narrat tres Milites Lugdunenses in Compostellam profectos fuisse. Quorum quidem vnus à quadam peregrinâ fœmina rogatus, saccum equo suo vehendum accepit. Reperit post modum alium peregrinum ægritudine affectum, ac pietatis ergò descendens ex equo, fecit inopem ascendere; ipse autem baculum peregrini accipiens, ei saccum pauperculæ illigauit, & exultans gestauit charitatis insigne, æstus patientissimè ferens incommoda. Compostellam ingressus grauissimo morbo corripitur, adeò alligatâ linguâ, vt minime posset piacula aperire Confessario. Post tres dies silentij animo exitialis euigilat inclamans: *Gratias Iacobo, qui me de tam graui periculo eruit: Dæmones guttur meũ opprimebant, ne possem confiteri, sed Apostolus baculo pauperis viri vtens pro lancea, sacculoque peregrina fœmina pro scuto hostes horribiles effugauit, méque spe salutis donat dum tempus impetrat pœnitudinis.* Confessario aperit crimina, Iacobique manibus spiritum tradit ad superos adducendum.

Imago Dei Iacobus nos docet fieri eius imitatores ex peregrinorũ subleuatione. Vbertus.

Delitiæ igitur nostra sint) loquor cum D. Leone serm. 2 de Quadr.) *opera pietatis, & illis cibis, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lætemur in subleuationibus pauperum.*

Delitiæ nostra sint pauperum subleuatio.

86\. Porrò Calixtus Iacobum Dei appellauit imaginem. *D. Iacobus Iesu & corpore & animo similitudinem referebat*, homo quidem effectus ad imaginem & similitudinem Conditoris. Quid diuinum in Apostolo fulgurabat? Reficiebat Deificâ pietate esurientes.

Dei imago Iacobus pressos fame reficit. Calixt.

Peregrinus quidam ex Vilizilaco (ex eodem Præsule summo) ad Compostellam venit, consumptis nummis erubuit mendicare; in morem Eliæ sub arbore proijcitur moriturus, somno corripitur, & è cælo monitus excitatur: *surge, & comede.* Vnicum panem paratum inuenit, bis absumit ex eo, frumentum sacculo apponit, & ex inconsumptibili alimoniâ quindecim diebus sufficiens accipit alimentum; diuturnius duraturo miraculo, si patriâ non successisset abundantia. Cur delicatiori cibo Iacobus non satiauit alumnum? Hoc miror in Apostolo, pane solo lautum conuiuiũ posse apponere suis, eósque lætissimos sua societate reddere. Plurimi Gallecïæ incolæ relictis abundantioribus Oppidis, amant Compostellæ confinibus habitare, solo pane arcto contenti, dum Apostoli vicinio fruuntur. *Abierunt* olim *filij Israel* a Iosue dimissi, *vnusquisque in possessionem suam, seruierúntque Domino.* Iudic. 2. Non obtinuit populus ille integram possessionem, tamen lætus Deo præstitit obsequium, quia egestatem Dei, sua Templi vicinia conpensabat, Theodoretus q. 6. *Non abjre conclusit eos Dominus in arctum locum,*

Pauperie Gallæcia ægrè ita premi[illegible], ne à Delubri Apostolici vicinia separentur. Iud. 2. Theod.

Ant. de Escobar & Mend. Tom. IV. V 2

cum, vt facilè vel ipsi pigri ad ædem consecratam adeundam *excitari possent.* Galleciæ ciues proximi Iacobi Delubro Apostoli vicinia; quam longâ terrarum possessione ditiores.

87. *Prius appetenda spiritualia bona, ex quibus Dei imago est homo. Apostolus ostendit duplici prodigio. Calixt.*

Bona enim spiritualia præponenda temporariis, quia non his, sed illis reddimur imago & similitudo Conditoris.

Barcinonensis vir apud Iacobi Templum precabatur, *Sanctissime Apostole, da, corpus meum ab hostibus liberari.* A Sarracenis capitur, sæpe diuenditur, sed mirè vinculis ruptis, potitur libertate. Porrò rursum adhuc captiuitate presso, ac querulo apparens profatur Apostolus: *Quoniam in Ecclesia mea consistens, postposita salute animæ, libertatem solum corporis postulasti: ideò in hac pericula incidisti, sed quia Dominus misericors est, misit me, vt te redimam,* solutus catenæ partem reseruauit vir, quâ periculis obiecta & a leonibus & ab infidelibus liber euasit.

Ex Megsa lib de Rosar. Bernardino Villeg de Deiparæ fauor. & alijs.

Aliter. Fœmina nobilis e Galleciа, quæ captiuitate pressa cum viro, mortuo hoc, remansit ancilla prægnans. Pro spirituali salute precatur suum Iacobum, à quo adducitur in Italum, vbi cælesti opem ferente Lucina Mariâ parit feliciter, ad Templum adfertur quoddam, diluitur à Iesu infans, redit ad stabulum, dormit, & D. Iacobi vigilat in Delubro. Nam ei, qui tantum spiritualia curat, & temporaria adijciuntur. Ideo Iacob pinguedine terræ donatur, quia priùs de cæli rore sollicitus obijcitur: Esau autem benedictio nulla verè reseruatur, qui priùs curat pinguedine terræ repleri, vti Ambrosius adnotauit. Gen. 27. Ambros.

LIBER

LIBER SEXTVS.

Bartholomæus.

Paraphrasis, Commentariíque literales ad Cap. VI. Lucæ.

PANEGYRICI MORALES circa literam

In Bartholomæum Apostolum.

PROLVSIO.

BARTHOLOMÆVM specialissimo iure æternus decet Panegyricus, ex Virginis Deiparæ promissione. *Qui elucidant me, ait, vitam æternam habebunt,* Eccli 24. Tò *vitam æternam*, & ad futuræ gloriam, & ad præsentis famam, & præconium referendum est. Profectò Apostolus perpetuæ ex voto Virginitatis. Mariæ primus extitit Encomiastes, fante Bonauenturà lib. 1. Pharet. cap. 5. *Beatus Bartholomæus ait: Maria inter Virgines prima hoc constituit in corde suo, vt diceret Deo: Domine, offero tibi Virginitatem meam; cùm hoc à nullo homine, nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem inuitata esset.* Promissis stans Domina ad præconium Bartholomæi & cæli & terræ linguas excitabit. Tuam ex hoc capite opem specialissimam, ô Deipara, efflagito, huius Apostoli obsequentissimus, cuius solemni nuncium Mundo remisi, nomen dans sub tanto Patrono Societati IESV. Vtinam ad exemplum Bartholomæi, (quòd tunc fortasse minimè præstiti) saltem nunc, per angustam intrans portam, pro pelle veteres relinquam exuuias, nouus miles exurgens.

Apostolici vitam Lignis FRVCTVS SEXTVS.

LVCAS CAP. VI.	PARAPHRASIS.
VERS. 12. EXIIT IESVS in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.	12. IESVS, relictis vrbibus, & hominum frequentiâ, rursus, ad deprecandum secessit in montem, eamque noctem in precibus ad Deum profusis peregit: nos edocens, vt si quid volumus, quod faustum esse cupimus, à deprecatione exremus auspicari.
13. Et cùm dies factus esset, vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex Discipulis (quos & Apostolos nominauit.)	13. Profectò vt diluxit, ad se Discipulos aduocauit, quos iam perpetuos comites habebat, ac testes gestorum. Ex quibus præcipuos aliquos elegit, quos ideo nominauit Apostolos, quia eos veluti legatos

Euangelicos erat in vniuersum Orbem immissurus, acturos nil aliud, quàm quod haberent in mandatu.

14. Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius: Iacobum, & Ioannem: Philippum, & Bartholomæum:

15. Matthæum & Thomam: Iacobum Alphei & Simonem, qui vocatur Zelotes:

16. Et Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba Discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæâ, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis.

18. Qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur.

19. Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

14. *Horum hæc nomina: Simon, cui postea nomen additum Syriacè Cephas, Latinè Saxum, ob solidam professionem, quâ, vacillante populo, clamat: Tu es Christus Filius Dei viui. Huius collega fuit Andreas frater ipsius. Deinde Iacobus & Ioannes Zebedæi filij, tonitrui etiam fortiti filiorum nomen; Philippus & Bartholomæus Collegio adscribuntur.*

15. *Matthæus item & Thomas, Iacobus Alphæi filius, & Simon, cui cognomen Zelotes.*

16. *Iudas Iacobi frater, & Iudas Iscariotes, qui prodidit Iesum, quem non per imprudentiam, sed per prouidentiam elegit, vt huius exemplo nos doceret, quam horrendum sit abuti Seruatoris erga nos lenitate.*

17. *His delectis, descendit è monte ad planitiem multitudinis capacem. Cùm ipse descenderat Discipulorum multitudo, è quibus selegerat duodecim Apostolos: aderat autem copiosus promiscui populi cœtus, qui eò confluxerat ex omni Iudæâ, ab ipsâ quoque Ierosolymâ, ácciuitatibusq; maritimis, Tyro & Sidone.*

18. *Horum multos traxerat è longinquo audiendi Euangelicum sermonem auiditas; nonnullos spes adduxerat sanitatis. Liberabat enim omnes ab omni morborum genere, quibus tenebantur: quin etiam hi, qui à spiritibus vexabantur impuris, restituebantur sanitati.*

19. *Erat enim in eo diuina plenitudo virtutis, quæ à Domino, non secùs ac lumen à Sole, calor ab igne exoriebatur; ac salutem omnibus adferebat, qui Seruator sanandis omnibus aduenerat.*

SECTIO PRIMA.

Oratio electioni Apostolorum præmissa.

TEXTVS.

VERS. 12. EXIIT IESVS in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. 13. Et cùm dies factus esset, vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.

COM

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De secessu Domini in montem, vt oraret.

1. *Consilium Pharisæorum de occidendo Iesu.* Matt. 12. Marc. 3. Athan.

FACTVM *est autem in illis diebus, exijt in montem orare.* Prætermitto Dominici secessus causam: Matthæus: *Exeuntes Pharisæi, concilium faciebant aduersius eum, quomodo perderent eum.* Cap. 12. Marcus autem apertiùs: *Exeuntes Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant aduersùs eum, quomodo eum perderent,* cap. 3. Id est, consilium eum occidendi inierunt, vt Athanasius interpretatur in Apol. de fugâ.

2. *Iniquos fugiens pergit ad montem orare.* Marc. 3. Matt. 12. Greg.

Igitur consilium horum Christus callens secessit à loco illo, turba multa varijs ex locis confluente, ex quâ multi ægroti fuere valetudini restituti, Matt. 12. Dæmonijs à multis corporibus ablegatis, Marc. 3. Illis ergo tunc diebus factum, vt semel, iam nocte propinquante, relictâ turbâ, in montem se reciperet Dominus, orandi causâ. Diebus enim cum turbis aderat, prædicationis ministerio addictus; noctibus verò ad secretiora loca, turbis relictis cum Discipulis, sæpè solus abibat, vt orationis incumberet exercitamento. Gregorius lib. 28. Mor. cap. 6. *Cùm in vrbe miracula faceret, & in monte orando continuè pernoctaret, exemplum suis fidelibus præbuit, vt nec contemplationis studio proximorum curam negligant, nec rursùs curâ proximorum immoderatiùs obligati, contemplationis studia derelinquant, quatenùs nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amorem proximi, quia transcendit, abyciat amor Dei.*

3. *Quid pernoctare in oratione?*

Et erat pernoctans in oratione Dei.] τὸ *pernoctans*, significat non obiter Deum orasse, sed totâ Deum nocte deprecatum esse, non quidem secundùm diuinam, sed secundùm naturam humanam, quâ inferior erat. Orauit autem in monte, & noctu locum & tempus seligens orationi opportunum. Ab hominum tumultu secreta loca, & noctis quies, orationi impendunt obsequium.

4. *Cur Christus orauerit?* Cyprian. Ambros.

Quóisnam de causis Christus orauerit? Cyprianus de orat. *Exiuit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Quòd si ille orabat, qui sine peccato erat, quantò magis peccatores oportet orare? Orabat Dominus, non pro se; quid enim pro se innocens precaretur? sed pro delictis nostris.* Ambrosius serm. 20. in Psalm. 118. *Suscepit Christus aduocati personam, & pernoctabat in oratione pro nobis, vt nos suo informaret exemplo. Non enim ideò pernoctauit, quasi qui aliter Patrem nobis reconciliare non posset; sed vt qualis aduocatus esse debeat, demonstraret, qualis Sacerdos, vt non solùm diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere.* Verè Patres, sed nimiùm generalem causam Dominicæ illius pernoctationis adhibent.

5. *Authoris sententia asserens orâsse pro rectâ Apostolorum electione.* Caiet.

Existimo Christum Patrem pro Apostolis proximè eligendis orasse, vt tales efficerentur, quales tanto muneri subeundo esse deberent. Exemplum præbendo ijs, qui Ecclesiastica munera distribuunt, vt ad Deum priùs oratione studiosa quidem recurrant. Caietanus ad hæc: *Non solum orauit, sed nocte totâ in oratione perseuerauit, docens Ecclesiam suam, vt promotura aliquos, orationem præmittat, non pro ceremoniâ, sed verè recurrendo pro diuina gratia spiratione, & aspiratione. Iesus non indigebat vt oraret; sed ad nostram instructionē pernoctauit in oratione.* Edisçant Reges, penes quos cura præsentandi Prælatos à Pontifice Ecclesijs præficiendos. An satis à Senatoribus vti dignos proponi? Laudo Senatorum consilium; sed Regem moneo, vt sacrificijs peragendis studium impendi curet, ne circa negotium summum error, aut nequam affectus immisceatur. Contestatur Toletus etiam Cardin. *Pro Apostolis paulò post eligendis orauit. Maximum enim opus erat Apostolorum electio.* Tolet.

6. *Cur Dei oratio vocatur?*

In oratione Dei.] Quare Dei oratio vocitatur? Dicitur oratio Dei oratio diuina, quemadmodum *Vir fortitudinis* dicitur ab Hebræis Vir fortis. Precabatur Deum, idcóque Dei erat oratio? Præterea nomine Dei Hebræi ad exaggerandum vtuntur. Montes celsissimi *Montes Dei* appellantur, seu quasi diuini, Psalm. 35. *Iustitia tua sicut montes Dei;* id est, similis est montibus altissimis: *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei,* Psalm. 78. Id est, procerissimas. Pernoctabat igitur in oratione Dei, id est, ardentissimæ, longissimæ, celsissimæ, diuinissimæ orationi incumbebat. Forsitan (sequor Barradij expositionem) sublimius quid his verbis innuitur; scilicet illam orationem Dei fuisse, id est, Christi Dei atque hominis admirabilem, quamuis non vt Deus, sed vt homo orauit. Psalm. 35. Psalm. 78. Barad.

§. II.

De Apostolorum electione.

7. *Expectauit diem, vt innuat nullum eligendum ad Ecclesiæ ministerium, nisi probatum, & præcognitum.* Rom. 13. Tolet.

ET *cùm dies factus esset.*] Cur diem expectauit, vt Apostolos Dominus eligeret. An vt ostenderet non legis illius, sed Euangelij ministros futuros. Scio legis tempus nocti, Euangelij verò diei comparari. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit,* Rom. 13. Nam quæ lege mysteria continebantur, vmbræ erant eorum, quæ Euangelica præscripta manifestant. Aptiùs respondeo cum Toleto, expectasse diem; vt innueret *neminem eligendum in Prælatum, aut Ministrum Ecclesiæ, nisi probatum, & cognitum, sicut in die corpora, quæ nocte occultabantur, discernuntur.* Paulus: *Nemini citò manus imposueris,* 1. Tim. 5. Vbi Leo Epist. 85. ad Episc. Afric. *Citò manus imponere, est antè ætatem maturitatis; antè tempus examinis; antè meritum laboris; antè experientiam disciplinæ Sacerdotalem dignitatem conferre non probatis.* 1 Tim. 5. Leo.

Chryſoſt. *bæis.* Et Chryſoſtomus lib. 4. de Sacerd. *Neque eos, qui elegerant, ſubleuare quidquam poterit, ſi dixerint ignoraſſe ſe eum, quem elegere. Verum vel hoc ipſo crimen grauius efficitur, quòd quem ignorauere, perduxerint. Ac certe quæ illis videtur excuſatio, accuſationem auget. Nam quomodo id abſurdum non ſit, eos qui mancipium aliquod empturi ſunt, id tum Medicis oſtendere, tum emptionis ſponſores poſtulare, tum vicinos interrogare; at ne tum quidem adhuc confidere, quin imò & diuturnum aliquod tempus poſcere, intrà quod probare illud poſſint. Eos verò, qui quempiam ad Epiſcopale munus huiuſmodi cooptaturi ſunt, ſicut placitum ſit, ad aliorum vel gratiam, vel inuidiam, teſtimonium ſuum accommodare, ita eum temerè, ac vt caſus tulerit, adlegere, nullâ prorſus aliâ diſcuſſione factâ.* Piaculum duxi, vel particulam de ſententiâ detrahere.

8\. *Vocatus ad ſacerdotale miniſterium, & Prælationem accede. Heb 5. Bernar.*

Vocauit Diſcipulos ſuos.] Caietanus: *Ipſe eos elegit, & non è conuerſo, ipſe eos promouit, & non è conuerſo.* Paulus: *Nec quiſquam ſibi honorem aſſumit, niſi qui vocatur à Deo*, Heb. 5. Ideò vocat Diſcipulos ad Apoſtolatum aſſumendos. Bernardus lib. 4. de conſid. *Non volentes, neque currentes aſſumito; ſed conſtantes, & renuentes, Hos etiam coge, compelle intrare.* Sacri canones, & ciuiles leges eos, qui non vocati, in huiuſmodi officia, & Eccleſiaſtica miniſteria, aut dignitates ſe ingerunt, indignos munere deputant. Extat Can. d. 61. cap. *miratur* ex Leone Epiſt. 85. Leone. *Principatus, quem ſeditio extorſit, aut ambitio occupauit, quamuis moribus, & actibus non offendat; ipſius ſui tamen initio, eſt perniciosus exemplo; & difficile eſt, bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.* Leg. *ſi quemquam*, Cod de Epiſ. & Cleric. *Quæratur cogendus, qui rogatus recedat, inuitatus fugiat. Profectò indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus inuitus.* Si me indignum munere agnoſco, vocanti acquieſcere debeo? Chryſoſt. Reſpondet Chryſoſtomus lib. 4. de Sacerd. *Decere arbitror, vel ſi te ſexcenti vocent, atque adeo cogant, non ideo ſpectare; verum animi tui dotes priùs examinare, vireſque tuas omnes exactè perſcrutari, atque ita demum cogentibus cedere. Nam domum aliquam ædificaturum pollicere ſe nemo audet, qui idem architectus non ſit.* Gregorius p. 1. curæ paſt. cap. 11. & Baſilius ſerm. 2. de Bapt. cap. 11. conteſtantur.

9\. *Cur duodecim eligantur* Mar. 3. Tolet.

Et elegit duodecim ex ipſis.] Ex ipſis Diſcipulis ad ſe vocatis duodecim creauit Apoſtolos, vti ſibi comites indiuiduos adſtringeret. Marcus, *Fecit, vt eſſent duodecim cum illo* cap. 3. Toletus. *Id eſt, quaſi comites indiuiduos ſibi adhærentes continuò.*

10\. *Ex gremio Eccleſiæ eligendi Præpoſiti.* Caiet.

Ex ipſis.] Caietanus pulchrè. *Vt diſcamus quod è gremio Eccleſiæ eligendi ſunt præpoſiti.* Non dixit, è *gremio familiæ Præſulis* parochi aſſumendi, ſed *ex Eccleſiæ gremio*. Non ideo taxo Epiſcopos, qui è familiis eligunt dignos ad munera ouium, potiùs laudo factam electionem eorum, qui notæ, & probatæ virtutis: ſed moneo, nè plus ex affectu, quàm ex meritis aſſumantur.

11\. *Priùs fuere Diſcipuli, quam Magiſtri forent.*

Ex ipſis.] De Diſcipulorum numero eliguntur Apoſtoli. Non enim decebat Magiſtros fieri qui non priùs diſcipulorum locum obtinuiſſent. Nec aptus docere, qui priùs non didicerit. Doctus planè debet eſſe, qui in Præſulem eſt eligendus Hieronymus Eph. 4. Hieron. *Rectè in Eccleſiis, quamuis ſanctus ſit, Paſtoris ſibi nomen aſſumere nemo debet, niſi poſſit docere, quos paſcit.*

Ex ipſis.] Non omnes ad Apoſtolatum aduocantur. Non enim omnis ad aliorum curam gerendam aptus, licet iuſtitia polleat. 12. *Non omnis bonus aptus eſt ad Prælaturam.* *Quis putas, (ait Dominus) eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Luc. 12. Chryſoſt. lib. 6. de ſacerd. Luc. 12. Chryſoſt. *Nec ſolum purum, mundumque Sacerdotem eſſe oportet, vt qui tali miniſterio dignus habitus ſit; ſed etiam in primis prudentem, atque adeò multarum rerũ experientia inſtructum, vt ſecularia, mundanáque omnia nihilominus nôſcat, quam nôrunt ij, qui in mediâ hominum turbâ verſantur: Rurſus rerum omnium humanarum ſecurior viuat, quàm monachi, qui montes ipſos habitandos occupârunt.*

Ex ipſis.] Multos aduocat ſimul, & quoſdam ex eis ſeligit, ſignificans non ſatis eſſe ſi eligantur in Prælatos, qui digni, & idonei ſunt; ſed aſſumendos, qui inter cæteros digniores, & aptiores regimini. 13. *Digniores aſſumuntur.* Origen. hom. 6. in Leu. Origen. *Licet Dominus de conſtituendo Principe præcepiſſet, & Dominus elegiſſet; tamen conuocatur etiam Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præſentia populi, vt ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium: & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodum retractatio cuiquam; ne quis ſcrupulus reſideret.*

14\. *Quare duodecim.*

Et elegit duodecim.] Quare duodecim eliguntur? Quia ſicut populus Dei etiam ex Gentibus colligendus per duodecim Tribus deſignatus eſt: ita duodecim electi ſunt, qui eſſent primi authores congregandi verum Iſraelem, id eſt, omnes Dei filios, qui vbique commorarentur. Quiquidem numerus veteris Teſtamenti figuris præſignatus. Duodecim filij Iacob; duodecim Principes Iſrael; duodecim fontes Helim; duodecim adoleſcentes hoſtias offerentes pacificas; duodecim lapides in Rationali Aaron; duodecim Propoſitionis panes; duodecim Exploratores à Moſe immiſſi; duodecim lapides à Iordane ſublati, è quibus Altare; duodecim boues æneum mare ſuſtinentes; duodecim Iudices, qui poſt Ioſue populum iudicârunt; Apoſtolos duodecim expreſſere qui & in noua Pagina duodecim ſtellis in corona ſponſæ, duodecim fundaminibus, ac totidem nouæ Ieroſolymæ portis ſignificantur.

15\. *Cur nominantur Apoſtoli.*

Quos & Apoſtolos nominauit.] Quos ad peculiare munus elegit, & nomine diſtinxit, & ab officio vocitauit Apoſtolos, ſeu nuncios ab eo per Orbem ad ſalutis Euãgelium euulgãdum immittendos. *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* Rom. 10. Rom. 10. Id eſt, niſi Apoſtolico fungantur officio: Apoſtolus enim idem quod, *Miſſus*, authore Auguſtino, tract. 54 in Ioan. Auguſt. Non autem omnis nuncius ab aliquo miſſus, dicitur Græcè Apoſtolus; ſed qui ore negotium agit, quod accepit in mandatis; qualem latini *Oratorem*, vel *Legatum* vocant. Ex hac autem Domini impoſitione, nomen Apoſtolis factũ eſt nomen dignitatis. Caiet. *Solam, ac priuam Apoſtolatus dignitatem à Ieſu inuenimus nominatam in Eccleſia eius, quam nominauit à paſſiuâ miſſione.*

In

In Bartholomæum

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

Ex oratione electioni præmissa.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Secessit in montem orare.

Bartholomæo à mundialibus curis perfectè abstracto totus dies erat tanquam nox, aptissimus ad orationis exercitamentum.

Ostenditur, nocturnum tempus accommodatius ad contemplationem.

16. *Chryf.* EDOCET Dominus, *in oratione pernoctans* aptum esse nocturnum silentium, & quietem ad spiritualia exercitamenta. Chrysostomus hom. 26. in Act. 12. *Purior in nocte est anima, leuior subtiliórque nunc est, sublimia videt, ac expedita est, Tenebra ipsa silentiúmque multùm in compunctionem inducere sufficiunt.*

17. *Centies per diem, totidem per noctem Bartholomæus orat. Antonin.* Bartholomæus verus Christi assecla centies per noctem exorâsse quotidie asseritur. Antoninus p. 1. tit. 6. cap. 12. *Centies per diem orat, & centies per noctem.* Hieronymus epistol. de obseru. vigil. tom. 4. *Bona est equidem diuina meditatio; sed efficacior est nocturna. Quia per dies necessitates variæ obstrepunt, occupationes distrahunt mentem, sensum duplex cura dispergit. Nox quieta, nox secreta, opportunam se præbet orantibus, aptissimam vigilantibus, dum carnalibus occupationibus expeditum, collectum sensum, intentum hominem diuinis conspectibus sistit. Nec Christus solùm verbis docuit vigilias; sed etiam docuit exemplo. Namque testatur in Euangelio, quia erat pernoctans in oratione.* Certè Bartholomæus centies per diem, centies per noctem orans, nunquam recedebat ab orationis exercitamento, æquè quidem efficaciter, die ac nocte deprecans, quia nunquam spiritus ille, qui cunctis mundialibus renunciârat, curis têporatijs distrahebatur. Vnde totum diem, noctem orationi Bartholomæi aptissimum tempus existima.

18. *Spiritu orationis donati, noctu precantur. Zach. 12. Chrys.* Zachariæ ex ore Dominus: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum precum, & aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum, quasi super vnigenitum.* Cap. 12. Ac si diceret. Ex precum, seu orationis spiritu, Christum Deum agnoscent. Chrysostomus pulchrè asserit huiusmodi cognitionem nocte esse perficiendam. *Venit nox* (inquit hom. 55. ad cap. 8. Ioann.) *quod indicat impios ibi futuros, & multos alliciendos.* Si allіciendi, ad Dominum agnoscendum, multi ex orationis spiritu, quare noctem venturam prædicat ad illius vaticinij impletionem? Certè quia preces in nocte efficaciores existere compertum: *Nox enim opportunam se præbet orantibus.*

Conqueritur iustè Christus, quòd Discipuli præstantissimi non potuissent vnicâ horâ orationis exercitamento curam expendere. *Sic non potuistis vnâ horâ vigilare mecum!* Matt. 27. In cuius expositionem recurro ad illud Apocalypseos: *Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo, quasi dimidiâ horâ.* Cap. 8. Vbi Drogo de sacram. Pass. curat Discipulos excusare, ipsorum sic ore locutus: *Quis est, Domine, qui tecum vnâ horâ vigilet? Etiam in cælo non est factum silentium, nisi quasi dimidiâ horâ, quantò magis in terrâ vnâ horâ vigilabimus tecum?* Attamen particula illa, *Sic*, quàm iustè Dominus queratur, aperuit; Non potuistis *sic* vnâ horâ vigilare? Cùm estis apud montem à sæculo abstracti, & noctis gremio excepti, vbi faciliùs mens ad Superos auolat, nimia desidia est, vel vna hora orationi vacare non potuisse. 19. *Quàm facilè possent noctu Discipuli apud hortum orare. Matt 27. Drogo*

Fatur Isaias: *Vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Cap. 61. De Discipulis & Apostolis à Domino vocatis sermo procedit. Vocabuntur hi ad glorificandum Dominum, siue ad preces emittendas, quæ in Domini laudem profunduntur. Vatablus legit: *Et vocabuntur arbores iustitiæ.* Cyrillus Alexand lib. 4. de Spiritu & lit. *Comparat Isaias arboribus viros sanctos.* Quare Discipuli Diuique ad glorificandum Dominum precum hymnodia, electi, arboribus comparantur? Certè quia *in nocte* (ait Chrysostomus homil, 26. ad cap. 12. Act.) *respirant plantæ, tunc & anima maximè, & magis quàm illæ rorem suscipiunt. Quæ enim Sol adussit, eadem nox refrigerat.* Ad orationem vocantur? Prouidè ergo & noctis silentium, & quies eis impenditur, vt eis spiritualibus plantis det noctis silentium quod ros nocturnum assolet materialibus impendere. 20. *Vir spiritualis, in morem plantæ, irroratione recreatur. Isai 61. Vatab. Cyrill.*

Quam ex nocturno rore hilares arbores! Quam ex nocturna oratione nunquam Bartholomæus macie vexatus, nunquam à Sole adustus. Vis spiritûs obiiciam virorem? Externam arboris pulchritudinem contemplare *Capilli eius nigri* (loquor cum Florentino Præsule) *& crispi, caro candida, oculi grandes, nares æquales, & directa, barba prolixa, habens paucos capillos, statura æqualis, purpurâ vestitur, induitur pallio albo. Viginti sex anni sunt, ex quibus vestimenta eius, & sandalia, nec veterascunt, nec sordescunt, centies per diem orat, & centies per noctem.* Profectò orationis nocturnæ 21. *Bartholomæus arbor pulcherrima, ex nocturna meditationis irrigatione. Antonin.*

ɖurnæ effectus ad externa vestimenta prosiliunt, quemadmodum transfigurati Christi gloria vestimẽtorum operatur albedinem. Respondit-ne interna pulchritudo? Bartbolomæus tàm sanctus, tam à criminis contagione immunis, vt nullus in eo à Domino aspiciente dulus reperiretur, de quo inferiùs.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et erat pernoctans in oratione.

Bartholomæo orationis exercitium erat à cunctis laboribus laxamentum; ideò nunquam ab ipsâ recedebat.

Ostendo, viros spiritualibus studentes, ex oratione ac contemplatione, veluti somno dulci recreari.

22. Tolet. ASSERIT Toletus, Christum diurno tempore edocendis hominibus curam adhibuisse; nocturno autem orationis exercitio vacâsse. Et quodnam tempus laxationi corporis consecratur? Profectò orationi dicatum tempus relaxamento dicatum est.

23. *Tribulatione affectus, orationis somno à labore soluitur.* Psalm 66. Dauid cecinit: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum* Psalm. 76. Diei laboribus agitatus, ad noctem accurri, quietem ac somnum capturus; vnde sublatis manibus ad orandum, spiritum resumere potui: *Et non sum deceptus.* Oratio enim à curis queîscumque laxamentum. Adijcit: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Cassiodorus: *Negaui consolari animam meam.* Scilicet alio leuamine, quia sola oratio pro somno, cunctísque mœstitudinis ex labore aderat laxamentis. Vnde queritur Dominus, quòd Ecclesiæ Proceres, Petrus, Iacobus, & Ioannes, licèt diurnâ operatione grauati, non potiùs ab orationis nocturnæ vigiliâ, quàm à somno leuari curarent. *Sic non potuistis vnâ horâ vigilare mecum. Spiritus promptus est, caro autem infirma, Vigilate.* Matt. 27. Si *infirma caro*, potiùs deberet Dominus adijcere: *Dormite, & requiescite.* Verè, si infirma caro, nullo aptiùs leuamine reficeretur, quàm si orationis somno dulcissimo traderetur. *Memor fui Dei, & delectatus sum.*

Matt. 27.

24. *Qui mortificationis cruci tota die illigantur, nocturna oratione soluuntur.* Aiebat Paulus: *Propter te mortificamur,* imò Cruci suffigimur *totâ die.* Permitte nos captare somnum in Crucis dolorum refrigerium. Quid si nullum leuamen præstantius Cruci suffixis, ad laxamentum valeat excogitari, quàm orationis studium? Menti obijcias latronem cum Domino Cruci illigatum, horribili affectum cruciamento. Totâ die mortificato succedat nox somnum & quietem obiectura. Porrò ad somnum ille latro accurrit, vt a cruciatibus leuaretur, fatus: *Memento mei, Domine, cùm veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. Vbi pulchrè Eusebius Emiss. *Memento mei, Gloriosa orationis voce præsentes temperat cruciatus.* Si igitur propter Dominum *tota die* mortificatione afficeris, ad noctem accurre, oransque inclama: *Memento mei Domine,* cruciatibus queîslibet orationis voce temperandis quid aptius?

Luc. 23. Euseb.

Quàm curarum & itineris laboribus agitatus Iacob somnum captare curat? Lapidi caput dat; terræ corpore addicto. Tunc apparuit scala a terra in superos strata via. *Vidit scalam,* Gen. 32. Vbi Patres somnum illum orationem, seu contemplationem fuisse affirmant. O Domine, lassato adolescenti ex itineris fracto laboribus, cur captandi somni ad membrorum reparationem non indulges paruum nocturni temporis interstitium? An quia angoribus & curis humanis nullum poterat aptius excogitari laxamentum, quàm orationis exercitium? Ita planè. Quod ex eodem reuertente Patriarcha confirmo. Certamen instituit cum Angelo, quando curas leuaturus somnũ requirebat. Pernoctauit in pugna, & Angelus inclamat: *Dimitte me, quia iam ascendit Aurora.* Procopius: *Tempus est, vt ex inuisibilibus ad visibilia descendas.* Potiùs dicendum fuisset. Tempus est, vt somno tradaris, ad laborum & diurni ministerij, & nocturnæ pugnæ laxationem. Certè illa ipsa pugna, quæ orationis affectu instituitur, diurni erat laboris laxamentum. Vnde quasi de somno habito Propheta excitatur rursum ad labores subeundos. *Tempus est* ad visibilia descendere. 25.

Iacob fractus itineris labore, orationis somno quiescit. Gen. 32. Procop.

Asserunt Metaphrastes, Antoninus, Ioseph humilis, & alij, Bartholomæum instituendo innumerabili Gentium cœtui dies insumpsisse; vnde illa tota conuersa ad Dominum Gentilitas. At simul affirmant, *centies in nocte orâsse.* Quandonam, quæso, Apostoli membra reficerentur? quandonam crucifixi illius spiritus, ex continua mortificatione, & corporis manus, os, pedes soluerentur à Cruce? Certè illa tàm iterata, siue tàm continuata totius noctis oratio cunctorum laborum cruciatus relaxabat. Vt edisces ad orationis asylum tibi confugiendum esse, cùm diurnis tribulationibus diuexaris. 26.

Bartholomæo nocturna oratio erat somni quies, ad labores diurnos.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et erat pernoctans in oratione.

Totâ die Bartholomæus orabat, dùm operaretur totâ die, quia eius oratio operatio erat.

In eorum commendationem, qui rectorum operum manibus satagunt exorare.

NON solùm Bartholomæus pernoctabat in oratione, verus Iesu socius; sed & diurno tempore orationis studio operam impendens, nunquam ab orationis exercitamento recedebat. *Centies per diem orabat, & centies per noctem.* Ergo nullum operibus interdiu tempus suppetebat, sicut nullum noctu tempus somno relinquebatur. Profectò quemadmodum 27.

nocte

nocte orans, simul somnum captabat, quia oratio requies; ita die deprecans simul operabatur, quia Bartholomæus operibus orabat, & oratione operabatur.

28. Moyses populo aiebat: *Nolite timere, state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie, Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltrà videbitis vsque in sempiternum, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Moysem. Quid clamas ad me?* Exod. 14. Vbi quæritur. Quonam modo verificari possit illa particula? *Quid clamas ad me?* si Moyses prædicabat populo Dei magnalia, non tamen orabat aut clamabat ad Dominum. Existimo illud ipsum populo Dei magnalia prædicare in conspectu Dei, fuisse orationis exercitio studere. Pulchrè Ambros. ad Psalm. 118. *Sonum eius non audio, vocem eius agnosco; silentium eius lego, clamorem eius in operibus deprehendo.* Orabat enim feruentissimè eo ipso, quòd Dei magnalia populo proferebat. Lego Bartholomæum totâ die saluti proximorum curam impendere, nunquam non concionandi muneri vacare, simul constat *centies in die* orationem profudisse. Si semper concionandi officio studet, quomodo semper orat? Quia interminabilis concio interminabilis deprecatio est, fante Domino, cùm Apostolus concionatur. *Quid clamas ad me?*

Bartholomæus cum concionabatur tota die, tota die orationi studebat vt Moyses. Exod. 14.

Ambros.

29. Dauid cecinit: *Manibus meis nocte contra eum.* Psalm. 76. Hieronymus: *Subaudi, Clamaui.* Quid clamare manibus, nisi operibus expressis Deum exorare? Cùm die & nocte Bartholomæus manus admouet, apud Gentiles gerens Concionatoris munus, eo opere egregio preces profundit. Addit Doctor: *Videte ergo, quod & opera nostra, nobis tacentibus, clamant ad Dominum.*

Manibus operum clamans orabat, Dauid in prorem. Psalm 76. Hieron.

30. Alibi Vates: *Cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ.* Psalm. 4. Non dixit; *Me absolutè audiuit, sed Deus iustitiæ meæ.* Id est, auditor iustitiæ meæ clamantis, & non vocis orantis me exaudiuit. Nunquam enim efficaciùs exoro; quàm cùm feruentiùs operor. Chrysost. *Et meritò; opera enim sunt quæ exaudiuntur, & rectè facta.* Superiùs: *Non solet Deo persuadere verborum multitudo; sed pura anima, seu rectè factorum, aut bonorum operum ostensio, Et ideò non dixit Propheta: Exaudi me; sed iustitia mea Deus, id est, Exaudi iustitiam meam.*

Iustitia orabat operibus, Psalm. 4.

31. Sine intermissione orat Bartholomæus, *Centies in die, centies in nocte*: quia sine intermissione concionatur, curat ægrotos, diabolo exitialis ostenditur; sacro Gentiles lauacro diluit. Paulus Thessalonicensibus: *Semper quod bonum est, sectamini in inuicem, & in omnes, sine intermissione orate.* Cap. 5. Si semper operandum est *in inuicem*, & in omnes, quod bonum est, nunquam à proximorum ministerio vacabimus. Quonam modo ergo poterimus sine intermissione orare? An quia illud ipsum rectè operari in omnes continua oratio est? Ita planè. *Sine intermissione* Bartholomæus orat, quia sine intermissione se proximis ostendit salutarem. Bellè Basilius: *Sine intermissione orate, nimirùm actionibus, quæ per omnem vitam intento studio perficiuntur ad præscriptum legis.* Cornelius noster: *Ille orat semper, qui bona semper agit.*

Bartholomæus operans rectè sine intermissione, sine intermissione orabat. Thessal. 5

Basil.

Rursùm Dauid: *Intret oratio mea in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium, &c.* Psalm. 118. Chrysost. hom. 67. ad popul. *In operibus iustus exauditur.* Hoc est, manus leuare ad Dominum. *Cum eleuaret Moyses manus, superior fiebat Israel.* Exod. 7. Origenes. *Eleuare manus, est opera eleuare ad Deum. Intret* igitur *oratio mea in conspectu tuo.* Ambros. *Intret pietas, iustitia, sobrietas, castimonia, disciplina.* Huiusmodi enim virtutum actiones orationis obtinent locum Apostolus itaque pietatis, iustitiæ, sobrietatis, castimoniæ, ac disciplinæ operibus interminabiliter gestis, sine intermissione orabat. Edocens quidem semper orare eum, qui nunquam non laudabiliter operatur. 32.

Eius manuum eleuatio ad iustitiæ opera oratio continua erat. Psalm 118 Chrys. Exod 7. Origen

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et erat pernoctans in oratione Dei.

Toties Bartholomæus orabat in die, quia cuilibet operi gerendo præmittebat orationem.

Ostendo, operibus quibuscumque præmittendas preces, vt fausta reddantur, præcipuè cùm bellum sit adoriendum.

VIDIMVS Christum pernoctâsse in oratione, vt opera diei proximi prospera redderentur, præcipuè cùm eligendis Apostolis duodecim cura esset impendenda. Cùm res quælibet gerenda obijcitur, ex præmissâ oratione prosperatur. Chrys. lib. 1. de orando Deo: *Daniel non sustinuit ab orando cessare, propterea quòd nisi Deus propensus sit in nos, nihil bonorum in animas nostras venire possit. Dei verò propensio simul adiuuat labores nostros, si conspexerit nos amare precandi studium.* Bartholomæus, inquam, *non sustinuit ab orando cessare*; qui operationi cuilibet orationem præmittebat. 33.

Chrys.

Olim filij Israel cuncti post Iosue obitum in Siloch, priusquàm bellum aggrederentur, Dei sciscitatum oracula conuenerunt. Iud. 1. Quare? Respondet Chrys. hom. 14. ad popul. *Antiquitùs enim Deus erat Dux bellorum, & absque illius sententiâ nunquam attingere pugnam ausi, & bellum illis pietatis materia fiebat.* Et quando non Deus bellorum Dux? Bartholomæus nunquam terminabile aduersùs diabolum (de quo inferiùs) bellum aggressus, orationis præmissæ affectu, centies in die centum brachia, Briarei in morem, contra diabolum eleuanda, centies exorans curabat roborare. 34.

Bartholomæus semper pugnaturus, semper oraculum adiret vt filij Israel. Iud 1. Chrys.

Deus sic præcipiebat: *Si aliquid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum,* Num. 27. Nam res à Deo auspicatæ fœlici termino adscriberentur. Nazianzenus orat. 1. *Optimus hic ordo est, vt qui rem aliquam auspicatur, à Deo initium ducat.* Ducens autem initium à Deo, eodem fine opera claudes. *Ego sum Alpha,* 35.

Quod ex oratione à Deo inchoatur, felici termino perficitur. Num 27. Naz. orat.

pha, & Omega. Principium, & finis. Ap. 1. Et cur Dominus principium & finis vocatur, nisi vt innuat opera quæ ab illo principium sumunt, in illum plerumque desinenda. Sic Helias apud Nazianz. exponit.

Apoc. 1. Hel.

36. Abel sacrificij opus egregium instituens, prius studuit orationi, vti Ambros. innuit; vnde ei fausta omnia contigere, Domino sacrificium acceptante, & cælesti igne victimam absumente. Non sic Caino, cui ex defectu præuiæ orationis sinistra cuncta contingunt. *Non-nè* (ait Deus) *si benè egeris, recipies?* Genes. 4. LXX. *Non-nè si rectè offeras, non autem diuidas, peccâsti.* Rectè obtulit Cain, non autem rectè diuisit, quia illud sacrificium intersecare debuerat, vt priùs offerret orationem, vnde recta oblatio prosperaretur. Diuisit Abel, vel quia innocentia clamabat (vti Obseru. 3 ostendimus) vel quia preces præmisit sacrificio (vt Ambrosius asserit) illud approbans sacrificium, qood ordinem seruat; *vt primò à diuinis inchoemus laudibus. Non rectè diuisit Cain, quia ante omnia Deo debuit offerre primitias*, scilicet orationis.

Abel præmittis orationem, sacrificio prosperatur, secus Cain non præmittens. Gen. 4. Ambros.

37. Elisæus, auolante Magistro, *leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat, reuersúsque stetit super ripam Iordanis, & pallio Eliæ percussit aquas, & non sunt diuisæ. Et dixit: Vbi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussit aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc, & transijt Elisæus.* 4. Reg. 2. Cur primò ad amotionem pallij aquæ non obediunt, postmodùm recedentes? Non lego Prophetam opus mirabile aggressurum orationem præmisisse ad Dominum; vnde iustè aquæ non præscinduntur. At posteà clamauit: *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc.* Orationis voce exauditâ, fluuius obediens viam ad vlteriorem ripam, aquis recedentibus, huc illuc exponit. Abulensis: *Vt compelleretur orare, non sunt aquæ diuisæ prima vice.*

Non sunt aquæ diuisæ, quia non priùs orauit Elisæus. 4. Reg. 2. Abul.

38. Profectus Iacob in Ægyptum fælicissimo nuncio superstitis Iosephi exaudito, priusquam Ægyptum ingrederetur; *Venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac; audiuit eum per visionem noctis vocantem se, & dicentem: Iacob, Iacob, descende in Ægyptum*, Gen. 46. Vbi Iosephus lib. 1. Antiq. *Orauit Iacob, ne inconsulto Deo migratione præsenti facta familia ipsius clade aliqua afficeretur.* Quoties cladibus vulneramur, quòd ad Iuramenti puteum seu Templum non priùs oraturi properamus?

Iacobo oranti ingressus in Ægyptum prosperatur. Gen. 46. Ioseph.

39. Quodnam Imperium infælicius Saulis Regno? Nullus dies adscribitur ei sine hostium incursu, aut laborum irruptione. An quiquam Ieroboamo ac successoribus infæliciùs regnauere? Testentur innumeræ eis clades obortæ, ex iniquitatis officinâ. Vndenam eis tàm infausta dominatio? An ex criminibus? Id assererem omninò, nisi apud Oseam aliam causam extitisse legissem. *Regnauerunt*, inquit, *sed non ex me.* Cap. 8. Si dixisset: *Et non mecum*, ad sola crimina eorum infælicitatem referrem. At illa particula, *Ex me.* innuit illos à Domino non petijsse gubernationis dexteritatem. Sic Ribera noster: *Regnauerunt, & non ex me, id est, me inconsulto.*

Reges non orantes infaustè regnarunt. Os. 8. Ribera.

40. Bartholomæo fausta cuncta, quia à Deo præmissâ oratione victorias auspicabatur. Testor dæmonem toties religatum, & victum, idola comminutione affecta, Reges Euangelij iugo capita submittentes. Prima victoria ad ingressum Apostoli Astharuth idolum obticuisse. Vndenam tàm illustre trophæum, nisi quia Bartholomæus oratione diabolum vulnerauit? Innumeræ consequuntur victoriæ, quia orantis mens ac lingua nunquam conticuere. Ecclesiasticus ait: *Numquid Dauid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de Gente? In tollendo manum, saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ? Nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dexterâ eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ.* Cap. 47. Vides ex præmissâ oratione primam Dauidem victoriam reportâsse. Chrysost. hom. vlt. de Dauid. *Priusquam mitteret lapidem, cum precationis robore fuerat aggressus.* Ex primâ itaque victoriâ ediscens orationis vim, illustri experimento semper curauit orationem suarum victoriarum parentem existere. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 35. *Nunquam, nisi consulto Domino, bellum adorsus est; ideò in omnibus victor prælijs.* Quidni victor Bartholomæus semper euaderet, si nunquam adorsus bellum, Domino inconsulto? Centies eo orante, decem millia à latere eius cecidere.

Mille victoria Bartholomæo semper oranti. Eccl. 47. Chrys. Ambros.

Haud possum verbis æquare confusionem dæmonis ex Apostoli triumphis. Astharoth idoli diabolum obijciam confusione affectum, vt sociorum ipse confusionem exponat. *Viderunt omnes* (ait Antoninus) *Æthiopem fuligine nigriorem, facie acutâ, barbâ prolixâ, crinibus vsque ad pedes protensis, oculis igneis, scintillas vt ferrum igneum emittentibus, flammas sulphureas ex naribus spirantem, catenis igneis vinctum retrò manibus.* An non ex oratione Apostoli diabolus confusione indutus? Dauid: *Inimicos eius* (Dei) *induam confusione*, Psalm. 131. Vbi Caietanus asserit Abiam, Azarum, Iosaphath, Ezechiam, illis verbis conclamare: *Inimicos induam confusione*, quia præmissis precibus pugnauere. Hæc vox Bartholomæi; *Inimicos Dei*, spiritus nequissimos, oratione præmissâ, indui confusione. 41.

Induit diabolum Bartholomæus orans confusione. Anton. Psalm. 131. Caiet.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et erat pernoctans in oratione Dei.

Bartholomæus insignis admodùm Ecclesiæ Præsul electus, fuit Dei orationis effectus.

Adnoto, ad difficilem aptorum Prælatorum fidelium & prudentium electionem necessarias preces diuturnas.

AD rem difficillimam adoriendam Dominus specialissimè orationi insudauit. *Erat pernoctans.* Illa particula; *Erat*, actionis persistentiam innuit, sicut illa, *Erat Iesus eyciens dæmonium,* 42.

demenium, actionis durationem videtur exprimere, de quo alibi. Ad rem difficilem admodum, id est, ad Præsulum Ecclesiæ electionem faustam meritò in oratione pernoctat. Theophylactus ait: *Post orationem Christus elegit Discipulos, vt doceat etiam nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, vt cum precibus hoc faciamus; vt reuelet quis idoneus sit.*

Theoph.

43. *Quam accurate orandũ post Ecclesiæ vacationem, ad dignum Prælatũ eligendum.* Iudi. 1.

Filij Israël *consuluerunt Dominum*, precibus vtique emissis: *Quis ascendet ante nos, & erit Dux belli? Dixitque Dominus: Iudas ascendet.* Iud. 1. Milites iam cuncti designati ex communi electione; at Dux difficillimè aptus regimini inueniendus, & præmissâ oratione quæritur, &, Deo assignante, inuenitur. Debet enim Dominus *reuelare* (vt aiebat Theophylactus) *quis idoneus sit*. Id Israelitæ præstiterunt illico post Iosue Ducis obitum. *Post mortem Iosue consuluat filij Israel Dominum.* Hos ex Concilij Tridentini sess. 24. cap. 1. monitu debemus imitari. Statuit enim vt cùm primùm Ecclesia vacauerit, supplicationes precésque publicè, ac priuatim habeantur, indicantúrque a Capitulo, quibus bonus à Deo Pastor impetrari possit.

Trident.

44. *Nisi Deus demonstret quomodo inueniendus dignus.* 1. Reg. 16. Gregor.

An nisi Deus demonstret possit idoneus Præsul inueniri? Minimè verò. Ergo precibus Deus exorandus, vt ostendat. Ad Samuelem Dominus: *Vnges, quem monstrauero tibi*, 1. Reg. 16. Gregorius appositè. *Quid hortor Pastores quærere, cùm nisi Deus occultos proferat, nequeant inueniri? Quid enim aliud est: Vnges quem monstrauero tibi? Tamen quærendi sunt; quia nisi quæsiti dia, minimè demonstrantur.*

45. *Oratione requirendi si absconditi thesauri.* Greg.

An non oratione requirendi? *simile est Regnum cælorum* (seu Ecclesiæ Prælatura) *homini quærenti bonas margaritas, inuentâ vnâ pretiosâ margarita*, &c. Thesaurus absconditus aptus regimini, precibus præmissis inueniendus. Gregorius vbi suprà. *Magna electorum virtutes, quasi thesauri Dei, ferè semper in occulto sunt. Morè enim timoratorum diaitam Deus facit; quia, ne virtutum thesauros perdat, hos in electis mentibus collocat, & ipsas mentes per secretam celat.* Thesauri absconditi? Ergo effusis precibus requirendi: *Quærat ergo, qui ornare Ecclesiæ caput cupit, occultos thesauros. Christi sponsam quis ornare gestit; sed non potest, nisi occultos spiritu thesauros ad eius ornatum perducat: & non desistat, donec latentes inueniat.*

46. *Qui orat ante Præsulis electionem, non potest secundum sæculi prætextum eligere; sed iuxta Dei voluntatem.* Num. 27. Origen.

Qui electioni studet, non prius Domino consulto, carnis, sanguinis, aut amicitiæ arripitur affectu; non meritis consulit. At qui orationi instat ante electionem, omnino à quolibet creaturæ segregatus respectu, soli consulit veritati: Moyses, morte imminente, de successore agens, *Prouideat*, inquit, *Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Num. 27. Ad quæ Origenes hom. 22. *Quid agis, Mose? Numquid filij tibi non sunt Gerson, & Eliezer? Aut si aliquid de illis dubitas, non sunt filij fratris, magni, & egregij viri? Quo modo nonoras ad Deum pro ipsis, vt eos constituat populo Duces?* Respondeo, quia implicationem inuoluere oratio eiusmodi videretur. Nam qui orationem præmittit, omnino eligit, non ex carne ac sanguine coniunctiorem; sed augustiorem ex meritis. *Discant (addit) Principes Ecclesiarum, similes sibi, non eos, qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare. nec hæreditarium tradere Ecclesiæ Principatum; sed referre ad iudicium Dei;* (precibus profusis) *& non eligere illum, quem humanus commendat affectus; sed Dei iudicio totam de successoris electione permittere.* Inferiùs pulchriùs adhuc ad intentum. *Propinquis agrorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit; quia scriptum audistis: Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, qui habeat in semetipso Spiritum Dei.* Illud expende: *Gubernatio populi illi traditur, quem Deus elegerit, quia scriptum audistis*, &c. Ac si diceret, Non iure hæreditario Præsulatus dabitur fortasse indigno; sed homini electo à Deo dignissimo tradetur Ecclesia; quia Moyses orauit. Nec enim, oratione præmissâ, assolet electio erroribus disturbari. Philo lib. de Charit. *Quis non miretur Mosis preces, dicatque: Quid ais? Itane tibi fratrique desunt filij successores à naturâ dati? Quod si neutros iudicas Principatui aptos, habes amicum probata virtutis, scilicet Iosue.* Quin imò miraret, si præmissis precibus, Moyses filios aut nepotes, aut amicum Principatui assignasset. Quia cùm orationi studetur ad electionis dexteritatem, omnino respectus temporarius ablegatur, solus regnat æternus. *Nunc cernimus* (ait Gregorius ad Tit. 1.) *plurimos hanc rem beneficium facere; vt non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, & in Ecclesiâ erigere columnas; sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit.* signum euidens haud Dominum prius verè rogauisse.

Implicat vera oratio & error eligendi voluntarius.

Philo

Grego. 2. *Frequens secundum sæculum electio.*

47. *Difficile, fidelē & prudentem inuenire Præsulē: ideo quærens oratio præmittatur.*

Age, causam indica, vnde tam difficilis reddatur electio Præsulis? Profectò, quia fidelis ille ac prudens futurus, vt Dominicæ familiæ vtilis præponatur. *Fidelis seruus & prudens.* De fidelitate Bernardus serm. 76. in Cant. *Opus est viro fideli, qui, non quæ sua sunt, quærat; sed quæ Iesu Christi*: sic Regi Israëlitico Dominus: *Vnxit te Deus super hæreditatem suam in Principem, & liberabis populum eius de manu inimicorum eius* 1. Reg. 10. Vbi Gregorius. *Ille officium vnctionis exequitur, qui sola quærit lucra animarum, super hæreditate quippe Domini in Principem se vnctum meminit, qui hoc solum de terrena dignitate quærit, quod per suam ministerium Christus quæsiuit, videlicet animas.* De prudentiâ autem Bernard. cit. *Quomodo in pascua diuinorum eloquiorum educet gregem Domini, pastor idiota?* Gregor. vbi sup. *Cum in plerisque Ecclesiæ negotijs salubris sit dispensatio, lethalis profectò, & mortifera est, vbi cæci per ignorantiam ad aliorum primatum venire permittuntur.* Ad fidelitatem etiam refero vitæ sanctitatem, quæ necessariò copulanda, ne sit exitialis sapientia, & vt adsit fructuosus Præsulatus Bernardus, *Et si doctus quidem fuerit; non sit autem bonus; verendum, ne non tam nutriat doctrina vberi, quam sterilis vita necat.* Et Laurenti. Iust. in lib. de regim. Prael *Vbi conueniunt* [illegible] *vita, & prædicatio veritatis, ibi mul*[illegible] *marum exuberat fructus.*

Bernard. 1 Reg. 10 Gregor.

Bernard.

Gregor.

Bernard.

[illegible]

En thesauri conditiones difficil[illegible] niendi, nisi Deus exoratus exponat.

4[illegible]

tholomæus Dominicæ orationis fructus dignus exterit? Certe *fidelis & prudens*. Quàm fidelis? Haud quæ sua erant, quæritauit ex munere; sed quæ Iesu Christi. Postquam Apostolus Regis Polemij filiam lunaticam sanitati restituit, *misit* (ait Antoninus) *Rex multos camelos oneratos auro, & argento, & lapidibus pretiosis, vt quærentes Dei Apostolum, ei prædicta ex munere Regio offerrent. Cum vero inuenire non potuissent, reuersi sunt ad Regem.* Non inuenitur donandus, qui quæ sua erant, minimè quærebat. Ast ipse offert non quæsitus, quæ erant Iesu Christi quæsiturus, *Ipse Apostolus mane sequenti, cum Rex solus esset in cubiculo, apparuit ei dicens: Vt quid per totam diem hesternam me fecisti quærere cum auro, & argento? Ego nil mundanum requiro. Tunc Apostolus loquens ei de mysterio nostræ redemptionis, ostendit ei Christum Diabolum vicisse*, &c. Quid de sanctitudinis fidelitate? Ioseph quidam & doctus & pius apud Metaphr. *Cum Bartholomæus diuinus sit (sanctitate quidem) purisque sancti Spiritus fulgoribus tantum illustretur, quantum verbis explicari non potest: nobis etiam lumen suggerit, qui sanctam eius memoriam celebramus*. Plura inferiùs. Quam denique *prudens?* Exclamat Doctor citatus; *O beatam illam animam dignam habitam, quæ cum Deo versaretur, & sacrâ doctrinâ orationem, & facultatem omnem superante instrueretur.* Vis vnico verbo exponam, quàm fidelis, quàm prudens Apostolus? Post pernoctationem in oratione Dei, Christus eum elegit suæ familiæ constituendum. Pulchrè Iosephus ille, *Cum Deus ipse homo factus nostrum corpus gestaret, & Discipulorum delectum haberet: is qui præuouit omnia, ante quam generentur, post orationem illam in monte, celeberrimum Apostolum Bartholomæum delegit, amicúmque sibi fidelem coaptauit. O qualem hic inuenit Magistrum, qui maximis mysterijs eum initiauit, & sapientem effecit.*

Anton. — *Ioseph.* — *Tantus Apostolus effectus est oratione Iesu.* — *Ioseph.*

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et erat pernoctans in oratione Dei.

Bartholomæi oratio tam efficax, vt æmula omnipotentiæ Dei ad quoscumque excitandos effectus videatur.

Vbi omnipotentiam orationis ostendo.

49. ILLAM particulam. *In oratione Dei*, expendo. *Quid oratio Dei?* An Christus vt Deus exoraret? Orabat vt homo. Cur ergo oratio Dei vocatur? An quia humana oratio admodum efficax est, vt æmula diuinæ omnipotentiæ videatur: vnde oratio Dei, vt hominis, cùm sit, ex omnipotentiâ quodammodo possit Dei vt Dei oratio appellari? Non inficior hyperbolem; Tam potens enim, ex orationis vi, homo, vt possit quodammodo ex Deo consequi, quidquid Deus valet executioni dare. Theodoretus in hist. Reg. *Oratio omnipotens cum sit vna, omnia potest.* Theod.

50. Iudith ad Dominum inclamabat, *Exaudi me deprecantem, & de tua misericordia præsumentem.* Cap. 9. Si præsumptione afficeris, quomodo deprecaris? Quid humilis orationis submissioni cum præsumptionis elatione? Profectò humiliter orans, simul illa præsumit, quasi Domina; quia oratio æmula Dei omnipotentiæ, id quod rogat humanitus, diuinitus videtur præcipere. Pulchre Ennodius lib. 5. Epist. 14. *Præcipio spe futura quæ deprecor.* Quare præcipis tamquam naturę Conditor, quę vt creatura deprecaris? Certè quia eo ipso, quòd deprecor, spero me in Dominum omnipotentem quidem transformari, ideò, vt Dominum decet, *præcipio.*

Oratio, quod rogat, videtur præcipere. Iudith. — *Enno.*

51. Petit enixis precibus Cananæa mulier filiam suam à dæmone liberari. Cui Dominus, *O mulier, magna est fides tua, fiat sicut vis.* Matth. 15. sicut vult femina? Et quare non sicut vult naturæ Conditor, qui solus potest ægritudines ablegare, Diaboli vires comminuere? *Fiat sicut vis*, quia iam ex præmissâ fideli oratione meam vales omnipotentiam æmulari. Præcipe igitur: tuæque voluntati Diabolus subiiciatur. *Omnipotens oratio omnia potest*, orantis voluntati cuncta subiicitur creatura.

Chananæa potens, præcipit sanari filiam. Matth. 15. — Theod.

52. Pugnare videntur Christi sententiæ circa Lazari resurrectionem. *Pater, ego sciebam, quia semper me audis.* Mox, *Lazare, veni foras.* Ioa. 11. si vi precum à Patre audiendus, Lazarus erat ad viuos reuocandus, cur imperat Dominus cadaueri? Oret Christus Patrem; Pater autem præcipiat: *Lazare veni foras.* Quare igitur Christus & orantis hominis, & Dei imperantis gerit simul personam? Certè, quia eo ipso, quòd orauit vt homo, homo ipse orans ex orationis vi se Deum etiam omnipotentem monstrabat. Acutè Basilius, Seleu. Orat. 24. *Cur non dixit: Pater, tum vitæ restitue? Hic omissis omnibus, in speciem precantis compositus ait: Lazare veni foras.* Ac si diceret: Licet deberet Patrem petere, vt Lazarum resurgere iuberet; eo ipso quòd in speciem orantis compositus erat, iam Dei omnipotentiam induebat, supplici voce in imperium omnipotentis Domini immutatâ.

Potens Iesus vt homo, præcipit Lazarum resurgere, oratione facta omnipotente. Ioa. 11. — Basil. Seleu.

53. Redeo ad Syrophœnissam. *Fiat* (ait Dominus) *tibi sicut vis.* Fit sicut ipsa vult, quando fit Dei voluntas; quia orans fœmina, quasi Dei induitur voluntate, vt imperia pro libito præscribat. Confirmo ex Dominicâ oratione: *sic ergo vos orabitis*; (ait Dominus) *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua.* Matth. 6. Vbi particulam adnoto: *Fiat voluntas tua.* Congruentius dixissem. *Fiat voluntas mea*; nam Dei voluntas fieret, licet ego minimè postularem. O orantis omnipotentiam! Eo ipso, quòd deprecor, tam omnipotens quodammodo exurgo, vt ipsi audeam Deo imperitare: *Fiat voluntas tua.* Dum autem ô Domine, tua voluntas geritur, mea agitur, quia cuilibet oranti quodammodo paret effectus *Fiat ergo voluntas tua.* Pulchrè Nyssenus, *Voluntas autem Dei salus hominum est.* Quemadmodum ergo Dominus Chananeæ dixit: *Fiat sicut vis*, quasi diuinam quodammodo in ea ostendens ex præcepto illo, siue

Orans, Deo ipsi quodammodo præcipit, vt aiat fiat voluntas. — Matth. 6

com

commissione, potentiam: sic nos ex eiusdem Domini præscripto, orantes, Deo dicimus: *Fiat voluntas tua*, ex oratione quodammodo Deo ipsi audentes imperare.

54 *Bartholomæi ex assidua oratione omnipotentia. Ioseph.* Age, expendamus, quàm Bartholomæus ex oratione omnipotens ad cuncta exequenda ostentaretur. Iosephus Humilis apud Metaphr. fatur, *Tetendit orationis sua retia*, (qui centies *per diem*, *centies per noctem orabat.*) Quonam fructu? Accipe omnipotentis documenta deprecatoris. Gentes, ipsas de profundo ereptas ipsas quidem captiuas; sed ad vitam tamen ductas conseruauit. Euertit deorum Templa, & Dei Ecclesias erexit; humana corda in sterilitatem conuersa, cælestis doctrinæ aratro renouauit; itaque excoluit, vt tamquam feraces campi vberrimum fructum ferre possent. Accendit miraculorum facem, & affectuum humanorum *caliginem profligauit*. Quid plura? *Et oratione dæmones effugabat*, *preciosus morbos insanabiles curabat*, *leprosos mundos faciens*, *cæcis visum restituens*, *claudos ad currendum expeditos reddens*, *corda denique*, *& animos imbecilliores confirmans*. O Deificos orationis effectus!

SECTIO SECVNDA.

Apostolorum Electio.

TEXTVS.

VERS. 14. SIMONEM, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius: Iacobum, & Ioannem: Philippum, & Bartholomæum.
15. Matthæum, & Thomam: Iacobum Alphei, & Simonem, qui vocatur Zelotes: 16. & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor. 17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba Discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæâ, & Ierusalem, & maritimâ Tyri & Sidonis. 18. Qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur ab spiritibus immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

De Petro & Andreâ.

1. *De Petro.* SIMONEM *quem cognominauit Petrum.*] Caralogum Apostolorum facit Euangelista. A Petro incipit meritò, quia omnium Apostolorum primus erat, non tempore; sed dignitate: quia Christi Vicarius, & vertex Ecclesiæ. An cognominatus Petrus, quando effectus Apostolus? Minimè; sed quando egressus in partes Cæsareæ Iesus interrogauit Discipulos, quem dicerent *homines esse Filium hominis*. Respondenti autem Petro: *Tu es Christus Filius Dei viui*, dixit: *Tu es Petrus.* Cur non dixit: *Quem nomen aui Petrum?* Quia potiùs *Petrus* cognomen fuit, quam nomen, nomine Simonis permanente. Vnde Ioan. 13. Simon Petrus vocatur.

2. *De Petri nomine.* Nomen autem Petrus Syriacis *Cephas*; Græcis autem & Latinis *Petrus*, id est, *Petra*, in quâ Ecclesia, firmissimo velut fundamine, constabilita est. Fuit alter Cephas ex septuaginta Christi Discipulis, vt tradunt Dorothæus in *Euseb. OEcum.* synop. Eusebius ex Clemente lib. 1. Hist. cap. 12. & OEcumenius ad cap. 1. Gal. asserentes hunc Cepham illum, cui in faciem Paulus restitisse scribitur Gal. 2. At probabilius, Petrum illum fuisse, cum Hieronymo, Augustino, Barradio, & aliis arbitror. *Hieron. & alij.*

3. *De Andrea.* *Et Andream fratrem eius.*] Quamuis Andreas prior Petro ad Christum aduenerit, simúlque cum fratre è naui ad Christi sit disciplinam aduocatus: *in enarratione tamen hac* (ait Tuletus) *Petro postponitur*, *vt Petri primatus significetur*. Bini autem computantur, medià coniunctione *Et*. Petrus quidem, & Andreas simul vocati sunt, similiter Iacobus & Ioannes. Cæteri verò eodem stylo apponuntur, vt idem dicendi ordo seruetur. *Toletus.*

§. II.

De Iacobo & Ioanne.

IAcobum, *& Ioannem.*] Queis Dominus non duo; sed vnum tantùm, atque idem nomen commune imposuit, hoc est, *Boanerges*, quod significat, *Tonitrui Filius*. Petri nomen perpetuum fuit, eóque appellatus est Petrus. At hoc nomine *Boanerges* nullo alio loco Iacobum, aut Ioannem legimus appellatum. Hieronymus Dan. c. nô *Boanerges*, sed *Benaragam* legendum putat. *Filij Zebedæi appellati sunt Filij tonitrui. Quod non, vt plerique putant, Boanerges; sed*

emendatiùs legitur Benaragam. Hebraicè בני *beno* filios significat, רעם, *rabham* verò tonitruum. Syriacum Euangelium habet *Benai regeschi*. Legendum esse *Boanerges* constat ex editione Romanâ correctâ, quæ nihil immutauit. Hebraicè filij dicuntur בני *beno* : in hoc nomine prò *beno* dicuntur *boane*. Tonitruum significatur nomine רגש *regesch*, priùs *e* expungitur, & de fine tollitur *ch*, fitque nomen *Boanerges*, cum dicendum esset *Boane, regesch*.

5. *Cur vocati Boanerges?* Hieron. Euthym.

Cur *Boanerges*, seu *Filij tonitrui* nominati? Hieronymus: ex fidei firmitate, & magnitudine. Euthymius; *Sicut filius iniquitatis dicitur iniquus, & filius pacis, pacificus: ita quoque Filij tonitrui, qui tonant. Tanquam tonitruum enim de cælo auditum, Iacobus, & Ioannes diuina tonârunt dogmata; Iacobus sine scriptura, Ioannes scribendo.* Theoph. Theophylactus; *Filios tonitrui appellat Dominus Iacobum, & Ioannem, vt præcipuos prædicatores, & maximè Theologos.* Caietanus: *Filij tonitrui ideo fuerunt, quia tonitruũ diuinæ maiestatis, gloriam Christi in Transfiguratione videntes, audierunt.* Carthusianus. *Quia auditurі erant vocem Patris, Hic est Filius meus dilectus. Hæc enim vox appellatur tonitruum*, Nazian. Nazianzenus, *Tonitrui filij, qui spiritualia intonuerunt.* Omnia vera; dicta à me Marc. 3. vt Marcum exponam, qui catalogum Apostolorum recensens, addit de Iacobo, & Ioanne: *Et imposuit eis nomina Boanerges.* Cap. 3.

§. II.

De Bartholomæo, & Philippo.

6. *Bartholomæus nõ fuit Nathanael.* Iansen. & alij. *An è Regia stirpe?* Petrus de Natal.

PHilippum, & Bartholomæum.] Existimauit Rupert. Bartholomæum esse Nathanaëlem illum, de quo Ioan. 1. & 21. Contestantur Iansenius, Ferus, Montanus, & alij. Ast ego eum Augustino, Barradio, & aliis Nathanaëlem non fuisse affirmo. Petrus de Natal. scribit in sanctorum Catalogo Bartholomæũ Syrum fuisse, Regisque Syrorum nepotem ex patre: solumque ex cunctis Apostolis nobilitate præclarum. Vnde illam exortam ait contentionem, de quâ Luc. 22. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Nam cùm Dominus vnum ex Apostolis fore dixisset proditorem, proditionem eo tendere putârunt, vt Regnum Messiæ inuaderet. Videbatur autem Bartholomæus propter Regiam nobilitatem ad hanc aptus conspirationem. Hæc ille.

7. *E Regia stirpe non fuit.*

Existimo apocrypha esse, ansam tamen falsæ opinioni præbuisse Bartholomæi nomen, quasi significet filium Tholmæi Regis. Adde purpurâ indutũ, minimè è vetustate laxatâ, Antoninum & alios affirmare: quæ vestis potuit, gemmata quidem (vt ait ille; sed sine fundamento mihi Euangelicam Apostoli paupertatem contemplanti) huiusmodi Regiæ stirpis ingerere errorem.

8. *Fuit Iudæus piscator.*

Affirmo igitur Iudæum piscatorem. Iosephus ille apud Metaphr. ait: *Prius idiota erat, & pauperem vitam agebat; ex piscatoréque piscatore hominũ piscator est factus.* Dionys. Meminit Bartholomæi Dionysius Areop. lib. de myst. Theol. Cap. 1. *Bartholomæus, ait, & magnam esse Theologiam, & minimam: atque Euangelium amplum & magnum: rursúsque compendiarium. Quibus verbis, illud mihi eximiè intellexisse videtur, bonam omnium causam & multis verbis, & paucis, simul & nullis exprimi. Quippe quæ nec rationem habeat, nec intelligentiam, ac notitiam, quod omnibus singulari modo præcellat.*

Philippum.] Coniunctos fuisse ab Euangelistâ Philippum & Bartholomæum Iosephus affirmat, quia socij prædicationis fuerunt. *Erat vnà cum Bartholomæo & beatus ille Apostolus Philippus, quocum multo tempore diutinum Euangelium prædicauit. Hi cum in Vrbem Ierapolim venissent, multas ærumnas & cruciatus sustinuerunt, & Ierapolitæ admirandæ sanctitatis virum Apostolum Philippum Cruce condemnauerunt. Diuinus autem Bartholomæus, instar aratoris bouis a suo compare separatus ingemiscebat ac lamentabatur quidem; sed non desinebat tamen suauem illum sulcum ducere, qui animarũ agricolæ Deo vberes fructus allaturus esset.* 9.

Socius Bartholomæi Philippus. Ioseph.

§. III.

De Matthæo, Thomâ, Iacobo Alphæi, Simone, Iudâ Iacobi, & Iuda proditore.

MAtthæum & Thomam: Iacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes: Iudam Iacobi.] Matthæus se addidit Publicanum. Lucas *Iudam Iacobi* appellauit Apostolum, qui ab aliis Thadæus Iudas vocitatur. Notat Hieronymus triuomium fuisse, vocatúmque etiam Lebæum. *Et Simonem.* Matthæus & Marcus appellarunt Simonem Chananæum à Chanâ Galilææ. Lucas autem addit: *Qui vocatur Zelotes*, quod nomen est Græcum, idemque significans, quod Hebraicè, Chananæus; *Chana* enim *Zelus* interpretatur: sicut *Thomas* dictus est *Didimus*; quod enim Græcè *Didimus*, idem Hebraicè significat Thomas: id est Gemellum, qui vnà cum altero ex vtero nascitur. 10.

De Matthæo, & aliis. Hieron.

Et Iudam Iscariotem qui fuit proditor.] Omnes Euangelistæ vltimo loco Iudam Iscariotem referunt, in Petroque primo concordant. Quare? Respondet Toletus, *Vt Petri primatum, & Iudæ huius scelus, ac casum indicent.* 11.

De Iuda proditore. Tolet.

Vndenam dictus *Iscariotes?* Hieronymus, *Vel à vico, vel ab Vrbe, in qua natus est. Vel a Tribu Issachar vocabulum sumpsit; vt quodam vaticinio in condemnationem sui sit natus: nam Issachar interpretatur* Merces, *vt significetur pretium proditoris.* Ioan. 6. dicitur *Iudas Simonis Iscariotes.* Simonis quidem, non quia vocaretur Simon; sed quia Simonis alterius erat filius. 12.

Vndenam dictus Iscariotes. Hieron. Ioan 6.

Rogas, num Iudas quo tempore electus, sanctus extiterit? Respondet Abulensis q. 45. ad cap. 10. Matth. *Erat Iudas semper malus, & licèt talem Christus sciret, elegit eum cæteris.* Et cur elegit impium? Occurrit Doctor, *Vt scriptura impleretur Psal. 40. Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Rupertus. *Filius perditionis nunquam bonus fuit; nec de bono electus, malus factus est; sed quia malus erat, id circò ad opus necessarium, ab eo, qui malis bene vti valuit, electus est; & apud illum pro malo semper habitus est: malo, inquam, non nequitiâ naturali, sed vitio accidentali.* 13.

Num probus, cum electus? Abul.

August. Beda. *doatali.* Augustinus,& Beda citantur;sed apertè non loquutos reor.

14. *Probus erat.* Theoph. Existimo probum fuisse Iudam,cùm ad Apostolatum est electus;quia non credam,Christum aliquem improbum actu ad tantæ dignitatis culmen elegisse. Theophylactus, *Non semper erat Iudas malus; sed fuit etiam aliquando sanctæ voluntatis.* Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 20. Cyril. sic Dominum locutum inducit: *Ego vos ut bonos elegi. Non ignorabam; sed cognoscebam ut Deus corda vestra; sed rapuit unum vestrum, auaritiâ deceptum, Diabolus.* Hieronymus lib. 3. Hieron. cont. Pelag. cap. 2. *Interroga Christum, cur Iudam elegerit proditorem, cur ei loculos commiserit, quem furem esse non ignorabat? Vos audite rationem. Deus præsentia indicat, non futura: neque condemnat ex præscientiâ, quem nouerit talem fore, qui sibi postea displiceat, sed tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conuersionis, & pœnitentiæ;* Euthym. & alij. Euthymius, Lyranus, Chrysostomus, & ex modernis meliores subscribunt.

15. *Cur futurus proditor eligitur?* Thom. Instas, cur Christus futurum præuidens Iudam proditorem, eum elegerit? Respondet D. Thomas Matth. 10. *Ut daret documentum, quòd dignitas status non sanctificat hominem. Item est alia ratio, ad notandum, quòd vix contingit, quin in magnâ congregatione sit aliquis malus; & ideo ita ponitur, ut ostendatur, quòd boni aliquando non sunt sine malis. Cant. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* sed respondendum faciliùs cum Hieronymo proximè cit. Hieron. *Deus præsentia iudicat, non futura: Nec condemnat ex præscientiâ, sed tantæ bonitatis est, ut eligat eum, quem interim bonum cernit.*

§. III.

De diversâ scribendi catalogum Apostolicum Euangelistarum ratione.

16. *Ordo Euangelistarum, circa Apostolorum catalogum.* Matth. 10. Marc 3. Luc 6. PErspicuitatis causâ Euangelistarum ordinem expono. Matthæus sic: *Petrus, Andreas, Iacobus Zebedæi, Ioannes, Philippus, Bartholomæus, Thomas, Matthæus, Iacobus Alphæi, Thadæus, Simon, Iudas proditor.* Marcus hoc ordine: *Petrus, Iacobus, Ioannes, Andreas, Philippus, Bartholomæus, Matthæus, Thomas. Iacobus Alphæi, Thadæus, Simon, Iudas proditor.* Lucas noster, *Petrus, Andreas, Iacobus Zebedæi, Ioannes, Philippus, Bartholomæus, Matthæus Thomas, Iacobus Alphæi, Simon, Thadæus, Iudas proditor.* Idem denique in Actis Apost. Act. 1. *Petrus, Ioannes, Iacobus Zebedæi, Andreas, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Iacobus Alphæi, Simon, Thadæus.*

17. *Num ordinem aut temporis, aut dignitatis seruauerint?* Abul. Quæstioni do, an Euangelistæ in numerandis Apostolis ordinem vel dignitatis, vel temporis fuerint secuti? Abolensis quæst. 28. & 29. in cap. 10. Matth asserit Matthæum ordinem temporis tenuisse, eósque potiori loco numeratos, qui priùs vocati fuêre; sed si Petrum, Andream & Zebedæi filios & Matthæum demas, quo temporis ordine alij fuerint vocati, ignoratur: ideóque hanc incertam arbitror opinionem. Maldon. Maldonatus seruatum affirmat dignitatis ordinem. Admitto in Petro, in reliquis rem dubiam existimo. An non potiùs, si Petrum excipias, reliqui Apostoli æquales erant dignitate? Ergo nullus dignitatis respectus asseruatur. Quòd si huiusmodi ratio habita est, cur Iacobus minor cum extremis collocatur, quem Paulus *columnam* appellat Ecclesiæ? Galat. 2.

Existimo igitur omnes Euangelistas primo loco Petrum nominasse, ut eius primatum ostenderent (Matthæo expressiùs adnotante, *Primus, Simon qui dicitur Petrus*) in cæteris verò numerandis varios esse, nec eundem ordinem seruasse: consultò quidem; (non ut Barradius & alij, casualiter) factum, ut Petri primatum magis significarent. Cùm enim in aliis describendis, quidam hos, quidam illos præponant; solus ab omnibus Petrus præponitur: ut inter cæteros nullam fuisse præeminentiam indicent, qui pares in Apostolatu fuerant; Petrum autem inter omnes Primatûs eminuisse dignitatè. Caietanus audiendus; *Solus Petrus ordine insignitur, & describitur primus, ad insinuandum valde spectare ad Christianam notitiam, scire Primatum Petri, nulliúsque momenti esse ordinem Apostolorum inter se. Ac si apertè dixisset Matthæus: Scitote Petrum primum, quidquid sit de alijs. Propter quod nullum descripsit secundum, aut tertium, ex hoc ipso significans, quòd Primatum Petri super alios intendebat Euangelista insinuare.* 18. *Solo in Petro (consultò quidem) seruatur ordo, & quare?* Caietan.

§. V.

De Christi è monte descensu.

ET descendens cum illis, stetit in loco campestri.] Post electionem factam Christus de monte descendit, & in planitie, quæ ad pedem montis exponebatur, stetit. Oritur difficultas. Matthæus enim asserit Christum cum suis Discipulis in montem ascendisse, ibi sedisse, & aperto ore, illum celebrem protulisse sermonem. Lucas autem sermonem habuisse affirmat, postquam de monte cum Discipulis descendit, & turbæ ei adstanti appropinquauerunt. En quasi pugnantes! 19. *Pugnare cum Matthæo Lucas videtur.*

Ut ostendam, facilè conuenientes, primò assero Christum in monte sermonem (de quo Matthæus) habuisse. *Ascendit,* inquit, *in montem, & cum sedisset, aperuit os suum, & docebat eos.* In monte, & sedens sermonem illum habuit. Basilius lib. de Baptismo, *Dominus cum ascendisset in montem, & doctrina sua per beatitudinum catalogum initium faceret, primam beatitudinem eam esse prædicauit, &c.* Hilarius Can. 4. in Matth. *Congregatis pluribus turbis, montem conscendit, & docet, in Paterna scilicet Maiestatis positus celsitudine, præcepta cælestis vitæ constituit.* Non solum habitum in monte sermonem dicit, sed quid per montem Christus significaret. Augustinus duos de serm. Dom. in monte libros scripsit. Et de consens. Euang. lib. 2. cap. 19. adeo certum putat sermonem illum in monte habitum, ut aut distinctos esse sermones Matthæi & Lucæ, aut locum campestrem (de quo Lucas) partem esse montis censuerit, Hieronymus & Chrysostomus contestantur. 20. *Sermo de quo Matthæus, in monte fuit habitus.* Basil. Hilar. August.

Deinde

21. *Sermo à Luca relatus alius erat ab illo.* Deinde affirmo, ſermonem à Matthęo & Lucâ relatum eundem non eſſe, ſed alium & alium alióque tempore prolatum; ſic Baſilius. Id probo & ex ſententiarum vtriuſque ſermonis diuerſitate, de quo Tom. 6. lib. 12. & ex loco ipſo; Matthæus enim in monte; Lucas autem in loco campeſtri habitum ſermonem ſcribit. Conſentiunt Toletus, & alij. *Tolet.*

22. *Facilis iam historiæ contextus.* His præmiſſis, hiſtoriæ en facilem contextum. In montem Dominus aſcendit, vbi ſedens ſermooi (de quo Matthæus) euulgando operam dedit. E monte autem deſcendens, leproſum ſanitati reſtituit, cuius Lucas cap. 5. meminit. Nec ſtatim intrauit in Capharnaum, ſed aliquot poſt dies, in quibus geſta, quæ Lucas circa Apoſtolorum apud montem electionem & ſermonem in campeſtri planitie, narrat. Tunc demum in Capharnaum intrauit, vbi Centurionis puerum donauit ſanitate. Matthæus autem hæc prætermittens, (ne ſermonis alterius in doctrinâ perſimilis inculcaret narrationem) ingreſſum in Capharnaum poſt ſanatum leproſum adnotauit. Hæc quidem ſententia liberat etiam recentiores à cura duplicem Centurionem confingendi.

23. *Diſcipuli cũ Domino deſcenderunt.* *Et turba Diſcipulorum eius.*]Diſcipulos appellat Euangeliſta eos, qui Dominum ſequebantur, & frequenter doctrinam eius excipiebant. Ex multitudine autem *turbâ* vocati; ex vulgaritate minimè. Cùm igitur Dominus cum Diſcipulis priùs in montem aſcendiſſet, quos aduocauit ad ſe poſt orationem, vt eligeret duodecim Apoſtolos, facta iam electione, hæc Diſcipulorum multitudo cum ipſo de monte deſcendit.

24. *Plebs reliqua deſcendentibus Ieſu & Diſcipulis occurrit.* *Et multitudo copioſa plebis ab omni Iudæâ & Ieruſalem, & maritimâ, & Tyri, & Sidonis, qui venerant, vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis.*]Deſcendenti cum Apoſtolis & Diſcipulis de monte, reliquam hanc multitudinem occurriſſe reor, nempe à Regione Iudææ, à Ciuitate Ieruſalem, & à Regione maritimâ Tyri, & Sidonis, id eſt, ab eâ parte Regionis maritimæ, quæ verſus Tyrum, & Sidonem adiacet. Qui omnes conuenerant, tùm vt doctrinam eius audirent, tùm vt ab ægritudinibus ſanarentur. Non quod omnes eſſent ęgroti, ſed quod quidam aduentârint cauſa ſanitatis.

Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.] Græcè ſic, *Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, & curabantur.* Quæ lectio efficit, vt prior ſententia referatur, & connectatur ſuperioribus. Erat in loco campeſtri, multitudo eorum, qui venerant vt audirent, & ſanarentur, & qui vexabantur à ſpiritibus immundis: & omnes ſanabantur. Vulgati tamen lectio retinenda, nec ſi ex græco addatur coniunctio, ſenſus variatur. Non dixit: Curabat eos, qui vexabantur: ſed *curabantur*, vt ſic magis multitudinem eorum exprimeret, qui tot erant, vt etiam ſine verbo vllo, ſolo Chriſti tactu liberarentur, illuſtri admodum Deitatis manifeſtatione. 25. *Varietas lectionis reijcitur.*

Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.] Tanta aderat ægrotantium multitudo, vt non expectarent verbum Chriſti; ſed ipſum, quouis modo poterant, tangerent; *virtus enim de illo exibat*, Caietanus, *Quoad actionem, ſanationem, ſcilicet, & curationem.* Dicitur virtus exiiſſe à Chriſto, non quòd, ipſo nolente quiſpiam ſanaretur; aut quòd aliqua ſubſtantia difflueret; ſed per metaphoram ad herbam ſalutiferam, quæ applicata corporibus ægris, morbos ſine vllâ diſtinctione depellit. ſic virtus illa ſanabat omnes. Caietanus, *Nullo excepto.* 26. *Quid, virtutem exiret* *Caiet.*

In Bartholomæum

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

EX APOSTOLORVM ELECTIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Philippum, & Bartholomæum.

Bartholomæus filius eſt ſuſpendentis aquas, cæleſti imbre fœcundans Eccleſiam.

Vbi oſtendo haud vtiliter loqui Concionatores, qui non curant priùs precantes à cælo audiri, quàm à terra prædicantes.

27. BEDA exponit nominis Bartholomæi ſignificationem. *Bartholomæus, Syrum eſt non Hebræum vocabulum: & interpretatur, Filius ſuſpendentis aquas. Hoc eſt Filius Dei, qui Prædicatorum ſuorum mentes ad cæleſtia contemplanda ſuſpendit; vt quò celſa liberiùs peruolant; eò terrenorum corda feraciùs, dictorum ſuorum guttis inebrient.* Prædicatores ſuos Deus velut aqaus ſuſpendit, ſeu ad Superos eleuat, ſpecialiſſimè Bartholomæum, qui Filius peculiari iure vocitatur, eleuatum à Patre quis dubitet? An non centies per diem; toties per noctem exorâſſe, aquarum eleuatio eſt? Quàm prodiga irrigatio! quàm vberes fructus expectare licet! *Bartholomæus idem quod: Filius ſuſpendentis aquas.* *Beda.*

Hebræis Moſes: *Non eſt terra, ad quam ingredimini poſſidendam, ſimilis terra Ægypti, de quâ exiſtis, vbi iacto ſemine, in hortorum morem, aqua deducuntur irrigua; ſed de cælo pluuias expectans, quam Deus ſuus inuiſit omni tempore.* 28. *Eccleſia à Bartholomæo mirificè irrigata.* *Deut. 11.*

Damian.

tempore. Deut. 11. Ad quæ Petrus Damianus serm. de D. Bartholom. *Terra repromissionis, hoc est, sancta Ecclesia, de cælo pluuias præstolatur,* quia sapientiæ cælestis imbre perfunditur, & nubes eius, scilicet Doctores, de cælesti vno fonte inuisibiliter hauriunt, quod in nos postmodùm suauiter fundunt. Et Apostolo accommodans, adiicit: *Numquid B. Bartholomæus de plenitudine fontis huius haustum cælestis gratiæ non percepit, de quo per Prophetam dicitur: Inebriabitur ab vbertate domus tuæ, & de torrente voluptatis tuæ potabis eum, quoniam apud te est fons vitæ?*

28. *Irrigat voluptate cælesti Ecclesiam.* Ioseph.

Illa expende: *De torrente voluptatis tuæ potabis eum.* Bartholomæi ebrietas cælestis voluptatis, hinc profluit ad terras, & de plenitudine lætitiæ illius ineffabili afficimur voluptate. Iosephus Minimus apud Sur. *Dies festi iucunditatem spiritualem nobis afferentis hilaritas est Bartholomæus. Age igitur, diuinis vocibus illum collaudantes, diuinâ ipsius narratione delectemur.* O quàm omnes ex diuino aquarum profluxu Apostoli inebriamur, quasi diuini ex diuino redditi!

29. *Nubes est, non tollens Solem, sed ostendens.* Damian.

Igitur Bartholomæus nubes est cælestis, imbris plena irrigatione. An nubis in morem Solem subtrahit terræ? Audi Damianum: *Philosophi dicunt, spatium aerea crassitudinis non plusquàm decem stadys à terrâ distendi, quæ nobis aliquando Solis splendorem subtrahit, & pluuias fundit. Ista verò, de quâ loquimur, nubes Bartholomæus, cælorum celsa transcendit, & lumen veri Solis non aufert, sed ostendit.* Concionatores quidam, tenùs nomine nubes, Solem verborum inanium profluuio auferunt, sese curantes ostentare, non Christum ostendere. Bartholomæus Prædicator egregius supra cæli verticem ascendens, non obscuro (vt critici) sed perspicuo sermone, *Lumen veri Solis non aufert, sed ostendit.*

30. *Bartholomæus orans, ad Deum ascendit aqua, vt iterùm fluat.* Damian.

Sæpè sæpiùs contemplationis exercitamentis studebat die ac nocte Bartholomæus, vt ex aquis quæ super cælos sunt, exhauriens ineffabilem imbrem, in morem fluminis Ecclesiam irrigaret. Cui argumento accommodat Cardinalis illud: *Vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterùm fluant.* Ad superos mens eleuatur Apostoli Orbem irrigaturi, mox ad orationem recurrit, vt rursùm possit terram cælestibus inebriare fluentis. *Inter quos fluuios* (ait ille) *Bartholomæus insignis est, atque conspicuus, qui quodam præsagio futurorum, huius mystici vocabuli titulo cernitur insignitus, Filius suspendentis aquas.*

31. *Nisi Prædicatores ad cælum per contemplationem ascenderint, haud vtiliter fluent.* Cassian.

● Edocentur Prædicatores, minimè Ecclesiæ vtiles futuros, nisi prius ad verticem superorum ascenderint contẽplationis studio, vt inde aquę (suspendentis aquas filij) profundantur in terrâ. Cassianus ad Matt. 5. *Cauendum est tibi, ne illorum ad docendum incitetis exemplis, qui peritiam disputandi, ac sermonis affluentiam consecuti, quia possunt ea quæ voluerint, ornatè, copioséque differere, scientiam spiritualem habere creduntur ab eis, qui vim eius, & qualitatem discutere non nouerunt.* Non hi filij suspendentis aquas; sed sæculares fluuij plantis exitiales, Ægypti quidem irriguo profluxu. *Aliud namque est, facultatem oris, & nitorem habere sermonis; & aliud, venas & medullas cælestium intrare dictorum, & profunda atque abscondita sacramenta purissimo cordis oculo contemplari.*

Nunquam Bartholomæi vox in terrâ audiebatur, nisi prius in cælo eius contemplationis, seu orationis vox exaudiretur. Id erat planè ad cælos eleuari nubem, priusquàm rigaret Ecclesiam. Doctissimus Ribera noster ad cap. 4. Amos: *Et plui super vnam Ciuitatem, & super aliam non plui,* fatur: *De illo imbre intelligamus, de quo Isaias, cap. 5. Et nubibus mandabo, ne pluant. Sancti enim Prædicatores nubes dicuntur. Origene authore hom. 5. in Ierem. Moyses nubes est, & sicut nubes loquebatur. Audite cæli quæ loquor, & terra sermonem ex ore meo; similiter Isaias vt nubes loquebatur. Audi cælum, & auribus percipe terra.* Moysis expendo clamorem: *Audite cæli quæ loquor, & terra.* Prius ille curabat à cælo audiri, quàm à terrâ, quia eleuati ad superos eius oratio à Domino exaudiebatur; mox autem fructuosè terra audiebat sermonis eius accentum. Isaiæ orationem adnoto: *Audi cælum, & auribus percipe terra.* Nisi enim prius Prædicatoris ad cælum eleuati Deus preces exaudiat, haud terra audiendi auribus prædicationis eius mysteria percipiet.

32. *Bartholomæus prius cælo precās, quàm terræ prædicans loquebatur, vti Moyses & Isaias.* Amos 4. Ribera.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Philippum & Bartholomæum.

Bartholomæus verè suspendentis aquas (id est Dei) Filius, ex gestis ineffabilibus ostenditur.

Assero, Iesu imitationem vitæ puritatem, & laborum requirere sustinentiam.

SI roges, quonam sensu Bartholomæus filius suspendentis aquas vocitetur? Respondet Beda: *Interpretatur Filius suspendentis aquas, id est, Filius Dei.* Christum enim Dei Filium Apostoli gesta halare videbantur. 33. Beda.

34. *Bartholomæus Arca est, in quâ totus Christus continetur.* Damian.

Tam similis Christo Bartholomæus, vt cum Apostolo clamare possit: *Viuo ego, iam non ego, viuit verè in me Christus.* An Apostolus vas, vbi Christus totus includebatur? Damianus de Arcâ Testamenti locutus serm. de Bartholom. ait: *Illâ in Arcâ erat Vrna aurea, in quâ Manna seruabatur; Tabula Testamenti, & Virga Aaron. Quid autem est Vrna, nisi caro Christi, quæ reconditum habet Manna, id est, cælestem panem. Duæ tabulæ vtriusque Testamenti inuiolabilem significant firmitatem. Quid autem Aaron Virga, nisi Pontificis nostri salutare vexillum, & viuifica Crucis exprimit sacramentum?* En totum Christum Pontificem, panem, Ecclesiæ annonam, cruci suffixum, legis conditorem; in Arcâ vnâ collocatum. Et quodnam, quæso, vas illud adeò capax, vt possit Christum continere? Certè Bartholomæus, Iesu sanctitudinis imitator, Arca est. Vnde pulchrè adiicit Cardinalis: *Hæc omnia Apostolus Bartholomæus portabat,* vt proclamare posset: *Viuit in me Christus.*

Ex mirabilibus gestis similis adeo Iesu Bartholomæus, vt necessum, esse vero non illū esse Solem? sed stellam. Ioseph.

35. Ioannes Difcipulos ad Chriftum immittens requirebat : *Tu es , qui venturus est , an alium expectamus ?* Queis Dominus potiùs operibus, quàm verbis refpondens , faint : *Cæci vident, claudi ambulant , leprosi mundantur.* An non hæc Deitatis documenta? Certè Bartholomæus eifdem fignorum radijs fulgere videtur. Iofephus ille : *Morbos Bartholomaus insanabiles curabas , leprosos mundos faceras , cæcis visum restituens, claudos ad currendum expeditos reddens.* Ergo fi cæcos videre , claudos ambulare, mundari leprofos , opera Chrifti funt , Bartholomæus Chriftus eft : Profectò tàm perfpicuis Apoftolus radijs ad gloriæ verticem propiùs accedebat , vt poffet falli Gentilitas in Bartholomæo , ficut Synagoga in Ioanne egregiâ fanctitudine confpicuo. Vnde ficut alter Ioannes præcauens dixit : *Non erat ille lux ; sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Cap. 1. Iofephus de fulgore Apoftoli fatur : *In quascumque partes permeabas Bartholomaus , velut stella quadam, Iustitia Solem prædicans, fallaciæ tenebras destruebas.* Fallaciæ quidem tenebras , id eft, infidelitatem; & (fi liceat) errorem, quem de tanto fulgore Gentiles concipere valerent nùm Bartholomæus Numen , fi Deos fuos poterat alligare. Ideò Iofephus cautè ipfum ftellam, non Solem vocat. *Velut stella quadam*, &c.

Ioa. 1.

Christū Apostolus pelago dominantem imitatur.

Ioseph.

36. Turbæ Chrifti aquis & ventis imperantes potentiam miratæ , proclamabant : Quifnam ille,cui pelagus præftat obfequium?Non-nè Dei filius?Tam obfequens,vel Bartholomæi cadaueri pelagus intueor,vt eum vere filium *suspendentis aquas* acclamem. Ex ore Iofephi audite maris à facie Chrifti alterius obfequium. *Post necem Apostoli cùm viderent Gentiles loculos illos , in quibus Bartholomai reliquia condita erant, splendida quadam, & illustria miracula edere, & eos à morbis liberare , qui eò accedebant. Venite ; inquiunt , in profundum mare corpus hoc demergamus. O miseri, eiusae corpus in mare demergetis, qui profundum draconem in altum demersit, qui salutaris (suspendentis aqua filius) aqua fontem aperuit ? Ad insulam Lypara peruenerunt reliquia, incolis conclamantibus : In mari via tua, & semita tua in aquis multis , & vestigia tua non cognoscentur.* Pfalm. 76. *Veni, ô fili* fufpendentis aquas , *& animas nostras irriga. Neque vlla in re Roma, illa decantata Vrbe Petrum & Paulum habitatores tenente; ego Lypàra inferior sum. Bartholomaum enim habitatorem possideo. Omnes insula mihi gratulamini. Omnes Vrbes , qua vbique estis , mecum vnà exultate. In vobis multorum Diuorum corpora posita sunt, mihi satis est vnus pro omnibus.* Videor enim fanctum Sanctorum Chriftum in Bartholomæo poffidere.

Christum sal, flumen, sagenam, candelabrum, Solem, lapidem, Thesaurum Bartholomaus sal, fluuius, sagena, Candelabrum, stella, lapis ac Thesaurus imitatur. Ioseph.

38. Vis pluribus confirmem argumentum? Attende , precor , & debito pondere libra , quæ percurrenti calamo expofuero. An Chriftus fal, ex Hilarij fententiâ, putrefacta vulnera reformans? *Tu verè* (ait Iofephus apud Surium) *sal illud es, quod corda illa, qua euanuerant , infatuatáque condiuisti, & putredinem ex multorum Deorum superstitione contractam expurgâsti.* An Chriftus flumen, Dei ciuitatem lætitiâ afficiens? *Tu es rationale illud flumen ex diuinâ sede profectum, prauitatis riuos exsiccans, ipsiúsque terra faciem irrigans.* An Chriftus fagena in pelagus immiffa ex cunctis pifcibus multitudinem congregans ex Gloffa mor. *Tu es sagena illa solidissima , ô Bartholomae , qua rationales in profundo erroris natantes comprehendisti, eósque superna mensa obsonium obtulisti.* An Chriftus in candelabro Prophetæ , feptem calamis rutilabat ? *Tu es etiam aureum illud candelabrum, in quo Paracletus ignis illius Spiritus, tanquam fax quadam adueniens , multiplices vitij zizania combussit, & diuina cognitionis splendorem emisit?* Nùm Chriftus exultans gigas , Sol, inquam, à Dauide præcinitur ? *Tu es etiam Solis lucidissimus radius , qui à summo cælo vsque ad extremum terra percurrens , & erroris tenebras imminuens , per lauacrum regenerationis Dei filios homines effecisti.* Num Chriftus lapis angularis ? *Bartholomaus pretiosus ille lapis ab angulari lapide illo missus , in quo Ecclesiam Christus ipse adificauit , qua nullo vmquam tempore quassari poterit.* Num non Chriftus cæleftis cunctorum munerum Thefaurus , omniúmque bonorum epilogus eft ? Bartholomæus vt Chriftus alter, *purissimum illud aurum , & Dei pretiosissimum munus Spiritus sancti diuersorum , Ecclesia fundamentum , aurea columna, florens Paradisus, stella lucidissima, agrotantium medicus , diuina gratia tuba, vitis fæcundissima, oliua fructifera, fluctuantium portus, peccantium patronus , depressorum recreatio , oppressorum refugium, miraculorum fons , damonum profugatio, Apostolorum gloria, sempiternorum bonorum Filius hares , Mundi lumen , omnium (vt summatim dicam) bonorum thesaurus.* Quis, obfecro , præfatam , fine titulo , fententiam legerèt, qui de Chrifto fcriptam, eique foli accommodari poffe non affirmaret ? Hæc omnia Chriftus , & ex fpecialiffima Chrifti gratia hæc Bartholomæus.

Porrò Chrifti innocentiam fola perfectè Virgo Dei para, quæ ab originali femper immunis, imitatur. An quodammodo Bartholomæus ? Omnis equidem homo mendax ; vnde veritatem Chrifti in quo dolus non eft haud poffunt mendaces homines imitari. Certè Bartholomæus quodammodò ab illo generali præfcripto eximendus, ipfa afferente Veritate. Aiebat Iofephus ille. Laudemus Apoftolum à Deo ipfo laudatum. Et quando-nam Bartholomæus meruit à Domino commendari ? *Vidit Iesus Nathanaelem venientem ad se, & dixit de eo: Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Ioan. 1. Licèt in commentario afferui Bartholomæum minimè Nathanaelem fuiffe ; fcio contrariam fententiam probabilitate non carère , quam defendunt Rupertus, Arias Montanus & Iuuencus canens : 39.

Innocentia Dominica Bartholomaus, in quo non est dolus, imitator. obycitur.

Ioseph.

Ioan. 1.

> *Ante etiam quam te vocitarēt verba Philippi:*
> *Vidit , & elegit comitem te spiritus alter.*

Rupert. Montan.

Refpicit carmen fententiam Dominicam illam : *Priusquam te Philippus vocaret , cum esses sub ficu, noui te.* Ioan. 1. Binos & binos Apoftolos Euangelifta innuit : *Simonem & Andream, Iacobum, & Ioannem , Philippum & Bartholomaum.* Adnotant præfati Doctores Philippum & Bartholomæum colligari , quia hic Nathaèl eft ab illo vocitatus : *Antequam te vocaret Philippus, noui te.* Vbinam ? *Cum esses sub ficu.* Auguftinus Tract. 7. in Ioan. *In origine humani generis Adam & Eua cùm peccassent , de folijs,*

ficul

ficulnea succincteria sibi fecerunt. Folia ergo ficulnea intelliguntur peccata. Erat autem Nathanael sub arbore fici, tanquam sub vmbrâ mortis; vidit eum Dominus. Ac si diceret; Nathanael Adæ filius ad latibula confugit foliorum, communi labe maculatus. Iam à Deo Apostolus commendatur: *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Cùm sit Adæ filius mendacis, è quo omnis homo nascitur mendax, & dolosus; mirabiliter Bartholomæus sinceritate ornatus, quodammodo à communi mendacio abstinuit, vt Filius suspendentis aquas adeò ablutus exurgeret, vt posset Christi innocentiam imitari.

40\. Mirum esset, si vitam Saluatoris qui expressit, necem non exprimeret. Iosephus Humilis ad hæc: *Crucis supplicio condemnatus est. Ad quã dũ beatus ille accederet, Salue, inquit, eius Crucis imitatio, per quam mors mortem dissoluit, & mortales ipsos immortalitate donauit: qua mei Praeceptoris imitatorem me fecisti. Hac cùm dixisset, rogauit carnifices, vt verso in terram capite in Cruce suffigeretur, nec rectus quemadmodum Magister eius Christus, in Crucem ageretur. Ita & in ipsis cruciatibus suam in Magistrum reuerentiam conseruauit.* Innuens interim, me arbitro, se minimè Christum; sed Christi imitatorem, cuius vestigia secutus in cælum auolabat. Edisce haud posse te Dominum imitari, nisi eius sis vestigiorum sectator, virtutibus nitens, laboribus honestatus.

Expressit & necem Saluatoris. Ioseph.

Observatio III.

Ad illa verba:

Philippum & Bartholomæum.

Talis Bartholomæi sanctitudo, qualis Filium suspendentis aquas, Dei scilicet, decebat.

Innuo interea, homines ex virtutum exercitamento ad specialissimam Dei euehi filiationem.

41\. INSISTO adhuc Bartholomæi vocabulo, de quo Petrus Damianus sermone de B. Barth. sic: *Cùm Bartholomæus dicitur Filius suspendentis aquas, dicitur procul dubiò Filius Dei, non quidem naturalis generationis origine; sed propensioris gratiæ dignitate. Erat enim verè Dei Templum, cælestis gratiæ sanctuarium, Arca fœderis, Tabernaculum testimonij.* Annon clamante fœmina: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti,* Dominus respondens: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, visus est sanctitudinis filiationẽ naturali præposuisse? Equidem Bartholomæus *dicitur Filius Dei, non naturalis generationis origine; sed propensioris gratiæ dignitate.* Magnũ Mariæ elogium Deum peperisse; maius tamen dignam ex sanctitate extitisse parentem. Ex sanctitudine præcelsâ Apostolus potest aperto ore Dei Filius vocitari.

Bartholomæus Dei Filius, non naturæ origine; sed gratiæ dignitate. Damian.

Virtutes equidem homines ad Dei euehunt filiationem, non generationis origo. Abraham, Isaac, & Iacob verè ex sanctitate Dei Filij adeo extiterunt, vt aliorum quasi cunctorum filiorum Deus immemor, se Deum, seu patrem eorum profiteatur: *Deus Abraham, Isaac, & Iacob.* An Hebræi filij Abraham Isaac & Iacob, debeant etiam Dei filij vocitari? Dauid respondet, *Filij hominum vsquequò graui corde?* Psalm. 4. Vbi Lyranus. *Filij hominum rationabiliter, & iustè viuentium, quales fuerunt Abraham, Isaac, & Iacob, ex quibus descenderunt, Saul, & viri eius.* Si Hebræi illi filij erant filiorum Dei, cur non filij Diuorum; sed *hominum filij* vocitantur? Quia filios Dei non facit origo; sed sanctitas actiunum. Si Saul & viri Hebræi, filiorum Dei filij, eorum virtutes imitarentur, ex quibus ipsi filij Dei constituti fuere; etiam illo præcelso nomine ornarentur; sed quia pietatem parentum filiorum Dei secuti non sunt, *filij* hominum appellantur. 42.

Virtutes euehunt homines ad Dei filiationem. Mali autem licet filij filiorum Dei, filij non Dei sed hominum vocitantur. Psal. 4. Lyran.

De filijs Seth Textus: *Videntes filij Dei filias hominum.* Gen. 6. Quare non vocantur hominum filij sicut filij Abraham, Isaac, & Iacob? An perfectior Seth? Certè filij Dei vocantur (esto peccauerint deinceps) quia parentum sanctitudinem eatenus fuerant imitati. Chrysostomus, *Propterea vocantur illi Dei filij, quod eo vsque parentum virtutem imitati sunt.* Nam sola virtus homines ad Dei eleuat filiationem. 43.

Sanctorum parentum imitatores sũt filij Dei, non hominum. Gen. 6 Chrysost.

Christus Patrem sic exorat: *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adueniat Regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Matth. 6. Deus hominum Pater, sed eorum qui operibus proclamant: *Fiat voluntas tua.* Bernardus serm. 16. in Cant. dolens filium se à Deo Patre degenerem, profatur: *Ipse quidem Patrem se exhibuit mihi; sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum Patris tam boni tam malus filius. Pudet indigna gessisse generi meo; non pudet tanto Patri vixisse degenerem.* 44.

Si Dei voluntatis executioni studeamus, filij Dei sumus, secus, Degeneres reperiemur. Math. 6. Bernard.

Inter Dei filios Bartholomæus mirabilibus incrementis caput attollit, cuius sanctitas ipsius sanctitudinis insigni expressa est. Tota sanctitas olim in Arcâ fœderis figurata? Bartholomæus (ait Damianus) *Arca fœderis est. Deaurabis* (inquit Dominus) *eam auro mundissimo intus, & foris: faciesque suprà coronam auream per circuitum.* Exod 25. sic Cardinalis expendit locum. *Erat Bartholomæus verè Arca fœderis. Nam sicut Arca illa legalis auro purissime resplendebat, intùs & extrinsecùs inaurata: ita vir iste mirabilis, & extrinsecùs irradiabat imitanda vita splendore, & intus prælucebat diuina sapientiæ claritate.* 45.

Bartholomæus sanctitudinis Arca specialissime Dei filius inter adoptiuos exsurgit. Dami. Exo 25.

An non *amicus alter ego?* Vidimus Bartholomæum vt alterum Christum proximâ Obseru. Quæsiturus olim Dominus fidelem amicum, quem sibi fidelissimo vtique amatori coaptaret, post diuturnam disquisitionem, quasi periculo omnium hominum facto, Dauidem inuenit. *Inueni Dauid,* ait, *filium Iesse, virum secundùm cor meum.* Haud aliter Bartholomæum Dominus sibi fidelissimum amicum coaptandum requisiuit, & ex cunctis electum inuenit. Iosephus apud Metap. *Deus ipse homo factus, cùm Discipulorum delectionem haberet, is qui* 46.

Amicus fidelissimus à Domino quærente inuentus est Apostolus. Ioseph.

praeuouit

prænouit omnia, priùs quàm gererentur, celeberrimum Apostolum Bartholomæum quæsiuit, & delegit, amicúmque suum verum, & fidelem coaptauit.

47. *Laborum tolerantia verum se & fidelem ostendit.* *Ioseph.* Preme particulas *verũ & fidelem*. An probata fuerit illa vera ac fidelis dilectio? *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Apostoli charitas igne fuit laborum probata, instar argenti: *Argentum igne examinatum &c.* Ait Doctor præfatus: *Bartholomæus & Philippus cum in Vrbem Ierapolim venissent, multas ærumnas, & cruciatus sustinuerunt: cùm eius ciuitatis homines violenti essent, & valdè inhumani, quippe qui viperam colere consueuerant, venenum pestiferum & lethale tanquam fructum aliquem percipientes, &c.* A venenatis, ex Deo vipera, incolis, quàm horribilia Bartholomæus vulnera sustineret! Num non vnico lethali cruciatu dilectio amantis Martyris comprobatur? Ita planè.

48 *Pluriũ Martyrum tormenta sustinuit, vt præstantia eius dilectionis ostenderetur.* *Antonin.* Profectò Apostolus ardentiores dilectionis flammas emisit, dum plurium Martyrum tormenta sustinuit. Cruce suffigitur Petrus, Paulus gladij vulnere occumbit, Bartholomæus excoriatur. Parum esset tanto amatori, proprium solummodò subire martyrium, nisi à Petro & Paulo Crucem postularet & gladium. Ait Antoninus p. 1. tit. 6. cap. 12. *Dorotheus dicit, quòd Bartholomæus in Albano Ciuitate magnæ Armeniæ crucifixus est capite deorsum. Theodorus verò dicit, quòd fuit excoriatus. Ab aliis asseritur, quòd fuerit decollatus. Quæ ita possunt concordari. Primò excoriatus, exinde crucifixus, demum nondum mortuus decapitatus est.*

49. *Cuncta eius membra Dei, & dilectionis documentum, obsequium præstitere.* *Ioseph.* Addo, cuncta Bartholomæi membra dilectioni Iesu obsequium circa proximorum salutem impendisse. Clamat Iosephus, *O beatos illos pedes Euangelicis gressibus speciosos factos, & ad infinitarum animarum adoptionem, rectâ viâ progredientes! O linguam illam diuinam, è quâ salutaris potus effluxit, qui ab impietatis æstu multos liberauit! O manus, quæ violentos hostes expugnârunt, & animas ipsas è Diaboli manibus eripuerunt! O diuinos & illustres oculos, per quos multorum oculi patefacti sunt, qui erant perfidiæ tenebris obscurati.* Quàm egregius amator, qui *tot de se obtulit sacrificia?* Vti Gregorius de Magdalena ponderans illud Lucæ: *Quoniam dilexit multum.* Diabolus ipse idoli celebris habitator cogitur tam manifestam veritatem profiteri. *Bartholomæus* (inquit, vt refert Antoninus,) *amicus Dei omnipotentis est.* Edocemur equidem dilectionis præstantiam operibus ostentari.

Gregor. *Antonin.*

* * *

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Et Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

Si deuenustari posset à Iudâ proditore ex amore pecuniæ Apostolicum Collegium, Bartholomæus insignis diuitiarum contemptor illam notam sufficeret ablegare.

Ostendo, pauperes spiritu diuitiis, & diuitibus dominari: Communitatémque haud deuenustari vnius delicto, præcipuè cum plures collegæ virtute contrariâ florentes obiiciuntur.

VIDIMVS constanter ab Euangelistis Iudæ exprimi proditionem. An vt Iudas proditor à fideli Iudâ distingueretur? Minimè; ad id enim sufficeret cognominum expressio, si quidẽ *fidelis Thadæus*, proditor autẽ *Iscariotes* vocitatur. Cur ergo proditio Iudæ exprimitur, ex quâ Apostolico Collegio tam turpis nota posset excitari? Certè quamuis ex vnius delicto possibile esset tot sanctissimos infamari collegas, tam osores pecuniæ, vt vel retia licitæ artis adminicula renunciarent; solus Bartholomæus à qualibet auaritiæ notâ potuisset collegium liberare. Testor Polemium, regale munus ad Apostolum, post filiæ curationem, immittentem. *Misit* (inquit Antoninus) *Rex Polemius multos camelos oneratos auro, & argento, & lapidibus pretiosis. Et quærentes Dei Apostolum, vt ei prædicta ex munere Regio offerrent, inuenire non potuerunt.* 50. *Bartholomæus respuit aurum.* *Antonin.*

Ad illa verba: *Clarificatus est tunc Filius hominis*, Patres asserunt, Iudâ ex Apostolorum cœtu expuncto, Dominum, ipsúmque Collegium clarificatum esse, quòd quodammodo ex auaritiâ Iudæ obscurari videbatur. Cur ergo, ô Domine, non omnino Iudæ memoriam à catalogo Apostolorum ablegari curas? Certe non solum non ablegat; sed & eius exprimi peculiariter disponit auaritiam à cunctis catalogi illius scriptoribus: *Qui fuit proditor*; quia vbi dicitur: *Et Iudas Iscariotes, qui fuit proditor*, fit mentio etiam *Simonis, Iacobi, Ioannis, Bartholomæi*, &c. quorum despectu diuitiarum, collegium illustratur, tenebris illis ablegatis. Et vt reliquos prætereeam, quidnam Petrus? Pauperi stipem postulanti Apostolorum Princeps, *Argentum, & aurum non est mihi.* Act. 3. An Id Petro inglorium? Certè & Collegio Apostolico gloriosum omnino. Ambrosius lib. 7. in Luc. *Petrus gloriatur, quòd non habeat argentum, neque aurum: vobis pudor est, minus adhuc habere, quam cupitis? Est ergo pauperies gloriosa, de quâ scriptum est: Beati pauperes spiritu.* Et quonammodo coram tam beatâ luce Collegij Apostolici propria, poterant auaritiæ Iudæ tenebræ subsistere? Postquam Petrus se 51. *Petrus auri & argenti despector. Apostolicum Collegium illustrat, plus quam miraculi excitator.* Act. 3.

auro

auro & argento vacuum expressit, miraculum illustrissimum excitauit: *Surge & ambula.* Porrò magis egregium miraculum in Collegij commendationem excitarat, sese ab auri & argenti expediens amore.

52. *Despectu diuitiar. Bartholomæus, tamquam miraculo illustriori, Regem conuertit, Collegiũ gloria affecit. E. c. 3. Antor.*

Fatur Ecclesiasticus, *Beatus vir qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.* Cap 31. Miracula egregia Bartholomæus ediderat coram Polemio Rege; nec tamen ab idolorum cultu illum abstraxerat, donec aurum post Apostolum abiit, & Apostolus fugit aurum insequens. *Quærentes Dei Apostolum, vt ea prædicta ex munere Regio offerrent, inuenire non potuerunt.* Miracula plura fecit *in vita sua*, qui post aurum non abiit? Quid Bartholomæus, qui se quærentes cum munere, qui argentum, aurum, & gemmas pretiosas fugit? His mirabilibus Regem ad fidem adduxit, qui aliis editis prodigiis non fuit à tenebris liberatus. Addit Sapiens: *Probatus est in illo, & perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna.* Non solum *illi*; sed & illis, quibus cum commoratur. Vnde ex solo Bartholomæi ab auro recessu (quidquid tenebrarum Iudæ offunderet auaritia) fama gloriosè Collegij rutilaret: *Erit illi* Collegio *gloria æterna.*

53. *Ob auaritiã vnus è Collegio Domini latro deturbatur; Rex innumero populo stipatus ob Bartholomæi paupertatem addicitur Collegio mirando. Anton. Act. 2. Act. 4. Chrysost.*

Vnus Iudas ob auaritiam à Christianorum cœtu deturbatur in Tartarum; innumeri Gentiles ob contemptum diuitiarum Bartholomæi è Tartaro in Christianorum cœtum aduocantur. Lege Surium. Et quidem contemptus huiuscemodi vis, homines ad Christum attrahere. Ad memoriam adfer Petri prædicationem, qua quinque millia, & tria millia hominum Domino acquisiuit. *Qui receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Act. 2. *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia.* Act. 4. Vndenam tanta efficacia voci? Chrysostomus ad 1. Cor. 2. *Quamprimum Apostoli verbum pietatis seminare cœperunt, annumerati sunt eis statim tria millia, & iterum quinque millia. Et quis tanta concordiæ author? Opum contemptus. Nullus enim eorum suum aliquid esse dicebat.* Quid Bartholomæus? Cùm in conspectu Regis concionaretur, diuitiarum contemptu obiecto ait: *Vt quid per totam diem hesternam me fecisti quærere cum auro & lapidibus pretiosis? Hæc necessaria sunt iis, qui terrena & carnalia cupiunt; ego autem nil mundanum requiro.* Quid plura? *Rex verò* (addit Antoninus) *Polemius cum vxore, filiis, & omni familia baptizatus est, multúsque populus cum eo.* Auaritia Iudæ vnum à Collegio deturbauit, Regem futurum, Apostolum. At Bartholomæi paupertas, ac diuitiarum contemptus pro Iudà Regem Polemium Collegij asseclam adscripsit. *Anton.* Antoninus *Qui etiam Polemius, Regno relicto, Discipulus Apostoli est effectus,* innumerúsque populus præscriptis fidei pariturus addicitur.

54. *Bartholom. diuitiis despiciens est possessor animarum.*

Pauper Apostolus, cunctarum possessor animarum, cum Paulo clamat, *sicut egentes; multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 6. vbi Anselmus, *Quia nihil proprium carnaliter habemus, etiam omnia possidemus, id est, non solum pecunias; sed etiam ipsos pecuniarum Dominos, qui se nobis tradunt, & res suas ante pedes nostros ponunt.* (2. Cor. 6. Anselm) En quam copiose Bartholomæus illustrauit Collegium, quod Iudæ auaritia intendit obscurare. Vbi adnota ob vnum reprobum, communitatem minime notà iuuri; præcipuè cùm egregiæ sanctitatis viri in ea rutilent ea virtute, quæ ex improbi collegæ nequitià obnubilari videbatur. Iudas auarus? Verè cuncti spiritu pauperes cæteri Apostoli.

Observatio V.

Ad illa verba:

Simonem, qui vocatur Petrus.

Bartholomæi constantia validissima, nunquam fracta laboribus, constantissimo celebratur ex Petro.

Ostendo, vnum constantem virum pro pluribus æstimari debere.

55. *Petrus celebratur Bartholomæi nominis significatione exurgit.*

NON solùm vnico Euangelicæ lectionis verbo: *Bartholomæus*, de nostro Apostolo geritur memoria: cunctorum enim Apostolorum nomina eius magnalia repræsentant, vt facilè contemplatori reserabitur. Vnius Petri, qui *Petra* dicitur, premo vocabulum. Cur Petrus petra à Domino appellatur, nisi ob mentis stabilitatem, nullis fractæ tribulationibus? *Caput eius aurum optimum.* Cant. 4. Ambrosius ad Psalm. 118. *Caput eius aurum, Cephas.* Simachus, *aureus lapis.* (Cant 4. Ambros.) Idem est Petrus ac lapis aureus, Ecclesiæ caput minimè nutans, omnimoda stabilitate fulget. De Bartholomæo constantissimo Regum, Gentilium, Dæmonum, tribulationum debellatore, ipse hostis ex idolo clamitat (autore Antonino.) *Angeli Domini eum comitantur, qui nec eum fatigari sinunt: semper eodem vultu, & animo, lætus, & hilaris perseuerat.* (Anton.) Egregias hinc Bartholomæi laudes enuncio.

56. *Vnus Bartholomæus pro pluribus Ducibus æstimandus.*

Miratus sum Apostolum sine comite (ex plurium sententià) tot reportâsse victorias, tot coronis stipari meruisse. At cùm contemplor eius inuincibilis mentis constantiam, minimè miror; quia virum vnum constantem pro pluribus valere, quis abneget? Cùm Dauid Vriam in domum immisisset, vt adulterium celari posset, respondit miles: *Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meum?* 2. Reg. 11. (2. Reg 11.) Illud expende: *Et Israel, & Iuda.* immiserat Rex cum Ioab *vniuersum Israel, & vastauerunt filios Amon*, Ibid. Non autem vniuersus Iudà cœtus fuerat immissus. Quonâmodo igitur Vrias dixit: *Et Israel & Iuda habitant in papilionibus?* (Abul.) Respondet Abul. q. 13. *Vnus enim fortis & constans pro multis, pro omnibus cẽsetur.* Aut solus Ioab ex Iudâ Tribu, aut solus Vrias vir constantissimus sufficit, vt totũ Iuda Tribus exercitum in papilionibus habitare censeatur. Bartholomæus vnus cõtra Tartari pugnat potestates? Vir

constantissimus

constantiſſimus pro innumerabili cœtu militum cenſeatur.

57. Dicitur Moyſes vir magnus: *Fuitque Moyſes vir magnus valde in terra Ægypti coram ſeruis Pharaonis, & omni populo.* Exod. 11. In Chaldæo habetur, *Fuit Moyſes vir multus.* Et vndenam vnus vir pro multis hominibus, ſeu viris cenſebatur? Addit Textus, *Et ait: Hæc dicit Dominus Deus: Media nocte ingrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum à primogenito Pharaonis, vſque ad primogenitum ancillæ.* Ibid. Quia adeò conſtans Moyſes vt hæc aliáque in ſuperioribus horribilia coram Pharaone loqueretur, pro pluribus viris habetur à cunctis; vir vnus conſtans pro multis æſtimandus eſt. Lyranus, *Reuerendus, & timendus, propterea quòd coram Pharaone loquebatur conſtanter & ſine timore.*

Moyſes in morem Apoſtoli vir multus, quia conſtanter in conſpectu Regum loquitur.
Exod. 11.
Lyran.

Poſt Regis Polemij conuerſionem, idolorumque ruinam, *Pontifices idolorum* (loquor cum Antonino) *ad Aſtiagem Regem fratrem Polemy conuenerunt, & de Deorum ſuorum ruinâ, Templi mutatione, ac Regis deceptione conqueſti ſunt. Aſtiages vehementer iratus miſit mille viros armatos ad quærendum Apoſtolum, & captum ducendum antè ipſum. Ait Aſtiages: Tu es ne ille, qui euertiſti fratrem meum? Cui Apoſtolus: Ego non euerti; ſed cõuerti fratrem tuum. Ego Deum, quem adorabat frater tuus, religaui, & eum confringere ſtatuam feci. Si ita tu feceris Deo meo, poteris me ad ſimulacrum prouocare. Si ego vero Deos tuos comminuam, & tu crede Deo meo.* O viri conſtantia, quam Pharaonis irati facies non valuit effringere! Mille te viri adduxere; ſed ſolus pro innumeris æſtimaberis, tot hominum deos illigans, tot comminuens ſtatuas.

Anton.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.

Bartholomæus Diaboli religator.

Adnoto Dæmonis ad decipiendos homines ſollicitudinem, præcipuè obitûs inſtante periculo.

58. Præcipuè Chriſtus circa Dæmonum compreſſionem cæleſtes vires exercebat, ipſis vocitantibus: *Veniſti torquere nos.* Variis Diui ſpecialiter hominum neceſſitatibus ac laboribus præſides auxiliares oſtentãtur. Igne affectus Laurentius fauet: Apollonia dentium torturâ preſſis opitulatur; Rochus peſtilentis ætheris perpurgat contagium, Blaſius gutturis incolumitati fert opem. Porrò Bartholomæus ſpecialiſſimus Diaboli religator exurgit. Vndenam Apoſtolo ſpecialis aduersùs Dæmonem adſtruitur victoria, ſpiritu immundo ſub eius pedibus prouoluto, religato?

59. Audi Antoninum. Sub ingreſſu Bartholomæi Aſtharoth idolum obmutuit. Et cum apud aliud ſimulacrum Glenth illius cauſa quæreretur, reſpondit idolum: *Deus veſter catenis igneis religatus eſt, ita vt nec loqui, nec reſpirare valeat, ex quo Bartholomæus Apoſtolus Dei Ciuitatem veſtram ingreſſus eſt.* Poſt modum Apoſtolus Regis filiam, Dæmonis habitaculum, alligauit. Quam cum fugerent mordentem ciues, Bartholomæus inquit: *Ego Dæmonium illud ligatum teneo, & vos timetis?* Polemio dixit: *Ego tibi, & populo dabo Deum veſtrum catenis religatum. Præcepit Dæmoni, vt idolum Aſtharoth comminueret, & omnia alia ſimulacra Templi per ſeipſum confringeret. Tunc viderunt cuncti Æthiopem catenis igneis vinctum retrò manibus.* Demum Aſtiagis Diabolum vinctum adduxit. Ideo igitur Bartholomæus contra Diaboli inſidias validiſſimus protector acclamatur, pedibuſque Diabolus prouolutus obiicitur.

Diabolus ab Apoſtolo ſæpè religatus, adeo ſub pedibus aduolutus obiicitur.
Anton.

60. Vt autem edocearis, quàm debitor ſis Bartholomæo religanti, hoſtis inſidias contemplere, precor. Te viuentem ſeducere curat; morientem in Tartarũ ſatagit exturbare. Ad Chriſtum apud deſertum commorãtem acceſſit, nullum non mouit lapidem, vt deiiceret; *& conſummata fruſtrà omni tentatione, diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus.* Luc. 4. Mortis ſcilicet, quo validiùs curaret impugnare. Athanaſius Ora. de paſſio. *Tunc Diabolus cum pudore reiectus, obſeruandum ſibi perſuadebat tempus mortis, certus omnino, poſſe ſe per mortem, qua omnes in ſeruitutem redegerat, etiam hunc tentationibus ſubigere. Scriptum eſt enim apud Lucam, quòd cum conſummaſſet Diabolus omnem tentationem, abſceſſerit ab eo in tẽpus idoneum.*

Quam acris Diabolus in hora obitus, vel Sanctorum oppugnator!
Luc. 4.
Athan.

61. Nec ſolus accedit mortis die, quemadmodum *ſingularis ferus* (vt Dauid cecinit) accurrit ad valentes. *Singularis ferus depaſtus eſt eam.* Pſalm. 79. Adeò horribilis vel vnius Dæmonis impugnatio, vt clamet Petrus, *Sobrij eſtote, & vigilate; quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* 1. epiſt. 5. At aduerſus exeuntem è vitâ iuſtum, non ſingularis Dæmon; ſed vndecies mille decertaturi irruunt. Cum omnibus vni Chriſticolæ confligendum, & tot hoſtes ab vno ſuperandi, vt ad ſuperos pateat ingreſſus. Dauid, *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, Pſalm. 90. Vbi Bernardus ſerm. 7. *Eodem ſanè tabeſcentis inſaniæ zelo; ſed licentiâ ampliori exeuntibus Sanctis adeſt Diabolus.* Si licentiâ ampliori Sanctis exeuntibus adeſt hoſtis horribilis: quid peccatoribus obituris? Solus ne accedit? *Nullus ſanctus illis ad cælum, niſi per medios hoſtium cuneos patet exceſſus: in itinere medio ſunt gigantes, in aere volitant, obſident tranſitum, obſeruant tranſeuntes. Magni ſunt, multi ſunt; ſed cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Si ſanctis milleni hinc, illinc decies milleni hoſtes pugnaturi præſentantur, quid exeunti peccatori?

Ad valentes ſolus accedit, ad morituros innumerus cateruis ſtipatus.
Pſalm. 79.
1 Petr. 5.
Bernard.

62. Vndenam tantum exercitum poterimus ſuperare? Adiicit Bernardus, *Præſente te, Domine Ieſu, quantumlibet irruant hoſtes non irruant, ſed ruant; confluant vndique, ſed vt fluant, & pereant à conſpectu Domini, quemadmodum fluit cera à facie ignis.* Profectò Chriſtus præſentiæ ſuæ Bartholomæum vicarium ſubſtituit, qui Dæmones alligare potens, nullatenus eos ſinat irruere. Pulchrè Laurentius Iuſtinian. ſerm. de Barthol. *Conſueuerunt tunc* (mortis articulo) *Tartaria*

Aduerſus tot tantorumque hoſtium impetum fauet ex ſpeciali iure Bartholomæus.
Bernard.
Iuſtin.

Tartarea potestates insistere persuasionibus, fraudes componere, terrores immittere, commouere certamina, quatenus ex egredientibus de campo valeant secum rapere, mactare, & occidere. Horum igitur vt superare possimus insultus, tu ò Apostole Bartholomae, pro nobis gratiam precare. Tu inquam, qui toties diabolum illigasti.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Philippum, & Bartholomæum.

Christus & Bartholomæus singularis dilectionis vinculo colligati, in cuius documentum pellem pro pelle sibi inuicem tradiderunt.

Documentum etenim vera dilectionis impendit amato, qui opera exhibet egregia.

63. Cur Euangelista binos descripsit Apostolos? Certè vt Euangelicæ dilectionis vinculum innuatur. Liceat mysticè in binario hoc: *Philippum, & Bartholomaum* Christum & Apostolum contemplari. Philippus *Os lampadis?* Christi vultus vt Sol cuius oculi *lampades ignis, atque flammarum.* Christus ergo & Bartholomæus, mystico sensu, singularis dilectionis vinculo colligentur.

64. *Pellem dat quis pro amico, quem vel suam animã diligit.* Hesic. Antonin.

Porro huiusce dilectionis specialissimæ documentum exhibeo. Iob inquit, *Pellem pro pelle & vniuersa, qua habet homo, dabit pro anima sua.* Cap. 1. Vbi Hesichius, *Pellis detrahitur, cum secularibus quibuscumque pro animâ nostrâ, idest, Christo, spoliamur.* Aptiùs Antoninus per pellis extractionem ipsam crudelissimam Bartholomæi mortem intellexit. Pellem igitur Apostolus dedit pro animâ suâ, id est pro Saluatore. *Bartholomaus,* (ait Pater) *de quo Theodorus dicit, quod fuit excoriatus, pellem pro pelle dedit pro animâ suâ.* Mentem exponam. Christus & Apostolus, Dauidis ac Ionathæ in morem ineffabili dilectione colligabantur. Vnde Christus pellem dedit pro animâ suâ, cùm pro suo Bartholomæo exuitur: Bartholomæus pellem pro animâ sua obtulit, dum pro Christo dilectissimo excoriatus est.

65. *Hinc probata Dauidis, ac Ionatha dilectio.* 1. Reg. 18.

Inierunt olim Dauid & Ionathas fœdus, diligebat enim eum quasi animam suam. Vndenam constat Dauidem *quasi animam suam* à Ionathâ fuisse dilectum? *Nam expoliauit se Ionathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam Dauid* 1. Reg. 18 Tunicâ exuitur Ionathas pro Dauide? O perspicuum identitatis documentum? *Quasi animam suam.* Pulchre Bonauentura serm. de Bartholom. id Apostolo accommodat. *Signum, quo probatur amicitia esse vera, est, si vnus pro alio pati non refugiat: quin potius vnus pro alio ad patiendum se offerat. Talis vere ra amicitia fuit inter Christum Dauidem, & Bartholomaum Ionatham. Quia Christus pro illo* exuit tunicam, id est, *se obtulit: & Apostolus versâ vice* exuit tunicam, id est, *se excoriatus impendit.* Bonau.

66. *Christus dat pellem pro Bartholomao. anima sua.* Leu 1. Lyran.

Dominicæ pellis detractionem contemplate quæso. *Immolabit vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron Sacerdotis, detractâque pelle hostia, &c.* Leu. 1. Ad quæ Lyranus, *Non intelligendum, quòd odor inde (id est, ex pelle detractâ) progrediens esset suauis, & acceptus Domino ex re oblatâ; sed in quantum illud sacrificium figurabat Christum immolandũ* Dum ergo Christus se offert, pellis ab ipso detrahitur, quam Bartholomæo Ionathæ in dilectionis documentum expendit. *Christus* (ait Bonauentura) *pro Bartholomao se obtulit.* Bonau.

67. *Bartholomæus dat pellem pro Christo. anima sua.* Bonau. Biel.

Quid plura? *Et Apostolus* (addit ille) *versà vice pro Christo se impendit.* Hoc est, pellem pro pelle dedit Saluatori. Gabriel Biel grauis Auctor sic excogitationem nostram illustrat: *Bartholomaus velut alter Ionathas, qui Christum manu fortem, & verum Dauid intimè diligebat vt animam suam: expoliauit se tunicâ suâ, & dedit eam Dauid, cum se excoriari permisit.*

68. *Ecclesia Apostoli pelle pulchre fcit, proteguntur alumni eius.* Cant. 1. Hailg.

O Bartholomæi pellis extracta, quàm ex te pulchrè fcit Ecclesia! quam tui proteguntur alumni! *Nigra sum,* (Ecclesia clamat) *sed formosa, sicut pelles Salomonis.* Cant. 1. Hailgrinus *rubricatas pelles* Martyris appellat exuuias. An non Bartholomæus Ecclesiæ pulchritudini pellem obtulit rubricatam? *Facies* (ait Dominus) *& operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis.* Exod. 26. Augustinus serm. 43. *Rubricantur pelles arietum ad operiendum tectũ Tabernaculi cum Apostolus vsque ad pellis extractionem docere non desinit, vtitutiùs subiectos à tentationum periculis protegant.* Pellis ergo Bartholomæi tegit Ecclesiam ad pulchritudinem, ac fideles protegit alumnos. August.

69. *Authoris obsequium suo Bartholomeo impensum.* Ioseph.

Ex Bartholomæo cuncta protectionis expertus documenta, lubens inclamito: *Salue Bartholomae;* (Iosephi verbis vtor) *potentis Verbi sagittâ acutissimâ hostium corda vulnerâsti; dæmonum turmas percussisti; mortalium animas sanasti; idolorum Templa adaquasti solo; & homines Dei Templa reddidisti. Salue Spiritus sancti gladius, qui omnes mentes ad Christi obedientiam captiuas duxisti. Salue spiritus sancti ara, rationalis tibia, qua cœlestia dogmata nobis cecinisti. Salue cœlum pulchrum diuinis splendoribus illustre, in quo ille Sol iustitia requiescit, & orationis Dux, quo tu innixus fallaciam omnem euertisti. Te quidem* (tuo specialiter addictus obsequio) *laudationibus extollere vellem; sed rerum multitudine confundor, & dictionis infirmitate opprimor.*

LIBER SEPTIMVS.

MATTHÆVS.

Paraphraſis, Commentariíque literales ad Cap. IX. Matthæi.

PANEGYRICI MORALES circa literam

JN EVNDEM EVANGELISTAM.

PROLVSIO.

Apoſtolici vitalis Ligni FRVCTVS SEPTIMVS.

MATTHÆVS (cum Strabo loquor) *Hebraicè, Donatus, qui tantum munus gratiæ accepit.* Quantum, quæſo? Certè tantum, vt factus fuerit à Domino gratiæ diſtributor, qui mundialis pecuniæ fuerat receptor. Quid pecuniæ cum gratia? Audi Chryſologum ſermone 28. *Dominus Matthæum Publicanum ſic commutauit, vt qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ diſtributor.* Et Petrus Damianus ſermone de D. Matth. *De telonio cumulandæ pecuniæ in cathedram transfertur Eccleſiæ. Et qui priùs exigendi vectigalis fungebatur officio, conſtitutus eſt fidei, diuitiarúmque cæleſtium miniſtrare theſauros. Quique tunc turpis lucri quæſtu ſatagebat implere marſupium; nunc per Mundi latitudinem ſpargit cæleſtis eloquij ſacramentum.* Theſaurum reſera, Euangeliſta, eloquij tui acumine calamum tempera ſcripturi, vt egregia tua poſſim geſta proferre.

MATTHÆVS CAP. IX.

VERS. 9. ET cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.

PARAPHRASIS.

9. *POST ſanatum Paralyticum, vt declinaret Ieſus inuidiam Scribarum, digreſſus illinc, repetijt lacum, vbi turbam vndequaque confluentem docebat. Porrò, cùm præteriret telonium, conſpexit ibi Publicanum quendam ſedentem Matthæum nomine, cognomine Leui filium Alphæi. Erat quidem hoc hominum genus, quoniam artem exercebant ſordidi quæſtus, & violentæ rapacitatis, multis modis infames, præſertim apud Iudæos, qui ſacrilegum piaculum arbitrabantur, à Gentilibus Regibus tributis vexari, ob fidelis populi immunitatem. Ieſus autem qui Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem ab humili quidem; ſed tamen licito quæſtu vocauerat: vt palàm faceret, ſe nullum hominum genus faſtidire, Matthæum ad ſe vocat. Nihil cunctatus ſequi cœpit Ieſum.*

10. Et

10. Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu, & Discipulis eius.

11. Et videntes Pharisæi, dicebant Discipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?

12. At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus.

13. Euntes autem discite, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

10. *Quem nouus rogauit Discipulus, vt in ædibus suis conuiuium agere dignaretur. Aduocat Matthæus multos sui ordinis homines, à quorum Dominus consortio non recessit, vt nos doceret, nec impiorum consortium esse vitandum, si spes sit eos nostrâ fore consuetudine castigatiores.*

11. *Hinc, videntes, Pharisæi captant calumniandi materiam, conanturq́ Discipulos auertere: Quare, inquiunt, Magister vester, cui vos hæretis, vt eximiè sancto, cum publicanis & peccatoribus, quos nos vt abominandos vitamus, conuiuium agit? An non tales ferè reddimur, quales sunt hi, quibus conuiuimus? Num non pares cum paribus facilè congregantur?*

12. *Hunc sermonem cùm excepisset Iesus, pro Discipulis agens patronum ait: Euangelici ministri haud alio studio subeunt peccatorum tecta, quàm quo boni Medici subeunt ædes ægrotorum. Ideo versor cum publicanis, quia Medicus sum animarum, & salutem hominum sitio.*

13. *Hoc vos latere non debuit, Scripturas tenentes, in quibus sic loquitur Deus Ose. 6. Misericordiam volo potiùs, quàm victimam. Si hoc nondum animaduertistis, ite, discite, quid sibi Dei velit sermo; deinde, si videbitur, factum meum calumniamini. An non contumelia sit iustis, eos vocare ad pœnitentiam, qui nihil habent pœnitendum? Non igitur veni vocare iustos, sed peccatores, quia omnes delinquentes sunt, & omnes Dei gratiâ, cælesti scilicet indigent medicamine.*

SECTIO PRIMA.

Matthæi Vocatio.

TEXTVS.

VERS. 9. ET cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

De Matthæi munere.

1. Gestorum ordo. CVm transiret inde Iesus.] Lucas autem *Post hæc exijt Christus.* Id est, Postquam Paralyticum sanitati restituit, exiit ex domo, illâ. & cùm *transiret inde*, ex loco videlicet illo, in quo ægro membris capto contulit sanitatem, vidit Matthæum. Caietanus, *Cùm transiret inde Iesus hoc est, cùm inde ex domo paralytici sanati transiret iuxta locum vectigalium.* (Caietan.)

2. *Vidit hominem sedentem in telonio.*] Græcè *τελώνιον mensa est, in quâ vectigal colligitur, vel ipsa Publicanorum officina*, vt Euthymius asserit. De officina cum Caiétano expono. *Sedebat ad Telonium hoc est, in loco, vbi soluebantur publica vectigalia.* Euthymius, *Publicanus is dicitur, qui vectigalia redimit, & exigit.* Ideo Lucas, *Exijt Christus, & vidit Publicanum.* Barradius sic exponit: *Vidit hominem sedentem ad, vel iuxta telonium, mensam scil. publicanorum. Potest etiam interpretari: sedentem in officinâ publicanorum, in qua vectigalia soluebãtur, siue portoria.* Secundam hanc approbo expositionem Græco vocabulo plus officinam, quá mẽsam indicante

Quid Telonium. Euth. Barrad.

3\. *Vbinam huiusmodi officina?* Adrich.

Vbinam rogas, huiusmdi extiterit officina? Extra Caphatnaum iuxtà mare, si Adtichomio eredendum in Theat. terræ sanc. ad Trib. 6. Nephtal. num. 92. fauti: *Telonium domus erat mari Galilea iuxta Capharnaum adiacens, in quà publicani; tributa à prater nauigantibus, & applicantibus recipiebant.* Confirmo ex Ianſenio cap. 33. *Terra*, inquit, *Sancta ſcrutatores dicunt extra Capharnaum circa mare monſtrare locum, vnde vocatus ſit Matthæus.* (Ianſen.)

4\. *Non fuit Matthæus vocatus in Tiberiade Ciuitate.* Adrich.

Moneo, Adrichomium in fribu Zabulon nu. 99. non verè affirmaſſe in ciuitate Tiberiade Matthæum vocatum. Attamen in vitâ Christi corrigens ait: *Prateriens Christus Capharnai telonium, Matthæum in telonio ſedentem vocat, mox inibi conuiuio ab eodem exceptus.* Vocatus eſt igitur Matthæus prope Capharnaum: non in Ciuitate Tiberiade, cùm in telonio publicani fungens munere ſederet.

5\. *An Matth. tributa colligens, deliquerit?* Chryſol.

Quæſtioni committo, num Matthæus tributa colligens, peccauit? Scio munus ipſum iuſta tributa exigendi peccatò carere. At Patres lego Matthæum ex telonij adminiſtratione taxantes. Chryſulogus ſerm 28. *Matthæum dimissa fornace auaritia ſic coquebant, ſic alligabant vincu'is cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, vt leuari ad innocentiam non valeret.* Et ſerm. 30. *Deterius ſedebat publicanus in telonio, quàm paralyticus* (de quo proximè iacebat in lecto. *Hic carnes patiebantur paralyſin, ille mentes. Paralyticus doloribus ſuccumbebat inuitus; publicanus vitys voluntarys ſeruiebat.* Ambroſius Luc. 5. *Propria reliquit, qui rapiebat aliena.* Hieronymus, *Videbant publicanum a peccatis ad meliora concurſum, locum inueniſſe pœnitentia.* Chryſoſtomus homil. 31. fercula, quæ in conuiuio Matthæus appoſuit, iniuſtè ac rapaciter aſſeruit acquiſita. Adicit, *Magnus Dominus, qui talem raptorem in ſuum amicum conſciuit.* Et Simon de Caſ. lib. 9. cap. 17. *Epulatur Dominus de malè partis Matthai, quia Christus Dominus eſt benè, & malè partorum.* Eadem eſt, Bedæ, Theophylacti, & aliorum ſententia. (Ambroſ. Chryſoſt. Caſſia. Beda. Theoph.)

6\. *Authoris ſententia mitior de peccatis Matthai.* Thom.

A quâ quidem non omnino recedere audeo; ſed tamen à tam acri cenſurâ Matthæum aliquatenus leuandum ſuſpicor, aſſerens vtique eum muneri eiuſmodi addictum, cui facilè ſine crimine inſeruire non poſſet. D. Thomas fauet, *Vidit hominem in telonio, id eſt, in ſtatu, in quo viuere vix ſine peccato poſſet.* Addo publicanos, ſiue huiuſmodi muneri homines miniſtrantes, vulgariter à Iudæis vocatos peccatores. Et quando non vectigalium exactores iniqui reputantur? Igitur munus Matthæi non omnino condemno, nec iniquum appellabo abſolutè, quia ignoro, an laudabiliter munus adminiſtrarit; an ſaltem ſine crimine obierit; ſed cùm *talium ſtatu* (vt cum Doctore Angelico ſentiam) vix poſſet ſine peccato viuere, probabiliter reor, ex pice aliquod traxiſſe contagium.

---

§. II.

De Nomine Publicani noſtri.

7\. *Duplex Matthai nomen.*

MAtthæum nomine.] Duplex Apoſtolo nomen, & Leui, & Matthæus. Marcus, & Lucas *Leui*; ipſe autem ſe *Matthæum* nominauit. Cur non *Leui*? Reſpondet Hieronymus: *Lucas & Marcus propter honorem Matthai noluerunt eum nomine appellare vulgato; ſed dixerunt Leui ipſe autem Matthæus ſecundum illud Prou. 18. Iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis, Matthæum ſe & Publicanum nominat; vt oſtendat legentibus, nullum debere ſalutem deſperare, ſi ad meliora conuerſus ſit cum ipſe de Publicano in Apoſtolum ſit repentè mutatus.* Et Euthymius. *Marcus & Lucas ob condiſcipuli reuerentiam, Leui hunc vocauerunt, pratermittentes manifeſtum eius nomen. Ipſe vero apertè ſeipſum Publicanum fatetur.* Theophylactus, Strabus, & Beda conteſtantur. (Hieron. Euthy.)

8\. *An mutatū fuerit Leui nomen in Matthæum.* Abul. Metaphr.

Scio Abulenſem, vnum tantum habuiſſe nomen Euangeliſtam aſſerere, cum à Christo vocatus eſt, nempe Leui; poſt vocationem verò à Christo, Matthæi nomen accepiſſe. Metaphraſtes in vita Matth. *Leui anteà dicebatur. Cum mores priſtinos admirabiliter mutauiſſet, appellatione quoque ſuperiore mutatâ, Matthæus dictus eſt.* Abulenſis ſententiam mutauit in commentat. Prolog. Hieronym. in Matthæum, *Leui non nomen principale; ſed Matthæus.*

9\. *Matthæus & Leui ſimul.*

Aſſero Apoſtòlum binomium fuiſſe ac Matthæum appellatum tunc, cum in telonio ſederet. *Vidit*, ait, *hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Indicans planè tunc nomen habuiſſe. Si enim Leui tunc & non Matthæus vocaretur, dixiſſet: *Vidit hominem ſedentem in telonio, Leui nomine, qui vocatus eſt Matthæus:* quemadmodum de Simone Petro dixit: Vidit *Simonem, qui vocatur Petrus*, id eſt; qui poſteà à Domino Petrus eſt appellatus.

10\. *Cur vocatus Leui?* Druth.

Quorſum ei nomen etiam Leui? Reſpondet Druthmarus dictum Leui, eo quod ex Leuiticâ Tribu. *Qui ſolebat*, inquit, *rapere aliena, reliquit propria; agnoſcens reatū ſuum; quia ipſe de Tribu Leui, vndè & Leuiticus eſt, ad Templum Domino ſeruire debuerat, & pro phylargiriâ vilis miniſterio adhaſerat.* Id quod eſſe minimè probabile affirmo, ſecutus Hieronymum fatum: *Matthæus cognomento Leui.* Maldonatus huic ſubſcribit ſententiæ, *Matthæum nomine id eſt, cognomento Leui.* Certè cognomen Leui ex eo honorificentiùs fuiſſe innui aſſero, quàm nomen Matth. quia numquam ſe Leui, ſed Matthæum, modeſtiæ causâ, Euangeliſta vocat; aliis non Matthæum; ſed Leui cauſa planè honoris appellantibus. (*Matthai cognomen Leui.* Hieron. Mald.)

---

§. III.

De promptitudine Matthai Ieſum ſequuti.

11\. *Promptitudo Matthai reſpondentis indicat mirabilem vocantis potentiam.* Euthym.

ET ait illi: *ſequere me. Et ſurgens, ſequutus eſt eum.*] An non mirabilis Christi poteſtas vnico verbo: *Sequere me*, hominem auaritiæ pondere preſſum ex telonio abſtrahens? Eam miratur Euthymius, dum ponderat Matthæi promptitudinem. *Admirare perfectam eius, qui vocatus eſt, obedientiam, Quomodo*

modo neque consultauit apud se: quomodo nullum super eâ re consultauit amicum; sed confestim surgens sequutus est, relicto vniuerso Mundo. Solum autem adduxit mentem ad omnia paratam, quæ iussisset is, qui eum vocauerat.

12. *Vndenam tractio hæc?* Hieron. Vndenam tractio hæc habuerit exortum; Hieronymus Diuinitati in Iesu vultu refulgenti tribuit. *Fulgor ipse, & Maiestas Diuinitatis occulta, quæ etiam in humanâ facie Christi relucebat, ex primo aspectu videntes ad se trahere poterat. Si enim magneti, & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulam, & festucas sibi copulent: quantò magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat quos volebat?* Et Epist. ad Principiam, ad illa verba: *speciosus forma præ filijs hominum.* Psalm. 44. ait: *Nisi Christus habuisset & in vultu quidda sydereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli:* Chrysost. Chrysostomus hom. 13. in Matth. *In vultu Saluatoris aliquid fuit diuinum, quod videntes homines sequebantur.*

13. *Ex efficacia verbi Domini.* Affirmo tamen & si è vultu Christus nihil splendoris emitteret, Matthæum, & alios quoscumque voce ita valuit conmouere, vt rebus omnibus abdicatis post eum abirent. Verbo itaque prolato: *sequere me*, intus edoctum Matthæum adduxit Beda sic. Beda. *Dominus, qui Matthæum foris verbo vocauit, intùs inuisibili instinctu, vt sequeretur, edocuit.* Fulgorem ergo tribuere Dominico vultui etsi pium & non reprobandum, non est tamen opus ad huiusmodi vltroneas tractiones. Non autem displicet Abulens. Abulensis sententiam adnotantis quæst. 42. fieri potuisse, vt fulgor è facie Christi emicans (siue, vt interpretor, vultûs Iesu ineffabilis maiestas, pulcherrima planè) valde Matthæum illexerit, omnique dulcedine spirituali, & desiderio sequendi Christum repleuerit.

An ex miraculis fuerit iam affectus? Non est improbabile, Publicanum apud Capharnaum miracula vidisse, vel saltem audisse, quæ Christus apud illam ipsam Vrbem excitârat: vnde affectus iam Dominum vocantem audiuisset. Scio Chrysostomum citatum velle Matthæum nullum vidisse miraculum; vt totum illud opus vocantis omnipotentiæ tribueretur. *Non vidit signum; sed authoritas in iubendo signum fuit.* Subscribo. 14. *Num miracula Matthæũ excitarint.* Chrysost.

Quæritur an vocatus Publicanus vectigalium rationes confecisset? Basilius in Regul. fusiùs disput. Inter. 8. existimat tanta celeritate Matthæum post Christum abiisse, vt vectigalium rationes minimè perfectas reliquerit. *Non lucra solùm reliquit; sed pericula etiam Matthæus contempsit, quæ ipsi, totique eius familiæ à ciuitatis Magistratibus imminebant; quod redemptorum à se vectigalium rationes discedens, non confectas reliquisset.* Contestatur Euthymius. 15. *Num rationes vectigalium cõfecit.* Basil.

Verò similius puto, posteà rationes vectigalium, si quæ conficiendæ erant, perfecisse. Constat enim reduisse domum, conuiuium Domino paraturum. Abulensis quæst 46. *Dicendum, quod Christus taliter prouidit, quòd Matthæus potuit omnia disponere in rebus suis, vt decebat. Nam rediit in domum, & de omnibus disposuit.* 16. *Confecisse affirmo.* Abulens.

In Matthæum

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

EX IPSIVS EVANGELISTÆ Vocatione.

Observatio I.

Ad illa verba:

Vidit hominem sedentem in telonio, &c.

Matthæus verè homo à Domino visus, spiritualem hominis exponens essentiam.

Vbi adnoto, illum hominem esse, qui ratione vtitur, qui virtutibus emicat.

17. VIDIT Christus *hominem*, id est Matthæum, qui quidem à Prophetis Ezechiele & Ioanne sub hominis effigie visus asseritur. Quatuor Euangelistis quatuor propheticæ tribuuntur imagines. Aquila Ioannem, Lucam Vitulus, Marcum Leo, Matthæum homo repræsentat. Vidit igitur Dominus hominem illum, quia ab Ezechiele visus fuerat, cap. 1. alatus quidem: terrenis enim abdicatis, ad cælestia præpes auolauit.

18. *Paucis congruit hominis appellatio.* Chrysost. Quàm paucis hominibus congruit effigiei humanæ insigne! De hominibus, quos diluuium oppressit Chrysostomus homil. 13. in Genes. inquit: *Ob carnales voluptates, quibus immersi erant, amiserant esse homines.* De Noë adiicit: *Ille in tanto populo hominis imaginem seruauit. Noe solus homo: cæteri autem non homines; sed humanam gerentes formam, & ex hominibus in bestias mutati, malitiâ voluntatis generositatem naturæ amiserant.*

19. *Virtutem colens solus homo.* Chrysost.

Quisnam igitur Hominis nomine debet condecorari? Respondet idem Doctor, *Tunc homo est, quando virtutem colit. Neque enim speciem habere hominis, & oculos, & nares, & os, & genas, & cætera membra, hominem esse ostendunt: hæc enim membra sunt corporis. Hominem illum dicimus, qui hominis imaginem saluam retinet. Quæ autem est imago hominis? Rationalem esse? Verum non hoc solum fuerit hominem esse; sed & virtutibus esse deditum, & vitia fugere, & illicitis affectionibus imperare, & mandatis Dominicis obtemperare.*

20. *Proprium Hominis animantibus effrænatis imperare.* Gen. 1. Chrysost.

Conditor ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram vt præsit volatilibus cæli: & piscibus maris, & animantibus terræ.* Gen. 1. An ex eo Domino similis quia præest? Ita planè. Ille verus homo, quia creaturis non submittitur; sed nouit imperare. Ad hæc Chrysostomus, *Ab initio dicebat Deus: Faciamus hominem ad similitudinem nostram. Hoc est, vt imperet visibilibus omnibus, & passionibus suis: imperet, non ferat imperium. Itaque, quia omissâ dignitate magis subditus est, & imperium fert potius, quam imperat: amisit nomen, quòd sit homo, & brutorum in se nomina transtulit.*

21. *Noe imperans animantibus efferatis, eáque cõtinens, homo erat.* Gen. 6. Philo.

Redeo ad Noë, de quo Moyses: *Noe homo iustus.* Gen. 6. Se se profectò ille hominem ostentauit cunctis imperans animantibus, eáque sub arcâ continens mansueta. Philo lib. de Abraham. *Sciendum, quod hominem non vulgari loquendi forma rationale, mortale animal vocat Moses; sed per excellentiam eum, qui verè suo respondet nomini, eiectis ex animo immansuetis, rabidis, ferinisque vitiorum affectibus.* Ibidem. *Nemo iniustus est homo; sed potius bestia, humanâ formâ prædita. In solum autem iustitiæ sectatorem nomen hoc competit.*

22. *Matthæus tam festinanter respondit vocanti, vt illum ex fera iam Hominë Dominus vidisset. Perdicis confirmatur exemplo.* Ierem. 17. Hieron. Ambros.

Vidit ergo Dominus hominem Matthæum. Tam facilè ferinos cicurauit affectus? An non publicanus visus? Quonammodo ergo homo illicò apparuit? Profectò quia illud ipsum videri, & vocari, fuit illicò pœnitere, dimissóque mondo ad verum parentem properare. *Sequere* (ait Dominus) *me. At ille surgens, secutus est eum.* Ieremias, *Perdix fouet, quæ non peperit.* Cap. 17. Vbi Hieronymus, *Aiunt scriptores naturalis historiæ hanc perdicis esse naturam, vt oua alterius perdicis surripiat, & foueat; fœtus vero adultos auolare, & alienum parentem relinquere.* Vt perdix aliena oua furatur, mundus Matthæum. At quemadmodum pulli, cùm vocem veræ parentis audiunt, falsam relinquunt: audiens Matthæus cælestis parentis vocem: *Sequere me,* fallentem mundum dereliquit. *Perdix* (ait Ambrosius) *vocem emittit, & quadam pietatis tubâ prolem aduocat, Proles autem naturali quodam auditu excitata, agnoscit parentem & simulantem deserit.* Quàm velociter illud ipsum audire, iam est ad verum parentem properare. Chrysologus serm. 28. *Vidit illum Deus, vt ille videret Deum: vidit illum Dominus, vt ille pecuniæ latebras amplius non videret.*

23. *Matthæus Filij hominis imaginem, recepit, instar speculi pellucidi, ideò homo videtur.* Ruper.

Ac si simul amborum oculi admouerentur: oculi quidem Domini vt Matthæum; oculi Matthæi vt Christum aspectarent.

Filius igitur hominis respexit Matthæum, & illicò illum nouum in hominem sibi similem efformauit. Elegantem do ex Ruperto similitudinem rem totam illustrantem. *Erat Matthæus tanquam speculum pellucidum, eatenus conspectus Solis nequaquam appositum; sed in tenebras repositum, & sub recto curarum iacens sæcularium. Vbi ergo vidit eum Iesus, vbi vidit eum Sol verus, resplenduit ex aspectu eius. Et quia vidit eum talis Filius hominis; & reddidit imaginem eius, & formata est in ipso facies Hominis. Vnde vidit hominem sedentem in telonio.* Hactenus ille.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Vidit hominem sedentem in telonio.

Qui sedebat Doctor rapinarum Matthæus; sedet Doctor virtutis misericordiæ.

Innuo exempli efficacissimum esse magisterium speciatim circa opera misericordiæ.

SEDENTEM vidit. Ad quæ pulchrè Paschasius, *Sedebat enim vt Magister rapinæ. Neque stans, vt vinceret: neque abiens, vt euaderet: sed sedens, vt Princeps rapinæ ministrorum prædam diriperet. Hunc de iam profunda iniquitatis cathedra mox ad thronum Apostolicum clementer Dominus prouehit, & reor, vt illud Apostoli compleatur: Quò plus abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Tanta delicti abundantia, vt sedens daret rapiendi documenta? Tanta gratiæ abundantia vt virtutum Ecclesiæ magisterium exhiberet. 24. Pasch.

Contestatur Chrysologus serm. 30. *Hodierna* (inquit) *Euangelica lectio Publicanum sic in Apostolum commutatum testatur, vt qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor; & de impietatis scholâ, ad pietatis magisterium perueniret; fieretque Doctor misericordiæ, qui auaritiæ fuerat institutor.* Quàm egregia pœnitudinis documenta, edocere alios misericordiam, pauperibus instituto conuiuio, qui fraudes erga pauperes edocuerat.

25. *Qui docuit rapinam, docet opere ipso misericordiã parans pauperibus conuiuium.*

Quonammodo ille Doctor rapinæ extiterat? Rapiendo. Ergo conuiuium Christo inopi, Discipulisque pauperibus præparando, misericordiæ Doctor exurgit. *Sapientia ædificauit domum, posuit mensam, misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Prou. 9. In Hebræo, *Vocauit super humeros excelsorum Ciuitatis.* Excelsi Ciuitatis, Caietano authore, sunt aliorum Magistri fidelium, exemplo suo illos adducentes ad suarum virtutum imitationem. Vnde vocans Matthæus ad conuiuium pauperes (queis Sapientiæ magna Cœna præparatur) seu potiùs ipsum Dominum sub pauperis habitu; alios instruit, vt Domino simile conuiuium curent præparare. *Significat,* (adiicit) *quòd virtutes missæ à diuinâ sapientiâ officium*

26. *Adducit Publicanos, vt conuiuium Domino instruant; apponens ipse mensam.* Prou. 9. Caietan.

officium vocandi exercerent; non prædicata, nec scripta; sed portata super humeros excelsorum, scilicet Apostolorum. *Virtutes itaque in factis consistentes, excitant homines ad diuinum conuiuium*, vtique præparandum. Vnde virtus misericordiæ Matthæi apponentis Christo ac Discipulis mensam, plures excitat Publicanos, qui ex pœnitudine dulcissimos Domino cibos condiere.

Matthæus effcaci vsus misericordiæ Syllogismo, alios instituit misericordiæ Magistros. Psalm 110. Nazian. Chrysost. Math. 9. Euthym.

27. Quàm efficax Magister Matthæus, qui Apostolicæ cathedræ addictus, misericordiæ exhibitæ pauperibus syllogismo vtitur! Dauid, *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Psalm. 110. Vbi Nazianzenus, *Facientibus* vtique; *non item prædicantibus.* Bono intellectu præditus Magister, qui opere expresso alios allicit ad sui imitationem. Chrysostomus in 1. ad Cor. hom. 30. *Hic syllogismus certissimus, qui per opera efficitur.* Matthæus Domino misericordia affectus, mensam parat. *Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu.* Ad quæ Euthymius. *Isti publicani ex hoc conuertendi erãt.* Magisterio enim Matthæi tam certo vtentis syllogismo edocti, sedentes ad mẽsam Principis, eandem ei pœnitudinem præparârunt: effecti quidem & ipsi Magistri, à quibus didicit Simon Leprosus conuiuium Domino apponere: in quo postmodum Magdalena peccatrix aliud pretiosius pœnitentiæ conuiuium eidem Domino præpararet. Edisce operibus misericordiæ sic instruere videntes, vt ipsi magistri eiusdem aliis efficiantur.

Observatio III.

Ad illa verba:

Vidit hominem sedentem in telonio.

Matthæus auaris Diuitibus salutis ingerit spem.

Vbi adnoto, quàm difficilis peccatorum sit, diuitum præcipuè auarorum salus, dum actu peccatis addicuntur.

Innocentes diuites sanctitate emineant. Chrysol.

28. Petrus Chrysologus serm. 28. fatur: Matthæus Publicanus generat non paruam suis quæstibus quæstionem, & magnum nobis negocium suâ negociatione proponit. *Quam quæstionem? quod negocium?* An diuites ad gloriam aduocentur? Quis dubitet, cùm videat Iobum & Abrahamum salute donatos? *Abraham* (addit Præsul) *diues, diues Iob. Et quid Abraham beatius, quid fortius Iob? Nam & Abraham post terrenos mærores pias animas, & reuolantes ad cælum in gremium suæ consolationis includit. Et Iob in ipsis diuitiarum machinis diabolum & ipse vicit, & nobis vincendi eum reliquit exemplum.*

Difficilis pœnitentia exemplum Matthæus. Chrysol.

29. Adiicit Pater; *Sed ad hæc respondetur: Fuerunt Sanctis innocentes diuitiæ, vtpotè à Deo data; non turpiter acquisita: concessa ad vsum vitæ; non ad mortis vsuram. Matthæum verò Publicanum diuitiæ sic cupiditatis publicæ magistrum, fornace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret. Vnde & sedere eius erat, iam subsidere; non sedere. Hunc ergo talem ad sua cur vocauerit Christus, cur elegerit ad diuina?* Respondeo, vt vel difficillimæ pœnitudinis exhibeatur exemplum, diuitibusque auaris norma detur emergendi. An Matthæus superindutus progreditur; an spoliatus primò auaritiæ exuuiis, postmodum Christum pauperem indutus est? *Veni*, ait Christus, *Sequere me.* Chrysologus, *Non dixit: Affer ad me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat. Veni, sequere me. Hoc est, depone pondera, disrumpe vincula, solue laqueos. Me sequere, quære te; perde vsuram, vt te valeas inuenire.* *Difficilia tamen præstitit*

Diuinæ profectò potentiæ documentum fuit auarum diuitem ad meliorem mentem adducere. Chrysostomus citat. *Sed cur dixit in telonio sedisse? Virtutem vocantis voluit ostendere, qui, non imposito adhuc fine praua publicanorum conuersationis, è medio malorum pelago ipsum abstraxit.* Ex Pauli celebri conuersione confirmat. *Sicut Paulum quoque furentem ac omni rabie ardentem, & ignem Ecclesiæ inferentem reduxit. Quàm vocantis virtutem ad Galatas scribens, expressit: Audistis, fratres, aliquando conuersationem meam, quia supra modum persequebar Ecclesiam Dei.* Si mirabilis Pauli conuersio obiicitur; non minus auari. Vt vnica quodammodo huiusmodi Pauli celebratur conuersio persecutoris; sic raptoris Matthæi vocati quidem dum sederet. *Vidit hominem sedentem. Neque enim* stabat (ait Paschasius) *vt vinceret*, nec abibat, *vt euaderet, sed sedebat, vt princeps rapinæ.* 30.

Virtutis diuina facinus eum addictũ pecunia ad se adduxisse. Chrysost. Paschas.

Illa profectò gratiæ cælestis mirabilis profluentia fuit, in abundantissimi sceleris conspectu. Beda fatur, *Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Quia nimirum quantò grauiorem in electis suis Dominus peccatorum languorem curauit; tantò ampliorem cunctis gratia medentis potentiam monstrauit. Vnde & ex lectione Euangelicâ audiuimus, quia sedentem in telonio Matthæum, ac temporalibus curis intentum, repentè miseratus Dominus vocauit: & de Publicano iustum, de telonario Discipulum fecit.* Ex superabundanti igitur gratiâ profusâ gestum, vt peccator ipsi auaritiæ ministerio addictus, vocaretur adeò efficaciter, vt vincula cupiditatis confringeret. Au gratiæ expectas profluentiam? 31.

Abundantissima gratia effectus huiusmodi. Beda.

Nathanaëlem rursum venientem Dominus vidit, quem sub ficu latentem aspectarat. Au misericors, qui Nathanaëlem effecit Discipulum? Paschas. *Vidit Nathanaelem miserationis affectu sub ficu, quo prior Adam folijs se contexerat.* Grauissima Adami strages, difficilis planè pœnitudo. At *eo longius Matthæum vidit miserationis suæ affectu, quo terrenis inhiabat.* Vt innuat difficiliorem Matthæi diuitis auari, quàm Adami reductionem. Addo causam, quia Adam in Nathanaele veniebat ad Christum: *Vidit Nathanaelem venientem*; at Matthæus sedebat iniquitatis pondere pressus, nec curabat à periculo liberari. Bellè Paschasius, *Nathanaelem ad se iam venientem laudat. Hunc autem de tam profundâ iniquitatis cathedrâ ad* 32.

Misericordissimè vidit Nathanaelem venientem. quid sedentem Matthæum? Pasch.

thronum Apostolatus clementer prouehit. Et reor, vt illud Apostoli compleatur: Quo vbi prius abundarat delictum, superabundaret gratia.

33\. An putas, te venire renitentem, efficacissimà vocatione compellatum adducet? Donum hoc Matthæi specialissimum, quod vel ipso in nomine diuinitus indito (si credendum illis qui asserunt, mutatum Leui nomen à Domino in Matthæum) relucebat. Quid *Matthæus*? Respondet Strabus, *Matthæus Hebraicè Donatus, qui tantum munus gratia accepit.* Non omnes adhuc fœditate criminis permanenter impliciti, ita efficaciter aduocantur. Illi donum hoc specialissimum reseruatum, qui ad Apostoli simul & Euangelistæ munus assumendus erat, gratiæ diffluentis effectu. Petrus Damianus serm. 51. *Quis de scelerum suorum quantumlibet immanium enormitate diffidat, cum audiat Matthæum venalis lucri quæstibus inhiantem, non modo repentè vocatum; sed ad obtinenda præcipua duo ministeria Curiæ cælestis adscitum.* Nullus (fateor) debet desperationis laqueo adstrici; sed nec nimiæ confidentiæ erigere trophæum. Adiicit apposite. *Quod vtrumque munus nulli prorsus aliy collatum est, nisi Matthæo & Ioanni. Sed cur* Ioanni & Matthæo? *Et quia Ioannes Dei gratia dicitur, Matthæus etiam Donatus interpretatur.* Matthæus nempe donatus duplici Curiæ Cælestis munere, ita vt ex ipso telonio adduceretur. *Vt impleretur* (addit) *illa sententia: Vbi abundauit iniquitas, superabundauit gratia.* An te donandum sic credis, qui voluptatum cœno immersus, expectas te efficaciter à Domino vocandum? An tibi Apostolatus & Euangelij munus præparatum est? O fallax stultáque expectatio!

Specialissimũ donum fuit à telonio, seu hærentem occasioni peccandi vocatum esse ideo Matthæus Donatus.
Strab.

Damian.

34\. Profectò vt peccator addictus volutabro efficaciter aduocetur, totam quodammodo misericordiam Dei profundi necesse est. *Et vidi,* (ait Ioannes) *Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Apoc. 5. Septem oculis Dei *misericordia a progenie in progeniem* (vt ait Dauid) figuratur. Hisce oculis respexit Matthæum. Quia vt peccator occasioni delinquendi addictus efficaciter aduoceretur, necessaria quodammodo tota in homines aliquando profusa Dei misericordia. Rupertus lib. 6. in Mat. *Christus hunc hominem vidit, & tam efficaciter vidit, vt veraciter conueniat huic dicere: Deus tu, qui vidisti me. Quomodo, vel quibus oculis vidit? Oculis gratiarum, qui secundum Apocalypsim Ioannis in capite vnius Agni sunt.* An non totius Dei misericordiæ quodammodo effectus, Matthæum ex telonio vocatum fuisse ita efficaciter.

Tota quodammodo misericordia Dei respexit Matthæum, vt ex occasioni delinquendi addictum efficaciter aduocaret.
Apo 5.

Rupert.

35\. Aliter exaggerat Doctor argumentum. *Oculi isti* (inquit) *nominibus suis nulli sunt, aut debent esse incogniti. Qua videlicet nomina sunt Spiritus sapientia & intellectus, consily & fortitudinis scientia & pietatis, & timoris Domini. Istis oculis hunc hominem vidit.* Non solum erat donatus Matthæus; sed cunctis donatus Spiritus sancti muneribus; imò ipsis donis, velut oculis, aspectatus obijcitur, vt in telonio, auaritiæ domicilio sedens, efficaciter a Domino vocaretur.

Matthæus in ipso telonio aspectatus fuit à Domino, omnibus Spiritus sancti muneribus donatus obijcitur.
Rupert.

36\. Memini Dominum, Petrum aliquando respexisse. Ter ille Dominum apud Cayphæ aulam abnegauerat. At *Dominus respexit Petrum: ille ergo egressus foras fleuit amare.* Mat. 26. Hieronymus asserit apud domum Cayphæ abnegasse; egressúmque à Domino fuisse, vt lacrymis delictum ablueret. *Quia in domo Cayphæ non poterat agere pœnitentiam.* Efficax plane respectus, qui Petrum quasi in telonio sedentem, id est, in domo Cayphæ, seu in occasione cadendi constitutum, vocauit, vt exiliret, vt fleret. Queisnam igitur oculis Apostolus fuit aspectus? Augustinus, *His planè quibus Dominus respexit humilitatem ancillæ suæ.* Maria cecinit. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ideò ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. Quia scilicet me humilem ad Dei Maternitatem euexit. Quàm misericordia pleni oculi, queis humilis Virgo aspectata est, vt Mater Dei eligatur? His planè oculis necessum fuit quodãmodo Petrum aspectari, vt in domo Cayphæ manẽs efficaciter ad pœnitudinem vocaretur. Edisce igitur non cum Matthæo sedere; sed cum Nathanaële venire, & cum Prodigo surgere; (vti Paschasius aiebat) ne non donatus tam immensa gratiâ, cum innumeris alijs potius depereas; quàm cum vnico Matthæo assurgas.

Vt Petrus in domo Cayphæ, vbi deliquit, ad pœnitentiam aduocaretur, aspectatus fuit eisdem oculis, quibus Deus respexit humilitatem Mariæ.
Ma 26.
Hieron.
August.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Vidit hominem sedentem in telonio, &c.

Inter Christi miracula computo, Matthæum laqueis auaritiæ illigatum, diuitias omninò reliquisse.

Tam illigatos, tam mancipia detinet homines securitas auaritia.

QVAESTIONI committit Abulensis, (est 37.) *Quare fit mentio de vocatione Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis, & Matthæi, & non aliorum Apostolorum?* Sic soluit. *Euangelistæ illa sola expresserunt, quæ ad aliquam instructionem nostram proficiunt; & quia in istorum vocatione fuit aliquid speciale, & ad miraculum pertinens, vocatio istorum solum descripta est.* Quidnam miraculi in Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis vocatione? *Petrus & Andreas, Christo vocante, relictis retibus, & naui, secuti sunt eum, nihil amplius morantes. Iacobus autem & Ioannes Christum vocantem, relictâ naui, & patre, secuti sunt.* Mirum planè, etiam vocante Domino, homines à sæcularibus bonis, licet exiguis, separari: *Relictis retibus.* 37.

Inter miracula recensentur Petri, Andreæ, Iacobi & Ioannis vocatio, quia retia illi dimiserunt.
Abul.

Iam miraculi augustioris ex Matthæi vocatione gloria refulget. Reliquit enim diuitias, quæ fortius retibus cor miserum illigabant. *In Matthæo autem* (adiicit Tostatus) *adhuc fuit maius miraculum: quia cùm sederet in ardoribus auaritiæ, lucra terrena captans in telonio, Christo vocante, omnia deseruit, quæ habebat, & quæ habere poterat, & quod maius est, quæ habere cupiebat. Hæc autem mox vocatus, quòd subitò desereret, miraculum erat, & inter miracula* 38.

Miraculum ne maius Matthæum telonium, diuitiasque reliquisset.
Abul.

Strab. *racula ponendum.* Strabus apposité, *Matthæus vocationem suam refert inter miracula* (Paralytici scilicet sanati & aliorum.) *Magnum enim miraculum fuit, quòd Publicanus factus est Apostolus.* Abul. *In vocatione autem aliorum* (Abulensis pergit) *fortè nihil speciale fuit ; ideo non fuit scripta.*

39. *Se sanatum miraculosè inter paralyticos commemorantem Matthæum affirmat ; quia grauior ægritudo auaritia.* Thom.

Lucas asserit omnes duodecim apud montem electos, *quos Apostolos nominauit.* Cap. 5. D. Thomas ex August. *Ante sermonem habitum in monte credendum est vocatum fuisse Matthæum : in eo quippe monte, tunc Lucas commemorat omnes duodecim electos, quos & Apostolos nominat.* Cur ergo Matthæus nunc se vocatum asserit, cùm Lucas longè retrò exponat cunctos Apostolos aduocatos? Existimo, quia in præsenti Matthæus leprosi curationem, paralytici sanitatem, aliorúmque ægritudines, Christi mirabili potentia ablegatas, describebat : vnde conuersionem suam iuxta paralytici lectum collocauit, vt ostenderet hominem ex domo auaritiæ ad Dei domum aufugisse, inter egregia Christi miracula computandum. Quia (Chrysol. authore Chrysologo serm. 30.) *deterius sedebat in telonio Publicanus iste, quam Paralyticus iacebat in lecto.* Pasch. Pulchrè Paschasius *Venit in quæstionem, cur Matthæus nunc vocatus legatur ; cùm Lucas longè retrò exponat duodecim Apostolos simul electos, & audisse à Domino sermonem in monte? Matthæus post sanitatem leprosi, post curationem paralyticorum, & aliorum, medium se interserere maluit ; vt vbi multi debiles* (miraculo excitato) *curantur, & iam seipsum quasi debilem, & immundum sanatum a pio Domino, humilitatis gratiâ ostendat.*

40. *Maius miraculum auarum surgere à telonio, quã Solem sistere.* Iof. 10. Ambros.

An non, miraculo edito, diues à deuio itinere reuocatur? Audisti Solem aliquando constitisse, clamante Iosue : *Sol contra Gabaon ne mouearis. Steterúntque Sol, &c.* Iof. 10. Puto mirabilius facinus, auarum à diuitiis abstrahi. Audi Ambrosium auaritiæ Achan memorem, lib. 2. Offic. cap. 26. *Certè Iesus Naue, cùm potiretur victoriâ, cognouit infirmatam esse virtutem populi per auaritiam, atque auri cupiditatem. Qui potuit Solem sistere ne procederet : auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem eius Sol stetit, auaritia non stetit.* Adiicit, *Sole stante confecit Iesus triumphum, auaritia autem procedente penè amisit victoriam.* Solem sistere faciat ex diuinâ virtute Iesus solùm humanus, siue homo purus. At auarum sistere, diuitem diuitiis illigatum ad meliorem surgere mentem, Iesu alterius, diuini quidem & humani, opus est mirabilius.

41. *Quam ingens miraculum fuit, Matthæum fœminam ex auaritia in virum fuisse mutatum.* Ambros. Iob. 31. Septuag.

Dic mihi, an non miraculum illustre fœminam repentè in virum commutari? Animos auaritiæ addictus totus fœmineus est. Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 39. *Auaritia virtutem effœminat ; nihil enim* tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. Iob, *Si putaui aurum robur meum.* Cap. 31. L X X. *Si posui aurum coniugium meum.* Pineda, *Ardentissimam pecuniæ libidinem indicat.* Ego autem assero effœminatum admodum animum (hominis ne an fœminæ) indicare. Si posui aurum coniugium meum, (vulgariter explicare liceat.) *El oro es mi matrimonio, es mi marido.* Matthæus ergo fœmineo spiritu informatur, dum lucris auaritiæ adhærescit. Christus autem *vidit hominem sedentem* ; virum profectò quia ex efficaci vocatione iã auaritiæ laqueos virili fortitudine, instar Iob, qui verè vir erat comminuit. Porrò fœminam in virum mutari, mirabile est omnipotentiæ documentum. Cùm videris ex diuitiarum domo aliquem surgere, vt Christum nudum sequatur ; vel saltem, vt illicitam abdicando cupiditatem, solummodò iustæ studeat acquisitioni, existima miraculum à Domino excitatum.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba :

Vidit Hominem.

Ioannis Aquila, Lucæ Vitulus, Marci Leo, Matthæi Homini cedunt primatum.

Vbi adinuentionis cuiuslibet ad Dei cultum, aut proximorum salutem conferentis, institutio commendatur.

BARRANIVS noster doctrinâ clarus, & sanctitudine illustrior tom. 2. in Euangel. lib. 5. cap. 22. ait ; *Matthæum vidit Christus, vidit hominem ; Hominem, inquam, illum, quem Ezechiel cap. 1. prædixerat. Videbat enim iam in Publicano illo primum suum Euangelistam, primum suorum gestorum scriptorem.* Primum planè, cui Homini Aquila Ioannes, Vitulus Lucas, Leo Marcus primas cedunt: caput enim super cunctos Euangelistas extollit. 42. Barrad.

Ecclesiasticus scripsit : *Est Homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humanitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt eum.* Cap. 11. Quàm marcidus homo Matthæus, quàm imbecillis, egensque in telonio recuperatione! An non oculus Dei Saluatoris respexit eum in bono, ab humili Publicani munere erexit, & caput eius supra Euangelistarum vertices extulit : cunctorum plausu, & admiratione? Damianus serm. 50. *Euangelista Euangelistarum non immeritò Matthæus dici potest, qui dux, & præcessor, ac primus omnium reperitur. Vnde & in illius quadriga cælestis, quam vel Ioannes in Apocalypsi, vel Ezechiel in prophetica visione conspexit, figurâ, hic congruè potest, non modo currus, sed & auriga vocari.* Homo enim congruentius auium, ac animantium vocitatur auriga, qui vt præesset volucribus cæli, & animantibus terræ è puluere excitatus est.

43. *Homo Matthæus supra cunctos Euangelistas caput extollit.* Eccl. 11. Damian.

Ad Eliam Discipulus Elisæus, *Pater mi, currus Israel, & auriga eius.* 3. Reg. 17. Quare Elias currus & simul auriga vocitatur? Ambrosius lib. de Nabut. cap. 15. Cùm Elias curru quasi ad cælum ferretur, clamauit Elisæus : *Pater, agitator Israel, & eques eius. Hoc est, qui populum Domini bono ductu regebat, merito hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes*

44. *Est currus & auriga simul ; quia dux Euangelistarum.* 3 Reg. 17. Ambros.

Damianus.

Damianus, sicut de Eliâ dicitur, Matthæus etiam currus & auriga illius mystici Sacramenti meritò nuncupatur. Meritò quidem hos currus regendos, siue hunc currum accepit auriga quia ductor, scribendi Euangelij viam reliquis noui Testamenti Scriptoribus ostendit.

44. *Primum locū obtinet Matthæus inter Euangelicos scriptores.* Damia.

Damianus pulchrè planè hoc illustrandum argumentum instituit. *Matthæus* (inquit) *primum obtinet locum; Ioannes secundum: qui nimirum in Apostolico sunt culmine constituti; & in his, quæ scripserunt, non auditu dumtaxat; sed visu potius, & contactu sunt præsentialiter informati. Marcus autem & Lucas non sunt Apostoli; verumtamen præcipuorum Apostolorum, alter Petri, alter Pauli relationibus sunt edocti.*

45. *Prima est spiritualis ædificij columna.* Damian.

Id ex ædificationis similitudine Cardinalis exponit. *Summus*, ait, *Architectus, dum huius spiritualis Mundi, id est, Ecclesiæ, fabricam super quatuor columnas seu quatuor Euangelistas construxit: duas priores, & egregias altrinsecus ordinat, quibus omne surgentis machinæ pondus incumbat: duas autem minores in medio statuit.* Primam columnam affirmat Matthæum, *Matthæus primum obtinet locum, Ioannes vltimum, Lucas & Marcus meditullium sortiuntur.*

46. *Sicut Moyses inter Propheticas scriptores primum locū occupat: sic inter nostros Matthæus.* Damian.

Cur autem Matthæus, & non Ioannes, primum obtinet locum? Quia primus scripsisse constat Euangelium, reliquis Scriptoribus ducatum exhibendo. Primum inter veteris Testamenti Scriptores Moyses locum acquirit, quia primus calamū scripturus admouit. *Sicut Moyses* (addit Damianus) *Prophetis non absurdè præponitur, & omnibus, qui aliquid scripserunt in veteri Testamento: ita Matthæus omnes iure præcedit, qui scripsisse reperiuntur in nouo. Sicut ille primus nascentis Mundi texit originem; sic iste tanquam spiritualis cuiusdam Mūdi orientem primus scripsit Ecclesiæ nouitatem. Vnde Spiritu sancto calamum temperante, prouisum est, vt vterque non diuersum; sed vnum, idemque suis libris præmitterent initium: Liber generationis.*

47. *Vincit cunctos pristinos scriptores.* Damian.

Attamen victus prorsus à Matthæo Moses. Quia *illa generatio* (Damianus subiicit) quam Moyses scripsit, *filios protulit ira; ista*, quam Matthæus expressit, *filios parturit gratia. Moyses veterem Adam, atque terrenum, veterem Mundum, vetus digerit Testamentum. Matthæus vero pro veteribus noua, pro terrenis spiritualia, pro temporalibus introduxit æterna. Pro Adam siquidem Christum, pro lege veteri Euangelium, pro Mundo, seu terrà herbis, arboribusque florente, sanctam describit Ecclesiam, diuersa spiritualium fructuum victualia germinantem.* Vincens itaque Matthæus veteris Mundi scriptorem Mosem, cunctos pristinos Prophetas, scriptores omnes superauit.

48. *Supra cunctos legis nouæ Diuos ac caput Matthæus extollat.* Isa 55. Damian.

Parum, Matthæum suprà cunctos veteris & noui Testamenti Scriptores caput tollere, si Hominem hunc totius Ecclesiæ aurigam, omnium Sanctorum nouæ Ecclesiæ Ducem meritò vocitârim. Isaias ait, *Ecce testem populis dedi eum, ducem & præceptorem. Gentibus.* Cap. 55. Ecclesiæ nouæ ex gentibus Matthæus iure Magister & Ductor appellatur. Audi Cardinalis elegantem sententiam. *Inter omnes planè sanctos, qui cælesti gloria, de triumphato Mundo, victoriæ titulos intulerunt, Matthæus mihi videtur insignis, & quendam inter eos dignitatis obtinere primatum: atque, vt clarius dicam, nemo post Christum est, cui magis debeat sancta vniuersalis Ecclesia. Nam quod Mundus viuit, hæc est causa, quia lux nobis Euangelica coruscauit. Cōstat autem quia primus omnium Matthæus Hebraico stylo Euangelium scripsit. Quia igitur ad Euangelium scribendum primus iste prorupit, scribendi cæteris Euangelistis viam præcessor aperuit, & tanquam dux vexillum sequentibus prætulit. Illi ergo debemus Euangelium, quem Euangelicæ narrationis constat prætulisse principium. Et quem aliorum nouimus primum, non ambigimus inter eos cuiusdam priuilegij tenere primatum.*

49. *Dux Matthæus non solum scribendo, sed operādo; viuum enim obiecit Euangelium.* Damian.

An putas solùm Ducem existere Matthæum, quia primum Euangelium scripsit? Certè meritò & Dux appellatur, quia scriptis tradita sic custodiuit documenta, vt quasi illius vita fuerit quoddam operibus scriptum Euangelium. Vnde non solum sequendus a nobis, quia primus scripsit; sed quia primus scribens, & calamo & opere se se exhibuit spiritualis ducem itineris. Vnde concludit Damianus, *Hunc ducem nos sequamur* (qui Dux fuit *Euangelica præcepta seruando*, & non solùm scribendo.) *Hunc ad vitam sequamur, itineri prauium huius salutiferum imitemur exemplum, qui mox vt vocantis se Saluatoris audiuit imperium, non cunctatus est, non sua disponendi quæsiuit inducias, non amicorum petenda consilia; sed illicò diuitias spreuit, necessarios abdicauit, carnalium affectuum nexus abrupit: sicque solutus, post Christi vestigia lætus & impiger properauit, & tanquam post naufragium delatus in portum, diuinum illud celeuma cantauit: Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

50. *Primū Euāgelium miracula excitabat.*

Ad hæc, in Euangelij Matthæi commendationem subiiciam quod Antoninus p. 1. tit. 6. cap. 13. adnotauit. *Apostolus, & Euangelista primus fuit ad Euangelium scribendum Et beatus Barnabas discurrens ad prædicandum, & secum illud deferens originale, vel transumptum, ponens illud super infirmos, multos sanauit.* An Euangelio Matthæi, quod primum scriptum medica huiusmodi indita virtus? Illud scio, primas Diuorum, ad aliquam virtutem nouam instituendam actiones, mirabiliter spirituali conferre valetudini. Hinc excito ad nouas virtutis colendæ adinuentiones, ex. grat.

Confessionis generalis, Quadraginta horarum, quæ & huiusmodi alia cælesti spiritu excogitata ad proximorum salutem, mirabiliter debent commendari.

* * *

Obsera

Observatio VI.

Ad illa verba:

Sequere me. At ille surgens sequutus est eum.

Matthæus donum festinationis à Deo accipiens, nos edocet pœnitentiæ promptitudinem.

Aduoto cælestem vocem festinanter executioni esse tradendam.

51. Damian. MEritò Matthæi surgentis illicò promptitudo à Patribus commendatur. Aiebat proximè Damianus, serm. 50. *Mox vt vocatus ſo Saluatoris audiuit imperium, non cunctatus est, non sua disponendi quæsiuit inducias.*

52. *Vicit Matthæi promptitudo Abrahami obedientiam.* Obedientissimus Abraham ad vnam Dei vocem filium accipit offerendum. Nescio an laudabilius Matthæus ad vnam Christi vocem se se immolaturus exurgit. Abraham enim iam Domini familiaris, omnipotentiæ illius viderat documenta. Matthæus autem nec familiaritate adhuc initâ, nec miris aspectatis, vnicæ paruit vocationi. Laurentius Iustin. serm. de D. Matth. *Erat Matthæus Publicanus, & turpis lucri publicè negotijs intentus, alienus à fide, & à sanctorum segregatus consortio, temporalia quærens, paruique pendens cælestia. Hic vtique talis gratis vocatus à Christo, audiuit; sequere me; signa non viderat, salutis non intellexerat monita, nec familiaris Christo extiterat; & tamen ad vnam vocantis vocem corde compunctus, mente mutatus, irradiatus fide, atque charitatis transfixus iaculo, repentè relictis pecunijs, familiâ, possessionibus, ac seipso, Præceptoris obediuit imperio.* (Iustin.)

53. *Curauit Deo impendi hodiernum tempus, quod Diabolus sibi furari cupit.* Hodiernum curauit Matthæus Deo libare tempus, quod sibi offerri Diabolus tam anxiè cupit. Basilius homil. 23. de exhort. ad Baptism. *Serpens est Diabolus & ad decipiendum argutus. Intelligit, quemadmodum nos præsens tempus libenter recipimus, omnisque actio humana in præsens contendit, atque aspectat. Quamobrem hodiernum tempus nobis furatur astutè, & spem facit crastini. Postquam crastinum venerit, rursum malus divisor sibi hodiernum, crastinum verò Deo dari petit. Sic continuò diem de die trahens voluptate præsenti, & spe frugis, nostram subducit latenter vitam. Coruus est in superliminari: Cras, cras* ore proferens, dum Deus *Hodie Hodie* pronunciat. *Hodie* (ait Dauid) *si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psalm. 94. Vbi Basilius. *Dominus Diaboli occurrens insidijs, ait: Hodie si vocem. &c. Diabolus verò ait: Mihi Hodie, cras Deo. Dominus contra: Hodie vocem meam audite.*

54. *Christum Matthæus per ardua incedentem illicò secutus est.* Matthæus coruinam è mediis diuitiis, Diaboli egredientem vocem *Cras, cras* explosit; cœlestem vocem *Hodie* amplexus est, ac illicò exurgens Christum aspera paupertatis viâ incedentem est secutus. Augustinus ad Psalm. 36. *Per dura Christus ambulauit; sed magna promisit: sequere, noli tantum attendere quà iturus; sed etiam quò venturus sis. Tolerabis dura temporalia; sed ad lætitiam peruenies sempiternam.* An cælestes diuitiæ promissæ Matthæo à Domino fuerint? Respondet Iustinianus vbi s. *Agnouit equidem in spiritu, quid egerat, quis vocaret, quantanè illi promitterentur in cælis. Minimè habita deserere valuisset, si horum caruisset notitiâ.* Probabilius tamen arbitror, quòd alij asseruere, scilicet, nihil ei Dominum tunc promisisse; sed solummodò eum aduocasse ad sui consortium. Petro, Andreæ, Iacobo, & Ioanni saltem augustiorem promittit expiscationem. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Quid mirum illos, *relictis retibus*, Dominum secutos? Mirabilis planè Matthæi sequela, nullo præmio exteriùs proposito. Habita deserere valuit, ac si diuitiæ cælestes fuissent ipsi sicut reliquis exteriùs promissæ. (August. Iustin.)

55. *Obedientia Matthæi minimè cunctans aut curiosa.* Cur vocatus, non saltem inquirit, quonam duceretur? Ne cunctans obedientia ostentaretur, dum curiositati studeret. Obedientissimum Matthæus euicit Isaacum quæritantem: *Ecce ignis, & ligna: Vbi est victima holocausti? Cui pater, Deus, inquit, prouidebit.* Genes. 22. Ad quæ Chrysostomus. *Simul atque audiuit Deum Abraha, nihil postea locutus est, nec ampliùs erat curiosus.* Imitatur Apostolus in hoc credentium patrem, pater ipse futurus Ecclesiæ, ne executionem currentis spiritûs retardaret. Lipomanus, *Sic verè credentes non inquirunt, quid sit, quod præcipitur, & quâ ratione? Abundè eis sufficit, quia sic Dominus voluit, sic mandauit.* Difficillimæ huius obedientiæ magistrum sese Matthæus obiicit, cum nondum Discipulatûs rationem iniuit. (Genes. Chrysost. Lipoman.)

56. *Matthæus donum festinationis specialissimè acceperat.* Proculdubio specialissimè Matthæus à Domino donatus exprimitur. Quid *Matthæus, donatus?* Strabo interprete. Quibusnam muneribus? Existimo ideo donatum vocitari, quia huiusmodi tam difficili festinatione ad sequendum Dominum, nullo præmio proposito, effulsit. Pulchrè Antoninus vbi sup. *Interpretatur Matthæus, Donum festinationis.* Edocet quidem Euangelista, festinanter Dominicam vocem auditam dandam executioni.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Ast ille surgens secutus est eum.

Matthæus ex diuitijs relictis expeditus Dominum sequitur.

Innuo diuitiarum ex auaritiâ grauedinem mox impedientem sequi Saluatorem.

57. *Impedit auri grauitas sequentium Iesum properationem.* VIdimus Matthæum non modò telonium, vbi (ex Chrysologi sententiâ) sedebat, diuitiarum pondere pressus: sed & vectigalium

Chryſol. galium rationes perſectas, non ſine graui incommodo reliquiſſe. *Relictis omnibus ſecutus eſt eum.* Chryſologus ſerm. 28. *Non dixit Dominus: Affer ad me pecunias tuas; ſequere me.* Quid ſi diuitias ſurgẽs adferret? Implicationem planè inuolueret ſurrectio, ambulatio, & diuitiarum aſportatio, quarum pondus obſtaret expeditioni. Et ſerm. 29. *Aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis. Naſcitur in terrâ profundâ, & dum ſuam repetit ad naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit, alta mentium in terra demergit.* Adiicit, *Aurum erogare, bonum; contemnere, validum: fugere, perſecurum.*

58. *Matthæus Homo generoſus diuitias Chriſtum ſecuturus cõtempſit. Num. 20. Philo.* *Vidit hominem:* Quàm appoſitè Homo; generoſus vtique, ac virilis animi Matthæus vocatur, qui tam facilè diuitiarum abdicauit ſtudium! Generoſus admodum olim Moſes oſtentatur per nuncios ad Regem Edon, inquiens: *Obſecramus, vt nobis tranſire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros.* Num. 20. Vbi Philo lib. Quod Deus ſit immutabi. *O promiſſionem generoſam, & magnificam! Ita-ne, obſecro, ſuperare, tranſcurrere, quidquid in terrâ bonum cenſetur, poteritis?* Quidnam quæſo difficilius, abſtinere ab agrorum fructibus, quibus per tranſitum frui liceret; an poſſeſſionem diuitiarum abdicare? Profectò Deum ſequutus generoſo animo Moſes; ſed generoſiori Matthæus, ſæcularis adhuc, ſpiritu præditus oſtentatur ſecuturus.

59. *Matthæus in telonio cæleſtiu oſtenditur tam generoſè abdicans diuitias vt Chriſtum ſequeretur. Philo.* Adiicit pulchrè Doctor tam generoſum Moſis animum contemplatus: *Nihil-ne veſtram properationem remorari poterit? Olympicæ cæleſtiſque animæ ſunt hæc tam ingentia facinora, quæ regione terreſtri tam relictâ, ad diuinarum naturarum ſubducta eſt conſuetudinem.* Si curſentes ad Dei imperium perficiendum non attingere agrorum fructus, nec eorum amœnitate retardari, indicat mentes cælicolas Deo addictas omninò: quis nón miretur Matthæum in ſæculo; imò in telonio conſtitutum, tam generoſe diuitias relinquere: quas poſſidebat? Quàm verè aſſerimus ex Ruperto, ſubitò illum à Domino vocatum, ſimul fuiſſe quaſi mutatum in Dominum.

60. *Matthæus appellatur cũ à Domino aſpicitur? Argumentũ euidens, illum ab auaritia animo receſſiſſe. Pſalm 15. Paulin.* Certè mutatum ex ipsâ Domini aſpectione fuiſſe adeò, vt ex auaro fuiſſet iam diuitiarum contemptor, indicatur, dum poſt aſpectum dicitur, Publicanum illum Matthæum appellatum: *Vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Nomen memorat Scriptura: Indicamentum euidens mihi iam ex aſpectu Matthæum contempſiſſe diuitias, quia Deus minimè nomina memorat auarorum. *Nec memor ero (ait) nominum illorum per labia mea.* Pſalm. 15. Ad quæ Paulinus Epiſt. 31. *Hæc ergo labia (Id eſt, duo Teſtamenta) pollui noluit nominibus impiorum diuina iuſtitia. Et idcirco nec illius diuitis nomen extat, cuius vanitas, & auaritia ſignificatur Luc. 12. Neque è Tartaro diuitis nomen inſigne eſt; quod non caſu prætermiſſum, edito pauperis nomine intelligimus Luc. 16.*

61. *Vt Matthæus Dominum ſequeretur, neceſſariò à diuitiis debebat abſcedere.* *Secutus eſt* Dominum Matthæus? Ergo ſeſe omninò à diuitiarum laqueis, à cupiditatibus auri & argenti expediuit. Agar vidit *poſteriora videntis ſe.* Geneſ. 16. Cur non abſolutè vidiſſe Dominum aſſeritur? Rupertus, *Quia terrena, & tranſitoria deſiderabat.* At Matthæus vocatur, vt nunquam non videntis ſe faciem videat; ſequi enim Dominum, idem eſt ac ipſum intueri. Nyſſenus in vita Moſis; *Docetur Moſes deſiderans Deum videre quomodo poteſt videri Deus. Sequi enim Deum corde ac animo ſemper quocunque ducat, id ipſum eſt, Deum videre.* Qui igitur Deum erat aſpectaturus, dum ſequeretur, debuit perfectiſſimè terrenis, & tranſitoriis renunciare.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Sequutus eſt eum.

Matthæus diuitias pauperibus reliquit totas, ineffabile ſibi acquirens gloriæ pondus.

Vbi eleemoſyna ſacra commendo, innuóque præcelſa bona præparata iis, qui abdicatis diuitiis, ineunt Religionis inſtitutum.

LVCAS ait, *Relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum.* Matthæus autem non dixit: *Relictis omnibus.* Modeſtiæ enim causâ abdicationem generoſam diuitiarum, quas pauperibus diſtribuit, ſuppreſſit. Metaphraſtes, *Toto auro, & argento, quod poſſidebat, pretioſam margaritam mercatus eſt.* Conteſtantur Barradius, & alij. Quàm prudens Matthæus ex impedimento, ſequentibus Chriſtum à diabolo addicto, alas fecit ad volatum! Chryſologus ſerm. 28. *Commutatio ſanè vna eſt,* (poſtquam deſcripſit diuitiarum cum ſequela Saluatoris repugnantiam) *ſi homo prudens aurum antè mittat ad cælum, quam mittatur ab illo vt ſtultus in Tartarum. Mittat per manum pauperis, quia quidquid propter Deum pauperi dederit, ad cælum tranſmittit.* Secum ferre impoſſibile, auaritiâ feruente, quia impedit poſt Chriſtum profectionem. Mittatur ergo *antè* per inopis manus ad Superos. 62. *Matthæus totum aurum & argentum pauperibus diſtribuit. Metaph. Barrad. Chryſol.*

Diues noſter amicos curauit de mammonâ iniquitatis efficere, vt æterna tabernacula comparaet, ſecutus quidem Chriſtum profantem: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16. Recipientur equidem, quia pauperibus Regni cælorum claues ſunt commiſſæ. Ideo pauperes elegit Chriſtus Apoſtolos, cæli clauicularios. Bernardus in declamat. *Quid niſi ſperarent ab his recipi, qui claues videntur habere?* Certè aperiunt pauperes, vt diues recipiat, quod erogatis diuitiis comparauit. 63. *Acquiſiuit ſibi amicos de mammona iniquitatis. Luc. 16. Bernard.*

O quàm appoſitè ait Metaphraſtes, Matthæũ auro & argento comparâſſe pretioſam margaritam! Cur non dixit: *Cælum mercatus eſt;* ſed *pretioſam margaritam?* Exiſtimo vt oſtendat *toto auro & argento* pretioſiſſimam, ſeu præcelſiſſimam, ineffabilémque ſibi gloriam acquiſiuiſſe. Diuitiarum particula cælum poteſt comparari? Quid Matthæus toto auro & argento pauperibus erogato? An non elargitioni potiùs aquæ 64. *Matthæus toto auro pretioſam ſeu præſtantem ſalutem ac gloriam acquiſiuit. ſi vel aqua frigida calice gloria comparatur.*

aquæ frigidæ cælum promittitur? *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Matth. 10. Cur *frigida* dixit? An quia gratior frigidus potus æstuanti? Certè quia faciliùs huiusmodi potus præparatur, & impenditur. Hieronymus, *Frigida, ait, aqua, non calida; ne in calidâ paupertatis ex penuriâ lignorum occasio quæreretur.* Ideo etiam non dixit: *Calicem vini; sed aquæ.* Caietanus, *Nam qui potum non vini, sed aquæ frigidæ, vt nullum sumptum faceret, dederit, non perdet mercedem suã.* Si merces elargientis frigidam, cœlum est, quàm ineffabilis Matthæi merces, qui *toto auro & argento, quod possidebat, margaritam mercatus est; pretiosam* planè, quia toto diuitiarum comparatam thesauro.

Hieron. — Caietan.

65. *Vnico conuiuio cælum mercatur Matthæus: quid toto auro, & argento?*

Excepit Christum Matthæus in domum suam, vt conuiuio apposito satiaret, singulari huic operi debitum æternitatis lautum conuiuium. *Veni in hortum meum, comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo; comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi:* En Dominicum apud cœlestem Paradisum iustis conuiuium æternùm præparatum. Et quibus operibus comparanda fælicitas? Profectò si semel Christus inops excipiatur; *Aperi mihi soror mea, amica mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. Vbi Paulinus Epist. 4. *Guttis noctis nostræ crines suos gaudet esse perfusos, quia ipsius refrigerium, & refectio est illa fidelium operatio, à quibus inopes confouentur.* Pauperi mihi conuiuium apponite, si æternum curatis inire conuiuium. *Comedite amici, & inebriamini charissimi.* Si ex Domino excepto hospitio, ac satiato semel Matthæus, ebrietatis æternæ conuiuium comparat, quotnam æternitatis gloriæ incrementa, *toto auro, & argento,* pauperibus erogato acquisiuit?

Cant. 5. — Paulin.

66. *Nutriens Christum & Discipulos pauperes, ad æternitatem Matthæus nutritur; quid toto auro, & argento pauperibus erogato? Leo.*

Aiebat D. Leo serm. 2. de Quadrag. postquam transfigurati Iesu æterna tabernacula exædificata obiiceret, postquam cælestis gloriæ describeret claritatem: *Delitia nostra sint opera pietatis, & in illos cibis, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur.* Et quinam sunt cibi, qui nos nutriunt ad æternitatem? *Lætemur* (adiicit) *in refectione pauperum, quos impendia nostra saturauerint.* Nam dum pauper comedit, quod appono, ego ad æternitatem enutrior. Matthæus Christum, Apostolosque conuiuio excepit, vnicoque pietatis illo opere ad æternitatem nutritus est; quid *toto auro, & argento* erogato? Quam immensum gloriæ pondus comparauit! Hinc lætitia afficiantur, qui Apostolorum imitatores, vt Christum sequerentur, ingentem mundialium vim diuitiarum reliquere pauperibus. Si non perdit mercedem suam poculi frigidi largitor, quænam merces ei, qui cuncta reliquit, erit præparata? quænam, toto Mundo relicto, Religionem ingressis.

Ant. de Escobar & Mend. Tom. IV.

OBSERVATIO IX.

Ad illa verba:

Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine.

Matthæus homo alatus, Angelum hominem ex virginitatis affectu aptiùs appellarim.

Vnde commendantur Virginum Christi sponsarum defensores, contra stultos tanto sacrilegio maculatos.

67. *Matthæus alatus homo, sine Angelus, virginitatis defensor.*

Recvrsv principij Panegyrim claudam. Barradius noster ait, *Homo autem ille, qui* (iuxta Ezechielem) *Matthæum significat, alas habet.* An quia ad cælum terrenis abdicatis auolauit? Respondeo ex D. Hypolito lib. de duodecim Apost. *Matthæus victima virginitatis.* Id testatur Baronius annot. Martyrol. 21. Sept. Quare autem victima virginitatis Matthæus appellatur? Certè & ob egregium ad puritatem affectum, Angelicum planè, & quia pro tuendâ virginitate Martyrio coronatur.

Barra. — Hypol. — Baron.

68. *Iphigeniam Christi sponsam defendit ab amante Rege, à quo Matthæus occiditur.*

Iphigenia Regis Egippi filia Deo, magistro Matthæo, conseruatur, quam cùm Hyrtacus Rex post Egippum sibi matrimonio illigari satageret, petiit ab Apostolo, vt matrimonium persuaderet ei inire, quam ad virginalis status cultum adduxerat. Dominicâ die populus congregatur, Rex adest coram Virgine, proclamante Matthæo: *Scitis adstantes,* (cum Antonino loquor p. 1. tit. 6. ca. 13.) *quod si quis seruorum, Regis sponsam vsurpare præsumeret, non solùm Regis indignationem; sed & mortem mereretur: non quia vxorem duxisse probaretur,* (Matrimonium enim sãctum) *sed quia Domini sui vxorem violare præsumeret. Ita etiã tu Rex, cum scias Iphigeniam æterno Regi Christo dedicatam, sponsam effectam, quomodo poteris Regis potentioris te rapere sponsam sine magnâ ira Dei vindictâ?* Attendant, quæso, stulti sanctimonialium amatores. Quid plura? *Misit autem Rex incredulus* (nam etiam incredulitate, quantumuis stultitiâ, laborat, qui huiusmodi voluptati studium impendit, nec saltem monitus recedit à crimine) *ministrum detestabilem ad perdẽdum Dei Apostolum. Quem, celebratâ Missâ, eleuatis in cælum manibus, iuxta altare, immisso à tergo gladio, occidit, & Martyrem consecrauit.*

Antonin.

69. *Post necem vicit Matthæus Sole puritatis nunquam non consistente, vt Reges impij debellentur.*

An victor Hyrtacus Matthæo interempto? Profectò castissimus virginitatis propugnator augustissimã sibi victoriam comparauit. Semper castissimo Apostolo vel sepulchro addicto victoria cedit. Celebris triumphus Iosue, qui Sole consistente, non vnũ, sed quinque Reges superauit. *Mortuus est Iosue famulus Domini, & sepelierunt eum in Tamnathsare.* Iudic. 2. Tamnathsare quidam *Solis effigiem* interpretantur, quam Hebræi tradunt impositã sepulchro Iosue, quia Solis cursus precibus eius steterat, cùm quinque Reges vicit, vt Abulensis quæst. 12. adnotauit. En Matthæum sepulchro exceptum; sed numquam

Iud c. 2. — Abulens.

quam non Reges ex castitatis affectu superantem. Sol est Apostoli puritas semper ex impudicis Regibus victoriam adferens. O Hyrtace crudelis existimas Matthæum gladio percussum victum coniacere? Sol puritatis illius adest, consistit in talium Regum ruinam.

Post mortem vicit Hyrtacum. Antonin.

70. Id ostendit Antoninus prosatus: *Hyrtacus ab inceptis non desistens, cùm nec per matronas, nec per Magos Iphigeniam ad cõsensum in sui coniugium inclinare valeret, totam domum eius nocte igne copioso vallauit, vt ipsam cum reliquis virginibus concremaret. Sed Apostolus apparens omnem illum ignem a domo Iphigenia excussit, & ad palatium Regis procedere iussit, qui omnia sua consumpsit, vix eo solo cum filio euadentibus;* Rege autem propriis post modum se manibus lethaliter vulnerante. En castissimos Iosue numquam non victor, semper Reges impudicos debellaturus!

Sol virginitatis propugnator Matthæus. Aldhelm.

71. D. Aldhelmus de laudibus virgin. *Virginitas est Sol, cælibatus lucerna.* Et Isidorus Pelus. Epist lib. 3. Epist. 35. *Soli enim eos, qui virginitatem; Luna autem eos qui continentiam amplexi sunt, comparare licet.* Profectò, Matthæus Solis obiicit orbi fulgorem, dum castissimus ipse, instar Iosue, exurgit virginitatis propugnator. Sol igitur apud eius sepulchrum rutilet in numquam victoriæ morituræ documentum.

An superarit Matthæus Ioannis Baptistæ Martyrij gloria. Aldhelm.

72. Matrimonij Baptista defensor aduersus Herodem Regem ad arenam prosiliit. Quàm commẽdabilis proclamat, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui!* Quàm commendabilior purissimo sanguine gladium purpurauit! An non commendabilior Matthæus pro tutandâ virginitate occisus? Aldhelmus asserit virginitatem sic à matrimonio distingui, ac lucem à tenebris. *Virginitas, Sol, coniugium tenebra.* Certè Matthæi illustriorem appellabo triumphũ, dum eum video pro tutandâ virginitate vulneratum. Nec non ob matrimonij defensionẽ, nisi quòd Ioannes dixit: *Non licet tibi habere vxorem fratris;* Matthæus autem: *Cùm scias ô Rex, Iphigeniam Christo Regi dedicatam sponsam, quomodò poteris tu Regis, potentioris te sponsam rapere?* Edisce commendatione dignum, qui pro tutãdâ virginum puritate, vel cum Principibus decertat. Persecutione afficeris, quia virginis Dei sponsæ iura seruanda procurâsti? immarcessibilem tibi texis coronam.

Ad illa verba:

Observatio X.

Vidit hominem sedentem, in telonio.

Matthæus matrimonium commendans, commendabiliorem asseruit Virginitatem.

Vbi Virginei seu cælibis status libertatem, nuptiarum vincula obijcimus.

73. ROGATVS à Rege Hyrtaco castissimus homo alatus, siue Angelus Matthæus, vt Iphigeniæ coniugium commendabile ostenderet, *Prædicans Apostolus* (Antonini verbis vtor) *diu de bonis Matrimonij tractauit. Quem Rex mirabiliter collaudauit, arbitratus conclusionem facturum, vt Iphigenia Hyrtaci coniugio assentiret, sed fefellit eum opinio sua. Nam post commendationem Matrimonij, subiunxit* pleniorem Virginitatis panegyridem.

Matthæus præponit Virginitatem coniugio. Antonin.

Turbas Dominus apud desertum hordeaceis panibus saturauit, ne deficerent: *Quia iam,* inquit, *triduò sustinent me.* At posteà Discipulos corpore suo, dulcissimâ spiritûs alimoniâ, refecit. *Caro mea verè est cibus.* Ioan. 6. Vbi Ambrosius coniugio illigatos, ait, hominibus pane hordeaceo satiatis signari; virginitatis autem cultores Discipulis exprimi, quibus Angelorum panis præparatur. Ex ore Hieronymi lib. adu. Iouin. ait: *Didicerat & ipse Ambrosius, quia Dominus Iesus alijs (nuptis) panem hordeaceum, ne in viâ deficerent: alijs virginibus, corpus suũ, vt ad Regnũ tenderent, demonstrauit. Coniugium ergo hordeo; virginitatem corpori Christi comparat.* Vt sit planè *frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Zach. 9. Paschasius, *Quoniam hic sanguis nihil magis diligit, quam in Christo virgines.* 74.

Coniugium hordeo, Virginitas Angelorum pani comparatur. Ioann. 6. Ambros. Hieron. Zach. 9. Paschas.

Adamus, ad se Euâ coniuge adductâ, clamauit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ. Propter quam relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.* Gen. 2. τò *os & caro* in Hebræo nescio quid sonant ligamiois, vt dicat Caietanus, *Quasi dicat: Ista vice incidi, seu illaqueatus sum: Ad significandum, quod vir illaqueatur laqueo coniugij, accipiendo vxorem.* Quid Paulus? *Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem.* 1. Cor. 7. Vbi Ambrosius: *Benè vinctus es, bona vincula nuptiarum; sed tamen vincula. Bonum coniugium; sed tamen à iugo tractum, & iugo Mundi.* 75.

Matrimonij vinculum, captiuitas est. Gen. 2. Caietan. 1. Cor. 7. Ambros.

At Virginitas *nescit esse captiua,* vti idem adnotat Ambrosius Epist. 7. & Cyprianus de bono pudic. *Virginitas quid aliud est, quàm soluta libertas,* Vtrumque complexus D. Adhelmus de laud. virginit. cap. 9. fatur. *Virginitas pax, cælibatus redemptio, coniugium captiuitas.* 76.

Virginitas, libertas. Ambros. Cyprian. Adhelm.

Obiicis virginem castam Christo sponso coniugem exhiberi. *Virginem castam* (ait Paulus) *exhibere Christo.* Ergo à laqueis ac compedibus minimè liberatur. De virginibus illud Isaiæ intelligunt interpretes: *Et filios aduenæ, qui adhærent Domino.* Cap. 56. In Hebræo apud Forer. *Ligantur, adstringuntur.* At non vt captiuitati molestæ addicantur; sed vt Soli Deo seruiant, solum Deum cogitent, vti Paulus ait: *Virgo cogitat, quæ Domini sunt,* 1. Corinth. 7. O captiuitas augustior libertate! 77.

Spiritualis coniugij vincula, solutio vera. Isaiæ 56. Forer. 1. Cor. 7

* * *

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Matthæi Conuiuium.

TEXTVS.

VERS. 10. ET factum est, & discumbente eo in domo, ecce multi Publicani; & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & Discipulis eius. 11. Et videntes Pharisæi dicebant Discipulis eius: Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? 12. At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. 13. Euntes autem, discite, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Apud domum Matthæi Christus, ac Discipuli eius conuiuio excipiuntur.

1. *Conuiuium parat Matthæus gratitudinis ergo.* ET *factum est, discumbente eo in domo, ecce multi, &c.*] Lucas autem ait, *Fecit illi conuiuium magnum Leui in domo suâ.* Vocatus nempe Matthæus ad Discipulatum, vocauit Dominum ad conuiuium, domum suam adduxit, epulóque splendido excepit. Quare instituit conuiuium? Victor (*Victor.*) Antioch. ad Marcum, *Vt ob vocationis beneficium gratum se declararet. In die ablactationis Isaac* magnum conuiuium Abraham apposuit. Matthæus verò, cùm à Mundi abstractus vberibus, melioribus labia admouit. *Meliora sunt vbera tua vino.* An in domo vectigalium siue telonio conuiuium paratum, vel in domo ipsius Matthæi? Cum Caietano & aliis existimo apud Matthæi ipsius domum Dominum exceptum conuiuio. (*Caietan.*) *Discumbente* (ait ille) *eo in domo, (ipsius Matthæi,) quo conuiuium illud parauit.*

2. *De Publicanorum infamia.* (*Caietan.*) *Ecce multi Publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius.*] *Publicani, idest,* (idem Caietanus inquit) *similes Matthæo, qui publicis vectigalibus, seu censibus Romanorum vacabant. Propterea enim infames erant apud Iudæos, tanquam ministri Gentilium in damnum populi fidelis; sicut modò ministri sæcularium Principum ad exigendum (attende) à Clericis infames habentur. Quoniam etiam exactioni vectigalium, & huiusmodi, communiter viri cupidi se immiscebant: & rara, etiam sint vectigalia omni ex parte licita.*

3. *Num distincti peccatores à Publicanis?* *Publicani, & peccatores.*] Num distincti hi peccatores à Publicanis? Existimo ipsos Publicanos peccatores vocari, quia à populo fideli Gentilibus Principibus vectigalia exigebant. Vnde particula *Et*, non distinguit peccatores à Publicanis; sed coniungit, vt sit sensus. Multi homines Publicani & peccatores *venientes discumbebant cum Iesu.* Probabile peccatores à Publicanis distinctos etiam conuiuio exceptos.

4. *Cur Christus in conuiuium peccatorum venerit?* Rogas, (vt τὸ *Cum Iesu* exponam) cur Christus in conuiuium peccatorum venerit? Quid cum nocentissimis Agno immaculato? Ex Patribus respondeo. Caietanus humilitati Iesu tribuit; (*Caietan.*) *Admiranda humilitas. Non dedignatur Iesus omni sanctitate maior ad propriam admittere mensam peccatores, & infames, & hoc publicè.* Humilitatem quidem miror; sed charitatem simul Domini commendo, se se peccatoribus edendum exhibentis, cùm apud illos manducare non dedignatur. Hieronymus (*Hieron.*): *Ibat Dominus ad conuiuium peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spirituales inuitatoribus suis praeberet cibos.* Theophylactus (*Theoph.*). *Non solùm Matthæum lucratus est Dominus; sed etiam alios Publicanos, quibus conuiuabatur, lucrari volebat. Nam propterea conuiuia illorum adit, vt ipsos attraheret.* Chrysologus serm. 30. *Venit ad conuiuium vita, vt faceret secum conuiuere morituros. Decumbit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam.* Chrysostomus (*Chrysost.*): *Nec disputando solùm aut ægrotos curando, aut inimicos redarguendo: verùm etiam comedendo, atque viuendo multos à vitijs ad virtutem reduxit, vt nos his doctores efficeret. Non enim tempus est, nec opus, ex quo non possimus vtilitatem subducere.* Rursum Chrysologus (*Chrysol.*) serm. 29. *Miraris, ô Iudæe, cur Christus misceatur conuiuio peccatorum, qui propter peccatores & nasci voluit, & non recusauit occidi? Oblatras, cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus suum sanguinem fudit? Et si vis nosse amplius, suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores; in se sententiam suam Iudex retorsit, vt amasse se peccatores proderet magis soluendo, quam donando.*

An fuerint Publicani hi à Matthæo inuitati. Chrysost.

5. An Peccatores hi Publicani non inuitati à Matthæo; sed ex occasione ipsius (amico illud instituente conuiuij) accesserunt? Puto Matth. ipsum iam conuersum, studentem conuersioni sociorum, illos inuitasse. Fauet Chrysostomus, *Concurrerunt ad Matthæum, quasi ad consortem artificij, multi Publicani, quos ille lætitiâ non paruâ, propter accessum Christi inuitauit, Domino ita disponente, qui omne genus curationis animosum exhibuit.*

Num Publicani venerint pœnitentes; an à mensa pœnituerint? Beda.

6. Ad quæstionem voco. An Publicani cum Christo discumbentes animi sint sanitatem consecuti, ne profunderetur tanta Iesu cum peccatoribus comedentis pietas? Patres affirmatiuè respondent. Beda. *Non dubitandum, quia Publicani & peccatores esse desierant, qui cum Iesu & Discipulis eius discumbebant. Nec si in peccatis perseuerare decernerent, ei qui sine peccato est, conuesci auderent.* Existimat Doctor iam gratiâ donatos Publicanos, cùm mensæ adhærescunt. Imo à Matthæo excitatos pœnituisse ibi asserit *Matthæus, qui Apostolus, & Doctor gentium erat futurus, in primâ suâ conuersione, peccantium post se gregem traxit ad salutem.* Chrysostomus: Publicani illi ab illicitis conuersi, iam meliora prosequebantur. Et Hieronymus: *Videbant Publicanum ad meliora conuersum, locum inuenisse pœnitentiæ: ob id etiam ipsi non desperant salutem. Neque verò in pristinis vitijs permanentes veniunt ad Iesum, sed pœnitentiam agentes.* Attamen credo pœnitentes illos non accessisse ad conuiuium; sed ideo inuitatos à Matthæo, vt ex benignitate colloquij Dominici pœniterent. Innuit Euthymius fatus: *Isti Publicani ex hoc conuertendi erant.*

Hieron.

---

§. II.

De Pharisæorum murmuratione.

Vndenam scandalo percussi Pharisæi? An quia Iesus cum Ethnicis pranderet? Tertul. Ioan.

7. *ET videntes Pharisæi, dicebant Discipulis eius: Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?*] Tertullianus innuit taxatum à Pharisæis Dominum, quòd Iudæus cum esset, Gentilium mensam non fugeret. Vel Samaritana miratur Iesum Iudæum à Gentili fœminâ potum expetere: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me petis,* &c. Ioan. 4. Ait ergo Doctor: *Si quis dubitat* (lib. de Pudic. cap. 9.) *Ethnicos fuisse Publicanos apud Iudæam vsurpatam iam pridem Pompeij manu, atque Luculli, legat Deuteron. Non erit vectigal pendens ex filijs Israel. Nec tam execrabile esset nomen Publicanorum apud Dominum, nisi extraneum, vendentium ipsis, cælo & terra, & maris transitus. Cæterùm nec notaretur Christus cum Iudæis communicans victum; sed cum Ethnicis, quorum mensam Iudaica disciplina depellit.* Eum Hieronymus Epistol. 146. ad Damas. refutat. *Admiror*, inquit, *Tertullianum hoc voluisse sentire, quod Publicani, qui cum Domino vescebantur, Ethnici fuerint. Quasi verò & Matthæus non ex circumcisione fuerit Publicanus. Aut cuiquam credibile possit videri, Dominum cum Ethnicis habuisse conuiuium; cùm id maximè caueret, ne legem soluere videretur.*

Hieron.

Iudæi illi Publicani, è Ethnici minime.

8. Qui assero Matthæum ex Iudæis fuisse, (nullum enim Christus Apostolum ex Ethnicis elegit) consequenter existimo Iudæos illos extitisse Publicanos. Petrus cum Ethnicis non conuescebatur, *timens Iudæos.* Christus-ne & Discipuli coram Iudæis conuiuio Ethnicorum magno immiscerentur? Verba Deuteronomij à Tertulliano citata Pamelius non reperit, sed apud LXX. Interpretes inueni. Quod quidem testimonium, aliquod tempus à vectigali immune respiciebat. Probatur enim 1. Regum 17. Iudæos tributa à Iudæo imposita soluisse. Nonne ei, qui gigantem occidisset, hoc inter alia præmium propositum legitur, *Domum patris eius faciet Rex absque tributo in Israel?* Alibi, *Constituit Salomon Ieroboam Præfectum super tributa vniuersa domus Ioseph*, 3. Regum 11. Plura alibi ad illud: *Licet censum dari Cæsari: annon?* in comment. de Tempore.

1. Reg. 17.

3. Reg. 11.

Quidnam Publicanus? Vlpia. Tull.

9. Quid *Publicanus?* Vlpianus Digest. lib. 39. tit. 4. de publ. & vectigal. lege 1. *A publico Publicani.* Et lege *Quanta, Publicani sunt qui publica vectigalia habent conducta.* Apud Romanos illi, clari quidem, Tullius pro Plantio, *Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipublicæ, Publicanorum ordine continetur.* Apud Iudæos autem male hoc hominum genus audiebat. Quare? Hieronymus *Publicani habebantur ab omnibus tamquam peccatores, quia talia officia vix sine peccato fieri possunt.* Iansenius cap. 13. *Quoniam huiusmodi hominibus in proclini fuit, vt & rapinâ peccare: ob id infame fuit apud Iudæos eorum nomen.* Alteram adijcit causam, *Neque solum ob illorum auaritiam, & iniustam extorsionem infame erat; sed etiam quod cum Romanorum vectigalia apud eos exigerent, tyrannidi inseruirent, quâ contra legem Dei se premi putabant.* Contestatur Baronius pag. 120. *Cur infamia nomine notati essent Publicani nulla alia subest causa, nisi quòd Iudæi, genus Abraham ex libera, liberos se esse profiterentur.*

Iansen.

Baron.

Taxatur ergo Dominus, quod cum famosis peccatoribus conuesceretur, non quod cũ Publicanis prandit. Barrad.

10. Igitur Pharisæi oblatrant: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Barradius, *Vero similius est, præter Publicanos alios quoque viros flagitijs notos ad conuiuium venisse.* Taxatur ergo Dominus non solum quòd cum Publicanis; sed cum peccatoribus famosis conuesceretur. Ego autem illi hærens expositioni, *peccatores* ad Publicanos referri, existimo murmurasse Pharisæos, quod Dominus cum Publicanis, qui peccatores erant, manducasset. Abulensis ita: *Quare cum Publicanis & peccatoribus, id est, qui sunt peccatores, manducat Magister vester?*

Abulens.

* * *

§. III.

§. III.

De Dominicâ ad quæstionem Pharisæorum solutione.

11. *Queisnam Dominus profateur.* Caietan.

AT *Iesus audiens ait. Non est opus valentibus medicus; sed malè habentibus.*] Queisnam Dominus profatetur? Pharisæis ne, an Discipulis, id ex Pharisæorum ore referentibus? Vtrumque probabile Caietanus reputat. At Iesus audiens, ait, (deest, *illis*) siue Discipulis referentibus, siue per se ipsum audierit Pharisæos impingentes ei crimen, tamquam indignum Magistrum sequantur, qui, cum Publicanis, & peccatoribus manducat. *Intendebant* (adducit) *Pharisæi non solum reprehendere Christum; sed etiam auertere Discipulos ab eo.* Arbitror, verosimilius ipsis Pharisæis, & Scribis à se auditis Dominum respondisse. Nec enim Discipulis tot verbis aperiret, quod ipsi experti minimè ignorarent.

12. *Ægrotos Iesus requirebat sanitate donandos.* Chrysost.

Medicus, inquit, sum animorum; hi autem (uti vos profitemini) sunt animis ægrotantes; his ergo mea adnata medicamina, hos meæ sanitatis præscripta requirunt. Chrysostom. hom 31. *Hoc sanè bonum Medicum decent, qui nisi laborantium putredinem ferat, non potest eos doloribus liberare.* Valentibus, sanis, medicus non est opus; sed morbo laborantibus. Addit opus hoc misericordiæ, legis sacrificia superare, quæ Iudæi magnificabant.

13. *Locus Oseæ expenditur.*

Euntes discite, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Ac si diceret, Ite, & discite, quid Oseas cap. 6. his verbis, significet. Repetietis planè misericordiæ opera, (quale, Publicanis peccatoribus medicamina adhibere) ipsis sacrificiis esse præstantiora. Caietanus, Postquam ex officio Medici primam rationem petierit Dominus ad confutandum Pharisæos, secundam adhibet *ex diuina voluntate præferente misericordiæ opera sacrificiis. Affert si quidem testimonium ex cap. 6. Oseæ. Vt intelligant Pharisæi opus hoc misericordiæ, quod exerceo, alliciendo peccatores ad Deum, esse maius sacrificio.* Tertiam inferiùs causam dat. Non quidem Christus sacrificium reprobat; sed sacrificio præfert misericordiam. Chaldæus sic vertit Oseæ locum; *In hoc, qui exercent misericordiam, voluntas coram me est magis quam sacrificia.* Augustinus lib. 20. cont. Faust. cap. 16. & lib. 10. de ciuit. cap. 5. *Misericordiam volo magis, quàm sacrificium.* Sic suam lectionem exponit. *Misericordia verum sacrificium sit, ac per hoc vbi scriptum est Misericordiam volo magis, quàm sacrificium, nihil aliud, quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi.*

Caietan.

August.

14. *Prima expositio reycitur.* Chrysost. Theoph.

Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.] Si Christus iustum Nathanaelem vocauit, quonammodo se iustos non vocare venisse affirmat? Chrysostomus, *Per ironiam* dictum existimat. Et Theophylactus, *Per ironiam dicit, Dominus: Non veni vocare iustos. Hoc est, vos ò Pharisæi, & Scribæ, qui iustificatis vos metipsos.* Hieronymus, Ambrosius, Rupertus, & Chrysologus, contestantur. Non venit ergo vocare iustos; id est, eos qui se iustos putant falsâ quadam iustitiâ, & Medico sibi opus non esse arbitrantur; sed peccatores, qui suam agnoscunt ægritudinem, & cupiunt sanitati restitui. Certè etiam ad hosce vocandos Christus venit; nam per vocationis gratiam à falsæ iustitiæ opinione depelluntur. Vnde hanc non admitto expositionem.

Hieronym. & alij.

15. *Approbatur sententia secunda.* Lyran. & alij.

Lyranus, D. Thomas, & Abulensis, loquitur, aiunt, medicus cælestis de vocatione ad curationem pœnitudinis. Nam, Lucas ait Dominum sic locutum: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam,* Et enim indigent vocatione ad pœnitentiam iuxta illud: *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Luc. 15. Vt sit sensus; Non veni ad vocandos sanos ad medicinâ; sed ægrotos.

Luc. 15.

16. *Tertiam probabiliorem expositionem sequor.* Rom. 3. Theoph.

Probabilius arbitror Dominum; omnes esse peccatores Adami filios asseruisse, vnde, non propter iustos; sed propter peccatores aduentârit, quia omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei. Rom. 3. Caietanus legit, *Et egent gratia Dei.* Theophylactus, *Non veni vocare iustos, inquit, nullos enim inuenio; quandoquidem omnes peccant. Quòd si possibile esset inuenire iustos, non venissem.* Augustinus serm. 9. de verb. Dom. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicina. Si venit de cælo magnus Medicus, magnus per Orbem terræ iacebat ægrotus. Non veni* igitur sensus sit) *vocare iustos* aliquos, quia omnes per se sunt peccatores. Caietanus ad hæc. *Insinuat Christus nullos iustos; sed omnes peccatores esse, ex eo enim, quòd ipse venit vocare omnes, & non venit vocare iustos, consequens est, quod nullus sit iustus.* Intellige nullum esse iustum sine Christi vocatione. Nisi enim Christus nos aduocet, infantes suo modo, suo etiam, ætate prouectos, nullus iustus aderit. Peccato enim saltem originis, qui vocatus non fuerit, sordescet.

Augustin.

Caietan.

In Matthæum

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

EX EVANGELISTÆ CONVIVIO

Observatio I.

Ad illa verba:

Et factum est, Discumbente eo in domo.

Matthæus gratitudinis ergò instituens Conuiuium, se ex alterâ vitâ hominem iam esse ostentauit.

Homines enim Mundi huiusce haud assolent se pro acceptis beneficijs gratos exhibere.

17. Victor. EX Victore Antioch. vidimus, Matthæum conuiuium Domino præparasse, *vt ob vocationis beneficium gratum se declararet.* Iam verè *homo alatus*, (vt vidimus) Euangelista ab Ezechiele aspicitur; qui enim studet beneficiorum retributioni, alterius homo sæculi ostentatur.

18. *Ex decem leprosis curatis solus alterius sæculi homo gratum se ostendit.* Luc. 17. Anselm. Decem leprosi à Domino sanitati restituuntur, & corpore & animo simul mundati, quorum vnus alienigena gratitudinis memor rediit ad benefactorem, fatum: *Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Luc. 17. Preme particulam, *Alienigena.* Solus ille gratiarum actionis studio incubuit. Mysticè exponit Anselmus, *Non inuenitur, qui post acceptam veniam recordetur diuinæ pietatis, & ei gratias deuoto corde rependens perseueret in bonis actibus, nisi alienigena, qui non sit ex filijs Babylonis terrenæ, sed ex filijs Ierusalem cælestis.* A leprâ auaritiæ mundatus Matthæus reddidit gratias redditurus, quia homo alatus alienigena erat, iam cælestis incola apparens.

19. *Vt simus grati, oportet à filijs huius sæculi filios effici alterius.* Coll. 3. Paulus aiebat, *Pax Christi exultet in cordibus vestris, in quâ & vocati estis in vno corpore: & grati estote.* Col. 3. Cur verba illa, *Grati estote* postposuit illis, *In quâ vocati estis in vno corpore?* Quia vt homo gratum se ostendat, opus est à sæculi huius humanitate fugere, induereque Dei quodammodò Diuinam humanitatem, vt homo alterius sæculi factus, gratiarum actioni studium impendat. Filius Dei effectus, gratus esto; nec enim prouidet, post gratiam acceptam, gratitudini, *nisi qui non sit ex filijs terrenæ Babylonis, sed ex filijs Ierusalem cælestis.*

Anselm.

Ex filijs, inquit, *Ierusalem cælestis.* Id est, ex 20.
sæculo futuro. Hoc enim sæculum fillos *Filios parit*
parit ingratos. *Surrexit olim Rex nouus su-* *ingratos hoc*
per Ægyptum, qui ignorabat Ioseph. Exod. 1. *sæculum.* Exod. 1.
Benefactorem ignorabat? Haud ei se ob pristina beneficia Regno facta gratum exhibebat? Filius planè se huius sæculi præstabat contemplandum. Pulchrè Lipomanus. Lipom. *In hoc Rege, qui non nouerat Ioseph, id est, beneficia, quæ Ioseph contulerat in Ægyptios, obseruandi veniunt mores huius sæculi, in quo maxima inuenitur hominum ingratitudo. In rebus enim humanis ferè fieri solet, quod Pindarus ait: Vetus beneficium obliuioni, & quasi somno traditur.* 21.

Alterum sæculum filios gratos parit. Gen. 29. Sæculum autem alterum non parit ingratos. Ideò Ierusalem cælestis filij solummodò gratiis reddendis student. *Quartò concepit* Lia, *& peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino. Et ob hoc vocauit eum Iudam, cessauitque parere.* Gen 29. Lia certè mater huius sæculi pepererat Ruben, Simonem, & Leui. At pariens quartum, scilicet Iudam, qui *benedicens Deum* interpretatur, cessauit à partu mundiali, Mater cælestis effecta. Philo de plantat. Noë. Philo. *Ergo Iudas intellectus benedicens Deum, & gratiarum actionis hymnos indesinenter meditans, ipse vererâ sanctus, seu cœlestis fructus erat; non è terrenis natus arboribus, sed è naturâ bonâ,* id est cœlesti. Ac si diceret, Iudas dum se gratum præstat, seu dum grati gerit imaginem, se ostentat cælestem filium; vnde connotat cælestem parentem. Ideo dum parit gratum filium, se ostentat iam cælestem, quæ filios terrenos haud parit ingratos: *Cessauitque parere. Quamobrem natura, quæ eum peperit* (adiicit Doctor) *dicitur destitisse parere, iam ad perfectionis progressa terminos.* Quasi enim mater cælestis dicitur, Ierosolyma superior effecta cum Iudam, seu gratum hominem peperisset. O Matthæe supernæ Ierosolymæ filios ad tuum conuiuium peccatores adductos edoce gratitudinem.

* * *

Obser

Observatio II.

Ad illa verba:

Et factum est, discumbente eo in domo.

Spiritualis Conuiuij à Matthæo appositi Domino, apparatum describo.

Ostendens, vnicum virtutis aut vitij actum posse ex intensione, ac circumstantiis multum increscere.

22. Ioan. 4. NON dubium quin diues Publicanorum Præpositus epularum corporis lautum conuiuium apposuisset. At cum Dominus alio cibo augustiori pasceretur, iuxta illud: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Ioan. 4. abundans admodum etiam spiritualium epularum ei conuiuium præparauit. Mensæ hæret Dominus, vt Matthæi virtutibus iam germinantibus vesceretur. Chrysol. Chrysologus serm. 29. *Discumbebat Iesus, plus in Matthæi mente, quàm stigmate: & epulabatur non cibis; sed reditu peccatoris.*

23. *Iesus pascitur nouellarum virtutum Matthæi floribus.* Cant. 2. Bernard. Agnus quidem cælestis Euangelistæ nouellis virtutibus veluti germinantibus floribus pascebatur. *Qui pascitur inter lilia.* Cant. 2. Vbi Bernardus, serm. 72. in Cant. *Fortassè hoc est; quod sponsus dicitur pasci inter lilia candida, & odore virtutum delectari, & familiaritatem habere cum puris animabus, pudicisque corporibus.* Talia ne prima Matthæi germina? Quid cum fructus vberrimos germinabit?

24. *Pascitur virtutum erumpentium graminibus.* Iob. 39. Greg. Deus sic ex Iobi ore de onagro proclamat: *Circumspicit montes pascua sua, & virentia quæque perquirit.* Cap. 39 Gregorius; *Mons quidam Matthæus fuerat, quando in teloniy lucris tumebat. De quo scriptum est, quia postquam credidit, inuitato in domum suam Domino, conuiuium magnum fecit. Mons itaque iste huic onagro virentes pascua herbas protulit: quia foris eum conuiuio, & intus epulis virtutum pauit.* Preme illud: *Virentes pascua herbas protulit.* Quid cum tanta spes expendatur in fructus: si herbis, si floribus, si nouellis virtutibus Dominum satiauit?

25. *Præparatio huius conuiuij regalis.* Luc. 5. Rupert. Certè magnum conuiuium extitit, licet solummodo flores Agno, gramina nouellarum virtutum onagro apponerentur. Lucas. *Et fecit conuiuium magnum Leui in domo sua.* Cap. 5. Rupertus lib. 4. de oper. Spir. sanct. cap. 14. *Conuiuium ergo fecit ei, & magnum, nimirum, quasi conuiuium Regis.* An Regis conuiuium præparatur, nisi misceatur merum, victimæ iugulentur, aptentur altilia? Matthæus vel nouellæ virtutis epulis Regiũ ostentat apparatum.

26. *Totus apparatus conuiuij fuit affectus conuersionis.* Ambros. Illum describe. Totus apparatus conuiuij huius fuit ineffabilis affectus, quo credidit. Ambrosius pulchrè. *Conuiuij magni Matthæus exhibet apparatum. Qui enim domicilio Iesum excepit interno, maximis delectationibus exuberantium pascit eum voluptatum.* Iam exponit apparatus tanti gloriam. *Itaque Dominus libenter ingreditur, & in eius qui credidit, recumbit affectu.* Solus-ne affectus vnius credulitatis tam augustum potuit conuiuij apparatum expendere? Quid cùm totius ferculi spirituales epulæ, totius vitæ decursu proponantur? Inferiùs expendam.

Quid, si ad tot Publicanorum & peccatorum credulitatem ille sese extendit affectus? Quam inde suaues Regi cælesti epulæ præparatæ? Chrysostomus, *Concurrunt quasi ad consortium multi Publicani, quos Matthæus lætitiâ non paruâ, propter accessum Christi inuitauit.* Beda ex monitu Matthæi iam meliori mente præditos asserit. *Non dubitandum, quia Publicani & peccatores esse desinerant, qui cum Iesu discumbebant.* Petrus Damian. *Publicanus iste ad misericordia fontem peccatoribus se exhibuit præuium.* Et Hilarius; *Hic enim idem Euãgelij scriptor, & de peccati sui domo exiens, Dominum ipse suscepit, interiore eius habitatione illuminatus. Intra quam Euangelicis cibis peccatoribus, & Publicanis conuiuium diuite copiâ præparat.* Vt scilicet propriæ conuersionis floribus, & nouellæ etiam Publicanorum fidei gramine Agnum satiaret. 27. *Extenditur affectus hic ad adducendos alios peccatores ad Christum.* Chrysost. Beda. Damian.

Magnitudinem affectùs huiusce conuersionis pondero. Non curauit, iuxta probabilem sententiam, rationibus vectigalium prouidere, ingenti inde sibi exurgente incommodo. Beda, *Perfectam nouæ abrenunciationis sæculi formam tribuens, non solum lucra reliquit vectigalium; sed & periculum contempsit; quod euenire poterat à Principibus sæculi, quia vectigalium rationes incompositas reliquerit. Tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, vt in nullum prorsus huius vitæ respectum, vel cogitationem sibimet reseruauerit.* 28. *Perfectam normam abrenunciandi sæculo nos docet nouellus Matthæi affectus.* Beda.

Porrò ingens Matthæi affectus in ipso materiali conuiuio annotatur. Abulensis quæst. 48. in cap. 9. Matth. *Factum fuit conuiuium, vt ostenderet Matthæus Christo magnum gaudium animi sui. Conuiuia enim & iucunditates fieri solent pro rebus prosperè gestis: Matthæus magnum conuiuium fecit, vt ostenderet se maiori iucunditate huius sæculi diuitias deserere: quam alius eas assequeretur.* Vocatus Elisæus, vt Eliæ Discipulus adhæresceret, à sæculo abstractus, vt affectûs sui magnitudinem ostenderet, *tulit par boum* (totam suæ domus suppellectilem) *& mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt, consurgénsque abijt, & secutus est Eliam.* 3. Reg. 19. Vt ostenderet Matthæus affectûs sui præstantiam, diuitias suas magnum expendit in conuiuium & Christo, & Discipulis, & Publicanorum turbæ appositum. Pulchrè Abulensis, *Dicendum, quòd factum fuit Eli conuiuium iuxta consuetudinem antiquorum Patrum. Quia illi quando relinquebant sæculum, vt se transferrent ad prophetandum, faciebant magna conuiuia, sic fuit de Eliseo, quando vocatus fuit ab Elia; nam occidit par boum, in quo arabat, & aratra cremauit, & coxit carnes, deditque populo.* 29. *Dinoscitur huius affectus præstantia in ipso materiali conuiuio.* Abul. Abul. 3. Reg. 19.

An Matthæi affectus vicerit affectum Elisæi? Certè huius affectus ad cunctas diuitias, quas habebat, extenditur, dum totam suppellectilem Domino, conuiuio magno apposito, consecrauit. At affectus illius ad ingentiorem diuitia- 30. *Vicit-ne affectum Matthæi Elisei bones mactantis affectum?*

 tum

expono. Vnicus Matthæi affectus pœnitentiæ, ac sequelæ Domini, tam ingeniosâ intellectus operatione adeò increscere potuit, vt in magnum cederet conuiuium? Retributio Domini seu gratia, quæ illi affectui respondebat, adeò ex intellectus Dominici operatione increuit, vt in regale Deo dignum inuitatore cederet epulū.

37. *Ex vnico conuersionis affectu quam perfectus Matthæus?* Strab.

Hinc asseruerim Matthæum ex solâ vnicæ retributionis gratiâ tam sanctum extitisse, ipso conuersionis die, vt perfectus quodammodò posset vocitari. Asserit Metaphrastes Leui nomē eâ ipsâ vocationis die in Matthæum nomen mutatum. Quid Matthæus? Strabus, *Matthæus Hebraicè Donatus.* Ipsâ ergo die conuersionis Apostolus *Donatus* appellatur, quia ex vnico affectu tantam gratiam accepit, vt ex vberantiâ spiritualium charismatum eam gratiam comitantium verè Matthæus, siue Donatus vocitaretur. *Sic Leui* (ait Doctor) *moribus mirabiliter mutatus, appellationem quoque mutauit in Matthæum adeo, vt etiam postea in domo accumbente Iesu, simul etiam cum eo accumberet Matthæus.* Ac si diceret, Moribus Leui conuersionis die, & meritis ex gratiâ Dominicâ respondebat adeo Matthæi nomen, (quod est donatus, vt cœnam ipso Domino parante, simul Matthæus apponentis Domini cœnâ poti-retur; quia tantâ gratiâ, dignum à Rege cœlesti epulum præparatum.

Metaph.

38. *Boanerges Iacobus & Ioannes vocantur post multum à conuersione tempus, quia zelus ille non nouitiorum, sed prouectum requirebat. Matthæus autem ipso conuersionis die perfectus inuenitur quodammodo.* Luc. 9. Ambros.

Iacobum & Ioannem Christus vocauit Boanerges *Et imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui.* Marc. 3. An ipso conuersionis die? Minimè; sed post non paruum temporis interstitium. Quid filios tonitrui esse? Feruore succendi, zelo deferri in Dei reuerentiam tuendam. *Cùm vidissent autem Discipuli eius, Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, vis, dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Luc. 9. Vbi Ambrosius lib. 7. in Luc. *Et benè præsumunt, quia ad sermonem suum ignis de cælo descenderet, quoniam filij sunt tonitrui.* Rogas, cur ipso conuersionis die Ioannes & Iacobus tonitrui filij non appellantur? Quia eo munere affici non erat nouitij feruoris; sed spiritus consuetudine & conuersatione Domini promouendi. At *Matthæus* ipso die conuersionis vocatur Apostolus; quia esse donatum ineffabilis gratiæ vi, nouello illi feruentissimo affectui congruebat.

39. *Petrus vocatus est Apostolorū vertex post temporis longum interstitium non ipso conuersionis die, secus Matthæus: & quare?* Ioan. Cyril. Chrysost. Hilar.

Vel ipse Apostolorum vertex à Domino audiuit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioan. 1. An tum Simonis nomen fuerit in Petrum commutatum? τὸ *Vocaberis* innuit non factam nominis mutationem; sed promissionem immutandi expressam fuisse. Sic Cyrillus lib. 2. cap. 12. & Chrysostomus hom. 18. Quando promissio impleta? Marcus ait, *Et fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare. Et dedit eis potestatem curandi infirmitates, & imposuit Simoni nomen Petrus.* Cap. 3. Affirmat autem Hilarius mutatum Simonis nomen, cum ei Dominus profatus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* An non conuenientius Simon futurus Ecclesiæ summus Præsul, ipso conuersionis die Petrus appellaretur? Porrò non omnibus datum à Deo id munus, vt conuersionis die gesta exprimant nomini præcelso conuenientia. Petrus non fortis & stabilis adeò, cùm vocatus, relictis retibus, sequitur Dominum, vt Petrus appellari valeat, quod stabilem petram significat. At Matthæus talis conuersionis die ex cælesti dono, (nam & ipsum nomen *Donatus* significat) obiicitur, vt nomen ei debeat Dominus quodammodo commutare, vt rebus nomina possint conuenire.

40. *Matthæus conuersionis die quodammodo supremam Petri professionem superare videbatur.* Ioan. 21. Metaph.

Quid mirum, si conuersionis die obtineat à Domino quod multo post tempore Petrus est assecutus? Dominus Præsuli summo: *Cum senueris, alius cinget te.* Ioan. 21. id est, Cruci suffixus ad superos plenus meritis auolabis. Quid si Matthæi primo affectui conuersionis Crux debeatur? Metaphrastes pulchrè. *Hinc crucifigitur quidem conuersus ad Dominum Matthæus vniuerso mundo, crucifigitur etiam mundanis omnibus cupiditatibus, Soli Deo viuens, & eius sequens vestigia.* Huiusmodi muneribus donatus ipso conuersionis die, (asserit) quam magno fuerit à Domino conuiuio exceptus. *Magnum* (ait Rupertus) *Domino Iesu Matthæus fecit conuiuium; & magna verè secundum nomen suum gratia donatus est.* Vt magno à Matthæo Domino apposito conuiuio, magnum à Domino appositum Matthæo conuiuium responderet. Edisce nunquam te epulum Deo præparare in egeno; quin conuiuio augustiori à Domino excipiaris.

Rupert.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et factum est, discumbente eo in domo.

Conuiuij à Matthæo ex sanctitudinis præstantia Domino totius vitæ decursu appositi gloriam expendo.

Vbi Humilitatis, ac Gratitudinis diuinitatem innuo: ostendóque etiam tultum semper affectui pœnitudinis debere operam expedire.

41. Porrecto regale Matthæi conuiuium haud vnica die terminatur. Assueri enim Regis supra morem, Deo, cunctæque Ecclesiæ sāctitudinis apponit epulum nunquam terminandum. Gratia illa ineffabilis, qua donatus Matthæus ipso conuersionis articulo, mitis obiicitur stipata incrementis.

42. *Videtur Matthæus cunctis Apostolis quodā priuilegio præfulgere.* Beda.

Pulchrè Beda. *Qualis Matthæus factus sit. Apostolorum numerus, cui insertus est,* (an primus numerus; an secundus? an tertius, &c.) *docet ipsum Euangelium, in quo scribendo noui Testamenti consecrauit exordium, cui speciali priuilegio donatum est, vt Dominicæ incarnationis mysteria, quæ cuncti à sæculo Prophetæ futura præcinebant, ipse primus omnium iam facta descripserit, & credentibus legenda transmiserit.* Ac si diceret. Qui præ cunctis electus, vt incarnationis mysterium mundo iam factum reuelaret specialissimo præ cæteris A[illegible]

P[illegible]

priuilegio mirificè illum exaltante fulget. *Qualis sit Matthæus Apostolorum numerus.*

43. *Matthæi mira humilitas.* Age; ex sanctitatis gestis edisces, an possit Ecclesiæ vertex appellari. Ex humilitate virtutum fundamine exordior. Lucas & Marcus Publicanum nostrum non Matthæum; sed Leui appellant, Publicanique vocabulum, reticere satagunt. At Matthæum Publicanum se ipse Euangelista esse fatetur. Adnotat Strabus, (Strab.) *Cæteri Euangelistæ propter verecundiam non vocant eum vulgato nomine; sed Leui. Ipse autem Publicanum se nominat; ne quis à salute desperet. Et vocationem prætermissam hic videtur, expresso Matthæi nomine, recordari.* (Marc. 3.) Marcus item sic Apostolorum catalogum perficit: *Petrus, Iacobus Zebedæi, Ioannes frater Iacobi, Andreas, & Philippus, & Bartholomæus, & Matthæus, & Thomas.* Cap. 3. (Luc. 6.) Lucas autem sic: *Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius: Iacobum, & Ioannem: Philippum, & Bartholomæum: Matthæum, & Thomam.* Cap. 6. At Matthæus in hunc morem describit: *Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius: Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius: Philippus, & Bartholomæus: Thomas, & Matthæus Publicanus.* (Matth. 10.) Cap. 10. Alij Euangelistæ Thomæ compati Matthæum præposuerunt; ipse autem studiosus humilitatis Thomam sibi præposuit, addens Publicani nomen infame. (Glossa.) Glossa Ordin. *Matthæus compari suo in ordine, causâ humilitatis, se supponit, cùm à reliquis Euangelistis prælatus sit.*

44. *Matthæus semper de turpi munere pœnitentiam gessit.* Illam particulam preme: *Et Matthæus Publicanus.* Se Publicanum semper profitetur, vt semper se de turpi lucro pœnitentiam gerere innuat, cum Tribu Ephraim Domino locutus: *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum, confusus sum, & erubui; quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* (Ierem. 31.) Ierem. 31. Ab illis recole: *Quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ, percussi fœmur, erubui, &c.* Ac si diceret Matthæus: Nunquam non me Publicanum profiteor, vt pœnitudinis inde increscat affectus. (Bonau.) Bonauenturæ paraphrasim audite. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam. In quo notantur duo: vnum ex parte Dei, alterum ex parte Matthæi. Ostenditur primò diuina clementia, Publicanum in Apostolum conuertendo. Secundò notatur Apostoli iustitia, seipsum acriter puniendo. Fortem ille pœnitentiam egit.* Nec vnquam se à telonei crimine satis æstimat emundatum, dum se Publicanum semper appellat.

45. *Prima Matthæi pœnitudo, seu pœnitudinis inchoatio, ineffabilibus gratiæ incrementis ornata fuit.* Profectò prima Matthæi pœnitudo ineffabilibus fuit gratiæ donata incrementis. (Chrysol.) Chrysologus serm. 30. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Deterius sedebat in telonio, quàm paralyticus iacebat in lecto: quia ille carnis patiebatur paralysim; iste mentis.* Sed post pœnitentiæ primæuæ actum, *mox Apostolatûs praditus dignitate, non solum ipse accepit; sed aliis indulgentiam tribuit peccatorum.* Si primo pœnitudinis actui tanta gratia respondit; quid interminabilis postea pœnitentiæ responderet affectui?

46. *Se peccatorem semper æsti-* Vt tot gratiæ ex pœnitentiæ lacrymis donaretur incrementis, donatus fuit Matthæus huiusmodi apprehensione: Animum gero Publicanum, semper leoninæ rapacitati studeo. *Habitabit* (ait Isaias) *lupus cum agno, pardus cum hædo accubabit: vitulus & Leo, & ouis simul morabuntur.* *mabat, vt nunquam ad pristinas sordes redire.* Cap. 11. (Isai. 11.) Vbi Hieronymus pulchræ excogitationi ansam exhibet, fatus: (Hieron.) *Matthæus qui est donatus, cui donatur à Domino, vt non solum remissionem peccatorum adipisceretur, sed in numero adscriberetur Apostolorum, vt cum bos simul comederet; & lupus cum agno pasceretur.* Si donatum ei à Domino remissionem peccatorum adipisci: quomodo simul donatum est, vt post pœnitentiam, & delicti remissionem, leo & lupus cum boue & agno commoraretur, quia iam leo & lupus non est. Certè specialissimo dono accepit Matthæus, vt semper de præteritis Publicani erroribus adeò esset memor, vt sibi videretur nunquam non apud telonium commorari, semper se lupum, & leonem cum Apostolicis bobus & agnis conuersari; vt adhuc lauacro studens, mirum in modum purus exurgat.

Quis valeat obeundi Apostolici ministerij fortitudinem Matthæi exprimere? Aiebat Iob, *Ferrum de terra tollitur.* Cap. 28. Matthæus ferrum terræ addictum à Deo acceptus in fortissimum gladium dexteræ suæ conuertit. Gregorius lib. 18. Mor. Cap. 16. *Matthæus in terrâ inuentus est, qui terrenis negotiis implicatus telonij vsibus seruiebat. Sed de terrâ sublatus, in fortitudinem ferri conualuit, cum videlicet linguâ, quasi acutissimo gladio, Euangelij administratione Dominus infidelium corda transfixit: & qui infirmus priùs, despectúsque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cælestia prædicamenta.* 47. *Matthæi constantia circa prædicationis ministerium.* Iob. 28. Greg.

Euangelij perfectionem Dominus vsque ad inimicorum dilectionem protraxit. *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est: Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri.* Matth. 5. Quàm inimicorum horribilium Euágelista amator, quàm hinc perfectius ostentatur! Antoninus p. 1, tit. 9. cap. 13. ait, *Matthæus ingressus in Ciuitatem* (Æthiopiæ) *Madaber, inuenit ibi duos Magos Zaroes, & Arphaxat, qui homines sic dementabant, vt quoscunque vellent, arte suâ Magicâ, membrorum officio, & sanitate priuare viderentur. Et in tantam superbiam erecti sunt, vt se quasi deos adorare facerent. Matthæus autem detegebat maleficia eorum, & duos dracones, quos Magi procurauerant missos contra Apostolum, vt eum perderent, signo Crucis vt agnos mitissimos fecit, in desertumque locum sine læsione inimicorum abire præcepit.* 48. *Inimicos diligens, cumulum assequitur perfectionis.* Matth. 5. Anton.

Nunquam obliuio Ioannis Baptistæ gestum ineffabile obliterabit, quum se Dominicis pedibus prouoluit, quando adoraturi ad eum Iudæi accurrebant. *Ego vox. Cuius non sum dignus corrigiam calceamentorum soluere.* Meritò ex hac summissione, Ioanne nullus maior exsurgit: *Non surrexit maior Ioanne Baptistâ.* Sed attende, num Matthæo gloria similis ex simili submissione debeatur? Regis Gentilis Matthæus filium vita functum ad viuos retulit, stuporéque correptus Rex ad Prouincias suæ ditionis scripsit: *Venite, videte Deum in effigie humana latentem. Venerunt ergo innumerabiles Populi cum coronis aureis, & diuersis generibus sacrificiorum offerre volentes.* Quid Apostolus? *Eos compescuit* 49. *An Matthæus illustriùs quam Baptista adorationem repulerit.* Anton.

compescuit (Adiicit Antoninus) *diceas : Viri fratres , quid facitis ? ego Deus non sum ; sed seruus Domini Iesu Christi.* Cuius demum obsequio munera illa dedicauit. *Cum eos prædicans conuertisset , de illis coronis, & muneribus fabricauit Ecclesiam , in quâ Apostolus triginta tribus annis sedit , & totam illam Patriam ad Christum conuertit.* Vicit Ioannem ? Saltem æquauisse videtur.

50. *Matthæus ex gratitudine quasi Deus exurgit.* Menand. Rupert.

Cecinit Menander , *Homo gratus ? Ad Diuorum consortium assumito.* O quàm diuinus Matthæus ex gratitudine obiicitur ! E peccati iugo à Rege cælesti liberatus, curauit nunquam non tanti Principis cantare victorias. Audi Rupertum lib. 4. de operi. Spir. sanct. cap. 14. *Apud Matthæum Rex genere , & actibus Christus ostenditur ; cum iam ab initio libri sui dicit: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid; & deinde natum , mox Regem Iudæorum a Magis adorari describit. Totámque gestum suæ narrationis regalibus gestis , & regiis contexens parabolis , sic finit , vt dicat apud eum Rex iste iam coronatus Resurrectionis gloriâ : Data est mihi omnis potestas , &c. Totam seriem conscriptionis eius , si ritè perpendis , spirare cognosces mysteria Regni Dei. Nec mirum , Publicanus quippe fuerat , de publico Regni peccati seruitio , ad libertatem Regni Dei , Regni iustitia , vocatum se esse meminerat. Benè ergo , vt non ingratus magno libertatis suæ Regi, Regni eius legibus inseruiuit , intendens Regnum eius, quod a carnalibus Iudæis carnaliter expectabatur, ostendere, quale sit.* Vbi adnoto, gratitudinis locum gerere ipsius beneficij decantationem. Matthæus itaque meritò ex gratitudine ad diuinum consortium adsumendus. Ad Angelicum planè euectum fuisse affirmat Damianus serm. 50. *Quem cernimus ad tanta sublimitatis culmen euectum, vt simul in Apostolicum allectus sit ordinem , & Angelicam sortitus sit dignitatem.* Si sortitum esse dignitatem Angelicam , tantæ sublimitatis culmen est quid si ex gratitudinis præstantiâ ad diuinam (ex specialissimâ imitatione) adsumitur?

Damian.

51. *Charitas Matthæi illustrissima.* Isidor.

Denique Matthæi charitatem via poterimus non dico æquare , sed nec attingere sermone. Isidorus lib. 16. Ethymol. cap. 14. *Chrysolitus auro similis est , cùm marini coloris similitudine.* At Ierosolymæ cælestis *septimum fundamentum Chrysolitus. Matthæus in hac gemma indicatur , qui maris , id est , sæculi huius colorem aliquando habens , cùm Publicanus erat ; postea vero charitate fulsit.* Id est adeò excelluit feruens charitate , vt omnium aliarum virtutum, in comparatione huius , haud sit memoria peragenda. In cuius charitatis erga proximum documentum , mox post conuersionem , Publicanos, & peccatores ad Christum adduxit. Strabus ad illud : *Ecce multi Publicani , & peccatores* , ait : *Bonum præsagium. Iam eius exemplo multi conuertuntur , iam post se multos trahit , Apostolus Gentium futurus.* Ac si diceret: Si prima conuersionis, die nouitius feruor tam igneus, vt tot adducat Publicanos, & peccatores : quid , cùm post diuturnam Domini consuetudinem, post fidei robur , post Spiritus sancti aduentum , ad Gentiles Apostolus immittatur ? O quàm flammarum spirator proximorum saluti incumbet?

Strab.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba :

Ecce multi publicani & peccatores venientes , discumbebant cum Iesu, & Discipulis.

Matthæus pœnitentium in Euangelio Dux & Pater exurgit.

Vbi adnoto , quàm debitor sit proximos ædificare publico virtutis studio, qui publicè delinquens, traxit alios ad ruinam.

52. PRIMVS pœnitens Publicanus Matthæus plurimos ad pœnitudinem excitauit Publicanos , & peccatores. Aiebat Paschasius Rathbertus Abbas , *In domo eius, quæ fuerat officina crudelitatis, cellarium fraudis , & spelunca iniquitatis , fons pietatis emanat.* Pietas enim Domini erga pœnitẽtes apud domum Matthæi incipit scaturire : primus enim hoc dilutus fonte alios adduxit ad lauacrum. Et quinam insignis delinquens, à fonte in domo Matthæi profluente pietatis , non fuerit potu refectus salutari?

Paschas.

53. *Matthæus attraxit pœnitens ad Deum , quos delinquens auerterat foris.* Paschas.

Testor Publicanos & peccatores ex Matthæi pœnitentiâ ad scelerum detestationem excitatos. *Vox enim Turturis audita in terrâ nostrâ, tempus putationis aduenit.* Aliter. *Tempus plorationis.* Quia gemente turture Matthæo socij peccatores concitantur ad planctum. Paschasius, *Vnius peccatoris conuersio multis exemplum præbuit pœnitentiæ.* Latro non de veniâ diffidat, Magdalena meretrix adducatur, vel Iudas, si verè pœnitens , admittetur post Matthæum. *Ob id electus* (adiicit pulchrè Abbas) fuit de telonio, quatenus nemo immanitate scelerum suorum diffideret.

54. *Sollicitus negotiator salutis proximorum , qui negotiator fuerat perditionum.* Paschas.

An Matthæus omnino recessit à telonio? Profectò negotium commutâsse videtur; minimè reliquisse. Ea piscatione Petrus , Andreas, Ioannes & Iacobus ad piscationem aduocãtur: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Haud aliter Matthæus ea quæstu est vocatus ad quæstum, effectus animorum negotiator , qui pecuniæ negotiationi studuerat. Paschasius ad hæc. *Mutauit Matthæus negotium, nec amisit dum in domo , ad quam multos secum propter lucra conduxerat , ad veniam inuitat: & qui erat magister rapinæ, factus est exemplum veniæ. Vnde conducit suos illico ad scholam vitæ , quos conduxerat prius ad quæstum mortis.*

55. *Alia talenta accipiens, alia lucra reddit.* Paschas.

Talenta à Rege acceperat mundiali , à tenebrarum Principe , quæ multiplicata reddiderat. At accepta à cælesti Rege talenta ita multiplicata non post tempus elapsum (vti serui Euangelici fideles admodum) sed illicò reddidit , vt vix acceperit gratiæ talentum , cum innumeris peccatoribus ad pietatis fontẽ adductis, verè posset Dominus inclamare : *Euge serue bone & fidelis , intra in gaudium Domini tui. Accepit* (addit denique Doctor) *itaque alia talenta,*

idcircò

ideircò refert alij lucra. Vincens vtique fidelissimos seruos, & quia maiorem exhibuit multiplicationem, & quia *illicò* (vt aiebat Paschasius) lucra exposuit.

56. *Matthæum prædicasse efficacius exemplo, quàm verbis.*

An Matthæus verbo prædicarit? Non reijcerem sententiam illorum, qui assererent sermone profuso Matthæum publicanos ad Dominum attraxisse pœnitentes. At non minus egregium prædicatorem commẽdo eum, qui exemplo obiecto, plus quàm verbo profuso curat persuadere. Beda, *Neque enim solum qui fratrem verbo erudit; sed etiam qui exemplo ad meliora conuertit, ministerium gerit Doctoris.* Scriptis Matthæus perpetuus est Christi gestorum commendator, verbis Gentiles innumeros ad fidẽ adduxit, exemplo, nunquam non peccatores ad pœnitentiam excitauit. Quod vt præstare facilius, ac efficacius posset, sese compellat Publicanum, vt effectus Apostolus, semper sit pœnitudinis commendator. Ediscant, qui è barathro fuere à Dei pietate liberati, dum publicè delinquẽtes secum ad damnationem multos attraxissent, debere operam nauare ipsorum conuersioni. Saltem proferant suæ pœnitudinis affectum, vt fiat ædificationis excitatio, quibus fuerat ruinæ illecamentum prior conuersatio praua.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Discumbente eo in domo.

Tam perfectè Matthæus sese à diuitiis expediit, vt sine periculo posset ad domum conuiuium paraturus reuerti, & immitti.

Vbi potentissimam diuitiarum vim ad homines illaqueandos (præcipuè resumptarum post fugam sæculi) ostendo.

57. *Caueant Religiosi ne ad sæcularia remeare conentur.*

PARATVM Domino, ac Apostolis, Discipulisque conuiuiũ, *in domo*, probat apertè Matthæũ post vocationẽ ad domum reuersum, rursum pecuniis manum admouisse. Nec sine fundamento assérueris, veniâ non solum petitâ, & obtentâ, sed ex obedientiâ Domini ad domum diuitiasque reuocatum, vt conuiuium lautum tot inuitatis præpararet. An non, ô Domine, Matthæum recenter ab auaritiæ laqueis abstractum, periculo manifesto retrocedendi exponis? Confidit certè in eo cor Domini sui; iam terrenis non egebit spoliis, qui cælestibus tam ardenti est addictus affectu.

58. *Quam periculosum ad labendum, reuerti in domum sæcularem ei, qui*

O quàm Matthæus ex reditu ad domum mittente, aut saltem permittente Domino, commendabilis! Quis Domino affatur *Sequar te, Domine, sed permitte mihi primùm renunciare his, qui domi sunt.* Cui Saluator *Nemo mittens manum suam mittens ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est Regno cælorum.* Luc. 9. Vbi Cyrillus, *Imitanda est huiusmodi promissio, & eiaus iudeplena. Sed quærere renunciare his, qui domi sunt, animum indicat vtcunque labentem.* An non reuersio Matthæi labentem animum indicauit? Profectò imitanda est, non solùm Matthæi è telonio discessio, sed & reuersio ad domum, ad pecunias, vt eleemosynæ lucris studeret. Tam constanter enim Christo hæsit Apostolus, vt sinè labendi periculo, posset in domo sæculari stipatus vndique diuitiarum laqueis, commorari.

dimisit? Luc. 9. Cyril.

Israeliticus populus ex Ægypto discessit. An rediit ad domum seruitutis? E Chaldæa Abrahamus, præcipiente Domino, egressus An rursus paternæ domûs nexibus implicatur? Qui præcepit exire, minime redire præcepit, quia auaritia cùm sit seruitus idolorum, posset auri & argenti laqueis generosos spiritus illigare. Fatus Petrus Damian. serm. de D. Alexand. *Ab ipso Domino iubemur cuncta dimittere; non autem aduersus ea quotidie, velut manu vndique conserentes, cominus dimicare. Israelitico populo exitus ex Ægypto præcipitur; non reditus imperatur. Abraham egressus est de terra sua ad Domini iubentis imperium; sed postmodum nequaquam rediit ad rediuiua certamina Chaldæorum.* Cur ergo Matthæo reditus imperatur, seu permittitur? Perfectior Israëlitico populo, cuius Moyses sanctissimus ductor, cuius Aaron Sacerdos? Abrahamo fortior? Profectò vnum illud scio Israëli & Abrahamo non permissam reuersionem, Matthæo præceptam, aut permissam. Quòd si causam requiras, illa est in promptu, quòd despiciens diuitias non vtcunque contempsit; sed metas diuinæ legis excessit: non solùm illicitum abrenunciauit pecuniarũ vsum; verùm licitum omnino dereliquit amorem. Vnde penitus ab auaritiæ fæcibus repurgatus, posset ita incolumis apud domum diuitiarum existere, ac Sol immundis in volutabris commorari. *Mensuram* exhibuit *coagitatam.*

59. *Fortior, ac perfectior Matthæus Israel, & Abrahamo, minimè ad domum sæcularem ob periculum vitandum reuertente?* Petrus Damian.

Vltra legem despexerat ille diuitias.

Confirmo ex eodem Cardinali, qui recolens D. Alexij ad paternam domum reuersionem, quærit quanam securitate redierit ad diuitiarum certamina? & respondet acutè. *Beatus Alexius cum opes omnes ac diuitias paternæ iuris abiecit, supernæ iussionis mandata compleuit; cùm vero ad propria rediit abrenunciator egregius, metam proculdubiò diuinæ legis excesserat.* Id est, ideo securus rediit, quia egregius abrenunciator legis metam excesserat. Vnde tam superabundantis abrenunciationis affectu, potuit reditus ad domum imperari. Matthæus quidem tam egregius renunciator diuitiarum, egressus è telonio, vt Abulensis quæst. 46. scribat *Quando Matthæus surgens de telonio Christum secutus est, ita fuit illum secutus, ac si nunquam rediturus esset ad dispensandum de rebus, quas relinquebat. Nam iam eas in animo suo plenè contempserat.*

60. *Quia metam diuinæ legis Matthæus excesserat, potuit secure ad domum sæculi remeare.* Damian.

Abul.

Redeo ad illum Christi discipulum futurum, qui dicebat: *Sequar te Domine; sed permitte mihi primùm renunciare his, qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est Regno Dei.* Luc. 9. τò *& respiciens retro* preme. Qui sequi se Dominum offert, Crucem eius portare promittit, ipso fante: *Qui vult venire post me, abne-*

61. *Rediens ipse Matthæus ad diuitias non retrò respicere; sed progredi vlterius, & crucè ferens Christum sequi.* Luc. 9.

get

get ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ergo qui curabat ad diuitias componendas, & renunciandas redire, retrò aſpiciebat, id eſt, Crucem Domini ſtudebat ex humeris deponere. Hinc Matthæi gloriam euulgo, cui quidem reditus ad domum diuitiarum erat Dominum ſequi: non erat retro aſpicere; ſed vlteriora cum Domino crucifero petere. Perfectus enim diuitiarum renunciator tunc carceri addicitur, ſuffigitur cruci, ac martyrium ſubit, cùm rurſum ad diuitias redire cogitur. Liceat Apoſtolo accommodari quæ de Romano viro Damianus adnectit. *Nouum Martyrij genus nouum prabet in admiratione ſpeculum. Martyribus enim carcer erat pœna, catena preſſura; iſti verò propria domus auratis decorata triclinijs erat materia tentationis,* & cruciatûs. Matthæo domus diuitiis referta carcer erat, crux erat. Vnde rediens ad domum Christum crucifer ſequebatur. (Damian.)

62\. Tota rei familiaris vis Apoſtolorum Petri, Andreæ, Iacobi & Ioannis retia extitere. Ad quę quidem, cum vocati à Domino dimiſiſſent ea, reuerſi ſont, vt Euangelium legenti patebit. Et cur permiſſum Apoſtolis rurſum ad propria remeare, niſi quia affectus erat omnino à retibus expeditus; laudat Caſſiodorus lib. de anim c. 19. tam generoſam Diſcipulorum renunciationem fatus: *Verè omnipotens, qui & ipſas miſerias feciſti potentes! Nullus Regum ogentibus tuis par eſt. Nulla purpura piſcatorum tuorum retibus adæquantur; quando illa in mundanas tempeſtates impellunt; hæc ad littus æternæ ſecuritatis adducunt.* An non tam exitialis pauperi exigua ſupellex, quàm purpura diuiti? Certè Apoſtolorum retia non ſolum ipſis, ſed Mundo per ipſos pariunt ſecuritatem. Magnum-ne Apoſtolorum encomium, ſecurè potuiſſe cum relictis retibus commorari? Ergo maximum Matthæo ad domum ſecularem tot diuitiis renitentem, ſecuritate æternâ, rediiſſe. Signum planè, Apoſtolum menſuram non confertam ſolum & coagitatam ſupra legis præſcripta; ſed ſupereffluentem Domino reddidiſſe. Sic Damianus. *Igitur menſuram bonam, & confertam, in ſinum ſuum electo quique recipiunt.* Hi planè perfecti oſtenduntur licèt menſuram ſupereffluentem non obiiciant. At Matthæus non ſolum confertam exhibuit menſuram circa diuitias contemnendas; ſed ſupereffluentem, vnde metam legis excedens, potuit mediis in laqueis ſolutus commorari, incedere.

Apoſtolos ſecurè ad retia reuertentes ſuperauit.

(Caſſiod. 19)

(Damian.)

LIBER OCTAVVS.

LVCAS.

Paraphrasis, Commentariique literales in Cap. decimum Lucæ, pete ex libro tertio.

PANEGYRICI MORALES circa literam

JN D. LVCAM EVANGELISTAM.

PROLVSIO.

Apostolici vitalis Lingui FRVCTVS OCTAVVS.

ANONYMVS apud Alcuinum, *Quid dignè resonem ignoro, cum mihi, si ferrea esset vox, & omnium membrorum meorum artus verterentur in linguas, pleniter in Lucæ laude minimè quid explere valerem.* Profectò efferendi Lucæ munus non cuilibet impensum encomiastę, sed D. Paulo diuinitùs iniunctum profanti: *Salutat vos Lucas medicus, charißimus meus in Domino,* Coloss. 4. *Lucas solus mecum est,* 2. Timoth. 4. *Misimus etiam fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias,* 2. Corinth. 8. Profictò qui tam frequenter laudatur à Paulo, cunctis admodum commendabilis esse videtur. Adiicit Doctor ille: *Verè ore omnium laudabilis est, qui meruit à tanto Apostolo & Doctore Gentium toties prædicari.*

SECTIO PRIMA.

Discipulorum immißio.

TEXTVS.

VERS. 1 DESIGNAVIT Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.

In Lucam

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

EX DISCIPVLORVM IMMISSIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Designauit Dominus & alios septuaginta duos.

Lucas Sol vitæ radiis prædicans Orbem illustrat.

Vnde illi commendantur Concionatores, qui non tam verbis, quàm operibus profantur.

1. *Augustin.* AVGVSTINVS lib. de quæst. Euang. q. 14. *Sicut viginti quatuor horis totus Orbis peragitur, atque illustratur; ita mysterium illustrandi Orbis per Euangelium Trinitatis, in septuaginta duobus Discipulis intimatur; ter enim viginti & quatuor septuaginta duo faciũt.* Vt scilicet innuatur Concionatores Euãgelicos Solem imitari vitæ illuminando radiis Orbem, non inanibus verbis demulcendo. D. Lucas Sol est fulgentissimus, potiùs vitæ fulgore, quàm prædicationis voce homines ad Christum adducens. Sol apud Ethnicos eloquentiæ magister, Musarum Coriphæus. Quare? Non quia voce dicturus vtitur; sed quia radiorum fulgore omnium ad se animos allicit. De quo Comicus,

Phœbus lucendo loquutus.

2. *Lucas Filio hominis similis operum fulgore prædicat. Apoc. 1.* De Christo Ioannes, *Vidi similem Filio hominis, & facies eius sicut Sol lucet in virtute suâ,* Apoc. 1. Non Sol in verbis; sed in virtute, in operum efficaciâ lucet. Sic Filius hominis in virtute operum elucebat, qui *cœpit facere, & docere*; quia opera, vocalia quidem, proferebat. Similem Filio hominis vidit Ioannes Lucam nostrum operum virtute micantem, gestis illustribus suadentem. Hieronymus cap. 6. Isa. citatus à Lytano, *Beatus Lucas* illustris Concionator, *de quo potest dici: Facies eius sicut Sol, quæ lucet in virtute sua.* ex hoc quidem Filio hominis assimilatus. *Hieronym.*

3. *Lucas labia claudit, quia opera eius non lingua concionantur. Mal. 2.* Lucas igitur concionaturus quasi vocem illigat, supprimit, vt eius vocalia opera possint prædicare, hominibus obiecta. Malachias appositè. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Cap. 2. Requirunt auditores legis præscripta ex Concionatoris ore. Ille autem labia claudens scientiam custodit, ne è labiis loquentibus profundatur. An pij & fidelis prædicatoris facinus est, petentibus fidelibus documenta, labia occludere? Addit pulchrè Propheta. *Quia Angelus Domini est.* Claudit labia, dum prædicationis voces fideles exquirunt, quia Angelus cum sit vitæ sanctissimæ fulgore obiectione operum fidelibus exhibet vtiliùs documenta. Anonymus apud Alcuin. asserit D. Lucam meritò Angelorum Choris addictum in superis, quia degens in terris Angelorum fuit puritatem imitatus. Hâc igitur puritate, vocali quidem, prædicabat.

Olim Rationale apud Sacerdotis pectus obiiciebatur; in Rationali autem doctrinæ veritas rutilabat. Quonam mysterio? Hieronymus ad cap. 2. Malach. *In Sacerdotis pectore Rationale est, & in Rationali doctrina & veritas ponitur, Vt discamus Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis.* Et cur veritas ac doctrina non in labiis collocantur? *Labia* (ait Doctor) *custodiunt scientiam*, egregius concionator quodammodo non vtitur verbis; sed doctrinam ad veritatem apud cor vitæ principium obiicit aspectandam. Loquatur cor, vita proferat voces, potiùs quam lingua; quia Angelicos mores mirum in modum suadere quis dubitet? 4. *Cor Lucæ operans, & rectè viuens prædicat, non lingua. Hieron.*

Elias Cretens. censet eorum, quæ in Ecclesia celebrantur, quæ geruntur, in planetis ac cælitibus similitudines, ac simulacra esse. Vndè prædicatoribus, Solis aptatur typus: quia ipso opere loqui commendantur. Vndè Sacerdos *Sol appellatur, quoniam Dei decreta dilucidè*, id est, lucendo *exponit*. 5. *Sol est, dilucidè, id est lucendo docens. Elias.*

Vis oculis tuis Lucam Angelum virtutibus loquentem obiiciam? *Ecce vir vnus* (Dauid ait) *vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quasi chrysolitus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis: & vox sermonum eius vt vox multitudinis.* Cap. 10. Proximam particulam expendo: *Vox sermonum eius vt vox multitudinis.* Vnusne poterat multitudinis clamores imitari? Ita planè; sed quare vni tanta vis loquendi adiicitur? An *quia vnus Angelus potest plus docere, quam multitudo hominum, seu Doctorum?* Admitto Lytanum sic exprimentem. Ast ego obiiciens virum tot radios profundentem, proculdubiò virtutis, putarim tot illum linguis loqui, quot virtutum exhibet documenta. Renum puritatis aurum, Chrysolitus corporeæ sobrietatis, faciei modestiæ fulgur, oculorum demissionis lampades, brachiorum, ac pedum actionum & gressuum æs candens, Solis emittentia cuncta fulgorem, totidem visi linguas disertissimas connotant resonãtes: vnde vox multitudinis vno inclamitante, exauditur. Pulchrè idem Lytanus. *Vox multitudinis, ait: in quo designatur efficacia virtutis,* seu virtutum *eius, ad docendum homines.* Angelus ergo Lucas Sol est lucens in virtute suâ: *In quo designatur efficacia virtutis*, quasi multitudinis voce, resonantis. 6. *Totus Lucas fulgens virtutum radijs, vocibus multitudinis vtitur, ad concionandũ. Dan. 10. Lytan.*

Observatio II.

Ad illa verba:

Designauit Dominus & alios septuaginta duos.

Lucas Angelus Gentium custos à Domino immittitur, Angelicâ scilicet puritate nitens.

Vbi Virginitatem Angelos referentem commendo.

7. Beda.

BEDA affirmat septuaginta duos Discipulos totidem Mundi plagis, seu gentibus custodes Angelos immissos. Et quidem castissimus Lucas, Angelus scilicet puritate aptè, non vni genti; sed innumeris operator, ac custos à Domino addicitur. Quam meritò Lucas fuerit *Angelus* appellatus ob virginitatis fulgorem (de quâ Patres non semel, vt patebit inferiùs) confirmabimus. Anonymus apud Alcuin. *Inter Angelorum agmina, candentia lilia Virginum, Lucas splendet.*

8. *Lucas suam vitam virginitate illustrans, Angelus.* Basil.

Fatur Basilius lib. de verâ Virginit. *Hi profectò, qui virginitatem seruant, Angeli sunt; qui communicantes in carne corruptibili, mortalium vitam illustrando tuentur, Angelique sunt non obscuri aliqui; sed sanè illustres.* Celeberrimum testor Lucam, qui *inter candentia lilia virginum splendescit, mortalium omnium vitam illustrando.*

9. *Commendabilior virginitas in Euangelij ministris hinc illinc vagantibus, quàm in reclusis.* Arnold.

Numquam non commendabilis virginitas; sed commendabilior planè in Euangelij ministris haud cubiculo reclusis, haud instar virginum puellarum absconditis; sed in medio nationis peruersæ, voluptatum quidem volutabro, commorantibus. Gabriel Archangelus in Mariâ virgine, seu absconditâ virginitatem miratus est. Arnoldus de septem verbis. *Per virginitatem fuerat Gabriel Archangelus Mariæ domesticus; imo tota militia cælestis multitudo, & natura Angelica gloria admirans, quòd sic integram in terrâ reperisset circumfusam vndique*, &c. Admirabile planè est virginem Mariam absconditam, à totâ militiâ cælesti circumfusam? Et vtique satis mirabile si Lucam videas Gentilium immundissimorum septum catervâ in medio peruersæ nationis Angelorum puritatem referentem?

10. *Ideo vel Angelum vincit puritate Concionator castissimus in medio nationis lasciuæ Lucas.* Apoc. 9. Damian. Cyprian.

Imò vincentem quodammodo. Angelus Apocalypseos passus non est à Ioanne se Euangelistâ adorari. Cap. 9. Quare? Respondet Petrus Dam. serm. de Ioan. *Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem, fratrem recognouit, socium iudicauit.* At Cyprianus de bono pudic. parum duxit, Ioannem Euangelistam se se Angelis æquare. *Virginitas æquat se Angelis; si vero exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctante victoriam etiam refert contra naturam, quam non habent Angeli.* Quis dubitet Euangelistas minimè absconditos? sed per Orbem, cursum, Solis in morem, dirigentes, mundialium sociorum illecebris obiectis, illustriores victorias comparare? Ioannes igitur & Lucas se Angelis Virgines absconditi *æquant*; Euangelistæ autem *etiam excedunt.*

11. *Lucas se se quasi Deum ostentauit purissimum.* Xistus.

Laurentius Iustin. Lucam apud homines se se quasi Deum ostentasse egregiis facinoribus asseruit. An non Angelica Lucæ puritas apud lasciuiæ homines indulgentes diuinitate quodammodo decoratur? Xistus lib. de castit. fatur appositè. *Si in virginitatis integritate permanseris: eris apud Deum, vt Angelus; & apud homines, vt Deus.*

12. *Lucas degens cum hominibus impuris, simul in superis versabatur orationi inuigilans ad castitatem tuendam necessariam concionatori.* 1. Cor. 9. Cornel.

Nec mirum, Lucam apud iniquos Gentiles degentem, tam immaculatum se seruare; ex ipsa virginitate vir, Dei simul socius effectus; licet apud mundiales viuens appareat, verè apud Superos commoratur. Paulus Lucæ socius audiendus, *Hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam; sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat* (virginitas) *sine impedimento Dominum obsecrandi* 1. Cor. 7. *Sine impedimento Dominum obsecrandi*, Græcè est, *Ad id quod assideat Deo.* Vbi Cornelius noster, *Casti vocantur assessores Dei, tamquam Angeli quidam terrestres, qui semper ob castitatem vident faciem Patris.* Vnde tutè ad inferiora concionatores prolabuntur, si videntes Patris faciem, numquam a cælesti claustro separantur. Quia *ea anima* (ait Basilius, Basil. *sociam, assistricemque tranquillissimam Dei contemplationem adesse sibi iugiter cupiens, obstrepentes illi voluptates corporis quam longissimè fugit.* Contemplatio quidem Concionatorum inter peccatores degentium, ad puritatem tuendam præsidium necessarium est. Augustinus serm. 37. ad frat. *Hæc est illa virtus, quæ nos Angelos facit: sed quæ nos super æthera volare conducit*, &c. Augustin. Vt enim Angelicam valeas puritatem retinere, contemplationis pennis necessum tibi super æthera ascendere; vt dum Orbem lustras terrenum, simul in superis (de more virgineo) abscondaris.

Observatio III.

Ad illa verba:

Misit illos binos antè faciem suam.

Lucas Concionator illustris charitatis igne in proximum auditurum æstuabat.

Vbi Euangelicum Ministrum commendo, qui circa peccatorum conuersionem accenditur necessariâ dilectione.

CVR Discipuli bini immittuntur? Gregorius respondet hom. 17. in Euang. *Binos in prædicationem Discipulos mittit, quia duo sunt præcepta charitatis, Dei scilicet amor & proximi: & minùs quàm inter duos charitas haberi non potest. Quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga proximum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet.* 13. Gregor.

Eccle

14. Ecclesiasticus fatot de Apostolicis Euangelij ministris, *Illi viri misericordiae sũt, quorũ pietates non defuerunt.* Cap. 44. Vbi Bern. *Apostoli planè viri misericordiæ, id est, misericordia, & charitate pleni dati Ecclesiæ vniuersæ. Scimus enim quod viri isti, nec sibi vixere, nec sibi mortui sunt sed ei; qui pro ipsis mortuus est; magis autem nobis omnibus propter illum. Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiam & mors ipsa.* Maiorem itaque charitatem nemo habet, quàm vt vitam & mortem suam & proximorum vtilitati impendat: *Magis autem nobis.*

Necessaria erat Apostolis misericordia & charitas ad prædicandi ministerium Eccl. 44.

15. Sola proximorum vtilitas concionatorem afferat ad prædicationis munus. Sed quonammodo, si erga proximum affectus non pergat? Abraham olim, *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Gen. 14. Vbi Rupertus *Spiritualiter hic locus Euangelicum virum ædificat. Quisquis crucis vexillum erigit, & nomen Christi prædicat, sicque legitimè certans, errores, & vitia expugnat, & exinde: non quæ sua sunt quærit, sed quæ Iesu Christi:* Et quonammodo Euangelista tot poterit labores subire, tot pugnas sustinere, ab omni munere, à cũctis commoditatibus manum excuteret? Addit pulchre Abbas, *Propinquum liberauit.* Pro dilecto sibi Lotho pugnam difficilem instituit. Dilectio proximi Lucam, ad pugnam difficilem, ad horribile bellum, exuitantem adduxit.

Quonammodo Euangelista tot subeat labores, & pugnas sustineat, ni proximum diligat? Gen. 14. Rupert.

16. Quàm iucuodum sanctis Euangelij ministris, desertum à cunctis commoditatibus corporis alienum, ad munus iniunctum! Profectò eis desertum hoc, voluptatis est receptaculum, amicissima domus; quia dilectis sibi animabus Deo afferendis dant operam, Iacob immissus *tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit.* Vidit ille scalam, cælesti fuit voluptate potitus. Gen. 77. Rupertus Iacobum vt pauperem spiritu Euangelistam contemplatus est *Magna, & imitatione digna paupertas spiritus in Iacob spectanda nobis proponitur in tali exitu, cùm ad accipiendam vxorem proficiscitur. Hunc imitantur quicumque missi ad spirituale semen seminandum, nudi, & expediti ad destinatum tendunt, vigilant, in omnibus laborant, sobrij sunt, nihil se scire indicantes, nisi Iesum crucifixum.* Et vndenam Euangelistis tam amicum desertum, vt à cuncta commoditate recedẽtes, omnibúsque tentati incommodis, quasi apud Superos degere videantur? An non quia id eis accidit, cum *ad accipiendam vxorem* proficiscuntur? Charissimi illis proximi sunt, ideo & desertum amicissimum.

Iacobus mysticum agens Euangelistã desertũ ducit amicam domum, quia pro dilectis sibi animabus patitur. Gen. 77. Rupert.

17. En Lucæ imaginem! Gentilitatis Regnum, desertum quidem ei, qui tot laboribus discruciatus incessit, fuit cælestis domus, amicum hospitiom, dum sibi dilectis animabus posset succurrere egentibus. Metaphrastes pulchrè, *Lucas multa aspera sustinebat in terrà, in mari, in singulis Ciuitatibus. At desertum dicebat ei amicum solum, dummodò aliquem ibi eo inueniret, quem Deo addiceret, & transferret ad pietatem.* Credite mihi, ô Euangelici ministri, laboribus adnatum munus, minimè obiri posse ab iis, qui circa proximorum salutem non ad modum affecti proficiscuntur,

Lucas amicã domum vocabat desertum, si aderat dilectus sibi proximus, cui succurreret. Metaph.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Misit illos binos antè faciem suam.

Sapientissimus Lucas addicitur Pauli consiliarius.

Vbi Principes, & Præsules admoneo, probis consiliarijs adhærescere.

RVRSVM requiro, quare Dominus binos Discipulos immittit, si potiùs Euangelium deberet, vt velociùs curreret sermo, ampliùs à singularibus pergentibus Ministris dilatari? Respondet Origenes, *Etiam duodecim bini, & bini numerati fuere, vt in eorum catalogo Matthæus ostendit. Quod autem bini famularentur Dei verbo, antiquum esse videtur. Eduxit enim Deus Israel de Ægypto per manus, Moysi & Aaron. Iosue quoque & Caleph concordantes pacauerunt prouocatum à duodecim exploratoribus populum. Vnde dicitur: Frater à fratre adiutus, vt ciuitas vallata.* Quòd si instes, quodnam adiutorium frater à fratre concordante accipiat, ionuit consilium fratris à fratre accipiendum; quod Basilius confirmat asserens immissos binos & Apostolos, & Discipulos, *nè proprij consilij passio præualeret.* 18.

Origen. Basil.

Petrus adhærens & Saluatori, & condiscipulis, consilio effugiẽdi periculi muniebatur. *Prius quàm gallus cantet, ter me es negaturus.* At à Iesu & à collegio abstractus, sine consiliorum præsidio cecidit. Ioannes, quem diligebat Iesus, hærescens Magistro, consilio munitus inuigilabat; à Domino abstractus sine consilio fugam arripuit singularis. Chrysologus ad hæc serm. 170. *Binos mittebat, ne destituta singularitas aut negaret vt Petrus, aut fugeret vt Ioannes. Cuò cadit fragilitas humana, quæ de se superbè confisa, socios despicit.* Quorum scilicet consilio muniatur. 19.

Petrus sine socij consilio negat. Ioannes fugit. Chrysol.

Principes Ecclesiæ tot tantisque negotiis addictos consilium decet sociorum. Vel Deus hominem facturus ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Gen. 1. At reliqua moliturus animantia profatur, *Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas.* Ibid. Et cur circa hominum vitam Trinitatis mysterium reuelatur; non autem circa cunctorum animantium productionem? Nyssenus lib. de opif. hom. *Ad solius hominis fabricationem Creator ille rerum quadam cum consideratione accedit.* Vnde non singulariter accessisse ostenditur Patris persona; sed & Filij, & Spiritus Sancti; vt ex consilio, hominem excitatum esse videatur. Et quidem solius vitæ humanæ negotium tantum est Deo, vt sine consilio factum ab ipso, minimè velit nobis apparere. Quanta igitur cura adhibenda, Euangelij ministris circa consilium, cum non de corporeâ hominum vitâ, sed spirituali fuerit agendum? 20.

Deus Trinus & vnus ostenditur hominem facturus: vt ex consilio fecisse eum videretur, Euangelistas instruens. Gen. 1. Niss. n.

An non Moyses *eruditus est omni scientiâ* 21.

Quia Moyses audiuit soceri consilium, accipitur ad Dei consortium, vt socio Deo & consiliario possit saluti proximorum prouidere. Act. 7. Exod. 18. Origen.

Ægyptiorum? Act. 7. Ita planè. Attamen Sacerdos Madian Iethro socer eius videns generum solum sedentem, vt hominum causas disseteret, ait: *Cur solus sedes? Audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum. Esto tu populo in ijs, quæ ad Deum pertinent, vt ostendas populo ceremonias, & ritum colendi, viámque, per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros,* &c. qui quidem *iudicent populum omni tempore: Quibus auditis, Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat,* Exod. 18. Commendat Moysem Origenes, quòd *non dixit: Quomodò consilium accipiam ab homine Gentili alieno à populo Dei? sed audiuit Moyses vocem soceri sui, & fecit quæcumque dixit ei.* Et cur audiuit, & fecit? Quia ei circa spiritualem populi profectum exhibuit documenta. *Cur solus sedes?* Obiicio, si solum sedere Moysem non oportebat, quonammodo solus postmodum relinquitur, si quidem Iudices populo adiiciuntur ad rerum minoris momenti administrationem; Moyses autem solus *est populo in ijs quæ ad Deum pertinent?* Certè in præmium, quòd humilis se se consilio gentilis circa spiritualium rerum populi administrationem submisit, accipit Deum ipsum socium, & consiliarium: *Audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum.* Audiuit planè, fecit, & præmij loco Deum ipsum socium sortitus est, ne solus sederet, cùm populi spiritualibus negotiis incumberet. Vnde postmodum illud adiicit Textus, *Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Exod. 33. Profectò ad proximorum spirituale negotium gerendum non hominis solum consilium; sed Dei ipsius socij necessarium est: *Et erit Deus tecum,* vt non *solus sedeas* spiritualia populi negotia tractaturus, sed diuino consilio fulciaris.

Exod. 33.

22\. *Lucas Paulo consiliarius addicitur.* Anon.

Proculdubio Lucas consiliarius egregius à Domino, Paulo, Mosi, Gentilium omnium populos gubernanti; adiicitur Anonymus fatur, *Paulum Lucas secutus egregium Doctorem Gentium vsque ad triumphum passionis eius, indiuiduus comes peregrinationis eius, & consiliarius existens.* Cùm Paulum videris diuino Spiritu tot egregia facinora molientem, tot populos adducentem ad Dominum, terrâ marique tam copiosam messem afferentem, & libuerit interrogare: *Quis consiliarius eius fuit?* existima Lucam eius sapientissimum consiliarium, ad rectam spiritualis animarum negotij administrationem, extitisse.

23\. *Maxima Lucæ commendatio assignatum fuisse à cunctis Ecclesiis socium consiliarium Pauli.*

Cognitâ quidem ab Ecclesia Lucæ prudentia singularis, quæ socium Paulo Euangelistam prouidit, & consiliarium. Ipsum Apostolum de socio differentem audiamus: *Misimus fratrem nostrum Lucam, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Non solùm autem; sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis meæ.* 2. Cor. 8. Illam premo particulam: *Non solùm autem.* Laudabilis planè admodum Lucas à cunctis ob eius sanctitudinem; sed non solùm ab Ecclesiis eius sanctitas collaudatur; sed & prudens consilium viri sapientissimi, si quidem socium & consiliarium meum Ecclesiarum consensus illum assignauit. Allicio ad hunc sensum Chrysostomum. *Non solum ex* hoc est Lucas venerabilis, quia *prædicatio eius* & sanctitas *celebratur, & commendatur ab omnibus; sed etiam quia delectus est ab Ecclesiis, vt comes,* (& consequenter, vt consiliarius) *esset Pauli:* Cecinit alter:

Chrysost.

Non bene inæquales veniunt ad aratra iuuenci.

Lucas ab Ecclesiis cunctis socius, tanto addictus Apostolo: quàm æqualis, quàm & sanctitatis & prudentiæ specimine similis socio? Inferiùs ostendam.

Observatio V.

Ad illa verba:

Misit illos binos antè faciem suam.

Cùm Lucæ libeat labores circa proximorum salutem contemplari, eum Paulum alterum; imò ipsum existima.

Vbi ostendo, socios sanctorum, eorum laboribus honestari, & coronis fulciri.

BASILIVS denique reddens rationem cur bini Discipuli immitterentur, ait: *Per hoc induxit Dominus, quòd si aliqui pares sunt in spiritualibus donis, hoc non sinet in eis præualere propriæ opinionis passionem.* Supponit Doctor æquales futuros illos qui bini à Domino immittuntur, vt laboris, & sanctitatis socij vnius obiectu, alter ex proprio labore, ac sanctitudine minimè extollatur. Excogitauit Ecclesia quemnam virum Paulo prouideret in socium quodammodo ęqualem; ne inęquales iuuenci ineptè vni aptarentur aratro. Maximus quidem Paulus ex doctrinâ & sanctitate, abundantiùs omnibus est laboraturus, Vndenam socius adeò fortis ei prouideatur, vt ipsi *pares sint* (vti adnotat Basilius) *Procul* planè, *& de vltimis finibus pretium eius.* Attamen se se Lucas obiicit, tam egregium Euangelij ministrum, vt debeat socius tanto Apostolo assignari: si igitur ministri à Domino immissi *pares esse* assolent, cùm Pauli miratus fueris egregia facinora, existima te Lucæ gesta vidisse. 24. *Bona societatu cimoda.* Basil.

Paulus profatur, & verè, *Plus omnibus laboraui.* Se quidem commendauit Apostolus. At laudem proprio in ore quis non videat obnubilari? Profectò existimo Paulum non se; sed Lucam, alterum ipsum; imò se ipsum laudauisse. Ingeniosè Anonymus ille Doctor. *Dum eumdem gloriosissimum Paulum idem Lucas sequeretur, in cunctis terra, marisque tribulationibus, dignè ab illo huiusmodi testimonio meruit laudari.* Quonammodo commendauit hoc testimonio Lucam, si ait: *Laboraui?* Quia, cùm eidem aratro iuuenci addicantur fortissimi; haud potest Lucam commendare Paulus, quin se ipsum commendet; imò Lucam commendans, non alterum virum, non socium; sed se ipsum necessariò laudat: eos enim communis labor quodammodo vnum effecerat. 25. *Laudans se Paulus Lucā commendat adeo, vt laus in proprio ore non sit.* Anon.

Petrus Damian. serm. de D. Luc. Euangelistæ laudem instituens ait: *Lucas præsens famula-* 26.

turus

Commēdans Paulum, Lucam necessariè effert, & è contra Damian.

turus est sermo. Mox autem videtur extra propositum longè recessisse: persequitur enim Pauli prædicationem, labores, tribulationes, doctrinam, egregiáque opera recensere. Quonammodo, ô Pater, à proposito discessisti? An hoc sit sermonem tuum Lucæ famulari? Occurrit pulchrè obiectioni. *Cum Lucas eiusdem Apostoli indiuiduus comes extiterit, vbi Pauli dignitatem exprimimus, socij Lucæ quoque præconium non tacemus.* Lucas enim Paulus verè extitit; vnde Lucam commendat, qui Paulum (non recedens ab instituto sermone, sed persequens) commendauit.

Abundantius igitur Paulus & Lucas omnibus laborauerunt. Olim Ioseph frumentum, &

27. pecunias fratribus exhiberi præcepit; Beniamino autem sibi dilectissimo additur scyphus. Quonam mysterio? Damianus de Lucâ, *Hæ planè sunt fruges, quas Ioseph fratribus contulit, hæc pecunia, quam in ore sacci præcepit imponi; sed & Beniamin præ cæteris hoc etiam additur, vt in sacco eius etiam scyphus cum pecunia reponatur. Quem Ioseph indicat nisi Redemptorem Dominum? Quid per Beniamin nisi Paulus, qui de Tribu Beniamin originem duxit? Omnes ergo fratres fruges prædicationis accipiunt, quas serere per Mundum debeant, & pecuniam ad vsuræ lucrum. Soli autem Beniamin Paulo etiam scyphus adicitur.*

Abundātius omnibus laborante Paulo, cui passionis scyphus datus à Domino, ostenditur Lucas abundantius omnibus laborasse. Damian.

Tam magnos Paulus subiit in Euangelico ministerio labores, vt non solum abundantiùs omnibus; sed solus laborauisse, Calicéque passionis Dominicæ donatus fuisse videatur: *Soli Beniamin scyphus adicitur.* Addit Damianus Paulum huiusmodi laudem communem cum Lucâ habuisse. Quonammodò ergo si vterque æqualiter laborauit, & scypho passionis potatus est; soli Paulo Beniamino adiectum fuisse scyphum affirmauit? Certè, quia Lucas totus Paulus adeo est effectus, vt vnus solummodò Domini Beniamin esse videatur: sed cui duplex laudum portio è Dominicâ mensâ debeat adscribi, quia *misit illos binos ante faciem suam.*

Vis duplicem è mensâ præmij æterni portionem Paulo, & Lucæ appositam obiiciam? Io-

28. seph, Christus inquam, conuiuium Apostolis, ac Discipulis fratribus præparat. *Sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant: maiórque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Genes. 43. Et cur Dominus Beniamitum Paulum tam multiplicatâ præmij portione donauit? Existimo, quia Beniamin Paulus erat & Lucas, queis æqualiter laborantibus (abundantius omnibus fratribus) coronarum duplicata portio, multiplicati cibi apponendi erant. Metaphrastes, *A Iudâ Romam vsque vnà cum Paulo Lucas vinctus, eisdem laboribus, eisdem afflictionibus, eisdem communicauit naufragiis, volens omnino apud mensam Domini particeps declarari, etiam coronarum propter hos labores suscipiendarum.* Edocemur, nos socios Sanctorum effectos, & eorum laboribus honestari, & stipari coronis.

Paulo duplex portio præmij, ac coronarum in mensa Dominica apponitur, quia Paulus & Lucas vnico in viro commorātur, seu existunt. Gen. 43. Metaph.

Observatio VI.

Ad illa verba:

In omnem Ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.

Lucas in omnem locum immittitur, quia vbique, instar Dei, quodammodò existit.

Commendo Euangelij ministros vbique terrarum proximis succurrentes, penè immensos.

CAIETANVS acutè, *Misit illos in omnem Ciuitatem, & locum ad rectè exequendum iniunctum munus.* Ac si diceret, eos donauit quodammodo Deitatis immensitate, vt omni loco adessent, vt vbique existerent. Euangelici enim ministri proprium, vbique simul (si fieri posset) cum proximis commorari. 29

Caietan.

Fratres Ioseph *viderunt Ismaelitas viatores portantes aromata in Ægyptum.* Genes. 37. Vbi mysticè Seuerianus, *Ismaelitæ aromatum mercatores Ioseph emerunt, quia Apostoli relictis omnibus, & Dei legibus obedientes (id enim Ismaelitarum nomen significat) Christum pretiosam margaritam emerunt, & ad Gentes toto terrarum Orbe dispersas circumtulerunt.* Verbum *circumfero* significat propriè. *Traer a todas partes.* Ismaëlitæ tulerunt quidem Ioseph in Ægypti metropolim; sed nō circumtulerunt. Ita planè; sed tamen Euangelici ministri ita Christum in vnum locum ferunt, vt in omnem locum simul circumferant, quasi ex ministerij sollicitudine vbique existentes affectu. 30.

Euangelici ministri loco vni hærētes, simul vbique quodammodo existunt, circumferentes Iesum. Gen. 37. Seueri.

De Abrahamo, quem Euangelici ministri typum fuisse Lipomanus affirmat, Textus profatur: *Profectus inde Abraham in terram Australem &c.* Genes. 20. Ad quæ idem Lipomanus, *Omissis fabulis Iudæorum de causis recessus Abrahæ, id videtur verius, quòd vno loco fidelis consistere non debet; sed fidei, & morum exempla passim circumferre.* Ac si diceret; Euangelij minister vni loco haud potest alligari; sed *vbique* simul cōmorari debet. Audi anonymum Doctorem de Luca adiicientem: *Lucas cum Paulo vbique fuit*, Veri hi Ismaëlitæ Christum, pretiosissimam Margaritam circumtulerunt, veri Abrahæ patris imitatores vni loco minimè hærentes; sed simul vbique quodammodò commorantes. 31.

Abrahamum vbique prædicantem imitantur. Genes. 20. Lypom.

Fluuius ille è loco voluptatis emissus, *inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison: ipse est, qui circuit omnem terram Euilath vbi nascitur aurum. Nomen secundi Geon, ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen fluuij tertij Tygris: ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus ipse est Euphrates.* Genes. 2. Quare trium fluuiorum discursus assignatur. Euphratis autem minimè? Quia Lucam designabat. Audi Alcuinum ex innominato illo Doctore. *Quatuor flumina pulchrè dicuntur de quo Paradisi procedere fonte, per quæ quatuor* 32.

Lucas est paradisiacus fluuius Euphrates siue ayeguātime, aut adscriptione ad locum currens; sed vbique existens. Gen. 2. Alcuin.

Euangelistarum numerus designatur. Ex quo perlucido Christi Domini fonte Lucas velut Euphrates procedens cor nostrum sapius rigare, & madefacere non cessat. Et vt Euphrates fertilis, seu fertilitas, & vbertas nuncupatur: ita & Lucas magna fertilitatis parens quotidie illuminare non desinit vbique. Quasi proprium specialissimè Lucæ, socij quidem Pauli, fuerit, vbique incumbendo prædicationis muneri, commorari: & ideo Euphrati terminus discursus non assignatur.

33. *Lucas instar fluuij Euphratis, currebat, vbique irrigās. (Diuinus planè) semina verbi.*

Aiebat Metaphrastes, appositè, *Lucas Gentium prædicator designatur. Currebat diuinus sic Lucas, prædicationem vbique disseminans.* Vbique disseminare Lucas dicitur, Christi ex hoc egregius imitator. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Profectò circumegit, sparsit vbique, iuxta viam, inter spinas, in terram bonam, suprà petram. Quid mirum vbique prædicare, & exanditi vbique Diuinum proculdubio quodammodo immensum. *Lucas currebat diuinus?* Quidni simul quodammodo *vbique*, instar Euphratis, currens, rigaret quæ verbi semina spargeret?

34. *Lucas quasi Spiritus sanctus eligit Euangelij ministros. Act. 13.*

Pondero particulam: *Lucas Diuinus.* Certè Euangelista non infirma exhibuit Diuinitatis documenta. Egit enim Spiritus sancti adeò personam, vt gestum à Lucâ à Spiritu sancto gestum reputaretur. *Erant Barnabas, & Simon, qui vocatur Niger, & Lucius, & Manahen, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum, & Barnabam ad opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos.* Act. 13. Vbi aptè Chrysostomus, hom. 27. in Act. *Vide a quibus ordinentur Paulus & Barnabas: à Simone, à Manahe, à Lucio; imò à Spiritu sancto.* An Lucius Spiritus sanctus fit? *A Lucio,* ait, *imò à Spiritu sancto?* Quinam autem hic Lucius tam iustus, tam Spiritus sancti amicus, vt Spiritus sanctus vocitetur? Origenes lib. 10. ad Rom. *Lucium quidam perhibent esse Lucam, qui Euangelium scripsit.* Si Lucas Lucius, non miror ex ore Chrysostomi, operante Lucio, Spiritum sanctum quodammodo immediate operatum.

Chrysost.

Origen.

35. *Ne post descriptas virtutes Lucæ Diuinus, sine Deus haberetur, necessum adnotare ministrum esse, non Dominum.*

Laurent. Iustin.

Testor Laurentium Iustinianum sic *Diuinus* Lucæ virtutum Deitatem (sic liceat fari) describentē. *Lucas est ager plenus, & vernans floribus, omniúmque virtutū nitore perfusus. Hūc benedixit Deus benedictione maximā, atque imbre cælesti desuper infuso madefecit vberrimè. Huiusmodi donum Euangeliū nobis Lucas exhibuit, quod noscitur esse, medicina languentiū, debilibus robur, periclitantibus salus, peregrinantibus solatium, mentium cibus, sine macula speculum, sine deformitate pulchritudo.* Ne autem quis audiens Lucam esse agrum plenum virtutibus, aberret à fide existimans tam sanctum, tam purum, tam mundum Lucam, ipsam esse puritatem summam, adiicit pulchrè: *Non erat ille Lux; sed vt testimonium perhiberet de Lumine.* Horum bonorum Minister *fuit Lucas, non Author. Non enim seipso; sed Spiritus sanctus in illo. Quocunque spiritus ibat, simul & rota eleuabantur.* Quid mirum tam Diuinum ministrum vbique quodammodo commorari?

SECTIO SECVNDA.

Operariorum Paucitas.

TEXTVS.

VERS. 2. ET dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.
3. Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.

In Lucam

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

EX OPERARIORVM PAVCITATE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Messis quidem multa, operarij autem pauci.

Lucas in messem Euangelij verè Operarius immittitur.

Taxantur Ministri Euangelici, minimè operarij.

MESSIS multæ operarios paucos Dominus esse affirmat. Quonammodò operarij pauci, si tot Prædicatores Euangelico incumbunt ministerio? Respondet Caietanus, *Non dixit: Prædicatores pauci; sed operarij; vt intelligamus paucos esse, qui opere se exhibent prædicatores, quamuis exercitatione vocis multi prædicent.* Illi Euangelici Ministri, operarij

2. *Doctrina prædicatorũ operibus pro lingua vtatur.*

operarij planè, qui opere se exhibens prædicatores. Hi proculdubiò pauci. Noe olim Deus, *Fac tibi Arca de lignis leuigatis.* Gen. 6. LXX. *De lignis quadratis.* Vbi Origenes, *Quadratum est, quod nulla vacillat ex parte, sed, quocunque verteris, fidà, & solidâ stabilitate consistit. Isti sunt Doctores, Ecclesiæ Magistri, quorum vndique stabilis est vita, & doctrina, & ad omne opus bonum parata.* Illud premo: *Doctrina parata ad omne opus bonum.* An non aptiùs dixisset, ad verbum bonum, siquidem verbo doctrina exprimitur? Minimè planè, quia bonus minister Euangelij, potiùs opere quam verbis docet.

3. *Virtus, non vox sola prædicatoris hostibus Ecclesiæ obsistere potest.* Origen.

Adiicit Doctor, *Sicut ligna arcæ omne pondus vel animalium intrinsecus, vel fluctuum extrinsecus ferunt: ita sancti Doctores populos intrinsecus positos verbo cõmonitionis, & doctrina gratiâ consolantur: & impugnantibus extrinsecus vel Gentilibus, vel hæreticis quæstionum fluctus ac procellas certaminum commouentibus, verbi virtute obsistunt.* Quænam hæc verbi virtus impugnatoribus obsistens potentissimis? Profectò ligna arcæ omne sustinentia pondus, quibus sanctitas ministri Euangelici designatur. Prædicans igitur opere, non verbo solummodò, virtute verbi hostibus fortissimis valet obsistere, quos verbo solo minimè posset debellare.

4. *Vt prædicator alliciat ad Deum auditores, debet eis in semetipso Domini diuitias ostentare, nempe virtutes.* Gen. 24. Rupert.

Seruus Abrahæ immittitur, verè ad sponsæ Dominicæ reductionem operarius. *Portans ex omnibus bonis Domini sui secum.* Genes. 24. Et quænam illa bona? Rupertus. *Prædicator Euangelicus cum magnis Domini sui missus est muneribus, illis videlicet, de quibus dicitur Ephes. 4. Dedit dona hominibus. Quia vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Sanctitas ergo Concionatoris bona Domini sunt in ministerium quidem afferenda. Et cur Prædicator verbi opera exhibet auditori? Quia si ex verbo docet, ea operibus, Dei scilicet donis, obiectis, allicit animas ad Saluatorem *Vt scilicet* (adiicit Abbas) *ex bonorum obiectorum* (*seu virtutum Concionatoris*) *abundantia, cognosceret ipsa, quæ petebatur Christo sponsa, quod verè magnus, diuésque, & potens sit ille in cælo, & in terra.* Profectò qui solo verbo inani prædicat Regem cælestem, eum inopem asserit, qui tam vacuum ministrum tanto negotio præficiendum immisit. Gregorius contestatur. *Doctores in his, quæ de Domino loquuntur, in semetipsis virtutum diuitias ostendunt. Vt tanto citius ad sequendum Deum pertrahant auditores, quanto eis in semetipsis monstrant, quæ narrant.*

Gregor.

5. *Lucas ipso nomine ostendit, se operibus magis, quam voce prædicare.* Alcuin. Damian.

Immittitur ad ministerium Lucas, auditoribus vbique terrarum prædicaturus præsentatur nunquã non *Lucas.* Alcui. *Lucas Aeoliсè, in nostrâ linguâ interpretatur Consurgens, Eleuãs. Qui terrenis despectis, sese ad cælestia consurgendo eleuauit: & toto mentis conamine liber, expeditúsque est Dominũ secutus.* Et Petrus Damian. serm. de ipso, *Lucas Hebraicè, Ipse consurgens, siue Eleuans. Hoc in proprio nomine portulit, quod Redemptor noster de morte surrexit, & nos ad cælestia viuentes de mortuis eleuauit. Ipse Dominus principaliter consurgens, & Eleuans dicitur; quoniam ad hoc surrexit, vt nos in virtute prostratos erigeret.* Nec aliter quidem erigeret efficaciùs prostratos, quàm si sese consurgentem, atque eleuatum ex virtutum gloria illis obiiceret. Consurgentem & eleuatum Lucas se hominibus prostratis ostentando, eos ad virtutem, potiùs quàm verborum sono, adduxit.

6. *Illustris prædicatio Lucæ quia operibus vocalibus prò sermone vtebatur.* Metaph.

Pulchrè Metaphrastes Lucæ prædicationem operum describit fatus, *Lucas prædicatione illustris despicit cognationem omnem, despicit & natura viscera, abiicit pecunias, possessiones omnemque substantiam: ita vt nemo adeo facilè pedum puluerem, ne manuum sordes abiiceret. Despectis cunctis inferioribus, superna velociter amplectitur.* Vt igitur Lucas *prædicatione illustris* ostenderetur, non verborum studet comptioni; sed virtutum exercitamentis, quorum obiectione sponsam alliceret ad Christum, quem ea serui diuitiis ditissimum asserebat.

7. *Doctrina Lucæ oculis obiicitur potius, quam auribus, quia operibus prædicat.* Ezech. 1.

Ezechiel Lucam sob vituli pleni quidem *oculis* typo descripsit, de quo inferiùs. Cap. 1. Et cur oculi tot in Lucâ euigilantes obiiciuntur? Laurentius Iustinian. innoit fidelium auditorum oculos designari, qui ad aspiciendas Lucæ virtutes aperiuntur. Quare non aures appinguntur conuenientiùs? Quia Lucas potiùs virtutum aspiciendarum obiectione, quàm vocis expressione concionabatur. Vnde se Lucas nobis aspicientibus præsentans, *contemptum suadet sæculi* (loquor cum Iostiniano) *præsentes illecebras docet esse calcandas, in aduersis constantiam, humilitatem in prosperis, spiritus paupertatem, fitim iustitiæ, mansuetudinem cordis, morum probitatem, atque virtutum disciplinam in omnibus hortatur esse seruandam. Non abs re igitur per Prophetam plenum oculis animal esse describitur.* Quia scilicet tam sanctus Concionator potiùs videndus, quàm audiendus immittitur.

Iustin.

Observatio II.

Ad illa verba:

Messis quidem multa; operarij autem pauci.

Lucas immaculatus quidem constantissimè peccatorum crimina corripuit.

Ostendo eos solos prædicatores posse aliorum crimina taxare, qui operarij quidem Angelicâ nitent puritate.

8. Caietan.

EX doctrinâ Caietani ad messem Domini multam pauci operarij accurrũt, quia cum præcipuum munus Concionatoris sit fortiter reprehendere, haud hoc possunt ij, qui opera recta non exhibent. Aiebat Gregor. lib. 6. Mor. c. 23. *Sancti viri patenter indicant factis quantâ humilitate polleant, & erga eos quos redarguunt, quanta charitate ferueant, manifestant.* Qui enim factis indicat humilitatem potiùs quam verbis, potest liberè delinquentes redarguere.

Gregor.

Moses

9\. Moses quidé humilitate illustris sese Pharaoni, cuius Deus fuerat constitutuś, submisit sæpissimè humilitatis opere prædicator. At taxaturus Regis superbiam fortius insurgit fatus: *Vsqueque non vis subiici mihi?* Exod. 10. mihi quidem, qui toties humilitatis doctrinam operibus euulgaui. Et cur, ô mansuetissime Princeps, nunc non parcis superbo? Quia qui operibus Prædicator exurgit, cum reprehensio necessaria est, sæcularibus Potestatibus nõ parcit. Aptè Gregorius Cap. 22. Concionatores sancti, humilitate quidem fulgidi, contra superbiam præcepta tradentes: *Nullis contra veritatem potestatibus parcunt; sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritûs authoritatem premunt. Hinc est, quod Moyses Regem Ægypti ex authoritate aggreditur dicens: Vsquequò non vis subiici mihi?* Laurentius Iustin. Lucam constantissimum aduersùs delinquentes prædicatorem fuisse asserit, quia humilitate conspicuus, *Constantiam & humilitatem docuit esse seruandam.* Nec enim constanter carpit superbos, qui humilitatis non se priùs, opere ipso, Doctorem ostendit.

Moses humilis potuit Pharaonis libere taxare superbiam. Exod. 10.
Gregor.
Iustin.

10\. *Angelus* quidem ab Alcuino Lucas appellatur. Quare? Quia Angelicam puritatem proferens pro sermone, constantissimè immundos Gentiles reprehensione vulnerauit. Azarias Sacerdos Angelicæ puritatis æmulator, Regem Oziam aggressus delinquentem, inquit: *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino.* 2. Par. 26. Vbi Chrysostomus hom. 4. de verb. Isa. *Vide libertatem, vide mentem seruire nescientem, vide linguam cælos attingentem, vide hominis corpus, & Angeli mentem.* Si Angelicam ille puritatem imitatur, quid mirum immundum Principem reprehensionis vulnere afficere?

Angelus Lucas puritate, constanter Gentiles reprehendit immundos. 2. Par. 25. Chrysost.

11\. Virga Aaronis Sacerdotis, excitato miraculo, effloruit. Num. 17. Quonam mysterio? Respondet Ambrosius epist. 18. *Legimus quòd virga nucina Aaron Sacerdotis, cùm diu reposita fuisset, effloruit. Nam videtur per virgam significari, quòd directa esse debeat prophetica, & sacerdotalis authoritas, vt non tam delectabilia, quàm vtilia persuadeat. Ideo nucinum baculum sumere iubetur Propheta Ierem. 1. quia memorata pomum arboris amarum in cortice, durum in testâ, intus est fructuosum. Vt ad eius similitudinem Propheta quoque amara, & dura prætendat, & denunciare tristia non formidet.* Ab illis nota: *Nam videtur per virgam, &c.* Dixerat: Virga Aaron effloruit. Mox, cur floruisset, ostendit, nam virga directa esse debet ad reprehendendum. Quid si non germinasset? Si non floruisset? Profectò Prædicator, qui priùs puritatis vitæ flores non emittit, ineptè dirigitur vt virga percussura delinquentem, eique amaritudinis præsagia editura. Irreprehensibilis sit, instar Angeli Lucæ, quisquis alios reprehendere immittitur.

Virga florens puritate acriter potens percutere. Num. 17. Ambros.

12\. Ioannes Angelus prædicaturus exurgit, Malachiâ præfante: *Ecce ego mitto Angelum meũ.* Cap. 3. Reprehendit acriter ille Herodem lasciuiâ immundum, adulterio maculatum. Quem tamen Rex libenter audiebat. Marc. 6. Et vnde nam superbo Herodi tanta mansuetudo, vt correptus non in iras exorbitaret? Quia sese Ioãnes Angelicâ puritate nitentem, dedit opere Concionatorem. Hic solummodò potest corripiendi alios muneri incumbere. *In deserto adoleuit, & Dominum baptizauit, & conscientiam illic prius exercuit, vt postea Regem increparet.* Sic Ambrosius.

Ioannes Angelus moribus Herodem adulterum apertè reprehendit. Malach. 3. Marc. 6. Ambros.

13\. Stephanus concionaturus, Iudæorumque reprehensurus incredulitatem, priùs auditoribus Angelus ostentatur. *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Act. 6. Cur Angelicam faciem Stephani apparuisse Textus adnotauit? Respondet Chrysostomus, *Hoc dicit, vt causam ostendat propter quam passi sunt illum concionari,* eósque acriter corripere. Solum enim immaculatum Cõcionatorem correpti auditores libenter, seu patienter exaudiunt. Aptiùs adhuc meo argumento Lorinus, Angelicum vultum, ait Leuitam ostendisse, vt Concionatoris vitæ innocentia, & simul corripiendi libertas innueretur.

Stephanus Angelus in iniquos increbrus, auditur. Act. 6. Chrysost.

14\. Cùm Dauid sese Angelum purissimum exhibebat, constans Saulem alloquutus est. At adulterio maculatus nec filium corripere audet delinquentem. Pulchrè Chrysostomus ad Psalm. 116. *Vita diuinæ legi consentanea fiducia parẽs, & architecta est. Huiúsque rei magnus Dauid est testis. Quippe qui priùs quàm peccâsset, cum ingenti fiducia Saulem alloquebatur. Admisso autem peccato, parricidam filium fugiens, prono in terram vultu, obtectóque capite iter faciebat.* Paulo superiùs Eliæ constantiam, quâ Achabum Regem taxauit, ponderans, inquit: *Talis nimirum insignis ille Elias erat, iustitia fiduciâ subnixus, ac Regis Achab scelus coarguens.* Ideo Angelus Lucas nuceâ quidem virgâ constanter corripuit errantes, quia Angelicam puritatem germinauit.

Dauid Angelus Saulem taxat, impurus nec filium audet corripere. Chrysost.

Observatio III.

Ad illa verba:

Messis quidem multa; operarij autem pauci.

Vnus Lucas in paucâ messe operarij multi.

Vbi ostendo, Euangelicum ministrum vnum pro mille sufficere, si animarum zelo accendatur.

ERAT quando messis multa & operarij pauci; immisso autem Lucâ, iam pauca messis; multi autem operarij obiiciuntur; vnus enim noster Euangelista zelo succensus animarum pro mille protenditur. Et quidem si laborantem Lucam contemplor; non mille operarios, innumeros esse reperio. 15.

16\. Agricola cælestis exiit sementem facere, fante Euangelistâ, *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Luc. 10. Et cur toties seminandi vocabulo vtitur: *Qui seminat, seminare semen suum?* Certè vt Christum Dei Filium agricolam ostendat, qui vnus pro mille valet operariis, quasi vniuerso Mundo semina spargens. Vnde & super Iudæorum petram, & super diuitum,

Lucas agricolam cælestem imitatus, vnus pro mille est. Luc. 10.

uitum, scilicet Regum, ac Principum Orbis spinas, & super bonam Gentilium terram, & secùs viam peccatorum delinquentium post baptismum simul verbi sementem exerit, si credendum Expositoribus. An Dei Filius solus potuit mille operariorum, innumerabilium agricolarum laborem suscipere? Certè Lucas cælestem agricolam imitatus, innumerabilium operariorum fructus exponit. Alcuinus ad hæc. *Velut cælestis Agricola Lucas, semina doctrinæ Euangelij innumerabilium mentibus hominum serens, ac vomere suæ insignis linguæ nunciandæ sulcans ad Creatoris sui fidem eos converteret.*

Alcuin.

17. Pluribus ministris Euangelij Dominus recessurus talenta impertit, exhibens vni quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, secundùm propriam virtutem. Ast illi duo fideliter se gerentes pro quinque quinque, pro duobus duo reddidere. Matth. 25. Certè Lucas cuncta talenta secundum propriam virtutem accipiens quodammodò, adeò multiplicata reddidit, vt videatur non nummos accepisse; sed semina serenda. Vnde pro vno talento, centum (in morem boni seminis multiplicati) Domino exposuit. Alcuinus pulchrè, *Lucas duplicatis talentis Domini sui, & centesimum secum afferens fructum ad cæli palatia gemina perenniter regnaturus properauit.* Talenta plura accipit, duplicauit numerando aurum cæleste; mox duplicata talenta in morem seminum seuit, pro vno centum colligit. Vnde vnus Lucas, vt operarij iam multi, Domino sistitur, non vnico cæli palatio; sed gemino excipiendus, Multo enim operario multum palatium præparatur: *Gemina palatia.*

Vnus Lucas cuncta talenta accipit, quæ duplicat, & seminat, vt in morem messium, centum pro vno reddat.

Matth. 25

Alcuin.

18. Quàm mirabili Numinis prouidentiâ, tot Nationibus esurientibus, vnus Ioseph annonæ præficitur! Hic quidem serendi laborem non subiit; sed metendi curam suscepit, vt egentibus succurrere posset. At vnus Lucas & metit, & serit, cunctisque Nationibus frumenta exponit. Petrus Damian. serm. de Luca, *Lucas diuersis agrum Ecclesiæ frugibus ditat, vnde populus esuriens viuat. Hæ planè sunt fruges, quas Ioseph fratribus contulit.* Et cur Ioseph mysticus non solum Gentibus esurientibus; sed & fratribus satiatis semina exhibuit asportanda? An non vt ibi etiam sererent, & meterent? O Lucæ multiplex operatio! Non solum ipse laborat, messis Euangelicæ operator eximius; sed & fratribus prædicatoribus operariis frumentum tradit serendum, vt constet (dum hæc operatio Lucæ debetur) illum, non vnum; sed multos operarios se Domino exhibere.

Lucas Ioseph est verè orbi non solum metens; sed & serens.

Damian.

19. Profectò Lucas vnus sese multiplicem exhibuit, quasi ex vnâ arbore Lucâ, Lucæ multi prodirent laboraturi. Aiebat Dominus, *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Matth. 7. Existima Lucam arborem, è quâ multi operarij Euangelici, siue (vt vulgariter exponam) *Muchos Lucas* loco fructuum proferuntur. Bonauentura serm. de Locâ. *Bona arbor Lucas fuit, quia bonos fructus portauit. Dum quod corde credidit, ore prædicauit; manu scripsit, atque operationibus adimpleuit.* Operationibus quidem, plurium operariorum indicantibus laborem. Vbi enim Lucas, ibi multiplex operatio ex pluribus operariis ostenditur.

Lucas arbor est, seipsum quasi multiplicem germinans.

Matth. 7.

20. Quid mirum pro innumeris laborasse, si tam addictus continuo erat labori, vt pluribus aliis deficientibus, nunquam ille potuerit fatigatus à messe recedere: quasi necessariò esset labori alligatus. Ait socius Paulus, *Demas me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit in Thessalonicam; Crescens in Galatiam; Titus in Dalmatiam; Lucas est mecum solus.* Tim. 4. Ex messe Paulo multâ commissâ pauci operarij profugerunt, solus Lucas permansit operator; sed qui non solum Demæ, Crescentis, & Titi ministerium, sed operariorum suppleret innumerabilium. Et quare illis aufugientibus laborem penè immensum Lucas non fugit? Quia quasi necessariò erat labori (ex zelo quidem animorum) alligatus; vnde diuelli minimè potuit. Bellè Chrysostomus, *Lucas quippe distrahi ab illo, auellique non poterat patientissimus laboris.*

Tam additus labori, vt quodammodo non posset deserere; aliis deficientibus operariis.

2. Tim. 4

Chrysost.

Alibi Apostolus, *Lucas Medicus charissimus.* Col. 4. Quare charissimus Pauli vocitatur Euangelista? Respondet idem Chrysostomus, *Adiecit: Dilectissimus. Et hoc non modicum encomium; sed admodum magnum, Paulo esse dilectissimum.* Ambrosius autem rationem huiusce specialissimæ dilectionis adhibet. *Verè charissimus Paulo fuit Lucas, quia omnia postponens, semper Apostolum secutus est.* Iam non miror Apostolum, vel vnum Lucam, multiplicem quidem operarium (siue omnes in vno) sortitum, verè inclamare: *Abundantius omnibus laboraui.* 21.

Charissimus Paulo Lucas, quia perpetuus socius, quo vno, multiplici quidem operario addicto sibi plus omnibus laborauit.

Col. 4.
Chrysost.
Ambros.

Quid si vel post obitum non cesset operarius noster à laborandi studio? Certè non solùm scripto à se Euangelio serit semper & metit, de quo infrà; sed curauit pluribus modis ingeniosa charitas Lucæ, post mortem apud proximos permanere ipsum operarium. Audi Metaphrastem, *Hoc autem inter cætera gratissimum est, quòd ipsum quoque typum assumptæ Humanitatis Christi, ac signum eius, quæ eum pepererat, primus hic lineamentis pingens; vt ad hæc vsque tempora in imagine honorarentur, traderet.* Quo fructu? Vt scilicet semper operante Lucâ, fideles honorantes Christum, & Mariam, nouis gratiæ profectibus cumularentur: sicque Lucas ad superos peruolans, posset semper apud homines sibi Dilectissimos, operarius persistere. Adiicit Doctor, *Quasi non satis esse existimans,* (post tot operarij labores) *nisi etiam per imagines & typos hos versaretur cum iis, quos desiderabat. Quod feruentissimi amoris signum est.* 22.

Curauit Lucas Christi, ac Mariæ imagines pingens, semper cum proximis vt operarius persistere.

Metaph.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Operarij autem pauci.

Lucas in messe Dominicâ Vitulus infatigabiliter operarius.

Innuo Euangelicum operarium contemplationi vacare debere, eiusque obitum Ecclesiæ esse lacrymabilem.

EX animantibus illis, quæ Ezechiel & Ioannes se vidisse asserunt (quæ quidem à Patribus quatuor Euangelistis accommodantur) 23.

tur) typum Vituli Lucæ merito adaptatum accipio, vt animantis adnati labori imago Lucam fatigatum numquam operarium repræsentet. Petrus Dam. serm. citato. *Vitulus beatus Lucas est, sicut Ezechiel & Ioannes se vidisse pronunciant.*

Damian.

24. Quare Lucas designatur in vitulo? An non vitulus sacrificio, & labori simul expositus? Ita planè D. Lucas totus altari, totus proximis impenditur. Damianus. *Lucas vitulus est: vitulus si quidem in Templo solebat offerri. Et benè vitulus, quia sacra lingua vomere cordis nostri arua proscindit: eáque Euangelici seminis iactu, vitali fruge fœcundat.* Profectò dum & altari, & proximis Lucas simul addicitur, se se egregium Euangelij obiicit operarium. Gregorius lib. 6. Mor. cap. 35. *Neque enim perfectus Prædicator est, qui vel propter contemplationis studium, quærenda negligit opera: vel propter operationis instantiam, contemplanda postponit.*

Lucas vitulus & altari, & messi deseruit: id est contemplationi & proximi saluti. Damian. Gregor.

25. Quidnam duplex illud Abrahæ sepulchrum designauit? *Sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca duplici.* Gen. 23. Mysticè idem Gregorius citatus expendit. *Abraham coniugem mortuam in sepulchro duplici sepelit, Quia nimirum perfectus quisque operarius, extinctam à præsentis vitæ desiderijs animam suam sub bona operationis tegmine, & contemplationis abscondit. Lucas despiciens cognationem omnem,* (loquor cum Metaphraste) *& naturæ viscera; despiciens pecunias, possessiones, omnem substantiam* animum sæculo omnino mortuum ostentat, quem quidem duplici sepulturæ addicit, dum vitulus simul & altari deseruit, & proximorum saluti operam curat impendere.

Id ex Abrahæ sepultura duplici innuitur. Gen. 23. Greg.

26. Apposité Vituli nostri operationem Salomon expressit. *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est; vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.* Prou. 14. Vbi Gregorius in Regist. Indict. 1. cap. 30. *Gratias omnipotenti Deo soluimus, quia impletum videmus, quod scriptum est: Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis. Si enim bos fortis aratrum linguæ in terra cordis audientium non transfixisset, tanta fidelium seges minimè surrexisset.* Discipulis Dominus: *Leuate oculos vestros, & videte Regiones, quoniam albæ iam sunt ad messem* Ioan 4. An non de Gentilium messe multa locutus est? Ita planè. O messem multam multos requirentem operarios! Adiicit Iesus, *Et qui metit, mercedem accipiet, & congregat fructum in vitam æternam.* Ibid. Vnus est tantæ messis operator: Lucæ enim vitulo innumeræ illæ Gentilium segetes datæ, in cæleste horreum congregandæ. Segetes plurimæ obiiciuntur? Manifestè ibi apparet Lucæ bouis fortitudo. Pulchrè Lyranus ad Prouerbia. *De sancto Luca potest exponi, quod scriptum est Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.*

Tot Gentilium fructus in Ecclesia indicant Lucæ vituli operationem. Prou 14. Gregor. Ioan. 4. Lyran.

27. Addo solum Lucæ Euangelium (licet operarij huius laborem non contemplemur) plurimas bouis huius fortissimi segetes præsentare. Lyranus: *In Euangelio Lucæ continentur segetes plurimæ, videlicet Domini Iesu verba, quæ sunt animarum pabula. Ergo ibi manifesta est fortitudo bouis.* Fructus enim, qui ex Euangelij lectione, ac prædicatione, quotidie vsque ad sæculi terminum comparandus est, Lucæ bouis scribentis operi tribuendus. Quàm plurimæ, ex Lucæ Euangelio segetes. *Ibi igitur bouis Lucæ fortitudo est manifesta.*

Solum Lucæ Euangelium segetem multiplicem bouis enunciat. Lyran.

Bos quidem tam adnatus labori, quàm taurus bello; sed hic non facilè ad aratrum trahitur. At Lucas numquam non aratro bos addictus, tauri in morem, Ecclesiæ hostes duris vulneribus nouit affigere. Moses, *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ.* Deut. 33. De Lucâ sic Damianus exposuit. *Lucas vituli prætendit imaginem, quia hostes Christi, atque aduersarios veræ fidei, dum Euangelicam scribit Historiam, tanquam duobus cornibus ventilas, eósque, ne aream Ecclesiæ depopulentur, expugnas.* Felicissimè messis & area Ecclesiæ tantum sortita est operarium, qui messem faciat, aream cumulet, & custodiat. 28.

Lucas bos ad messiũ culturam, taurus ad Ecclesiæ defensionem. Deut 33. Damian.

Ideò mortuo Lucâ Ecclesiam Viduam lamentari contemplor. De Tyrannorum iniquitate Iob dixit: *Abstulerunt pro pignore bouem viduæ.* Cap. 24. Ad quæ Gregorius lib. 16. Mor. cap. 22. *Quæ vidua, nisi Ecclesia debet intelligi, quæ occisi viri sui interim visione priuata est? Bos autem huius est Viduæ vnus prædicator. Bouẽ ergo viduæ auferunt, cum de Ecclesiâ prædicantem tollunt.* Vno mortuo prædicatore, Ecclesia vidua ostenditur? Vnum hunc asseram Lucam, qui & operarium agebat, & defensorem? Edisce Euangelicum operarium contemplationi vacare debere, vt proximorum saluti vtiliter curam impendat: quámque lacrymabilis sit Ecclesiæ viduæ eiusmodi perfecti operarij decessus. 29.

Mortuo Luca, vitulo vidua Ecclesia adimitur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Præmissis Ecclesiarum precibus, Lucas Paulo assignatus socius, Dominicæ messi præficitur.

Edocemur, orationem præmittendam, vt ad nos, docturi vtiliter Euangelici ministri immittantur.

NON rogandus Dominus solummodo vt operarios suæ messi multiplicet; sed vt operarios ministros efficiat. Caietanus. *Deus vult rogari à nobis pro messe suâ. Hoc rogare, necessariò incumbit nobis. Nam huiusmodi necessitas significatur ex* [illegible] *dicendo: Rogate ergo.* [illegible] *gna populorum dispositio est.* [illegible] *diuina gratia, & vere operarij* [illegible] *vere* 30.

Caietan.

Disci-

Discipuli Christi (qui verè amant, & quærunt non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi) rogare Deum, vt emittat operarios in messem suam, ne pereat.

31. *Licet Dei sit messis, rogandus, vt operarios mittat; sicut rogatur eius sanctificari nomen.* Matth. 6.

Obiicis τὸ *suam*. Si Dei est messis, ipse curabit operarios idoneos emittere; quid ergo nostræ preces requiruntur? Dic mihi, obsecro, quidnam sit magis Dei proprium, messis ne; an proprij nominis sanctificatio? Quis dubitet, proprij nominis sanctitudinem ad Deum specialiùs pertinere? Profectò Deus docuit nos vel proprium suum nomen nostris præmissis precibus esse sanctificandum. Edocens nos Christus orare, dixit: *Sanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. Si igitur vult Dominus ad proprij nominis sui sanctificationem nostras preces præmitti: quantò efficaciùs nostras preces ad suæ messis culturam expectabit? Appositè Caietanus adiicit.

Caietan.

Prudens lector, aduerte Deum velle rogari à nobis pro messe suâ: contra incuriam dicentium de Deo. Res eius agitur. Propterea enim in oratione Dominicâ, primas petitiones docuit de ijs, quæ Dei sunt: Sanctificetur nomen tuum, Adueniat Regnum tuum, Fiat voluntas tua.

32. *Orante iusto, apud Ecclesiã Gentium & concionatores, & auditores operantur.* Gen. 20. Rupert.

Vt igitur minister Euangelicus operarius sit, & auditores fructus proferant salutares, oratio iustorum necessaria est. Ægrotante olim Abimelech, vxor, & ancillæ eius sanati sunt. *Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, & ancillas eius, & pepererunt.* Gen. 20. Pulchra planè Ruperti allegoria. *Domus Abimelech Gentium Ecclesia est, in quâ est est alia vxor, scilicet* Prædicatoris *anima per amorem vnita Domino Deo: alia ancilla,* auditores videlicet, *qui inseruiunt fidei, & prædicatorum verbo. Omnes pariunt.* Euangelicus minister enititur operarij dignos fructus; auditores autem pariunt fœtum salutarem verbo obedientes. *Pariunt tamen orante Abraham,* id est, iusto preces emittente. Vt enim & Concionator sit operarius, & auditor doctrinam salubriter excipiat, iusti assiduæ preces requiruntur.

33. *Vt Paulus immittatur ad Gẽtes, orat Lucas, vt Lucas immittetur, tota orauit Ecclesia.*

O gentium Ecclesia, apud quam Lucæ verè operarij parit anima, Deo per amorem vnita, vt vxor charissima, & ancillæ cunctę fructus edant salutares: *Omnes pariunt.* Et vndenam tot cælestia & Concionatoris, & auditorum germina? *Pariunt, orante Abraham.* Tota, vt immittatur operarius Lucas, precatur Ecclesia. Vt Paulus & Barnabas ad Gentium Ecclesiam operarij immitterentur, orauit Lucas cum Simone, & Manahæ. *Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus. Segregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus.* Act. 13. Iam Paulus ad Gentes, vestri ieiunij & ministerij siue orationis fructus, operarius immittitur: *Ad opus.* Vt autem Lucas ad easdem Gentes immittatur, tota exorat Eccclesia. *Non solum autem; sed & ordinatus est ab Ecclesijs* (proculdubiò orantibus,) *comes peregrinationis meæ, Apostolus inquit,* 2. Cor. 8. O quàm immuneri ancillarum, quam felices partus ea tantâ Dei vxore pariente expectantur! Alibi vberiùs redibit argumentum.

Act. 13.

2. Cor. 8.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Illustrissimum Lucæ ex diuturnâ mortificatione Martyrium illustro.

Ostendens, continuam laborum sustinentiam, exercitamentáque pœnalia, Martyrij sanguine rubricari.

SIc Caietanus sententiam Lucæ exponit: *Ecce ego mitto vos sicut agnos mansuetos sine offensione, & defensione. Parum autem erat mittere sicut agnos; sed addendo inter lupos, seu in medio luporum, declarauit, quòd vorandos eos destinabat. Et verè præparatos ad Martyrium oportet esse eos, qui à Christo, ad prædicandum mittuntur. An voratus Lucas?* 34. Caietan.

Voratum planè affirmant Nazianzenus Orat. 1. in Iulian. Paulin. Epist. 12. Gaudentius tract. de dedic. Eccles. Baron. tom. 1. & alij. De Martyrij genere sic Nicephorus lib. 2. c. 34. *Lucas à diasis verbi contemptoribus ex fructifera olea arbore suspensus, Deo spiritum commendauit.* Vt iam ex nouo fructo Euangelistæ, in campis misericordiæ adsit speciosior oliua. Bos en Viduæ vi tyrannicâ ereptus! *Abstulerant pro pignore bouem viduæ.* Iob, 24. Id quod de Lucæ obitu ea quo vidua lamentatur Ecclesia, superiùs exposui: In præsenti autem τὸ *abstulerunt.* ad necis violentiam allicio. 35. *Lucas profudit sanguinẽ.* Nazian. & alij. Iob. 24.

Enimverò licet Lucas non fuisset violentâ vi præreptus, egregij Martyrij locum obtinuisse, vitæ diuturnæ eius sanctitudinem assero. Apostolus ait. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Gal 5. Vbi August. serm. 4. de Martyr. *Non Martyrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum. Peruenitur non solum occasu; sed etiam contemptu carnis ad coronam. Absque iniuriâ Sanctorum in percussionibus defunctorum, dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superâsse, auaritiæ restitisse, de Mundo triumphâsse, pars magna Martyrij est.* 36. *Mortificatio Martyrem efficit instum.* Gal. 5. August.

Quàm vberem hinc Lucæ Martyrium suppeditat materiem! Fatur Anonymus apud Alcuin. *Martyrium suo corpori Lucas assiduis lamentationibus, crebris vigilijs sua membra macerans, indixit. Ab ipso pueritiæ suæ tempore castus omnimodò perseuerans. Ideóq; non immeritò inter Apostolorum Martyrum choros, inter immarcescibiles Martyrum aliorum rosas ceruscat.* 37. *Lucam Martyrem mortificatio reddidit.* Anon.

Et quidem diuturna tot laborum, tantæ mortificationis sustinentia, Lucam augustissimum Martyrem exposuit. Fatur pulchrè Hieronym. Prol. in Luc. Lucas *Seruiens Domino sine crimine, septuaginta quatuor annorum obijt in Bithyniâ plenus Spiritu Sancto.* Hæc proxima verba: *Plenus Spiritu Sancto* (ipso Lucâ authore) Mar- 38. *Lucæ obeunti datur Spiritus sancti plenitudo, ad Martyrium.* Hieron. Act. 7.

tyrio vitam Euangelistam asserunt consummasse. Vt Stephani Lucas describeret Martyrium, ait: *Cùm autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum*, &c. Act. 7. Et cur ille Spiritu Sancto plenus annotatur. An vt innueretur Leuitam Spiritus sancti eâ virtute donatum, quæ ad Martyrium subeundum fortissimè necessaria erat? Sic à nonnullis locus interpretatur Lucas ergo obiit plenus Spiritu Sancto, vt Martyrio consummaretur. Nam qui sine crimine Domino seruiit septuaginta quatuor annis, vel hoc ipso, martyrio quidem coronatus discessit

39. *Et Paulo, & Lucæ corona præparata est Martyrij. Anon.* Congruum planè fuit, Pauli gloriam communem fuisse socio inseparabili: *Dum eumdem gloriosissimum Paulum Lucas sequeretur* (cum Anonymo loquor) *in cunctis terra marisque tribulationibus, dignè ab illo huiusmodi testimonio meruit laudari: salutat vos Lucas*, &c. Ego laudatum ab Apostolo arbitror eùm dixit: *Bonum certamen certaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

Et cur non dixit: Corona Martyrij, qui gladium sanguine purpurauit? An quia iustitia certaminibus tentata Martyrium est? Quis abneget? Socij ille Lucæ coronam celebrauit. De quo *Metaph.* Metaphrastes, *Rediit in pace ad Deum pacis, sed ita vt possit cum Paulo dicere: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; proptereàque reposita est mihi iustitiæ corona.*

40. *Lucas intinctus totus sanguine Agni, totus mortificationi addictus.* Ac si diceret. Obiit in pace; sed diuturnâ laboribus sanctitate tentatâ, meruit cum Paulo Martyre coronari

Tulit Moyses sanguinem, & aspersit populum; reliquam verò partem fudit super altare. Exod. 24. *Exod. 24. Bruno.* Vbi Bruno, Qui sanguine respergitur, in aliquâ in parte intingitur, in aliquâ non; qui verò sanguine operitur, totus intingitur. Martyres sunt altare, qui toti intincti sunt sanguine: Nos verò etsi operiri non possumus; saltem respergi debemus sanguine Agni, vt nos exercitemus in ieiuniis, in vigiliis & aliis bonis operibus. Certè Lucas totus huiusmodi exercitiis immersus est. Laurentius Iustin. *Tribulationibus multis exercitatus, non fractus, cursum suæ peregrinationis expleuit. Diebus namque plenus felici fine dormiuit in Domino. In eius autem consummatione laudabili, exaltantibus Angelis, Apostolorum, ac Martyrum choris admissus est, qui pars carnis mortificatione pro gloriâ Domini palmam Martyrij adeptus est.* *Iustin.*

Cunctos Martyres Lucas ad certamina vocatos mortificationis gladio transfossus imitatur. 41. *Possumus nihil ex mortificationis exercitamento Martyrij stipari corona.* Egregia planè mortificationis religiosæ gloria, posse Martyrij purpurâ intingi. Dauid. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* &c. Psalm. 2. *Psalm. 2.* Fremitus illi aduersùs Martyres proferuntur. Augustinus serm. illo 4. ait, *Augustin.* *Fremebat Mundus aduersùs Martyres, populi meditabantur inania, Principes conueniebant in vnum, excogitabant nouos cruciatus, & pœnas incredibiles inueniebat ingeniosa crudelitas, obruebantur opprobriis, falsis arguebantur criminibus, custodiis intolerabilibus includebantur, vngulis arctabantur, ferro premebantur.* Potuit ne Lucas diu sanctè viuendo eadem coronâ cingi? Imo & nos tantilli, ad Lucæ conspectum gigantis, Martyres valemus imitari. Adiicit Pater: *Si tormenta, quæ Martyres pertulerunt, ferre non possumus; vel contra malas concupiscentias repugnemus. En martyrium nostrum!*

SECTIO TERTIA

Euangelicum Ministerium.

TEXTVS.

VERS. 4 NOLITE portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. 5. In quamcumque domum intraueritis, dicite: Pax huic domui. 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. 7. In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede suâ. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque Ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis. 9. Et curate infirmos, qui in illâ sunt; & dicite: Appropinquauit in vos Regnum Dei.

In

In Lucam

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS circa literam.

EX EVANGELICO MINISTERIO.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Primùm dicite: Pax huic domui:

Euangelij Lucæ omnino pacifici gloriam expendo.

Vbi innuo peccatorem plerùmque ad meliorem frugem suauitate alliciendum.

1. Caietan. PAX huic domui: *Optima* (Caietanus inquit) *Salutatio imprecatiua omnis boni sub vno nomine pacis. Pax enim fert secum omne bonum, quoniam fert secum tranquillitatem animorum, etiam deficientibus rebus.* Profectò licèt omnis Euangelicus Minister ingrediens homines pace rogat donari; specialissimè Lucæ munus est, quia Euangelium ipsum nostri Euangelistæ totum pax peccatoribus. Vnde si Lucas ingressurus domos Gentilium ex cęlesti monito profaturus erat: *Pax huic domui* posset aptè id significare dicendo: *Euangelium secundùm Lucam huic domui.* Totum enim pax est hominibus, hostes cunctos Saluatoris debellans.

2. *Lucæ Euangelium ex pacifica Sion pacificum hominibus datur.* Isa. 41. Isaias prefatur, *Primus ad Sion dicit: Ecce adsum: & Jerusalem Euangelistam dabo.* Cap. 41. Primus, id est, qui se Primum, & nouissimum vocitauit, Christus à terrâ post passionis bellum auolans ad Superos, Sion pacis quidem visionem suâ præsentiâ decorauit: Ecce adsum. Et inde Ierosolymæ pacificum omnino, vt decebat è Sion emissum, Euangelistam dedit. Reliqui Euangelistæ in terrâ, bellorum quidem patriâ, Euangelium suscepere, vnde sapit quidem bellorum strepitum. At Lucas à Christo apud pacificam Sion commorante suum accipiens, totum hominibus pace diffluens exposuit. Petrus Dam. serm. in Luc. *Quanta sit dignitatis, quanta excellentia Lucas, in hoc liquido deprehenditur, quòd cùm Marcus à beato Petro edoctus, & Matthæus, atque Ioannes, qui Euangelium scripserunt, Redemptoris nostri gesta in terrâ didicerint: iste solus hoc Euangelium scribere meruit, quod de Sion descendit: dum hoc Spiritus sanctus Paulo reuelauit, & postmodum per eumdem Paulum, quasi per organum suum Lucæ Christus intonuit. De cælo Christus in Paulum gestorum suorum sacramenta profudit, eadémque per Paulum in Lucam, velut aureâ fistulâ mediante, transfudit. Vt Lucæ non immeritò congruere, videatur, quod per Isaiam dicitur: Primus ad Sion dicit: Ecce adsum; & Ierusalem Euangelistam dabo.* Dedit ex Sion pacis visione Euangelium omnino pace redundans. (Damian.)

3. *Euangelium Lucæ peccatoribus remissionem peccatorum facilem præsentat.* Matthæus descendit ad Christum, quadraginta recensens generationes, queis Hebręorum apud deserta quadraginta annorum tribulatio innuitur. At Lucas à Domino ipso immediatè ascendit septuaginta septem generationibus obiectis, quibus Dei erga peccatores pax figuratur, toties peccatoribus veniâ donatis. *Vsque septuagies septies.* An non totum Lucæ Euangelium pacificum præsentatur? Damianus idem audiendus. *Per numerum, quem Matthæus ordinat, susceptio laboriosa mortalitatis nostræ; per illum verò, quem Lucas posuit, exprimitur mysterium redemptionis nostræ. Septuagenarius quippe septimus numerus remissionem significat peccatorum.* (Damian.)

4. *Euangelium Lucæ Christũ à baptismo describit ad Patrem eleuantem mundos iam peccatores.* An non Matthæus descendens per generationum lineam, innuit Christum ad peccatores puniendos descendisse. At Lucas à baptismate inchoat historiam, vt non memoret Christum, nisi peccatoribus parcentem, cunctáque flagitia lauacro regenerationis abstergentem. Adhuc Petrus Dam. *Lucas, vt expiari nos de nostris sceleribus per aduentum Saluatoris ostendat, non ab Euangelicæ narrationis exordio; sed à baptismo dumtaxat Christi cognationis ordinem inchoat. Matthæus per generationum lineam descendendo, Christum ad nos peccatores de cælo aduenisse perhibeat. Lucas autem*, totus pacificus, *à sacramento baptismatis ad Patrem vsque conscendens, traxisse nos secum ad cælestem gloriam, à peccatorum sordibus ablutos ostendit.* Vti pleno ore profari possit: *Pax huic domui.* (Damian.)

5. *Euangelium Lucæ peccatores non ægros, sed sanatos exponit.* Nos Matthæus ægrotos describit Medico indigentes, apud piscinam hominem expectantes. At Lucas sanatos obiicit ad supernam Sion, æterna potituros pace. Pulchrè Doctor: *Ostendit ille Pastorem nonaginta nouem oues in deserti pascuis relinquentem. Docet iste* (Lucas) *quòd, quam perdiderat ouem, scapulis impositam ad ouile proprium reuocauit. Matthæus perhibet descendisse Medicum ad ægrotos: fatetur Lucas ad incolumitatis æterna gaudia secum nos reduxisse sanatos.* (Damian.)

6. *In Actibus Apostolorum à Luca scriptis pacifica peccatoribus cuncta.* Quid autem de Actibus Apostolorum à Lucâ scriptis attexam? An pacifica cuncta Peccatoribus, ac iustis ádeò bella pace condiuntur, vt tota materia Euangelicâ pace redundare videatur. *Scripsit Lucas* (adiicit Damianus) *Apostolorum labores, & actus, quibus & ipse collaborator interfuit.* Labores scripsit? Ergo potiùs indixit bellum, quàm pacem euulgauit. Annon Lucas *Medicus charissimus* vocitatur à Paulo? Quare *charissimus*, nisi quia dulcia, seu suauia medica- (Damian.)

mina ægrotantibus adhibuit? Profectò *in Actibus Apostolorum* (concludit Pater) *si diligenter attendimus, quia Medicus est ille, qui scribit, inuenitur. Nihil aliud reperitur nisi animarū languentium medicina. Vt sicut primitiuam Ecclesiam vixisse comperimus, sic viuere studeamus.* Labores igitur Apostolorum narrat; peccatorum autem suauissima medicamina exponit. Ediscat Magister Euangelicus peccatores vt plurimum suauitate alliciendos, vt ad bonam se frugem excipiant.

Observatio II.

Ad illa verba:

Primum dicite: Pax huic domui.

Edocet Lucas sermonem benè compositum, & cum moderamine comptum, fructus parere in peccatorum conuersione.

Vbi commendo studium Concionatorum, qui vtili sermonis comptioni operam præstant.

7. *Lucæ sermo floridus instar floridæ arboris promittit quidem fructus.* Metaph.

PAx inquit id est, pacis abundantia, seu fructus. Haud illa Euangelij pacifici Lucæ laus est prætereunda, quod cùm sit florido, ac compto sermone scriptum, fructus parturiat salutares. Ait Metaphrastes, *Cùm omni disciplinæ generi vacasset Lucas à puero, & Syriacam, & Hebraicam linguam exactissimè edoctus est, &, velut arbor iuxta fontes, floridus, diuinarum Scripturarum studio mirum in modum profecit.* Iunge proximam particulam: *Profecit*, illi: *Floridus*. Florido enim sermone vtens profecit: vt ostendam illum florem sermonis commendari, qui sit fructuum promissio; quemadmodum floridæ arbores futuros fructus assolent necessariò prætendere.

8. *Verba resonantia dulciter possunt cum fructu copulari in Lucæ Euangelio. Iudicium finale describente.* Exod. 39. Isidor.

Sacerdotalis tunica & tintinnabulis, & malogranatis ornata describitur. *Et tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata, in extremâ parte tunicæ.* Exod. 39. Tintinnabula certè dulciter sonantia aures demulcent. At malogranata fructus prædicationis floridæ adiiciuntur; quia vtiliter eloquentia profertur. Isidorus, *Tintinnabula dulciter sonantia Prædicatores, doctoréſque Ecclesiæ sunt, quorum lingua doctrina pulchram scientiam resonans, tangit vtrasque partes Legis & Euangelij. Hæc tintinnabula*, inter malo granatorum fructus, *de extremo vestimento sonant, vt de fine Mundi disputantes non sileant.* Quàm floridâ eloquentiâ Lucas iudicij signa protulit! *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terra pressura gentium præ confusione sonitus maris*, &c. En dulcissima verba tintinnabula sunt, de extremo vestimento sonantia, de fine Mundi fructuosè planè disputante Euangelistâ; Floridi enim sermonis illius fructus, illa malogranata præsentātur, id est, hominum contractio præ timore: *Arescentibus præ timore & expectatione*, &c.

Præcipit Legislator Sacerdoti thuribulum assumptum de prunis altaris implere. *Assumptóque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositū thymiama.* Leu. 26. Hinc Interlinealis Concionatorum approbat eloquentiam, floridis sententiis instar thymiamatis suauissimè compositam. *Sacerdos præcipitur assumpto thuribulo id est, linguâ eruditâ, igne Spiritus sancti repletâ, haurire compositum thymiama in incensum.* Compositio enim illa seu comptio verborum, in incensum, seu Dei cultum, & honorem debet redundare ex peccatorum conuersione. 9. *Eloquentia sermonis Lucæ suauiter profecit.* Leu 26. Interl.

Scio equidem sæpe plus verba incompta proficere, quam floridæ eloquentiæ pulchritudinem. *Samgar enim percussit de Philisthæis sexcentos viros vomere.* Iud. 3. Vbi alij pro *vomere* legerunt, *stimulo boum*. Ad quæ Stephanus, *Ecce iste plures occidit vomere seu stimulo boum, quàm Aoth gladio suo limato, & acuto; quia sæpe plus profuit simplex, & rudis prædicatio, quam exquisita, atque polita.* Fateor; sed boum stimulo brutales animi assolent compungi; limato quidem gladio homines ratione præditi melius vulnerantur. An Christus vt percuteret verbo Episcopos delinquentes sermonem sub gladij acuti & limati specie protulit? *Et ex ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, Apoc. 1. Quia videlicet non brutalitate pressos; sed intellectu præditos Præsules reprehensione debebat vulnerare. Adde Filium hominis tunc faciem instar magni luminaris pulchram prætendisse, vt compti Prædicatoris & dulcedinem & fructus exprimeret: *Et facies sicut Sol lucet in virtute suâ.* Ibid. 10. *Proficit brutalibus animis plus stimulus boum, quam gladius limatus, hominibus autem ratione præditis aptior acutus gladius vulnerandis.* Iud. 3. Steph. Apoc. 1.

En Lucam nostrum de quo Hieronymus à Lyrano citatus cap. 6. Isai. *Vidi similem Filio hominis, & facies eius sicut Sol lucet in virtute suâ. Sermo Lucæ tam in Euangelio, quàm in Actibus Apostolorum comptior est, & sæcularem redolet eloquentiam. Propter hoc de illo potest dici: Facies eius sicut Sol lucet in virtute suâ. Quia sicut claritate Solis lucet tota Mundi machina, ex descriptione Euangelij Lucæ tam eleganter traditâ refulget, & relucet tota vniuersalis Ecclesia.* 11. *Lucas hinc Christo similis verbis vtitur speciosis ad ædificationem.* Apoc. 1. Hieron.

Lucæ verba pulchra Dauidicum sermonem illum imitantur, de quo Psaltes, *Audiant verba mea, quoniam potuerunt.* Psalm. 140. Vbi quidam apud Chrysostomum legunt, *Quoniam speciosa fuerunt.* An idem speciosa esse verba ac potuisse? Ita planè, verba enim speciosa, florida, & cum prudenti compta moderamine possunt peccatores ad virtutem adducere. Lucas ex ore Chrysostomi profatur, *Scient per rerum experientiam, exortationis, & consilij mei iucunditatem; & quoniam reprehensio huiusmodi producit fructum.* Non itaque criticum illum 12. *Verba Lucæ speciosa possunt conuertere peccatores.* Psalm. 14. Chrysost.

Concionatorum vocalium solummodo, & inanem prorsus sermonem laudo, sed vtilem ad persuadendum, compositum prudenti studio, & ornatu commendo.

* * *

Obser

Observatio III.

Ad illa verba:

Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.

Florido sermone Lucas non demulcet impœnitentes peccatores; sed acriter vulnerat.

Vbi ostendo Concionatores posse dulciter loquendo, acriter vulnerare.

13. NOn existimes florida Lucæ verba impœnitentes maniter demulcere animos. Profectò pacem filiis pacis indicit. At cùm filius pacis non adest, qui recipiat, pax ad Lucam reuertitur, & arbor florida vulnerantem vertitur in virgam.

14. *Virga Aaronis florida vulnera infligit. Sic Lucas.* Num. 17. Ambros.

Virga Aaronis olim dicitur germinâsse. Moyses *inuenit germinâsse virgam Aaron in domo Leui.* Num. 17. Nucinam virgam à Patribus appositè fuisse accepi. Ambrosius enim Epist. 18. asserit virgam nucinam, flores nucinos parturiisse. *Memorata pomum arboris* (adiicit) *amarum in cortice, durum in testa. Propheta quòque amara, & dura prætendat.* Imo prætendendo dura & amara, virga potens vulneret auditores. En virga germinans sermone florido; sed percutiens; quia flores illi nucei, amari quidem fructus parentes sunt. Ao non Lucas floridis illis verbis: *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terra pressura gentium,* &c. peccatores impœnitentes vulnerabat? *Arescentibus hominibus: Virtutes cælorum commouebuntur: Leuate capita vestra.*

15. *Doctrina sanitatis seu suaui sermone potest concionator arguere, corripere.* Tit. 5. Ambros.

Paulus aiebat, *Vt potens sit exortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere.* Tit. 1. Vbi Hieronym. ad Malach. 2. *Qui Sacerdos est, & non corripit delinquentes, Sacerdotis officium præterit.* Et Ambrosius Epist. 17. ad Theodos. *Nec Imperiale est libertatem dicendi denegare, neque Sacerdotale, quod sentiat, non dicere.* Dixit certe Lucas, sed *in doctrina sana potens* erat. Et quænam sana potens doctrina, nisi illa de qua proximè David: *Audiant verba mea, quoniam potuerunt.* Chrysostomus, *Quoniam speciosa fuerunt.* Species enim verborum huiusmodi potens planè eos, qui contradicebant opere, arguere, & acriter compungere, vulnerare.

16. *Taxat non Sacerdos non taxans errātes, Lucas commendabilis à contrario.* Ierem. 20. Hieron.

Ad Phashur Sacerdotem minax Deus, *Ecce ego dabo te in pauorem, te & omnes amicos tuos, & corruent gladio inimicorum suorum.* Ierem. 20. Ad quæ Hieron. *Comminatur Phashur cum omni cognatione suâ, & familiâ ducendum in captiuitatem, & in Babylone esse moriturū, eò quod populum suum mendacio deceperit, nequaquam illi vera & tristia; sed prospera pollicendo.* Lucas egregius concionator, quando occasio ferebat, tristia peccatoribus comminabatur; eleganter tamen, vt eloquentia timentibus adderet horrorem.

Ant. de Escobar & Mendoz. Tom. IV.

Expressum asserit Lucam Antonin. p. 1. tit. 6. cap. 17. in Ezechielis vitulo, qui quidem trium animantium simul facies referebat. Contemplor Lucam hominem mansuetudine diffluentem; vitulum pietate redundantem, animal scil. immolari solitum, sed simul Leonem fortissimum animalium video, Aquilam irreuerberato oculo sphæram Solis respicientem intueor, dum aduersus impœnitentes peccatores insurgit, *secundùm illud: Orietur timentibus nomen Domini Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Lucas enim radiorum speciositate, instar Filij hominis, vulnerat; sanitate punit: edocens quidem Concionatores dulciter loquendo, posse acriter vulnerare. 17.

Lucas homo & vitulus mansuetudine; simul leo & aquila formidabilis improbis. Antonin.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Curate infirmos, qui in illâ domo sunt.

Lucam Medicum charissimum commendo.

Vbi assero vel desperati ægroti peccatoris vulnera mansuetudine curari.

ET corporali, & spirituali medicamine afficiendos ægrotos Apostolorum ministerio Dominus admonet: *Curate infirmos.* Ars medica Lucæ specialissime hîc laudatur egregia, quem Paulus socius Medicum charissimum vocitauit. *Salutat vos Lucas Medicus charissimus meus in Domino.* Col. 4. Alcuinus, *Laudemus,* inquit, *nos eum pariter, charissimi, & verum animarum Medicum à Deo missum prædicemus eum, cuius omnia doctrina verba nil aliud resonare videatur, nisi animæ languentis medicinam.* 18.

Charissimus Medicus Lucas à socio Paulo appellatur expertο. Col. 4. Alcuin.

Superstes quidem verbo animarum, ac corporum ægritudinibus medicamina adhibuit. Post obitum autem scripto Euangelio, ac Actuum Apostolicorū volumine, numquam eisdem mederi destitit. Id expendit Anon. Doctor fatus, *O animæ salubre medicamentum Luca, qui velut nardi pistica pretiosum vnguentum redolens, & interiora pectoris nostri arcana permulceas, ad semper mansura gaudia, vbi nullus est languor, nullus dolor, nullusq; gemitus inuenitur, voce ineffabili nos inuitare non desistis!* Non quidem desistit, quia Lucæ scripta vociferantur. *Rectè enim huic* (adiicit) versiculus Poëtæ potest aptari: 19.

Viuens & post obitum Lucas Medicus. Anon.

Viuere post obitum Vatem vis nosse, viator?
Ecce loquor, Viuēs vox tua nempe mea est.

Vnde Paulinus bis Medicum Lucam appellauit; viuus enim & mortuus medendi studio incumbit. Paulin.

Bis Medicus Lucas, vt quondam corporis ægros
Artus consolidans; & nunc in mentibus ægris
Composuit geminos vita medicamina libros.

Et Laurentius Iustin. serm. de Luc. *Huiusmodi* Iustin.

donum Euangelicum nobis Lucas exhibuit, quod noscitur esse medicina languentibus, debilibus robur, periclitantibus salus.

Charissimus Medicus vocitatur Lucas, quia suauia adhibuit ægrotis medicamina. Luc. 10. Ambros.

20. Profectò Medicus noster *charissimus* meritò à Paulo vocitatur. Ille charus ægrotis Medicus, qui suaui medicamine languores ablegat. Ideò Lucam charissimum Medicum appellatum à Patribus accepi: Cuncta Lucæ & verba & scripta ineffabilem redolent suauitatem. Quid mitius Lucâ, qui ex præcepto Dominico virgam portare prohibebatur? Quid cum charissimo Medico ægrotãtis dolori? Ambrosius ad Luc. 10. *Quid est virga, nisi vlciscendi instrumentum doloris? Hoc est ergo dicere; vnseatores mei estote, vlciscendi studia deponite.* An non Lucas de radice Iesse medicam herbam habet? Hanc adhibet vt suauissimum animæ medicamen, non virgam doloris. Pulchrè Hilarius, *Virga non indiget habens virgam de radice Iesse: nam quæ alia fuerit, non erit Christi*, non erit vnctionis. Virga, ais, Christus vocitatur. Vbinam ergo medicamini conficiendo flos? Idem Hilarius ad Psalm 2. *Continuò Propheticus sermo adiecit: Et flos de radice eius ascendet; vt virga seueritatem floris suauitas temperaret.* (Hilar.)

Flores colligit Lucas, vt Euangelium floridum componeret salubre ægrotis medicamen. Isa 52. Cyril. Proc.

21. Contemplor Lucam flores colligentem, vt suauissima componat medicamina, cum audio Prophetam inclamantem. *Quàm pulchri supra montes pedes euangelizãtis pacẽ!* Isa 52. Vbi Cyrillus legit, *Vt Ver purâ luce nitens super montes.* Lxx. *Sicut hora in montibus.* Procopius exponit, *Hora nomine vernum tempus à quo florum recens incipit editio, demonstrari significat.* Quod ad Euangelij mitius tempus inferiùs accommodat. Euangelista noster floridus hora est, Ver est floribus stipatum, vt suauissima conficiat medicamina. Legit Tertullianus lib. 5. adu. Marc. *Quam maturi pede euangelizantis.* (Tertul.) Lucæ procul dubio Euangelium commendatur, *quod* (vt cum Laurentio Iustin. loquar) (I. Iustin.) *noscitur esse medicina languentium.* Nihil insuaue apud charissimum Medicum inuenitur. (Tertul.) *Nobis enim* (verbis vtor Tertulliani) instar Christi, *tanquam maturitas aduenit, vt nihil acerbum, nihil immaturum sit, nihil immite, nihil asperum.*

Paulus socius Lucæ ex suauitate medicaminũ etiam charissimus. 1 Cor 4. Chrysost.

22. Socius Medici charissimi nostri vtens suauissimis etiam medicaminibus, charissimus ægrotis reddebatur. Corinthiis Paulus, *Quid vultis? In virgâ veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis.* 1. Cor. 4. Vbi Chrysostomus, *Quid ergo? In virgâ venire non erat charitatis? Erat, Sed quoniam is, qui valde diligit*, (& valde diligendus est) *respuit pœnas sumere, propterea sic dicit.* Nec enim charissimus Medicus acri vtitur medicamine si suaue sit profecturum. Preme illam particulam: *Quid vultis?* Ægrotantium enim consulit voluntatem. (Ambros.) Pulchrè adnotauit id Ambrosius ad c. 10. Lucæ. Vt scias mitem esse (Medicum,) ipsorum quos arguit, (quibus medetur) *consulit voluntatem. Quid vultis inquit? In virgâ veniam ad vos. Semel* (addit,) *virgam dixit, bis mitiora subiicit, adiiciens mansuetudinem charitati.* Quàm charus Medicus, qui se (scilicet quidẽ) ægroti voluntati accommodat. Alibi Gentium Doctor, *Ne iterum in tristitiâ veniam ad vos.* 2. Cor. 2. Ambros. citat. (2. Cor. 2. Ambros.) *Abiecit virgam, affectum charitatis*, (vt charissimum decebat Medicum) *assumpsit.*

23. Apud hortum Petrus, Medicus hominum constitutus Malcho ægrotanti adhiberecurat medicamen; at non Medicus, sed chirurgus gladio stricto vulnerat. Tunc Dominus Apostolum edocens charissimum medicum se exhibere, profatur; *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Luc. 22. Tertullian. de pati. *Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque & gladij operi maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem non ipse vocauerat, satisfecit per patientiam misericordiæ matrem.* Medicus cælestis vt aurem Malchi obturatam aperiret ad verbum chirurgi ministerium repulit amarum, seséque charissimum Medicum ostendit.

Christus se charissimum exhibuit Malchi vulneri Medicum, dum Petrus se gerebat chirurgum. Luc. 22. Tertul.

24. Curat-ne mansuetudo, cum vulnus insolescens gladio indiget percutienti? Certè Medici spiritualis mansuetudo gladij percutientis sæpe obtinet locum, fante Vate; *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, Propter mansuetudinem.* Psalm. 44. Quid mansuetudini Medici cum gladio chirurgi? Chrysostom. (Chrysost.) *Quid commune habent inter se bellum & mansuetudo, pugna & clementia? Permultum quidem.* Quia mansuetudo potest vulneris resecare putredinem. Quid si contumax persistat ægrotus. Ambrosius, *Grauiora contumacibus mansuetudo vulnera refert.* (Ambros.) Vnde Lucas charissimus dum Medicus ostentatur, acria peccatoribus rebellibus vulnera inflixit. Ediscant spiritualis medicinæ arti studentes, mansuetudine sæpe desperatum ægrotum restitui sanitati.

Mansuetudo curat vulnera desperata. Psalm. 44.

LIBER

LIBER NONVS.

Simon, & Iudas.

Paraphrasis, Commentariique literales in Cap. decimum quintum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES circa literam

IN SIMONEM, ET IVDAM APOSTOLOS. PROLVSIO.

SANCTISSIMVS ille Matathias confectus senio; sed fidei robore adolescens, vt Hebræos confirmaret, postquam memoriæ Patrum exempla obiecit, addidit: *Ecce Simon frater vester, scio, quòd vir consilij est. Ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater. Et Iudas fortis viribus, sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi*, 1. Machab. 2. Vbi Strabus, Simon audiens interpretatur. Et benè dixit Simonem virum esse consilij, quia qui Spiritu sancto edocente, auditu instruuntur interno, vtiles per omnia sunt consilio. Rabanus autem. *Quid per Iudam nisi Prædicator Euangelij designatur, qui ab ipso Saluatore eruditus, idoneus fuit ad agendum bellum Christiani populi?* Christus igitur, ô Ecclesia ex Gentibus, tibi fit Matathias, te & Simone & Iudâ donans. Vt scilicet tanto consiliatio ac tanto Duce, & pacis negotia gerantur, & fortissimè bella administrentur. *Apostolici vitalis Ligni FRVCTVS NONVS.*

IOANNES. CAP. XV.

VERS. 17. HÆC mando vobis, vt diligatis inuicem.

18. Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.

19. Si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret: quia

PARAPHRASIS.

17. INGENS (*fateor, ô Discipuli,*) *labor est subire Mundum, docere Gentes, malorum odia perpeti. Quid mercedis, quid præsidij, quid præmij decernitur? Hoc vobis præsidiorum loco sit, vt diligatis inuicem. Quid dulcius, quam mutuò amare? Qui tam sunt imbecilles, quos mutuus amor fortes non reddat?*

18. *Ne videatur indignum, vos in Mundo perpeti, quod ego prior vobis sum perpessus. Odit & me mundus, non quòd merear, sed quòd malefacta illius arguam, & prodam.*

19. *Nouit ille sua factionis homines, eósque complectitur, & euehit, vt similis* diligit

verò de Mundo non eſtis; ſed ego elegi vos de Mundo, proprerea odit vos Mundus.

diligit ſimiles, Infelices planè, quibus hic Mundus blandus eſt, & amicus. Nam hoc arguit, eos ab amicitia Dei, quæ ſola fælices verè reddit, alienos. Cùm rebus fluxis intenti, nullo cæleſtium rerum amore tenebamini, Mundus vos amabat. Sed poſtea quàm ego ad Euangelicam doctrinam ſeuocaui, cæpit odiſſe vos Mundus, non ob aliud, niſi quòd eſtis mei.

20. Mementòte ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.

20. Mementote, quòd vobis dixi; Non eſt ſerui potior conditio, quàm domini. Si mea me innocentia ab odio Mundi aliènare non potuit, nec meis beneficiis inimici mitèſcere voluere: quod auſi ſunt in me Magiſtrum, & Dominum, audebunt in vos ſeruos, Diſcipulos: Me tot ſunt inſidiis perſecuti? Et vos diſcipulos perſequentur. Meis dictis obtemperabant? Obtemperabunt & veſtris. Sed quemadmodum meam doctrinam non tulerunt; ita nec veſtram ferent: quoniam eadem docebitis, quæ ego doceo. Quidquid autem contumeliarum in vos ingeſſerint, id in me factum arbitrabor.

21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum, qui miſit me.

21. Quidquid enim horum facturi ſunt in vos, odio nominis mei facient. Quidquid enim in membra committitur, hoc ad capitis pertinet contumeliam Et in me facerent iſta, ſi præſentem haberent Nunc, quoniam in me non poterunt, in vos deſæuient.

22. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccarum non haberent; nunc autem excuſarionem non habent de peccato ſuo.

22. Si non veniſſem ipſe, quo nemo maior mitti poterat; ſi non fuiſſem eis locutus omnia, quæ poterant illos ad mentem meliorem reuocare, ſi non feciſſem ea, quæ vel ſaxea corda poterant ad credendum impellere, leuius certè perirent, nimirum aliquatenus ab incredulitatis crimine excuſabiles, cuius acceſſio magnam addet ſarcinam eorum exitio; nunc autem non habẽt, quò ſuam incredulitatem purgent.

23. Qui me odit, & Patrem meum odit.

23. Si quis odio proſequutur ignotum, faciliùs videtur ignoſcendum vt ſi inuiſum, quem nunquam viderit. Me viſum oderant ob ea, ob quæ debuerant amare. Porrò, quiſquis odit me, non poteſt non odiſſe Patrem meum, è cuius authoritate loquor, cuius virtute operor.

24. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccarum non haberent: nunc aurem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.

24. Si non edidiſſem inter illos miracula, quæ nemo Prophetarum ante me prodidit, ſiue magnitudinem ſpectet aliquis, ſiue multitudinem, non adeò tenerentur hoc peccato longè grauiſſimo. Nunc autem & audierant, & viderunt, tantóque maiori odio ſunt me proſecuti: nec tantùm me, qui locutus ſum, & feci; ſed & Patrem meum, qui per me locutus eſt, per me ſuam virtutem exercuit.

25. Sed

25. Sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.

25. *Quamquam hæc non accidunt fortuitò, quandoquidem hoc, quod isti faciunt, Psalmorum vaticinia, quæ tenent, & legunt, futurum olim prædixere. Videlicet vt pro benefactis, quibus debebatur gratia, maleuolentiam repenerent. Sic enim illic loquor per os Dauidis: Qui aduersantur iniquè, qui oderunt me gratis. Psalm. 34.*

SECTIO PRIMA.

Mutua Charitas.

TEXTVS.

VERS. 17. HÆc mando vobis, vt diligatis inuicem. 18. Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si de Mundo fuissetis, Mundus quod suum erat diligeret: quia ergo de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Dilectione mutuâ instruuntur Apostoli.

1. *Sententia superioris expositio.* HÆc *mando vobis, vt diligatis inuicem.*] In cuius expositionem proximam sententiam memorate operæ pretium est. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Ac si diceret: Vos electos à me constitui, vt ad instructionem proximorum eatis, fructumque talem afferatis, vt maneat. Quin & posui vos, vt quodcunque petieritis in nomine meo, Pater det vobis: id est, tales vos effeci, & ad hunc promoui gradum, vt petitionibus vestris è nomine meo effectus respondeat.

2. *Conclusio præcedentis sententiæ. Euthym.* Adiicit iam: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.*] Euthymius, *Hæc annuncio vobis.* Græci tamen Patris veniâ in Græco habetur, *Mando.* Vnde existimo hanc sententiam præcedentis esse conclusionem. Cùm (inquit) igitur electi sitis à me, & ad hoc positi, & in hunc promoti, & elati gradum, & ex meâ parte media ministrauerim, *Mando vt inuicem diligatis.* Sic enim quod ex vobis erit, hoc in munere obeundo præstabitis. Via planè hæc, per quam venientes venietis portantes fructuum præcelsorum manipulos: & populos adducetis ad fidem, ad quorum eruditionem tantâ gratiâ, & liberalitate meâ electi estis: nempe si inuicem diligatis.

3. *Idem est. Hæc mando. ac Hoc est præceptū meum. Caietan.* *Hæc mando.*] Caietanus asserit eandem esse sententiam cum præmissâ: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Vt se inuicem, ait, diligant, mandat, sicut ipse dilexit eos.* Si vnum dilectionis præceptum: *Hoc est præceptum*, cur addit, ac si plura præcepta essent: *Hæc mando vobis*? An quia ad vnius dilectionis præceptum obseruandum reliquorum est necessaria custodia? An quia implens quis Dilectionis præceptum reliqua impleuisse apparet? Scio Caietanum particulam illam, *Hæc*, ad innumera imminentia mala referre. *Per pronomen hæc innumera genera malorum toleranda signantur, quæ subiunguntur, redacta in duo capita, odium scilicet, & persecutionem.* Ac si diceret Dominus, Mando, seu annuncio vobis hæc quæ exponam toleranda mala, vt inuicem diligere necessarium esse constet. Expositio autem huiusmodi Euthymij sapit lectionem, & explicationem. Hæc mando, vt diligatis inuicem. Totam vobis vnico dilectionis præcepto legem indico, omnia præcepta vnico mandato colligo.

4. *Necessario dilectio ad toleranda mala asseritur. Caietan.* Cur idem mandatum inculcat? *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem?* Quia ad innumera mala subeunda, de quibus illicò peragenda erat memoria, mutuus amor erat necessariò indicendus, sæpè in vberiorem executionem inculcandus. Caietanus, *Quia præmittet hæc mala toleranda, ideo mandat, vt inuicem diligant, eo modo sicut ipse dilexit eos.* Christus sic Mundum diligit, vt sit Cruci suffigendus propter ipsos Crucis exædificatores: inimici ipsi, tyranni, persecutores à Diuis sunt similiter diligendi.

* * *

§. II.

§. II.

Ad tolerantiam paßionum Christus Discipulos duplici confirmat argumento.

5. *Odium necessarium prædicatoribus Euangelicis.* Caietan.

SI *Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.*] *Necessaria* (ait Toletus) *est tolerantia, & patientia, sine quâ mutua dilectio cõseruari non potest. Diligere enim diligentes, & benefactores, facile est; diligere etiã eos, à quibus nec diligimur, nec odio habemur non est difficile. At eos diligere, à quibus persecutionem patimur, & odio habemur, difficile, & arduum est.* Cùm igitur Apostoli in Orbem essent immittendi, verbum prædicaturi, necessaria erat tolerantia, ob infinitos veritatis osores surrecturos: & ideo eos ad mutuam dilectionem tam accuratè instruxit; *charitas* enim *patiens est*.

6. *Prima ratio consolatoria Apostolis premendis odio mundiali.*

Adhibet autem vlteriùs duplicem rationem efficacissimam, vnde, præter dilectionem, quâ armati ad aciem instruuntur, possint faciliùs ad laborum, seu persecutionum accingi tolerantiam. Vna igitur ratio suo desumitur ab exemplo. *Si Mundus vos odit, scitote, quia priorem me vobis odio habuit.* Me, qui innocens sum, qui Dei Filius, qui tot beneficiis ingratum populum cumulaui, qui propter eum descendi: & rursu, *me priorem vobis odio habuit.* Scitote, igitur si Mundus odit vos, non priores ad pericula immitti, & odiis vos, ac persecutionibus exponi. Tanto exemplo vobis proposito, non est, cur à vestro munere retrocedatis.

7. *Quinã Mundi nomine intelligãtur.*

Illa particula de præsenti: *Odit vos Mundus*, indicat odium in Apostolos iam à Mundo exortum; tamen non præsens, sed futurum maximè Iudæorum indicat, sub quo etiam Gẽtium persecutiones designatas Interpretes affirmant. Toletus, *Sub odio Iudaeorum, Gentium etiam odium; & persecutio indicatur.* Attamen verba ad Iudæos referenda, quos Mundi nomine hîc Augustinus tract. 89. & alij intellexere. Tolet.

8. *Altera ratio con[s]olatoria.*

Altera ratio est. *Si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret; quia verò de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus.*] Desumitur ratio hæc ex causâ & origine odij & persecutionis. Quia boni estis, inquit, & iusti, idcircò vos odit Mundus. Si iniquitate pollueremini similes mundialibus, haud vos Mundus odio prosequeretur, sed amore. Præstat tamen cum iustitiâ, & innocentiâ odio mundiali pungi, quàm iniustitiâ contaminatos dilectione vanâ, & incertâ potiri. Hac ratione vsus Paulus, cum afflictionibus tentaretur. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo.* 2. Cor. 12. Id est, causam contemplatus, quia pro Christi iustitiâ patior, non solùm patienter suffero, sed & lætitiâ afficior ineffabili. 2 Cor 12.

9. *Cuilibet iusto persecutio improborum paratur.*

An solis Apostolis huiusmodi mundiale odium indicitur? Profectò cuilibet probo necessarium est, se ad malorum odium præparare. Iniqui enim, vt tales sunt, odio habent iustos, vt sibi contrarios: similes enim sibi diligunt, nisi quando sibi contrarij obiiciuntur: nam & mali tunc se inuicem odio habent, se mutuò persequuntur. Malos similes diligunt mali; bonos autem nemo malus diligit, quia proborum mores nunquam non improbis aduersantur. Vnde semper Mundus odio habet iustos, maximè eos, qui eum arguunt, & reprehendunt. Et quando bonorum vita arguens non insurgit in malum? Odit itaque vos Mundus sibi contrarios, sapientes insipiens, probos improbus. Caietanus appositè, *In virtute contrarietatis intulit: Propterea odit vos Mundus. Odium enim est respectu contrarij.* Caietan.

In Simonem, & Iudam

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

EX MVTVA CHARITATE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem: si Mundus vos odit, scitote, quòd priorem vobis, &c.

Simon, & Iudas sese ex dilectione inimicorum Dei filios ostentarunt.

Vbi asseritur, ex dilectione inimicorum homines ad Dei specialißimam filiationem eleuari.

10. Caietan.

VTOR Caietani expositione asserentis τὸ *Hæc*, persecutiones ab Apostolis subeundas indicare. Moneo, certiores facio vos persecutionibus tentandos esse, vt diligatis inuicem, non solùm amicos; sed & eos, à quibus estis odio prosequendi. Vulneribus passionum adhibet medicinam, ad bellum properantibus promittit victoriam. Vultis mediis in fluctibus stabiles rupis in more ostẽtari? Impassibiles esse Dei imitatione immortalis, impassibilis? Ad inimicorũ dilectioné preparamini.

Asserit

11\. *Simon & Iudas inimicos amore prosequuntur Dei fily.* Anton.

Asserit Antonin. p. 1.tit 6.cap. ... Simonem & Iudam Duci Vuaradach prædixisse Indorum posterâ die submissionem; contrarium quidem sacerdotibus Idolorum asserentibus. Carceri Apostoli & Sacerdotes prophani addicuntur. Cùm proximus euentus fælicissimus absolueret Apostolos, Idololatrásque Magistros igni damnaret, Apostoli prohibuere, inimicos suos amore prosequentes. *Cum ergo*, ait, *in crastinum quod Apostoli prædixerant, euenisset, propter quod Dux Pontifices incendi iuberet: prohibuerunt Apostoli dicentes: Nos non ad occidendum homines; sed ad viuificandum missi sumus.* Magi horribiles Apostolorum hostes serpentes adducunt, vt eos vulneribus afficerent. Rogantibus autem in Regis conspectu adstantibus, vt Apostoli sinerent à serpentibus irruentibus Magos trucidari, similiter responderunt: *Nos missi sumus, vt mortuos reuocemus ad vitam, non vt à vitâ præcipitemus in mortem.* Igitur post hæc dilectionis inimicorum documenta apposité concludit Vuaradach, *Isti, Rex, sunt Dij latentes in effigie humanâ.* Verè quidem. Nam & dilectio inimicorum eos asserit Diuos.

12\. *Deitas inimicos diligendo ostentatur.* Matth. 5.

Locutus Dominos de amplitudine charitatis, ad inimicos vsque se extendentis addidit, *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester perfectus est.* Mat. 5. Ac si diceret. Non solú erga amicos mutuá charitate accendamini; sed & inimicos diligite, quod charitatis cõtinet perfectionem. Cur addidit: *Sicut Pater vester perfectus est*, & non potiùs dixit: *Sicut Pater meus.* Certè, quia ex inimicorum dilectione adeo præcelsissimâ quodammodo naturâ donamur, vt in Dei Patris filios mutemur. Cyprianus lib. de Patien. *Qua gloria est similem Deo fieri?* Et Ambros. serm. 10. *Si te non læsit frater, obsequium meretur, vt diligas. Quod si forsitan læsit, magis obsequium meretur, vt vincas. Hæc enim nostra Christianitatis summa est, in eáque similes parenti Deo efficimur.*

Cyprian.

13\. *Orans pro inimicis necessariò se Dei Filium profitetur, qui peccatoris gesserat personam.* Matth. 27. Luc. 23.

E Cruce Dominus, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. Priùs, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Lucæ 23. Si quasi extraneus pro se exorat, cur pro inimicis oraturus se Dei Filium ostendit? An non aptiùs, vt sese derelictum, in pupillorum, & pauperum exceptionem innueret, instaret priori exorationis mori: *Deus meus?* Profectò dum plus Christus se à Deo derelictum, gerens vtique peccatoris personam, ostentat; dum magis à Deitate extraneum se obiicit, mox inimicos dilectione prosecutus, necessarium erat, quisnam esset reuelari; vnde apertè se Dei Filium profitetur: *Pater, ignosce.* Hinc Augustinus serm. 50. de verb. Dom. taxat Iudæos, quòd Dominum è Cruce pendentem Deum non agnouissent. Deformatus (obiiciunt) adeò erat, vt se extraneum innueret? *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Fateor, (respondet Doctor) sed adiiciens: *Pater ignosce*, Deitatis operculum auferens, sese verè Deum ostentauit. *Ille, qui quasi fœdus, vos tolerauit* percutientes; *pro vobis formosus orauit: Pater ignosce illis.* Vnde, qui fœdum non agnouistis; imò laboribus agitatum despexistis, orantem pro inimicis debuistis speciosum formâ præ filiis hominum, siue Dei Filium profiteri.

August.

14\. Tertullianus lib. de Pati. Cap. 3. *Quibus datum est patientiam, Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenita cuiusdam proprietatis.* Pater persona est ingenita scilicet à nullo factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens. Filius autem Patientia vocatur, natura quidem effecta; quia nostram assumendo naturam homo est effectus. At verò Filium seu Patientiam vocat præstãtiam, & pulchritudinem proprietatis ingenitæ. Igitur Dei Filius homo factus, Deus scilicet & homo, Patrem refert diuinum, ingenitum. An ex pulchritudine naturæ diuinæ, quæ eadem est cum Patre? Profectò ex quo capite Christi natura effecta adeò patiens ostentatur, vt pro inimicis, eorum iniurias sustinens, exoret, refert homo hic *præstantiam ingenita cuiusdam proprietatis.* Ad se ipsum Dei Filium Patientiam vocitari. Si enim illud propriè nomen inditum rei, quod eius naturam valet exprimere; *Quodcunque vocauit Adam, ipsum est nomen eius*, aptè Filij Deitas Patientiæ vocabulo signatur, dum sustinens peccatores, necessariò vel homo purus ad Dei filiationem quodammodò eleuatur.

Ex quo Christus sufferre inimicos Patris refert pulchritudinem. Tertul.

15\. *Diabolum verbis, non verberibus ablegans, filius Dei apparebat.* Matth. 4.

Curabat Diabolus ediscere num Christus Dei Filios existeret, vnde apud desertum quæritauit obiectis lapidibus: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. Respondet Dominus comiter, leniter, *Non in solo pane viuit homo.* Rursum ille: *Mitte te deorsum*, respondente suauiter Domino: scriptum est, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Denique Dæmon: Hæc omnia tibi dabo, *si procidens adoraueris me*, Christo profante, *Vade retrò Sathana, &c. Tunc reliquit eum Diabolus.* Cor ille tot congressibus tentat Saluatorem? Certè, vt dignoscat, num Dei Filius verè existat? O stultum quæsitorem! Quid ex miraculis vis fallax assumere documentum, siquidem & improbus homo posset cælesti virtute (si ei datum) miracula excitare. Clariora, irrefragabilia quidem habes Deitatis Iesu argumenta, dum te solis verbis repellit, qui posset verberibus inflictis ablegare. Pulchrè Tertullianus citat. *Et hæc quidem diuina patientia species quasi de longinquo fors vt de supernis æstimetur. Quid illa autem, quæ inter homines palam in terris quodammodo manu apprehensa est: Tentatoris Deus congressus solis verbis repellit.*

Tertul.

16\. *Debuere Iudæi Christum agnoscere Dei Filium ex perspicuo dilectionis inimicorum argumento.* Math. 12. Tertul.

Petierant hostes: *Volumus à te signum videre.* Queis Christus, *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, &c.* Matth. 12. Vt Dei filium me probetis, signum requiritis è cælo? Aliud è terrâ perspicacius excitabo. E Cruce, pro vobis exorabo, vos in passione ad sepulchrum vsque ingratissimos sufferam, muneribus cælestibus donabo. En perspicua Deitatis signa! Tertullianus adhuc, *Despicitur, verberatur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figurâ proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis. Patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.* Non dixit: *Hinc Dominum agnoscere potuistis*, sed, *debuistis.* Euidentia enim erant documenta Deitatis, non probabilia ex discursu elicienda: vnde inexcusabiles omnino redditi, fante Domino: *Si non fecissem in iis,*

que

qua nemo alius fecit, peccatum non haberent. Ioan. 15. *Patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.* Cùm igitur Simon & Iudas adeò erga ipsos inimicos exitiales, sese ostendunt affectos, iustè prudens inclamat Dux: *Isti, Rex, sunt Dij latentes in effigie humanâ.* Dilectio enim inimicorum homines Dei Filios ostentat.

OBSERVATIO II,

Ad illa verba:

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

Perfectissimi Christi imitatores Simon & Iudas, ad Gentes edocendas, eásque beneficiis cumulandas proficiscuntur.

Vbi innuitur, opera erga proximum exposita dilectionis esse documenta: verba inania minimè.

17. ADNOTAVIT Caietanus supplendam esse particulam illam: *Sicut dilexi vos.* Non solum mutua charitas commendatur; sed illa præstantissima, quâ erga homines Christus affectus est. Vt quemadmodum Christus Gentes edocturus proficiscitur, ita Simon & Iudas profectionem ad Gentes edocendas pararent: sicut Dominus sese hominibus munificum vsque ad obitum ostentauit: sic Apostoli Solis iustitiæ munificentiam ad occasum vsque imitarentur.

18. *Quemadmodum Sol Iesus oritur Gentilibus, Simon & Iudas Gentibus exoriuntur.* Matth. 2.

Vix ortus iustitiæ Sol, cùm ad Gentes illuminandas proficiscitur, Angelo Ioseph indicente: *Accipe Puerum & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Matth. 2. Ascendit itaque Puer super nubem leuem, & Ægyptum ingressus est. Tunc (ait Isaias) *commouebuntur omnia simulachra Ægypti*, obticentibus falsis Diis, cùm Verbum exauditur infantili ex aspectu. Simon & Iudas ad Gentiles edocendos profecti, Persidem ingrediuntur, vbi Zaroes, & Arphaxar Magos inueniût, quos Matthæus ex Æthiopiâ effugârat. *Vuaradach* (ait Antoninus illo cap. 14.) *Princeps exercitûs Regis Babyloniæ bellum perfecturus contra Indos, a Diis suis non potuit habere responsa. Quamobrem ad Ciuitatis proxima fanum miserunt, vt causam tantæ taciturnitatis inquirerent. Quibus responsum est, propter aduentum Apostolorum non posse eorum Dominum respondere.* Vt scilicet verbum Apostolorum vitale vtrique Gentibus insonaret. (Anton.)

19. *Christus Gentilibus ostendit Puer Dei potentiam, eiusdem autem Paternam misericordiam Simonis & Iudæ ministerio ostentauit.*

Christus Gentilibus filius natus Dei ostenditur ex potentiâ quidem, quâ Idolorum simolacra deturbauit. Cùm autem Prophetâ testante, *Filius ille datus*, & *Paruulus natus* deberet *Pater futuri sæculi*, id est, Ecclesiæ ex Gentibus, ostentari è beneficiorum exhibitione; qui sub paruuli specie tunc dissimulauit Deitatis munificentiam, Simonem & Iudam immisit futuros Gentilium patres, vt Filij Dei gerentes personam, non solùm Deitatis potentiam; sed & paternam munificentiam ostentarent. Christus aiebat; *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te: Ego te clarificaui super terram. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de Mundo.* Ioan. 17. Vbi Augustinus: *Sic intelligendum est pro futuro præteritum positum.* Ac si diceret Dominus: *Manifestabo nomen tuũ hominibus.* Quodnam nomen? *Manifestabo* (adiicit Doctor) *nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de Mundo*, id est, de Gentilitate (quam sæpè Mundi appellatione designat) *non illud nomen tuum, quo vocaris Deus; sed illud, quo vocaris Pater.* Christus igitur apud Ægyptũ Deum clarificauit, se Dei Filium potentissimum ostendens, idola vtique comminuendo. At se promittit manifestaturum eisdem Gentilibus nomen illud, quo Deus *Pater vocatur*: *Manifestabo nomẽ tuum hominibus, quos dedisti mihi de Mundo.* Id proculdubio præstitit, cùm Simonem & Iudam ad mundum immisit, ad Gentiles direxit, qui quidem innumerabilium beneficiorum (vel erga inimicos) exhibitione, Deum esse hominum Patrem ostentâturi. Tam Christi illi imitatores; imò tam Christus vterque, vt ostendentibus ipsis Deitatis paternitatem, Christus ipse eam ostenderet, stans promissis: *Manifestabo nomen tuum, quo vocaris Pater.* (Ioan. 17. August.)

20. *Oborta tempestate dum Simon & Iudas moriuntur, filij Dei Christique imitatores verè ostenduntur.*

Non solùm autem Solis iustitiæ exortum, & profectum; verùm occasum mirabilem imitantur. Occumbente Sole verò, Sol tempora sæcularia perficiens non occidit; sed refugit. Proclamauit Areopagita: *Aut Deus natura patitur, aut hæc Mundi machina dissoluitur.* Quia (Hieronymo authore) *defectus Solis non nisi in ortu Lunæ fieri solet. Nulli autem dubium est, Paschæ tempore Lunam fuisse plenissimam.* Vnde tenebræ illæ à sextâ horâ factæ super vniuersam terram in Solis cõspectu, Christum Deum proferebant. Profantur Simon & Iudas ex ore Antonini, *Vt sciatis, ô Gentilium Sacerdotes, simulacra vestra plena esse Dæmonis, iubemus ea inde exire, & ipsa confringere. Duo igitur Dæmones, tanquam Æthiopes nudi egressi inde, omnia idola confregerunt. Quod videntes Pontifices in Apostolos irruerunt eos trucidantes. In illâ horâ, cum serenitas aeris maxima esset, descenderunt fulgura, Templum trifariam scindentia: Et illi duo Magi præsentes Zaroes, & Arphaxat, ictu fulguris, in carbones versi sunt.* Particula illa: *In illâ horâ, cùm serenitas maxima aeris esset*, miraculi ponderat magnitudinem referentis planè Solis defectum in obitu Saluatoris. Sol non occidit, sed fugit lux? Morientis Dei documentum. *Aut Deus natura patitur, &c.* Serenitas aëris, non nubium tempestas, fulmina parit? Non mirum Simonem & Iudam à Gentilibus Diuos fuisse appellatos. (Hieron. Anton.)

21. *Sicut Centurio ex Solis defectu Iesũ Dei Filium proclamauit: ex sereno aere fulmina parturiente, Gentiles Simonem, & Iudam Diuos asserunt.* Matth. 27. Hilar.

Ex defectu Solis proculdubio Centurio proclamauit: *Verè Filius Dei erat iste.* Matth. 27. Aliqui asserunt ex verbis Christi exauditis: *Pater ignosce illis, &c.* agnouisse Christi Deitatem. Queis non facilè assentiar, cùm asserat Matthæus, *Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: Verè, &c.* Ergo quia vidit deficientis Solis portentum. Hilarius lib. 3. de Trin. *Clarificat Pater Filium. Quomodò tandem? Suffigitur Cruci, deinde quid sequitur? Sol non occidit; sed refugit.*

Quid

Quid ad hæc proclamas Cẽturio cohortis, & crucis custos? Verè Dei Filius erat iste. Sol non occidit; sed refugit lux, Luna quidem plena? O prodigium Iesum Filium Dei manifestans. Sereno cælo, fulmina prolabuntur, obeuntibus Apostolis; O miraculum eos quodammodo Dei filios ostentans? Sic Simon & Iudas Christum Dominum imitantur.

22\. *Optio datur Apostolis, aut trucidari à Gentilibus, aut repentino interitu Gẽtiles deperire.*

Cur Dei Filius sese cruci addixit? An non vt peccatores minimè æterno patibulo suffigerentur? Proposito Iesu calice passionis à Patre, an illũ vellet epotare; clamat Iesus ex ore Dauidico, iuxta Interpretum expositionẽ: *Deus meus volui.* Aut Dei filius suffigendus, aut peccatores æternâ addicendi morte? Deus meus volui cruci suffigi. O quàm egregij Simon & Iudas Christi imitatores: Quemadmodum Angelus gestat Calicem Christo bibendum; ita Angelus Apostolis apparuit, (postquam à septuaginta Gentium Pontificibus innumeris fuissent opprobriis affecti) fatus: *Aut repentinum* (loquor cum Antonino) *interitum horum eligite, aut vestrum Martyrium.* Porro Apostoli, ne Pontifices æternũ interirent; ab ipsis trucidari elegerunt. *Vnde Pontifices ipsi in Apostolos irruerunt, eos trucidantes.* Vide an perfectè Dominum imitentur fantẽ: *Hæc mando, vt diligatis inuicem; sicut dilexi vos.* Edisce amoris interni documenta, opera munificentiæ. Sic & Dominus & Apostoli suum erga peccatores dilectionis ostentarunt affectum.

Antonin.

Observatio III.

Ad illa verba:

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

Adhuc Simonis & Iudæ erga proximos, erga inimicos dilectio ineffabilis illustratur.

Vbi ostendo, Sanctorum prærogatiuam esse, nec Iudicis ministerio vti aduersùs persecutores; sed cum possint punire, ignoscere.

23\. *Noluerunt Apostoli Regis sententia Magos perire inimicos.*

AD luporum rabiem immissurus Apostolos Dominus, non solùm agnos patientissimos constitui curat; sed & affectuosos persecutorum dilectores. *Vt diligatis.* Freneticum reputate filiũ persecutorem, diligite vulnerãtem, morbi rabies est; non affectûs malitia. Magos Simonis & Iudæ infensissimos ex malitiâ incredibili hostes, Rex Babyloniæ curabat occidi, Apostolis quidẽ renuentibus. D. Bonauent. serm. Apost. ait: *Cùm Rex eos* occidere *vellet, Apostoli noluerunt, sed dixerũt: Non missi sumus hos perdere, sed saluare.*

Bonauent.

24\. *Omnis mansuetudo Dauid victa ab Apostolorum Simonis & Iuda mansuetudine, dũ ille voluit per iudicem persecutores suos puniri; hi autem noluerunt.*

Et cur, ô iustitiæ decus, iniquorum capitale supplicium prohibetis? An non licitũ, eos sinere Iudicis manu trucidari? Licet omnino. At Apostolica charitas flagrantioribus flammis succenditur. Nolumus vel a Rege capitali sententiâ Inimicos damnari. An dilectio huiusmodi Dauidis mansuetissimum animum euicerit, videamus. Aiebat Vates, *Memento Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Quid autem diem suum obiturus? *Habes* (inquit Salomoni filio) *apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione pessimâ, quando ibã ad castra; sed quia iuraui ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio, tu noli pati eum esse innoxiũ* 3. Reg. 2. Quæritur an fuerit ex affectu ad vindictam profecta admonitio? Abulensis q. 16. fatur, *Poterat Dauid iubere illum occidi per Salomonem, non tanquam repetitorem iniuriarum: sed tãquam iudicem punientem delicta.* Poterat quidem Dauid iubere, vt de delinquente sumeretur vindicta in supplicium iniquitatis; sed perfectiùs quidem ex eiusdem Abulensis sentẽtiâ, moneret filium vt Semei speciali dilectione exciperetur, quemadmodum Dominus pro suffixoribus rogauit, Stephanúsque pro lapidãtibus preces effudit. Apostoli igitur abundantiora exhibuere iustitię documenta, dum nec ex Regis sententiâ volunt Magos immites hostes occidi. *Poterãt* planè permittere; imo iubere, seu rogare illos occidi per Regis prçscriptum, *non tãquam repetitores iniuriarum, sed tanquam Iudices punientis delicta.* At augustioris doctrinę alumni, audientes à Christo: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, cum Rex eos vellet occidere, Apostoli noluerunt* vberioris sanctitudinis studiosi.

3\. Reg. 2. Abul.

Angelus, vidente Ezechiele, *mensus est vestibulum portæ* Orientalis *octo cubitorum, & frontẽ eius duobus cubitis.* Cap. 40, Vbi Greg. hom. 17. asserit portam Templi duobus patere cubitis, quia per eam ingressurus erat Sacerdos, de quo Exod. 28. dicitur purpureis bis intinctis vti vestimentis. Difficilis planè Gregorij excogitatio. Audi eius sententiã. *Moyses in ornamento Pontificis bis tinctũ coccum iubet adhiberi. Quidnãque per coccum nisi charitas signatur, quæ semper flãmis amoris accenditur? sed coccus bis tingitur, quando non solùm ex amore Dei; sed etiam proximi nostri charitas inflammatur.* Concludit *Si igitur vita nostra de perfectũ charitate bis tingitur, frons in nobis portæ duobus cubitis mensuratur.* En gloriæ mensura respicit mensuram charitatis, seu dilectionis. Dauid igitur Rex purpurâ ornatur, & bis tinctâ, amans vtique amicum; & inimicum, iuxta antiquorum opinionem, tradẽs Iudici pro iniquitate puniendum. At Simon & Iudas adiicientes adhuc purpuræ intinctionẽ ex inimicorum dilectione, adiiciunt duplici cubito glorię Dauidicę, eiúsque staturæ *cubitum vnum.* Vnde Ineffabili gloriâ circumdantur.

25\. *Adiecit Apostoli staturæ meriti Dauidicæ dilectionis cubitum vnum.* Ezech. Gregor.

Putas-ne Apostolos nolentes inimicos Magos occidi, vel Iudicis sententiâ; solummodo eorum incolumitati prouidere? Profectò propriæ simul vtilitati studere curant. Id quod ex Dominico exemplo exponam. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, Marc. 23. Vbi Ambros. lib. 10. ad c. 22. Luc. adnotat ineffabili inimicorum beneficio Dominum exorãsse, non solùm de more cuiusuis iusti efflagitantem; sed se filium exprimentem, vt faciliùs valeret impetrare. Tanto enim Filio quonammodò poterat Pater quidquam abnegare? *Scio quia semper me audis.* Attamen plus (addit) Dominus sibi, quã hostibus prouidens orabat. *Ait Christus*, Pater, ne statuas illis hoc *peccatum, ne exsutulis esset passio sua, quæ erat omnibus salutaris.* Si ob iniurias Iesu illatas hostes damnarentur, non exorante Christo, quisquam malè affectus proclamarit: Haud munificentissimè profusus sanguis salutaris, si profusores exitio addicuntur. Igitur & Filius ignoscat, & Patrem exoret, vt veniã inimici donentur. Apostoli similiter curant prædicationem vitalem cunctis, nulli exitialem

26\. *Immissi Apostoli homines non perdere, sed saluare, famæ proprij ministerij, legisque nouæ honori prouiderunt, dum potentes punire, parcunt.* Marc 23. Ambros.

tialẽ existere. Bonau. *Cùm eos Rex occidere vellet* (Magos scilicet) *Apostoli noluerunt; sed dixerunt: Non missi sumus homines perdere; sed saluare.* Haud Iesu Discipulos decet, iniurias nostras exitiales inimicis exurgere: quemadmodum non decuit Saluatorem vel ipsam sanguinis salutaris profusionem suffixoribus parere nocumentũ. Poterat certè vindictã criminis Patri commendare, sicut Dauid Salomoni. At legem pristinam deleturus, vbi Eliæ zelus feruebat, inimicorum curans salutem, proprij honoris, & gloriæ Euangelicæ prouidebat.

27. *Christus apud hortum potens vindictam petere: sanare, maluit persecutorem. Luc. 22.*

Percutienti Petro Malchum ait Dominus: *Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribũt. An putas, quia non possum rogare Patrẽ, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum.* Matth. 26. *Cum ergo tetigisset auriculã eius, sanauit eum.* Luc. 22 Illud pende: *An putas, quia non possum rogare Patrem,* &c. Possem vtiq; Patrem rogare, (vti Dauid monuit Salomonem) vt Malchi, ac cunctorum, qui me comprehẽsuri accessere, iniquitas puniretur. Attamẽ perfectionis Magister parcendi hostibus documenta obiiciã; vt homines instruantur, legem nouam à Dei Filio benigniter super dilectionis fundamine exædificatam, antiquum Eliç zelum minimè sapere O Petre, Eliæ zelus iste, non Filij Dei lege in nouã benignitas. Filius Dei, qui in hunc Mundum venit ad hominum salutem, Elias non est. Pugnant enim salus ex Iesu Filio Dei aduentante, & Eliæ vindicans zelus.

28. *Christus, instar Eliæ potentis ignem, poterat legiones petere Angelorum à Iudice Patre; sed Filius Dei maluit ignoscere: quẽ Apostoli hodie imitati. Matth. 16 Ambros.*

Quem dicunt homines esse Filium hominis? Respondẽt, *Alij Eliam, alij Ieremiam,* &c. Instante autem Domino, *Vos autem quẽ me esse dicitis?* Petrus fatur, *Tu es Christus filius Dei viui.* Matth. 16 Vbi Ambros. lib. 6. in Luc. quęrit, cur Dominus non refutauit opinionem eorum, qui eum Eliam esse affirmabant, confirmans se Dei Filium? & respondet acutè vtrumq; Christum præstitisse Malchi vulneri dum mederetur. *Non Elias Christus. Ille enim potius ignibus vindicatur; hic persecutores suos maluit sanare, quàm perdere.* Ac si diceret, Elias antiquæ legis cultor potens, de vindictã criminis; non de iniuriæ venia curauit, ignẽ à cælesti Iudice petens. At nouæ legis Magister, potens quidem petere à Iudice legiones Angelorũ, *maluit persecutores sanare.* Cùm igitur possent Apostoli permittere; imo rogare à Rege Iudice Magos persecutores de medio tolli, *noluerunt; sed dixerunt: Non missi sumus a Dei Filio hos perdere; sed saluare.*

29. *Deus charitatis lineam, seu Canonem extendit vsq; ad inimicos nostros diligendos: lineã igitur dilectionis ad inimicos extendamus. Iob. 38. Septuag. Aquila. Anton. Paduens.*

Pondero vim particulę illius? *Nõ missi sumus.* Quisnã misit? Ille qui profatur: *Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Christus vtique Agnus à lupis vulneratus, legem charitatis adeo extendit, vt potens vindictam à peccatore sumere, a percutiente repetere, maluit sanare. Hic igitur immisit Apostolos, vt quam ipsi aliquando peccatores à Iesu benignitatis regulam didicere, ipsi persecutores sanando, edoceant Gentiles. Iob, *Quis tetendit super terram lineam? Super quo bases illius solidata sunt?* Cap. 38. Lxx. *Quis induxit funiculum?* Aquila, *Canonem* Seu legem Ecclesiasticam, nouæ legis regulã. Ad quæ meus Antonius Paduensis Dom. 3. post Pent. ait: *Deus tetendit lineam dilectionis suæ super animam, vt ipsa se extendat ad dilectionem proximi. Super quo nisi super Iesu Christo bases seu puræ intentiones animæ, quibus tota fabrica virtutum innititur, sunt solidata?* Tetendit ergo Deus super animam adeo dilectionis lineam, vt vel inimicos amore prosequatur, quosque punire posset, maluit sanare. Ad exemplum itaque Filij Dei anima se se debet extendere, ducens dilectionis lineam vsque ad inimicos saluandos, quos licitè posset Iudici cælesti puniendos tradere.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

Simon & Iudas Gentilibus, in morem discessuri Domini, Euangelicam Pacem indixere.

Ostendo, gloriosius esse Regi, Duci, populum pacificare, quàm ab hostibus, bello inflicto, reportare victorias.

Est Euangelica pax dilectio mutua est. Donaturus Dominus Euãgelicã pace, quam cuncta bona comitãtur, Discipulos, binos inuicem diligentes immittit, vt mutuã societate, ac charitate pacis documenta exhiberent. *Simon & Iudas simul* (ait Antoninus) proficiscũtur pacem ad Gẽtes inuecturi. Dux Vuaradach de bello Indorũ solicitus exaggerantibus Presbyteris Gentilibus belli stragem, Apostolisque subridẽtibus, profatur: *Me timor inuasit, & vos ridetis?* Cui Apostoli; *Noli timere, quia pax nobiscũ intrauit. Et die crastinã horã tertiã legati Indorum nuncios mittent, se tuæ potestati in pace subdẽtes.* An non egregium Apostolorum facinus sic Ducem, eiusque exercitum suã intercessione instruere, ac munire, vt ad bellũ procedẽtes illustrẽ ab hostibus victoriã reportarent? Profectò maius reputo pacis munus quã victorię. Dignius planè Euãgelicæ inuectionis opus, pace donare, quã victoriã. 30. *Anton.*

Iratus olim contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusam Rasathaim Regis Mesopotamiæ, seruierúntq; ei octo annis. *Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem Othoniel, videlicet filiũ Zenez. Egressúsq; est ad pugnã, & tradidit Dominus in manus eius Chusam. Quieuitq; terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel* Iud 3. Quæritur an Othoniel illustrior vincẽs hostes, quam hæredem suæ virtutis pacẽ relinquens? Illustris planè qui oppressum populum *egressus ad pugnam* hoste deleto, liberauit; sed illustrior qui sic Reipublicæ Iudex res gessit, vt nullus hostis delẽdus exurgeret. Virtus Ducis vincendo enituit; sed fulgore micauit celsiore, cùm pacem populo suæ virtutis reliquit hæredem. Aiebat Maximus lib. 1. Egregium est hostem vincere; non minùs tamen; sed magis laudabile, hostis miserendo, Regnum pacificare. 31. *Illustrior Othoniel pacificans populum, quam vincens hostes. Iudic. 3.* *Maxim.*

Eleazarus fortissimè pro Hebræorũ populo aduersùs Antiochum pugnarat. Post multas itaque victorias hostis pacem rogaturus aduentauit. *Nunc demus dextras hominibus istis, & faciamus cum eis pacem. Et placuit sermo in conspectu Regis, & misit ad eos pacem facere, & receperunt illam.* 1. Mach. 6. Rogas vtrum gloriosior Eleazarus obiiciatur vincens Antiochum, an pacem concedens? Ego pacificantem populum illum coronã celsiori dignum existimãrim. Ambrosius lib. 1. de Offic. c. 40. *Eleazarus hæredem virtutis* 32. *Eleazarus gloriosior, instar Iudæorum ad Vuaradach. Antiochus post rogaturus aduenerat, quam cum vicit Hebræorum hostes. 1 Mach. 6. Ambros.*

virtutis suæ pacem reliquit. Non dixit, Victorias reliquit, sed *pacē.* Quia plus ex pace populi eius virtus, quàm ex hostium debellatione, victoriisque partis elucescit. Plus Apostolorum gloria rutilat, ac virtutis eorum magis egregiū est documentum, Indos postulaturos pacem aduētare supplices, quam si Vuaradach procedens ad pugnam donaretur victoriâ, eorumdem Apostolorum precis præsidio suffultus.

33. *Christus clarior ascēdit, quam nascitur, quia æternam pacem bello comparat, ascendens sine bello reliquit.* Luc. 2. Ioan 14. Hieronym.

Christus natalitio clarus, clarior planè ascensione. Oriens lacrymas profundit; ascendens cælestium, ac terrestrium lætitiâ ad æterna gaudia assumitur. Et vndenam assumit clarioris solemnitatis documentum? Profectò nascēte Domino Angeli militari habitu proclamant; *Gloria in altissimis Deo & in terrâ pax hominibus.* Luc. 2. Pax quidē homini promittitur; sed ex belli indictione. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis.* At ascendens virtutis suæ hæredē pacem nobis reliquit. *Pacē relinquo vobis.* Ioan. 14. Hieronym. ad Psalm. 119. *Christus Dominus nostra pax est. Vadens ad cælum nobis vexillum demisit dicens: Pacem meam do vobis.* Non ad bellum inferendum vexilla panduntur, sed pacis eriguntur trophæa. Pugnaturus itaq; pro pace nascitur, quam ascendens reliquit, bellorum strepitu ablegato. O ascensionis clarior solemnitas?

34. *Apostoli Vuaradach Ducem gloriosiorē Principem ex pace fecerunt.* Cassiod.

Apostoli quidem Vuaradach laudabiliorem reddidere, dum pace donant, quam si victoriâ ei bellaturo promisissēt. Aiebat Rex Theodoricus apud Cassiod. 1. Var. ca. 23. *Ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim, quod nos melius prædicet, quàm quietus populus, concors Senatus, totáque respublica morum nostrorum honestate vestita?*

35. *Prædicaturi Christum Deum enunciaturi pacem prædicant, innuebant.* Isa. 9. Nazianz.

Enim verò, cur Simon & Iudas prædicaturi Christum pacem præmittunt? *Pax, aiunt, nobis cū intrauit*: Quia populus pace colligatus facilius Euangelium recipiet. Pax enim quid nisi Deus ipse recipiēdus? *Princeps pacis* ab Isaiâ appellatur, cap. 9, Imo verè *Princeps Pax* appellari potest, quia Deus Pax est. Audi Nazianzenū. Orat. de Pace, *Diuinitas & secum ipsa, & cū secundis rebus adeo concors, & pacata est, vt cum alijs; imo & præ alijs nominibus, quibus appellari gaudet, huius quoque prærogatiuæ nomine vocetur. Pax enim, & charitas, atque id genus nominibus appellatur: nos videlicet admonens vt hāc virtutem sedulò amplectamur, perinde ac Deum simul habitari.* An-non Apostoli tectas Iesu legísque Euangelicæ semitas facere curarent? Ergo necessariò pacem stabilire prouident, quia, Sapiente profāte, *Omnes semitæ illius pacificæ.* Prou. 3. vti Bonauentura exponit. Constat ex præfatis gloriosius esse Regi Regnum pacificum cōseruare, quàm inflicto bello, illustres reportare victorias.

Observatio V.

Ad illa verba:

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

Simon & Iudas patientiâ muniti cunctos hostes horribiles superârunt, comminuerunt.

Vbi ostendo semper triumphare Patientiam, armáque Apostolorum ipsam esse, non gladium, qui eos facit ex Apostolis in Duces sæculares mutari.

Charitatem patientissimam quidem, Apostolis Christus pugnaturis (armamentum prouidens) donauit; ne agni inermes ad lupos deuorandi illico immitterentur; sed illustres cōparaturi victoriis, Ecclesiæ opponerentur persecutoribus. Caietan. aiebat particulam illam, *Hæc*, horribiles pugnas Apostolis præparatas innuere; illam autem: *Vt diligatis inuicem*, armamenta promissa pugnaturis. Charitas enim, quæ *patiens est, benigna est*, sunt validissima Apostolorum arma. 36.

37. *Apostoli patientia vicerunt hostes.* Antonin.

Quàm inermes Apostoli Simon & Iudas ad Gentiles, ad Magos, ad Presbyteros Idolorum horribiles, diros carnifices immittuntur? Magi desæuiunt, & Apostoli prohibēt eorum necem, mirato Duce: Antonin. *Dux miratus, quòd illos occidi prohibuissent*: Serpentes aduocant illi, vt Apostoli vulnerati concidant, & Euangelici ministri, *rogante Rege, & adstantibus, vt a serpentibus eos occidi permitterent, profantur: Nos missi sumus vt mortuos reuocemus ad vitam, non vt à vita præcipitemus in mortem.* Presbyteri desæuiunt in Martyres, qui possent (vt vidimus) repentino hostium interitu superstites triumphare; sed maluerūt trucidari, quàm hostes deperire: An tam patientes victi euasere? Profectò corona stipati obiiciuntur, Magis in carbones versis, Presbyteris à cælesti igne, diligentium inimicos gloriosiori triumpho, nō voratis, vt pœnitudini locus exhiberetur. Quando non triumphat patientiâ Apostolorum?

38. *Duces sæculares triumphāt gladio, Apostoli patientia* Apoc. 4. Rupert.

Coram Agno viginti quatuor seniores aureis coronis stipati obiiciuntur. Apoc. 4. Vbi Rupert. lib. 4. de Vict. verb. c. 7. ex duodecim iudicibus, totidémque Apostolis numerum illum conflari affirmat. Iudicibus planè simul Ducibus Hebræorum hostes profligātibus, vincentibus, aptè coronæ adiiciuntur in victoriæ documentū; At Apostolis ad hostes procedentibus inermibus, quare aureæ coronæ donantur? An quia armati patientiâ tam validè hostes vincunt, quàm Duces gladio? Ita planè, Ruperto concludente. *In omnium seniorum illorum capitibus corona aurea, quia profectò iuxta diuersas rationes temporum, & illorum militaris industria, & istorum verbo Dei famulata est inermis patientia.* Tam victores Simon & Iudas inermes ex patientiâ exurgunt, quàm Sampson, Othoniel, aliique fortissimi Duces ex gladio.

39. *Apostolorum arma gladius non potest esse, quia gestas illum transit de Apostolo in Ducem,* Ambros. Tertul. Ioan 18.

Quemadmodum enim armamentum Ducis gladius est, lorica, galea, scutum: ita Apostolorum arma patientia, quâ hostis comminuendus. *An quia grauiora contumacibus vulnera referri mansuetudo:* Ambrosius sic. *An quia plus improbam cadit sustinendo?* Ita Tertullianus. Profectò quidquid sit de effectu, Apostolorum arma patientia est: nec alio bellico instrumento potest vel, si Apostolicum sit instituendum certamen. Si enim gladio Apostolus sæculari vtitur, Ducum arma impropriè arripere videtur Non iam Apostoli; sed Duces dimicantes ostenduntur. Petro gladium stringenti, Malchum vulneranti Dominus: *Mitte gladium tuum in v gi am*

Ioan. 18. Et cur prohibet defensionem? Euth. *Docuit neque etiã pro defendendo Deo, Apostolo vtendum esse gladio.* Vtatur Duces gladio, Apostolus ad Dei defensionem vtatur validiùs patientiâ.

Euth.

40. *Christi, ac Apostolorum gladius patientia est.* Psalm. 44. Chrysost.

Gladius Apostolicus, imo Dominicus patiẽtiæ mansuetudo est. Dauid, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Propter mansuetudinem.* Psalm. 44. Christi gladius mansuetudo patientię est, hostibus quidem bellum inflictum. Vnde Chrysost. *Quid commune inter se habent bellum & mansuetudo? Permultum quidem certè.* Quia sicut ex sæculari pugnâ hostes corruũt; sic ex patientię mucrone vulnerati concidunt Apostolorum persecutores. Ex ore Ieremię ideo Dominus; *Deuorauit gladius vester Prophetas vestros.* Cap. 2. Hieron. *Nequaquam meus, sed vester gladius.* Dei etenim gladius mansuetudo patientiæ est: *Accingere gladio tuo. Propter mansuetudinem.* Edocemur itaque Apostolici ministri armamenta patientiam esse, quæ non solum à vulneribus liberat hostiũ; sed eos acriter potest vulnerare.

Ierem. 2. Hieron.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem: si Mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.

Simon & Iudas tam illigati dilectiónis lege erga proximum, vt inimicorum defectus curarent operire.

Dilectio enim non patitur, proximorum crimina licet hostium euulgari:

41. Tolet.

Difficilis prorsus dilectio proximi nos odio prosequentis, (vti aiebat Toletus) præcipuè cùm datur copia vindicandi. Tanta fuit Apostolorum charitas vel erga inimicos, vt eorum curarint operire defectus, dum illi falsa crimina Christicolis studerent imputare.

42. *Simon & Iudas auctorem stupri noluerunt euulgari.*

Filia cuiusdam equitis concepit è crimine, Diacono delictum, authore ipso criminis instigante, imputatur; innocens illigatur, Apostolorum implorat auxiliũ. infans recens natus Apostolorum imperio locutus Diaconum absoluit; At cum parentes puellæ rogarent Apostolos, stupri authorem reuelari, illi respondẽrunt, haud decere Apostolicum virum, qui charitatis præcepto munitus immittitur, proximi, vel hostis, flagitia reuelare. Antonin. *Infans vnius diei respondit: Hic Diaconus sanctus, & castus nunquã carnem coinquinauit. Cùmque parentes puellæ instarent, vt diceret infans authorem sceleris, respondent Apostoli: Nos innocentes absoluere decet; nocentes reuelare, & perdere non decet.*

Antonin.

43. *Ioseph vel parturiens curauit fratrum operiri defectus.* Gen. 45.

Puellæ partus Ruperti pulchram excogitationem ad memoriam adduxit. Nulli non cognitum odium, quo filij Iacob in Iosephum fratrem exarsere. Certè cùm Ægypti Prorex illud arcanum pristinæ venditionis reuelaturus esset: *Præcepit, vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus cognitioni mutuæ. Eleuauit que vocem suam, & dixit fratribus suis:* (audientibus quidem cunctis Pharaonis domesticis) *Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer, Accedite, inquit, ad me: & cũ accessissent propè, Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis.* Gen 45. Ad quæ Rupert. lib. 9. in Gen. c. 11. *Non poterat* (inquit Scriptura) *se vltra Ioseph cohibere. Venerat enim dolor quasi vsque ad partum, & virtus non erat pariendi. Nam quomodo mulier grauida tristitiam habens, quando imminet hora eius, tacet quidem, & silet, quantùm valet, & patiens est; horâ autem ipsâ, quâ parturit, loquitur, & erũpit, & clamat, neque se cohibere potest, quin doloris inualescenti clamando satisfaciat. Sic ille, qui hactenus se continuerat, vtcumque gemitus intercidens, & abscondendo deglutiens, horâ quâ os aperuit dicturus, Ego sum Ioseph, erupit inconditus clamoris doloris turbo violentissimus, vocémque cum fletu in altum extulit, quam audierunt foris Ægyptij.* O vir mitissime, tantus-ne parturitionis cruciatus, vt te cogeret fratrum delictum aperire? Pudeat te criminis esse, dolore cogente, alieni præconem, dum puella constanter vel partus dolore pressa, authorem stupri nullatenus cogitur aperire. Adnotanda est duplex particula: *Eleuauit vocem cum fletu, quam audierant Ægyptij* Ego sum Ioseph. Postea verò, *Accedite ad me: cúmq; accessissent propè: Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis.* Parturiens se Iosephum altâ voce manifestat. At fratrum olim inimicorum sibi crimen manifestaturus, eos benigniter rogat accedere, ne delictũ Ægyptiis reuelaretur. *Bene ergo præceperat, vt egrederentur cuncti foras, vt nullus interesset mutuæ cognitioni. Non enim alienis communicanda erat domestici notitia sceleris. Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè, ait: Ego sum Ioseph, quem vendidistis in Ægypto.*

Rupert.

44. *Ioseph olim prægnantis vxoris noluit defectum exprimi.* Math. 1. August.

Ex Iosepho mysticè prægnante, & parturiẽte, gradum faciam ad prægnantis sponsum Iosephum. *Inuenta est* Maria *in vterò habẽs de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere,* &c. Math. 1. Ponderat August. prudentiam sponsi non parturientis, vt reuelaret crimen, coniuge prægnante. *Attendite,* (ait serm. 16. de verb. Dom.) *quemadmodum vir castus Ioseph, tanto flagitio quod de vxore fuerat suspicatus, sanctà benignitate pepercit, antequam sciret, vnde illa cõceperat: quam grauidam senserat, & se ad illam non accessisse nouerat. Restabat certa adulterij suspicio; & tamen, quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat. Quid de illo ait Euangelium? Ioseph autẽ cùm esset vir iustus, & nollet eam diuulgare. Mariti dolor nõ vindictam quæsiuit. Voluit prodesse peccanti: non punire peccantem. Cùm nollet eam diuulgare, voluit occultè dimittere.*

45. *Matthæus Bethsabeæ nomen obticuit, ne ex adulterio partus infamaretur.* Math. 1. Abul.

Tertium adhuc testem ex parturiente fæminâ adhibeo, *Dauid Rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Vriæ.* Matth. 1. Quare fæminæ nomen reticetur? Existimo, quia ex adulterio pepererat, Euangelistam curâsse, cùm authoris delicti nomen necessariò euulgaret; fæminæ saltem nomen reticere. Abulensis q. 16. *Factum esse reor ad excusationem infamiæ, quia ponendo nomen eius, videbatur magis infamari; ideo apposita est*

supple

suppletio: Ex eâ, quæ fuit Vriæ. Exemplo confirmat, sicut dixit Glossa Ordinaria super cap. 9. cum Matthæus seipsum nominat, scilicet, quòd nemo alterum Euangelistarum eum nominare voluit sub nomine proprio, Matthæus nominauit se dicens: Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Marcus autem non expressit nomen eius, sed dixit: Vidit Iesus Leui Alphei sedentem ad telonium. &c. Apostoli igitur Iosephum Patriarcham imitati innocentiam Diaconi voce promulgant; scelus autem impudici authoris stupri, conscientiæ claustris addicunt. Instar sponsi prægnantis Virginis, noluerunt pessimi crimen reuelare, Matthæi que morem gerentes euulgati stupri saltem curarunt authorem abscondi.

SECTIO SECVNDA.

Apostolorum Tribulatio.

TEXTVS.

VERS. 20. MEMENTOTE sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. 21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me. 22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit, & Patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. 25. Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

Causam Apostolicæ tribulationis Dominus exprimit.

1. *Conditio serui nō melior, quam Domini.*

MEMENTOTE sermonis mei, quem ego dixi vobis: Nō est seruus maior Domino suo.] An conditio serui melior, quàm Domini? Minimè planè. Si igitur Mundus me Dominum persecutus est, & meum sermonem contempsit: æquo animo vos, qui serui estis naturâ, ferre debetis, si vos persecutus fuerit, vestrósque contempserit sermones. Profectò serui magni beneficij & honoris loco habere debent, si æqualem cum Domino conditionem subeant.

2. *Argumentatur à minori. Si quod minus videbatur, inest. & id quod magis.* Cyril.

Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.] Dixerat: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Cur non dixit etiam: *Si sermonem meum non seruauerunt, nec vestrum seruabunt*: Quia sicut de facto persecuti sunt Dominum, de facto eius sermonem non seruauerunt? Respondet Cyrillus lib. 10. c. 28. à contrario sensu intelligendum esse: Meum sermonem non seruauerunt: nec vestrum igitur seruabunt. Ratio id contextus postulat: nam omnia hæc ad incredulos referuntur, quos Mundi nomine signabat. Horum aliqui Christum persecuti sunt, alij sermonem eius sine persecutione, non credendo contēpsere? nec propterea Christus destitit prædicare, eáq; gerere, quæ ad eorum salutem necessaria erant. Quare hortatur Apostolos, eadē exequi. Argumentum est à minori ad maius. Similiter et apud Matthæum, *Si Patrem familias* Matth. 10. *Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius.* Cap. 10. *Mementote sermonis.* Reducit ad memoriam sermonem cap. 13. tùm vt confirmet, tum vt admoneat verba eius memoriâ retinenda, nec vnquam tradenda obliuioni.

Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum.] Odia, persecutiones, & contemptus sermonum ex meo nomine exorientur, nempe quia me annunciabitis, me profitebimini, siue quia Christiani eritis, & Christū prædicabitis, τὸ *sed*, augmentum sententiæ indicat. Non solùm sicut me: sed etiam propter me vos persequentur. Simile illud: *Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos.* Cap. 16. *Et nemo interrogat me: quò vadis? sed quia hæc locutus sum, tristitia impleuit cor vestrum.* Ibid. Quàm honorificum, ac iucundum fidelibus Christi causâ pati! Ideo *Apostoli ibant gaudentes a conspectu Concilij*, quia pro nomine Christi pati digni habiti sunt. Act. 5. Hæc Petri ad Christicolas consolatio. *Nemo vestrùm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem vt Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine.* 1. Epist. cap. 4.

3. *Ex nomine Christi oborta persecutiones.*

Ioan. 18.

Act. 5. 1. Pet 5.

Quia nesciunt eum, qui misit me.] Tacitæ obiectioni respondet. Cùm sis missus in Mundi salutem, cur Mundus nos persecutionibus afficiet? Quia nomen meum non nouerunt, & *nesciunt eum, qui misit me*, id est, Dei Filium ignorant. Cur non dixit: *Quia non nouerunt Patrem.* Sed, *Quia non nouerunt eum, qui misit me?* Cyrillus lib. 10. cap. 5. Vt insinuaret diuinæ suæ Incarnationis mysterium. Nouerunt enim Iudæi Deum; Sed Patrem misisse Filium in carnem ignorabant. Irenæus lib. 4. cap. 27. exponit sic illud superiùs: *Nescit seruus, quid faciat Dominus eius. Nescit*, inquit, *populus seruiens legi, aduentum Domini.* Igitur non quòd in me culpa adsit, non quòd meum nomen persecutione dignum existat, sed ignoratio, & incredulitas ipsorum causa erit persecutionis aduersum vos obortutæ. *Pati autem* (Chrysost. homil. 78.) *ab ijs, qui nos non agnoscunt; nec nostram nobilitatem sciunt, minus est graue.*

4. *Cur nō dixit, quia non nouerunt Patrem?*

Cyril.

Iren.

Chrys.

§. II.

Christus persequentium Apostolos peccatum exaggerat.

5. *Ignorantia Iudaeorum affectata.*

SI non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.] An propterea quia nesciunt eum, qui misit Christum, hostes sunt liberi à crimine? Grauiter asserit illos in his omnibus, quæ contra Christum, & Apostolos gessere, deliquisse. Ex mirabili prædicatione suâ, ex miraculis Iudæi cognoscere Christum à Patre immissum potuerunt; vnde eorum ignorantia affectata, graui crimini obnoxia. *Si non venissem, & locutus eis fuissem.* Haud satis fuit venisse, vt ignoratio eorum ita culpabilis esset. Si enim veniens tacuisset, excusationem prætendere potuissent.

6. *De quonam peccato Iudaeorum sermo? Tolet.*

De quonam peccato Christus asserat nullam Iudæos excusationem habere? August. tract. 89. ad peccatum infidelitatis refert. Accommodatiùs tamen cum Toleto & aliis ad peccatum odij, & persecutionis, & ignorantiæ crassæ, seu infidelitatis simul refero; contestatur Euthymius. In his enim omnibus peccauerunt, quia Dominus est locutus se aperiens Saluatorem, operibus miris adiectis. Si autem sic non esset locutus, à culpa in his excusarentur. Dixi in paraphrasi eorum culpam non aggrauandam si Christus locutus non esset, de adnatâ olim Iudæorum locutus infidelitate, quæ quidem Christo loquente, & operante mirum in modum aggrauatur.

7. *Contemptus ille in Deum.*

Qui me odit & Patrem meum odit.] Quàm sit hoc delictum graue, ostendit. Odium & persecutio, & contemptus non sunt in merum hominem; sed in Dei Filium ausus. Culpa autem eò grauior, quò maior est Filius Dei homine mero. Hinc sequitur, eos, qui Apostolos propter Christi nomen persecuti sunt, ipsi Deo iniuriam intulisse.

8. *Quanā opera à Christo facta, à nemine que alio gesta? Augustin. Mat. 1. & 6.*

Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.] Quænam sint opera à Christo facta, quæ à nemine alio gesta? An non Prophetæ mortuos suscitârunt? Imo multa gessit Moyses, quæ à Christo facta non sunt; August. tract. 91. asserit hanc sententiam de multitudine miraculorum esse exponendam. *Nemo tam multa, & frequentia fecit.* Afferebant ad eum (ait Marcus) *omnes malè habentes, & dæmonia habentes, & erat ciuitas ad ianuam congregata, & curauit multos, qui vexabantur varijs languoribus, & dæmonia multa eyciebat.* Cap. 1. *Quocumque loco introibat in vicos, vel in villas, & ciuitates: in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum salui fiebant.* Cap. 6. Hæc profectò nemo alius.

9. *Authoris sententia. Augustin.*

Attamen non solùm de operum multitudine; sed & magnitudine sententiam esse Saluatoris exponendam censeo cum Cyrillo lib. 10. c. 32. Moyses-ne aut vllus Prophetarum mortuum quatriduanum suscitauit? cæco nato lucem hanc intueri concessit? Ergo à Christi miraculis pristina superata. Addo copiæ varietatem, Num tam varia, & multiplicia quisquam excitauit? An non argumento id erat, illum propriâ ea gerere potestate?

Si igitur non fecissem opera non qualiacumque, sed quæ nemo fecit alius antè me: à suo peccato hoc excusarentur. *Non fecissem in eis.* Cur in eis fecisse asserit? Toletus, *Id est, in eorum præsentia, & coram oculis ipsorum, quæ inficiari nullo modo possent.* Statim Dominus explicauit adiiciens, *Nunc autem viderunt.* Vidisse enim idem est, ac in eis fecisse. Scio Augustinum exposuisse, *In eis*, id est erga eos, quia in eorum beneficium gesta miracula. Non improbo; sed credo probationis efficaciam magis positam in eo, quòd coram ipsis facta huiusmodi opera. 10. *Expenditur hoc præmisso locus.* *Tolet.* *Augustin.*

Oboritur grauis difficultas. Dictum enim, *Si locutus non fuissem, peccatū non haberent: at nunc excusationem non habent de peccato suo.* Huic præsens sententia videtur repugnare: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent.* Haberent peccatum, si locutus fuisset: quamuis non fecisset opera, quæ nemo alius fecit; quia dictum est: *Nunc autem, quia locutus sum, peccati excusationem non habent.* Quomodò igitur Iudæi nisi Christus talia egisset opera, à peccato excusarentur, cùm eosdem inde inexcusabiles dixerit, quod eis locutus est. Solues asserens vtrumque fuisse necessarium, vt à peccato non excusarentur, nempe locutum fuisse, & opera fecisse. Solutio minimè tollit difficultatem. Nam diuisæ planè sententiæ hæ sunt. At oporteret, si id verum esset, dixisse: *Si locutus non fuissem, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, excusationem haberent à peccato suo; at nunc non habent.* Imo non solùm distinctæ obiiciuntur hæ sententiæ, sed inter vtramque alia est interposita, nempe, *Qui odit me, odit & Patrem meum.* 11. *Difficultas oborta.*

Vt soluam, præmitto Christum & verbis & operibus se Dei Filium ostentasse Iudæis, quorum planè eadem minimè ratio. Turbæ enim & ignorantes homines non solum prędicatione simplici; sed operibus erant adducendi, aliquámque habere potuerunt excusationem nondum editis miraculis, quâ caruere, postquam doctrinæ accessit tantorum operum testimonium. At Iudæorum proceres Pharisæi, Doctores, etiam verbis, ac prædicationi credere debuerunt, non expectatis miraculis: qui eò grauius postea deliquere, quantò etiam miris excitatis, se in suâ incredulitate pertinaciores exhibuere. 12. *Quidnam præmitto ad solutionem.*

Hoc præmisso, facilis solutio. A toto Iudæorum cœtu Dominus tollit excusationem. Priora verba, *Si non locutus eis fuissem*, contra Proceres, Pharisæos, Doctores prolata. Hi postquam Dominus locutus se annunciauit, excusationem non habuerunt, qui verbis huiusmodi credere debuerant. Posteriora autem, *Si opera non fecissē in eis, quæ nemo alius fecit*, ad turbas, ad ignorantes, ad simplices diriguntur, quibus non credentibus opera Christi tollunt omnem peccati excusationem. Hinc constat maiorum incredulitatem suprà modum auctam ex miraculis editis. Si enim rudiores à culpâ non excusantur propter opera Christi in eis facta, multò minùs Doctores, Pharisæi, &c. 13. *Soluitur difficultas.*

Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, 14.

&

Inexcusabiles ergo Iudæi.

& Patrem meum.] Supplendum est. Peccatum ergo habent, nec excusari possunt. *Et viderunt*, est particula augmenti. Id est, non solùm locutus sum, & audierunt meos sermones; sed etiam opera viderunt, quibus eos confirmaui. Et tamen non solùm non crediderunt, sed & oderunt me, & Patrem, à quo fueram immissus.

15. *Gratis Iudæi*

Sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis] Dauid dixerat, *Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis.* Psalm. 34. Quidnam gratis odisse? Caietanus respondet, *Id est, sine vlla offensâ, sine vllâ iniuriâ, sine vllâ datâ occasione odij.* Per particulam autem illam. *In lege eorum*, aut Liber Psalmorum (vt Toletus ait) aut vetus (vti Caietanus) *Scriptura sacra significatur.* Testimonio igitur hoc Dominus vtitur, vt illorum odium iniustum esse confirmet.

Dominum persequuntur. Caietan.

Tolet.

In Simonem, & Iudam

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

EX APOSTOLORVM TRIBVLATIONIBVS.

Observatio I.

Ad illa verba:

Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.

Simon, & Iudas pauperem Dominum despectum ab hominibus imitantur; sed & instar Domini, spiritualibus diuitiis opplentur.

Vbi asseritur, Deitatem sub pauperis tegumento latitare: vt pauperes discamus revereri.

16. DESPICIVNTVR Apostoli, pauperes quidem, quia de Mundo non erant, qui plus indumenta, quàm merces, plus capsam æstimat, quàm thesaurum. Nec oportebat seruos Domino maiores ostentari, qui à mundialibus despectus fuit, quia sub vili tegumento cælestes abscondit thesauros.

17. Gentiles aduocati audientes Apostolorum gesta mirabilia, eos alloquendi causâ accessere. *Quos cum Aduocati* (ait Antoninus p. t. tit. 6. Cap. 14.) *vidissent pannosos, & contemptibiliter indutos, in animo despexerunt. Quibus Simon ait: Sæpè contingit, vt intra scrinia aurata & gemmata vilia habeantur inclusa; & intra vilissimas capsas gemmarum monilia pretiosa sint recondita. Et cum quis merces emit, non gestatorum eius, sed rei qualitatem attendit.* Profectò ex ipso vili tegumento Diuinitas in Apostolis fulgurabat. Despiciebant enim, quæ apud mundiales magni solent haberi. Vuaradach, Apostolis pacem prædicentibus pretiosa munera obtulit, quæ pannosi animo Regali despexere. Vnde *Dux miratus, quòd bona eis oblata* (loquor cum Florentino Præsule) *recipere noluissent, induxit eos ad Regem dicens: Isti, Rex, sunt, Dij latentes in effigie humanâ.* Quàm diuites, qui sub vili pauperum tegumento ipsam Deitatem abscondebant!

Sub pauperum tegmine Apostoli Deitatem quodammodo abscondebant, instar Domini.

Anton.

Profectò Diuinitas sub pauperis habitu solet abscondi. Angelus ad Pastores. Hoc vobis signum: *Inuenietis infantem pannis inuolutum.* Luc. 2. Deus sub pannorum vilitate absconditur? Imò pauperibus Pastoribus reuelatur. *Hoc vobis signum.* Cur illis? Pauperibus Deus sub pauperis habitu reuelandus erat. Augustinus, *Signum vobis, vobis, inquam, pauperibus.* Aduocantur illi ad Deitatis participationem, quæ pauperis habitui amat communicari, quò possit à mundialibus abscondi. Cyprianus de Nat. *Electa est pauperum personarum simplicitas. Vt poneretur regula, quòd non nisi pauperibus spiritu, Christi pateret humanitas; Imò Deitas: nec diuites superbos ad intuitum sui posset admittere.* 18.

Deitas sub pannis paupertatis absconditur pauperibus reuelatur; seu in eorum pannis vilibus absconditur.

Luc. 2.

August.

Cyprian.

Duo gemelli infantes Phares & Zaram iam inde ab vtero contendere videbantur. Gen. 38. Quare contendebant? Maldonatus respondet, ad illud: *Phares & Zaram de Thamar.* Matth. 1. *Contendunt, vter primogenitus, & Christi parens futurus esset.* Putantes quidem proximè ad Deitatem quodammodo accedere, si Christi exurgeret consanguinei, Zaram brachium porrexit, digitóque rubro stamine illigato, illicò contraxit, quasi errorem agnoscens, fratrique submittitur. Ac si diceret, Phares egressus hæreditate primogenitus potiatur, carne quidem propinquus Saluatoris. Ego hæreditate cedo, Christi accingor paupertati, quam vile stamen repræsentat, pauperísque habitu parens Domini spiritu, Deitatem accipiam sub pannis vilibus abscondendam. 19.

Contendunt Phares, & Zaram; sed pauperi datur victoria, Diuinitatémque abscondendam accipit Iesu Pater.

Genes. 38.

Maldon.

Quem lapidem non mouit eorum parens Iacob, vt benedictione hæreditatis donaretur, vt primogenitus Christi efficeretur parens? At errorem mysticè agnoscens nobilis, ac diues, in eas se spontaneæ paupertatis adegit angustias, vt baculo Iordanem transiret, & caput lapidi collocaret. Genes. 28. Quare cùm fratris Dominus fueris effectus, ad paupertatis aufugis vilitatem? An non primogenitus, hæresque, 20.

Iacob diues effectus, spiritu fit pauper, vt Dei consanguineus assurgat, súbque pauperis habitu operiat Deitatem.

Genes. 28.

Christi exurges in patrem? Cur fratris benedictionem abripuisti, si tam citò hæreditatis iure cedis? Profectò sapientissimè agnouit Deitatis thesaurum ex consanguinitate illâ, necessariò pauperis habitu abscondendum, & ideo curat egeni pannosi specie, verè diues Christi consanguinitatem emendicare. Clamat Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 21. *O profugum calestis asyli protectione dignum! qui sola fide absque Scripturarum lectione doctus erat, quod ad possidendam benedictionis hæreditatem, ad seminandam beati seminis expectationem, non pompaticè, sed humiliter ingrediendum erat.*

Rupert.

21. An aliter posset Patriarcha sanguinem cum Deo miscere? Minimè planè. Deus enim pauperes gloriatur habere propinquos. *Ne attingas paruulorum terminos, propinquus enim illorum fortis.* Prouerb. 23. Vbi LXX. *Qui enim redimit eas Dominus validus est.* Iansenius, *Id est, consanguineus.* Miraris pauperes Dei consanguineos, seu propinquos esse? Profectò non Dei propinquos; sed Deos ipsos vel Gentilis Dux vocitauit. *Dux* miratus, quòd bona eis oblata recipere noluissent, dixit: *Hi, Rex, sunt Dy latentes.* Semper enim apud nos sub paupertatis spiritûs indumentis Deitas latet, Diuinitas absconditur. Edisce pauperes minimè ex vilibus pannis despiciendos, sub quorum tegmine assolet latere Diuinitas.

Non aliter posset sanguis cum Deo misceri.
Prou. 23.
LXX
Iansen.

Observatio II.

Ad illa verba:

Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Et hæc omnia facient vobis propter nomen meum.

Simoni ac Iudæ mors iucundior, quàm vita, quia gloriosum illis, pro Iesu nomine pati, laboribusque agitari.

Edocemur, homines vel in præsenti sæculo, à laboribus & tribulationibus, beari.

22. Asserit Toletus Dominum non solùm ad labores solatium promittere, dum ait pro Iesu nomine passuros: sed & gloriam annunciare. Quia scilicet nunquam non gloriosæ iucunditatis iustis laborum sustinentia. Simoni & Iudæ Angelus post iniurias à Presbyteris Idolorum acceptas, inquit: *Aut repentinum interitū illorum eligite, aut vestrum Martyrium.* Sic Antoninus citat. Quidnam Apostoli? Si inimici Sacerdotes interitu subito puniuntur, nostræ patientiæ materia tollitur. Quis nos persecutionis igne exuret? An superstites sine laboribus poterimus vitâ frui? Viuant igitur Presbyteri, vt nos possint dirè trucidare. *Pontifices igitur in Apostolos irruerunt, eos trucidantes.* Ideo Magos infensissimos hostes tot persecutionibus Apostolos afficientes minimè à Rege, nec a serpentibus voluerunt comminui, ne tantæ tolerantiæ laborum seges subtraheretur.

Anton.

23. Quid mirum, si gaudio ineffabili perfruuntur, cùm laboribus exercentur? Clamant Apostoli a Pōtificibus trucidati, *Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis aduenit.* Cant. 2. Capita amputantur, & membra præscinduntur? En gloriæ cælestis flores germinantes, æternùm præsentantes fructum? Flos quidem virtute fructum continet; labores planè gloriæ epilogus. Ideo beati qui persecutionem patiuntur. Matth. 5. Quia iam beatitudine potiuntur, cùm laboribus exercentur. Nyssenus ad Matthæi locum, *Fructuum, qui sperantur flos afflictio est. Iam verò anima sancta, visis floribus, qui æternitatis fructum inamissibilem promittunt, gaudio perfusa annunciat: Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis aduenit.*

Labores Apostolis flores erant gloriæ fructum virtute continentes.
Cant. 2.
Nyssen.

24. Electionem Apostolorum (Angelo optionem proferente, aut inimicos repentè mori, aut ipsos Diuos trucidari) damnabit, qui non nouit tunc veraciùs quiescere sanctos, cùm laboribus exercentur. Morti proximus Iacob *adorauit Dominum, conuersus ad lectuli caput.* Genes. 49. LXX. *Adorauit summitatem virgæ eius*, id est, Ioseph. An id ad lectuli caput, vbi ceruical apponitur, conuerti ad requiem, Crucis simulacrum adorare? Respondet Hilarius Can. 21. in Matth. *Nunquam dulcius sancti requiescunt, quàm dum laboribus fatigantur.* Et Hieronymus in Regulâ Monach. *Christianis vexilla Crucis sunt delicia.*

Apostoli elegerunt trucidari, quia eis Crux delitia.
Genes. 49.
LXX.
Hilar.
Hieron.

25. Discipulis aiebat Dominus, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Luc. 10. Vbi Chrysologus serm. 84. *Mitto ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum. Mitto non authoritate adhuc iubentis; sed toto diligentis affectu.* Non iubeo, quia ad tormenta missurus, vti præcepti vi deberem; sed ad gaudia, minimè mitto. Vnde Crucem offerens, *si quis vult*, inquit, *venire post me.* Illud expendo: *Sed toto diligentis affectu.* Quonammodò vos diligit, qui ad tolerandam famem, ad vincula, ad carcerem, ad omnia pœnarum genera immittit? Certè, quia omnia pœnarum genera Apostolis erant cuncta gaudia. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias* (siue in omnes) *tentationes incideritis.* Iacob. 1. Exprimunt id verba præmissa: *Sicut misit me Pater.* Immissus Christus ad labores, simul cælesti gloriâ fruiturus. Sic vos immitto, quibus laborum ipsa sustinentia erit gloriæ fruitio.

Apostoli ad cuncta tormenta immittuntur, quasi ad omnia calestia gaudia. sicut Christus gloria fruens, à Patre immittitur ad labores.
Luc. 10.
Chrysol.

26. Profectus *Dauid in Maspha ad Regem Moab*, vt requie potiretur. Cui Gad Propheta, *Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda.* 1. Reg. 22. Ad præsidium Regis Moab me contuli requiem capturus. Si requiei voluptate frui curas, tibi alia requies altioris ordinis Deo digna paratur, proficiscere, & vade ad terram Iuda. In terrâ Iudâ à Saule ad necem quæror. En igitur Sanctorum voluptas, queis gloria pati. Carthusianus, *Iubetur abire, vt persecutionem patiatur, & vt in terrâ suâ, & à suis à quibus acerbiora proueniunt mala, laboribus exerceatur, & gloriosus euadat.*

Vt gloriosa requie frueretur Dauid, immittitur ad laborum sustinentiā.
1. Reg. 22.
Carthus.

Requie

Requie gloriosâ potiturus non ad præsidium Regis Moab confugias, cuius requies mundialis, terrena: ad laborum sustinentiam perge, vbi gloriosa requies, quam Regis cælestis præsidium promittit, inuenitur.

Cum persecutionibus datur sanctis his fructus centesimus, qui est calestis gloria. Marc.10. Chrysolog.

27. Rursum Apostolis Saluator, *Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres propter me, qui non accipiet centies tantùm nunc in hoc tempore; domos, & fratres, & agros cum persecutionibus.* Marc. 10. Vulgariter circumfertur Brixiani expositio: *Ipsa persecutiones, pars muneris est.* Dominus enim præmij loco cum cæteris multiplicatis bonis persecutiones enumerat. Ego autem particulam illam *Cum*, pondero. Non dixit, *Qui non accipiet in hoc tempore domos, & fratres, & agros, & persecutiones; sed domos, & fratres, & agros, cum persecutionibus.* In cuius expositionem ex Chrysologo assero particulam illam *Centies tantùm*, siue *centesimo fructu* æternitatis gaudia signare, vbi bonorum ineffabilem multiplicationem gloria ipsa tependit. Igitur & nunc *centies tantùm* Apostoli recipiunt *cum persecutionibus*, id est, cùm persecutionibus agitantur; quia laborum tolerantia cælestis gloriæ, à quâ bona multiplicata redduntur, imitatio est.

Paulus gloriam suam incommunicabilem alteri non dat, sed similem cupit ex vinculis. Act.26. Chrysost.

28. Paulus coram Agripâ, illigatus vinculis, *Opto apud Deum omnes, qui audiunt me hodie, fieri tales qualis & ego: exceptis vinculis his.* Act. 26. Miror Apostolum qui cuncta bona illis exoptaret, non etiam vinculorum eos participes fieri cupere, si vincula inter bona sint adnumeranda. Cur vincula excipit? Scio Chrysostomum hom. 33. in 1. ad Cor. dixisse. Excepit Paulus vincula ab aliis bonis, *quia illi nondum, ait, istam gloriam nostram degustarant.* Ast ego (vt communi excogitationi ponderationem nouam adiiciam) illam premo particulam: *Vinculis his.* Non alia vincula excludit, sed *hæc*, quibus propria incommunicabilis gloria adnotatur. *Gloriam meam alteri non dabo*, aiebat, qui cælesti gloria cunctos donat cœlicolas: quia illa ipsa gloria, quâ ipse beatus, incommunicabilis est. Sic Paulus, Opto apud Deum omnes, qui me audiunt, gloria potiri, sicut ego fruor; sed exceptis his vinculis, quia gloriam meam hanc alteri non dabo, similem autem ei cupio exhiberi. Ergo prudentissimè Apostoli morti maluerunt addici crudeli quam persecutores suos puniri, quorum vulneribus inflictis Sanctorum gloria inualescebat.

Observatio III.

Ad illa verba:

Si me persecuti sunt, & vos persequentur.

Simone & Iudâ tribulatione affectis Christus patitur: sicut sustinente Christo labores, Apostoli patiuntur.

Vbi patientibus solatium datur ex Dei societate, & compassione.

29. NON est vtique seruus maior Domino suo. Si non est maior, æqualis esse quodammodo obiicitur, dum ad easdem tribulationes immittitur. *Me persecuti sunt? Et vos persequentur.* Certè illud posset Apostolus a sustinentiâ laborum abstrahere, Christum scilicet iam à tribulationibus (præteritis quidem: *Me persecuti sunt*) liberum manere, dum ipsi futura imminuntur (*Et vos persequentur.*) ad vulnera. Profectò ad labores immittens, eos quodammodo vulnerandus ipse comitatur.

Promiserat Dominus Dauid tentando laboribus, *Cum ipso sum in tribulatione.* Psalm 90. O Domine, te iam hostes persecuti sunt, ad Superos auolasti, requie cælesti potiturus; nos immittis ad vulnera. Vndenam agnoscere poterimus te nobiscum persecutionibus agitari? Bernardus serm. 16. *Qui habitat. Vnde scimus, quòd nobiscum sit in tribulatione? Ex eo vtique, quod ipsi in tribulatione nos sumus.* Adiicit, *Quis enim sustineret? quis subsisteret? quis persisteret sine eo?* An non Dominum à cælis clamantem audîsti: *Saule, Saule, quid me persequeris* Act. 9. — 30.

Apostolis laborantibus, Deus quasi labore afficitur. Psalm 90. Bernard. Act.9.

In carcere (inquit Christus) *eram, & visitâstis me.* Matth. 25. Et quando Dominus inclusus in carcere, nisi quum Apostoli vinculis illigantur? Sapiens de Ioseph ait, *Venditum Deus non dereliquit.* Cap.10. Imò Dauide profante; *Descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Vbi Ambrosius de Ioseph. cap. 5. *Nihil mirum, si visitet Deus in carcere positos, qui seipsum in suis inclusum esse memorauit.* — 31.

Inclusus Dominus, cum Apostoli carceri addicũtur. Sap.10 Ambros.

Quàm verè Dauid, *Quæ est autem, vt populus tuus Israel, gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, & Deum eius.* 2.Reg.7. Pugnant clausulæ illæ: *Iuit Deus, vt redimeret eam* Et *Redemisti tibi ex Ægypto, gentem, & Deum eius.* Si iuit Deus vt redimeret gentem, quonammodo Deum eius redemit? Profectò, quia licèt Deus cælesti sedeat in throno, laborantibus suis simul videtur laborare. Vnde pergens ad redimendum populum se simul redimit, quia scilicet captiuus cum captiuo populo morabatur. Pulchrè Vatablus, *Redemisti, Deus, gentem, & Deum eius; Deum, id est, teipsum, quod videaris affligi, cum hi affliguntur*, Deus ergo Moysi è rubo locutus, sit tibi Christus Apostolis fatus, *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Non se à persecutionibus futuris abstrahit. Nam quemadmodum Deus liber inest in rubo, & in Ægypto simul cum Hebræis illigatus ostenditur; ita Christus throno assidet cælesti, & simul cum Apostolis vbique terrarum vulneratus obiicitur. — 32.

Deus seipsum redemit suos redimens, quia cum illis captiuus commorabatur. 2.Reg 7. Vatab.

An ideo timendum vobis, ô Apostoli, quia Christus suas tribulationes de præterito exposuit: *Me persecuti sunt*; vestras autem de futuro: *Et vos persequentur?* Porrò, qui præteritas persecutiones (cum surgens à mortuis iam non patitur) respicit: futuras simul intuetur. Deum exaudite. *Filia populi mei, accingere cilitio, quia repentè veniet vastator super nos.* Ierem.6. τὸ *veniet* futuram calamitatem innuit. Scio septuaginta Interpretes legisse: *Veniet vastator super vos.* Vt scilicet Deum à communi calamitate excludat. Ast ego in vtraque lectione — 33.

Christus, qui præteritas aspicit persecutiones, quia in se non patitur: præsentes aspectat dum patitur in iustis. Ierem 6.

ne eundem sensum inuenio exprimi, Venit vastator super filiam populi cilicio indutam, præteritum delictum lacrymis diluentem? Necessum planè Deum ipsum simul cum illâ vastatotis vulnera sustinere. Attamen Hieronymus ptimam lectionem retinens, ait: *Licet septuaginta legerunt: super vos; multè tamen misericordius Deus dixit: super nos. Vt quidquid super suum venturum est populum, super se quoque venire testetur.* De præterito etiam ait Dominus, *super contritione populi mei contritus sum, & contristatus sum, stupor obtinuit me.* Ierem. 8. Hieronymus, *In afflictione Israel ipse Deus iudicatur afflictus.* An quia Deus iam de præterito suis vulneratis, vulneratus fuerat, (*stupor obtinuit me, contristatus sum.*) ideo à futuris vulneribus eximitur? Certè de futuro ait: *Veniet vastator super nos.* Sic Christus. *Me persecuti sunt, & vos* (imò & nos) *persequentur.*

Hieron. — *Ierem. 8.* — *Hieron.*

34. Vndenam existimas trucidatis Apostolis, obortam tempestatem? Fatur Antoninus *Pontifices in Apostolos irruerunt eos trucidantes. Et ecce in illâ horâ, cùm serenitas maxima esset, descenderunt fulgura Templum trifariam scindentia, & duo Magi præsentes ictu fulguris in carbones versi sunt.* Manifestum documentum in Apostolis Dominũ trucidari. Quid Matthæus? *Iesus emisit spiritum; & ecce velum Templi scissum est in duas partes, terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Cap. 27. Apostolis spiritum emittentibus, si non Templi velum scinditur, Templum scissum est; si terra non mouetur, fulminum strepitu commoueri necessum fuit; si sepulchra nõ reserãtur, sepulchris Magorũ cadauera exponũtur. Quò tẽdit huiusmodi & Domini & Apostolorũ mors eisdem notata portentis? An non innuitur Apostolis passione affectis, Deum simul naturæ pati? Quàm iucunda laborum tolerantia ei, qui se socium Christum sortiri contemplatur!

Trucidatis Apostolis, oboritur tempestas, ac si natura Condiger pateretur. — *Anton.* — *Matth. 27.*

Observatio IV.

Ad illa verba:

Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo, &c.

Simon & Iudas cælestis Medici imitatores, inflictis laboribus, Magorum ægritudini mederi procurârunt.

Labores & enim visum acuunt ad Deum agnoscendum, quos assolet prosperitas claudere.

35. SERMONES, Salutares, miracula illustria circa vtilitatem Iudæorum excitata Dominus memorat. Vidisti ex Marco innumera Christum beneficiorum miracula gessisse & ægrotos valetudini restituendo, & vexatos ab immundis spiritibus liberando. En opera, quæ nullus alius fecit, & multitudine, & qualitate præstantissima! Rogas, cum Ghislando, quorsum tot laboribus & ærumnis tunc Hebræorum populus agitaretur? Profectò labores illi à misericorde Numine immissi fuerant, vt vexatio adiiceret incredulis intellectum. Vnde aliquorum Patrum approbo sententiam asserentium eis Dominum spiritualem valetudinem contulisse, quos corporeâ donauit.

Imitatores Christi Simon & Iudas, labores incredulis immisere, vt eos ad mentem meliorem reuocarent. Magi Zaroes & Arphaxath serpentes incantationum vi adducunt vulneraturos Euangelij Ministros, *qui pallia sua extendentes* (verbis Antonini vtor) *& serpentibus implentes, in Magos proiecerunt dicentes: Non moriemini; sed a serpentibus dilacerati, dolorum mugitus dabitis.* Postmodum *factâ oratione, iusserunt Apostoli serpentibus, vt omne venenum, quod mordendo, in Magorum corpora infuderant, sugendo resumerent, & postea ad loca sua redirent.* Quid plura? *Maiores autem cruciatus Magi experti sunt in retractione sui veneni, quàm in morsibus eorum. Dixerúntque eis Apostoli, Tribus diebus dolores sentietis; vt vel sic à malitiâ vestrâ recedatis.* Quàm cælestis Medici imitatores, vino effuso, vulnerum prouident sanitati! 36.

Magos Apostoli laboribus vexari curant, vt ab iniquitate recedant. — *Anton.*

Simeoni & Iudæ olim Deus Chananæos ac Pherezæos subdidit debellatos. *Et abiit cum eo Simeon, ascenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum. Inuenerúntque Adonibezec, quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum eius ac pedum.* Iudic. 1. Porrò Adonibezec de multis tumẽtem victoriis ita crudelitas efferauerat, vt Dynastas septuaginta, amputatis manuum, pedúmque summitatibus, ferali ludibrio sub mensâ habuerit. Sed tandem è fugâ captus talionem persoluit. *Sicut feci,* (clamat) *ita reddidit mihi Deus* Hebraicè, *Elohim,* quòd Deum Iudicem memorem fandi, atque nefandi significat. Prudentior igitur factus Adonibezec Deũ Iudicem agnóscit, inflictis à Simeone & Iudâ calamitatibus, quem secundis in rebus ignorauerat. En ita Simon & Iudas Magis calamitates inferentes, *vt vel sic a malitia* recederent. Et quidẽ calamitatibus impiorum oculi ad Deum agnoscendum acuuntur. 37.

Exemplo Simeonis & Iudæ antiquorum Simonis & Iudæ nostrorum gestum illustratur. — *Iudic. 1.*

Suppliciorum ruinas Deus peccatoribus comminatur. *Rex lugebit, Princeps induetur mœrore, & manus populi terræ conturbabuntur. Secundùm viam eorum faciam eis, & secundùm iudicia eorum iudicabo eos.* Quonam fructu? *Et scient, quia ego Dominus.* Ezech. 7. Vbi Hieronymus, *Qui versiculus frequenter in hoc Prophetâ ponitur, quòd supplicia, atque cruciatus sequatur scientia Dei. Vt quod non intelligebant per beneficia, per tormenta cognoscant.* Secundum viam Magorum, eis Apostoli fecerunt, vt serpentum vulneribus resipiscerent, qui vulneribus serpentum curârunt Apostolos trucidare. Quàm Numine benigno, si non phrenetici in medicos desæuirent. 38.

Peccatores Deum post labores agnoscunt, mouentur. — *Ezech. 7.* — *Hieron.*

Nabuchodonozor ites secundæ sensum obnubilârãt. Aduersa multa Medici superni phrenetico scribuntur manu suæ pœnæ, in qua sanitas. 39.

Nabuchodonozor ob tribulationem

euigilauit. Dan. 4. Theodor.

nitas. Quonam fructu? *Sensus*, ait, *meus reuersus est ad me.* Dan. 4. Theodoretus id annotauit fatus: *Tantum vtilitatis ex calamitatibus percepit, vt Prophetæ instar de Deo sentiat & loquatur.* Pondera illam particulam: *Vt Prophetæ instar de Deo sentiat, & loquatur.* Quid locutus? *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico & glorifico Regem cæli; quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Ibidem. Ita oculorum animi aciem cruciatus exacuit.

40. *Tormenta fecerunt Diuitis oculos perspicaces.* Luc. 16.

Chrysologus in diuite illo cogitat hominem nondum vltimo supplicio damnatum, sed medicabili adhuc vulnere languentem. *Eleuans* ille miser *oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.* Luc. 16. Quàm à longè? *Inter nos* (ait Abraham) *& vos chaos magnum firmatum est.* Ibid. Quonammodo ergo tam longè abstractus Diues Lazarum videt, quem propè in mensa, ac in deliciis non agnouerat? Particula illa soluit quæstionem: *Cum esset in tormentis, vidit.* Sit tibi parabolicus Auarus quicunque post prosperitatem hîc laboribus agitatur. Porrò, cùm adest in tormentis agnoscit; videt, prospicit. Bellè Euthymius, *Vide, quomodò eum sapere fecit cruciatus. Quem enim ipse propè iacentem despexerat, hunc eminus acutè videt.* Euthym.

41. *Desperata salus Magorum, qui laboribus afflicti, non viderunt.* Anton.

Quæris, an Magi, inflictâ eis ab Apostolis tribulatione sese ad frugem meliorem receperint? Post diem tertiam à vulnerum cruciatu, *Apostoli*, euntes *Magos sine cibo, & potu, & somnio manentes visitauerunt, & liberos, & incolumes reddiderunt, dicentes: Non placent Deo coacta seruitia. Surgite, & abite, quò vultis.* Quàm desperata salus eis, quorum vulnera, tribulationum vino, haud salute donantur.

PARS SECVNDA.

SECTIO TERTIA

SIMON PRÆSERTIM.

In Simonem.

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS circa literam.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.

Miram Simonis patientiam illustro.

Vbi ostendo, Christianorum dies totidem debere esse Martyria ad diadematum acquisitionem.

1. *Simonis mira patientia.*

CHRISTVS mundiali odio perculsus? Quonammodò Apostoli à persecutionibus possent liberari? Profectò Simon tot labores tantâ sustinuit patientiâ, vt vel diram tortorum nequitiam deuinceret. Eusebius Cæsar. lib. 3. cap. 1. ait, *Egesippus refert quod Apostolus Simon à quibusdam hæreticis accusatus tanquam Christianus, & multis suppliciis afflictus fuit per multos dies ita vt & Iudex ipse miraretur de eius patientiâ.* Egesippus lib. 3. cap. 13. scripserat. *Martyr effectus est, cùm esset annorum centum viginti, omnibus, qui aderant, & ipso Iudice mirantibus, vt centum & viginti annorum senex tam dirum Martyrium pertulisset.* Porrò, tam diuturna Apostoli vita tot laboribus honestata, tot tentata afflictionibus dirioris Martyrij locum obtinuit. Fælix tribulatio, quæ tot victoriis diademata texuit!

Euseb. Egesip.

2. *Simon centum viginti annorum diuturnitate quotidie laborum vulnere moriebatur, innumeris stipendiis coronæ.*

Tam prolixæ ætatis senex quotidie equidem moriebatur, vt coronæ vix ad numerum possent adferri. Canebat Dauid, *Quoniam propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Psalm. 43. Pende illud: *Mortificamur totâ die.* Id est, quotidie morimur. Parum certè Simoni fortissimo semel sub vitæ termino occidi: quotidie ex laborum diro vulnere occumbebat, vt tam longæ vitæ tropheis innumeræ coronæ addicerentur. *Statutum* (ait Apostolus Simon) *singulis hominibus semel mori?* Vnica mors licèt tormentis grauissimis ornata, exiguum erit meæ dilectionis, ac patientiæ documentum. Quotidie, ô Domine, è laborum sustinentiâ occumbam. Pulchrè Chrysostomus serm. 15. in epist. ad Rom. *Quoniam homines sumus, atque ideo non datur innumeras subire mortes; ostendit Dauid præmia nostra ob id nihilo magis imminui. Nam tametsi nostra natura* Psalm 43. Chrysost.

natura velut hereditario iure datum sit semel tantùm mori; præstitit tamen hoc Deus, vt voluntate, si placuerit, quotidie mortem pati liceat, sustinendo scilicet quæcunque nobis illata fuerint mala: etiam vsque ad mortem. Porrò Simoni præstitit Deus, vt quotidie tot laboribus afficeretur, vt etiam vsque ad mortem pateretur quodammodo. Vnde Authores antiqui, quibus comperta fuere Simonis tolerata tormenta, eius Martyrium variè descripserunt. Quidam Cruci suffixum tradunt apud Ierosolymam. Eusebius & Egesippus, *Senex Crucis Martyrium pertulit.* Antoninus, & alij: *Pontifices irruentes in eum, trucidauerunt,* Apostolus & apud Ierosolymam, & apud Babylonicam Prouinciam Martyrio afficitur? imò vbique terrarum existens tot laboribus actus Martyris præ se ferret speciem. Ideo ei congrua Psalmi verba illa: *Propter te mortificamur tota die; id est, propter te morti tradimur* omnibus diebus.

Egesip. Anton.

3. *Innumeri dies vitæ Simonis fuere, illi totidem palæstræ.* Psalm. 38. Ambros.

Alibi Vates, *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Psalm. 38. alij legunt, *Ecce palæstras posuisti dies meos.* Cuius lectionis memor Ambrosius, ait: *Alius habet: Ecce palæstras posuisti dies meos. Quòd si palæstras accipimus dies, ex nomine intelligimus plenos certaminis, & laboris.* Dies igitur *mensurabiles*, seu *palæstra* à Dauide memorantur; quia quilibet Sanctorum dies non sunt quidem mensurabiles, siue ad numerum aut mensuram vitæ computandi, si palæstræ non sint, vbi occumbentes illo ipso die coronari valeamus. Hinc Dauid, actus quidem laboribus; sed non cunctis vitæ diebus (qui in potentibus octoginta annos perficiunt:) *mensurabiles* positos sibi asserit dies. At Simon centum supra viginti annos degens in palæstrâ potest inclamare: immensurabiles posuisti dies, immensurabiles, seu innumeras datum mihi inire *palæstras.*

4. *Semper Cruci suffixus vixit.* August.

Profectò Simon *Crucis Martyrium pertulit,* licèt fuisset trucidatus à Gentilibus alio Martyrij genere; quia tot annis superstes nunquam non ex laborum sustinentiâ Cruci illigatus ostendebatur. Cui illud August. ser. 86. de diuers. accommodo. *In Cruce per totam istam vitam debet pendere Christianus. Non enim est in hac vitâ tempus euellendi clauos.* Centum supra viginti anni certaminis, Crucis, persecutionum, quot diademata parturiere?

5. *Quid possit Simon, tota agnouit Ecclesia.* Senec.

Fortissimum planè edíscimus Simeonem vel Machabæum vincentem, quem toties ad palæstram descendentem vidimus; imò nunquam à palæstra discessisse aspectamus. Aiebat Seneca lib. de Prouerb. cap. 4. *Magnus es vir? Sed vnde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Descendisti ad Olympia? Si nemo præter te; coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam Consulatum, Præturamve adepto. Miserum te iudico, quòd non fuisti miser, transisti sine aduersario vitam. Nemo sciet quid potueris, nec tu quidem ipse. Calamitas virtutis occasio.* O magne Simô, omnes scimus, quid possis, dum tot exactum Martyriis, innumeris palæstræ occasionibus, tandem Iudex dirus, adstantésque carnifices mirati aspectant, quod *centum & viginti annorum senex Martyrium tam dirum pertulisset.*

Observatio II.

Ad illa verba:

Quia de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo.

Non de Mundo iam, sed de cunctis Ecclesiæ Proceribus electus fuit Simon Ierosolymitanæ Ecclesiæ Præsul.

Admonet Principes Præsulum electores, quam diligenter digni quærendi, quam rectâ intentione præsentandi Pontifici.

6. *Simon electus ex cunctis Apostolis in Præsulem Ierosolymitanum.* Euseb.

MAGNA quidem Apostolorum commendatio, quòd à Domino de Mundo electi fuerint in Discipulos, Mundi ipsius futuros Magistros. An non commendabilior ideo Simon, qui ex cunctis iam à Domino electis de Mũdo ipse in Ecclesiæ Ierosolymitanæ Præsulem assumptus est? Eusebius Cæsar. lib. 3. cap. 1. ait: Communi Concilio vertitur post Iacobi minoris obitum, *quem oporteret dignum successione Iacobi iudicari. Omnésque vno consilio, atque vno consensu Simonem Cleophæ filium decreuerunt, vt Episcopatûs sedem susciperet.* Difficile planè Præsulem probum inuenire. Quàm probus Simon, qui è proborum Collegio à Domino è mundialibus innumeris electo, Ecclesiæ eligitur in Patentem.

7. *Moyses noluit eligere Principem, ne videretur præsumptione affectus.* Origen.

Moyses à Domino in Hebræorum Principem eligitur; nec tamen ipse ausus fuit sibi successorem assignare; vt rei difficultatem ostenderet. Origenes hom. 22. in Num. *Quis*, inquit, *ita potuit eligere Principem populi sicut Moyses? Poterat; sed hoc non facit, non eligit, non audet.* Quare? An vt humilitatis relinquat documenta? An quia Deo relinquens, penes ipsum erat populo optimum Principem prouidere? An quia meritissimum adiudicabat eum, quem præficiendo, quòd personæ esset acceptator, fortè taxaretur? Respondet pulchrè Doctor. *Cur non audet? Ne posteris præsumptionis relinquat exemplum.* Tam difficile negotium, populo bonum Principem inuenire, vt vel Moyses sapientissimus, qui optimè Procerum cunctorum præstantiam, aptitudinémque percalluerat, temerarius quodammodo, ac præsumptionis reus sibi videretur si Imperatorem elegisset.

8. *Deus quæsiuit in sanctis, in Regibus, in Prophetis Dauidem inuenit ad Israeliticum Regnũ.* Psalm 88. Chrysost.

Vt ostenderet id Deus, fatur, *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.* Psalm. 88. τὸ *Inueni* indicat Deum post præmissam inquisitionem, diuturnam planè, tandem Regno Dauidem inuenisse. Chrysostomus hom. de Dauid. *Cum enim* (vim verbi, *Inueni* expendit) *examinaret cunctos, plurimósque prævideret: è quorum numero eligeret Regem: Inueni, inquit, Dauid.* Sanctum quæro, vt sancto meo populo præficiam. O Sancti, dicitote mihi, (sic liceat exponere) quisnam Sanctorum

tum sit tanto muneri accommodatior? Requiro Regem Israeli sapientiâ præditum, iustitiâ ornatum. O Reges, indicate præstantissimum, qui possit inungi. Prophetam curo Regno præficere, qui canens futuram præsignet Ecclesiam. O Prophetæ, digniorem exponite Hugo Cardio. *Quasi quæsitum in sanctis Patribus, in Regibus, in Prophetis, ait: Inueni Dauid.*

9. *Quam quæsitus Dauid fuerit, Samuel confirmat. 1 Reg. 13. Caietan.* Porrò illam particulam: *Inueni* manifestè inquisitionẽ præmissam annotare, probauit Samuel fatus, *Quæsiuit Dominus virum iuxta cor suum.* 1. Reg. 13. Vbi Caietanus, *Qui ad similitudinem quærentis inter tot Israelitas elegit Dauidem.* Illud verbum *quæsiuit Dominus*, idem est ac *Inuenit*, quod conatum quærendi significat. Quæsierunt planè Patres Ierosolymitanæ Ecclesiæ è cunctis Discipulis aptiorem; *omnẽ que vno consilio, & vno consensu Simonem inuenerunt.*

10. *Reges assignantes Ecclesiæ Præsules à Pontifice approbandos Dei vices exerunt. Ambros.* Sic quærendi Ecclesiæ Præsules à Regibus, queis indultum, Pontifici summo Pastores præsentare. Eis profectò ipsius Dei cura commissa est, vt personam Dei agẽtes, quærant, inueniantque digniorem Ecclesiæ Prælatũ. Cur existimas Deum se inuenisse Dauidem proclamare? Quia Samueli quæsitori munus illud commisit. Propheta quæsiuit, & Deus inuenit. Ambrosius ad Psalm. 118. *Dauid à Sacerdote quæsitus, & accersitus a pascuis, prærogatiuam Regiæ vnctionis accepit,* Reges igitur Dei gerunt vices, cùm inungendos Præsules assignant, quos priùs debent sollicitè quærere, vt possit Deus se inuenisse profiteri.

11. *Quærendi occulti thesauri ad Ecclesiæ ornatũ, & inueniẽdi, non qui munus quærunt, & inueniũt.* Audiant Reges Gregor in 1. Reg. 16. pulchrè profatum: *Quærat ergo, qui ornare Ecclesiæ caput cupit, occultos thesauros Christi Ecclesiam ornare gestit; sed non potest, nisi occultos sponsi thesauros producat, & non desistat, donec latentes inueniat.* Vereor, sæpè Prælatos non inueniri; sed inuenire munus, quod, post diuturniam requisitionem, acceperunt; Principes fideles admoneo, numquam non quærere, quod post longam requisitionem tam difficilè inuenitur. Adiicit Doctor. *Sed quid hortor Reges pastores quærere cùm nisi Deus occultos proferat, nequeant inueniri.* Quasi innuat, solos dignos, qui eligantur, qui tam occulti adsint, vt à Deo solo possint inueniri. An sic, qui se se proferunt dignitati, Prælationi obiiciunt, Præsulatui exponunt? Profectò Simon thesaurus absconditus, quia nullatenus se muneri ingessit; sed à toto fuit Concilio assumptus.

12. *Bona intentione lucerna accensa, inuenditque quærendi aptè ad Præsulatum. Luc. 6.* O quàm interdiu, quam fulgido Sole Præsules Ecclesiæ quæritandi! An qui oculo nequam eligere curat, qnia propinquus, quia amicus dignum inueniet? Si lucerna non accenditur, si mens obcæcatur ampliùs ipsa solicita, non quæstione, sed arreptione, quonammodo occultus thesaurus inueniendus? Exemplo Domini roborabo. Qui quidẽ dignos Ecclesiæ Principes quæsiturus *erat pernoctans in oratione Dei.* Cùm autem dies illucesceret, inuenit, & elegit Apostolos. Luc. 8. Quare diem expectauit? An vt aptiùs quæsiturus magnum luminare accenderet: Certè vt innueret fulgentissimâ luce indigere, qui Ecclesiæ Prælatos prouidere satagit. Toleti vtor

Tolet. pulchra sententia. *Significans neminem esse in Prælatum eligendum nisi spectatum, & cognitum sunt in die corpora, quæ noctu occultabantur, discernuntur.* Edificant Principes Præsulum electores, quàm diligenter digni quærendi, quam tectâ intentione Pontifici summo præsentandi.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Quia de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo, ideo odit vos Mundus.

Extitit Simoni Præsulatus Crux Martyrij, quia illibatam conseruans Ecclesiæ puritatem, Mundi odia sustinuit.

Asseritur Prælaturam crucem esse, eumque, qui eligitur ad Regnum, aut Dominatum ad necem rapi.

ELECTVS Simon e Mundo in Apostolũ; ex Apostolo autem ad Ierosolymitanæ Ecclesiæ Præsulatum assumitur. Quam ex illo absconditio thesauro (de quo Gregorius Obseru. proximâ) ornaretur Ecclesia, adnotat Egesippus scribens apud Eusebium Cæsar. lib. 3. ca. 13. *Vsque ad Simonis tem; ora virgo munda, & immaculata permansit Ecclesia, corruptoribus veritatis, & diuini verbi temeratoribus aut nusquam omnino extantibus, aut etiam, si qui fortè fuerant, in occultis, & abditis, & hiatibus terræ delitescentibus. Vbi autem de hac vitâ discessit, & velut in vacuam domum falsæ doctrinæ impius se error immersit? Et tanquam vbi nullus iã diuini census defensor existeret, nudato capite corripientes arma mendacij, oppugnare Apostolicam veritatem nituntur.* Ad huiusmodi Ecclesiæ conseruandam puritatem, ad hostes exitio addicendos quotnam Simon fortissimus bella inierit, quàm illustres victorias reportârit. An non Crux Apostolo Prælatura? Hinc idem Egesippus asserit Simonem Crucis Martyrium subiisse; quod si aliter intelligatur, repugnat communi Doctorum sententiæ affirmantium à Gentilibus apud Babyloniam fuisse ab Idolorum Sacerdotibus trucidatum. Certè si Præsul huiusmodi extitit, necessariò fuit Cruci illigatus. 13. *Prælatus Simon vt purã conseruaret Ecclesiam improbósque reprimeret, necessario Cruci addictus est. Egesip.*

Num non crux Præsuli impiis subditis imperare? Pietatem Pilati aliquando miratus sum super caput Domini scribentis: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Matth. 27. Et cùm hostes curarent honorificum illũ titulum aboleri, ille frespondit: *Quod scripsi scripsi.* Iam me ab admiratione eiusmodi expediui audiens Iudæos. *Si Rex Israel est, descendat nũc de cruce.* Existimo enim Christum inter alia tormenta, quibus in cruce fuit affectus, Regis etiam titulo fuisse vulneratum. Quod quidem improperium dirius Cruce extitisse Saluatori ex eo cõfirmo, quòd Crucem non fugerit; sed Regnum: *Fugit in montem ipse solus*, cùm facere eum Regem Iudæi curarent. Ioa. 6. O quàm grauis Crux tam impios subditos regere, tam veritatis osores ciues gubernare! Non igitur à Cruce titulus Regis aufertur, vt 14. *Loco impropery Rex improborum ciuium à Pilato vocatur saluator. Matth. 27.*

Cruci

Cruci suffixus, Pilati impietate; adhuc Rex Iudæorum improborum planè vocatus, grauiori patibulo addicatur.

15. *Assumi Iesum ad regimen improborum, idē erat, ac rapi ad Crucem.* Ioan. 6. Ioan 21.

Ponderatione accuratiori Ioannis effero testimonium. Post saniatas turbas, *cùm cognouisset Iesus, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit.* Cap. 6. Particula illa *Raperent* mihi ingerit nescio quam Crucis subeundæ suspicionem. Illa enim violēta adductio sapit Christi sententiam: *Alius cinget te, & ducet, quo tu non vis.* Ioan. 21. Qua quidem Petro Crucis Martyrium fuit indictum. Porrò, quem præfici iniquis, Cruci planè est illigari.

16. *Assumptus ad rectulatū quasi tollitur ad Crucem.* Num 27. Abul. Gen. 22.

Efflagitanti Moysi à Domino, vt Princeps populo toties rebelli, & incredulo, semper ingrato præficeretur, Dominus inquit, *Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manū tuam super eum* Num. 27. *Tolle Iosue.* Vim particulæ *tolle* expendit Abulensis, *Tolle significat quandam dictionem non voluntariam.* Quàm pulchrè! Quia qui ad imperandum prauis subditis assumitur, inuoluntarius adducitur, ad patibulum rapitur, ab alio cingitur, & ducitur; quò non vult. Abrahamo dictum: *Tolle filium tuum vnigenitum.* Gen. 22. Vt Isaac ad Crucem lignorum portandam, subeundam, ita Iosue ad Crucē imperij tollebatur, rapiebatur ad patibulum.

17. *Lacrymatur Iesus Rex impiorum vocatus, lacrymas prohibet Cruci suffigendus.* Luc 19. Caietan.

Ad crucem Dominus adductus obiicitur, & videns Ierosolymæ filias lacrymantes, fletum prohibet profatus, *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me.* Ast ad Ierosolymam asino vectus inter regias gratulationes, vnus ipse mœrēs lacrymas profudit Luc. 19 Vbi Caietan. *Vide, quam charam habeat Christus huiusmodi gloriam. Inter tot honores sedens super asinum, flet, non magni facit honores, qui fletum non continet.* Cur ergo alienum filiarum Ierusalem continuit, proprium qui non continet? Certe *baiulās sibi Crucem exiuit*, vt ligno alligaretur. Ast Ierosolymā ingressurus, exaudiebat gratulationes. *Ecce Rex tuus.* Iucundius Christo Cruci suffigi, quàm incredulo populo præfici.

18. *Melior mors Prælatura.* Num 11. Oleas.

Moysi Dominus gregem suum hœdos vtique sæpe, non oues committere curans audiuit pastorem clamantem: *Obsecro, vt interficias me.* Num. 11. An non mihi satius trucidari, quam præfici? Oleaster *Malim occidi, quam præesse. Grauior illi Cruce præfectura.*

19. *Pugna cum impijs subditis instituenda dira Crux Prælato.* Cant. 3. Isa. 3. Hug. Tim. Isidor. Pelus.

Venio ad pugnam cum improbis necessariò instituendam, si Ecclesia illibata est conseruanda. Prælati certè sunt illi, de quibus Salomon, *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Cant. 3. Vatablus legit, *Bello assuefacti.* Isaias, *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & Iudá virum bellatorem Iudicem.* Cap. 3. Quidnam bellator nisi Præsul Ecclesiæ, qui aduersum improbos oppugnatores certamina excitat, vt Ecclesiæ conseruet puritatem? Hug. Card. *Vir bellator Prælatus est, qui debet fortiter præliari prælia Domini, subditorū vitia impugnando.* Paulus Timot. *Labora, sicut bonus miles.* 2. Epist. 2. Iustinianus, *Mala, & afflictiones sustine more strenui militis.* Vis Crucem Prælati continuò dimicantis obiiciam? Audi Isidorum Pelus lib. 4. Epist. 216. *Si quis ad hunc thronum euehatur, ad certā instituitur vt legitimè certet; non autem vt citra periculum in luxu & delicijs versetur. Pericula (superius) inspicias (aduersus eum enim acrius instruuntur inuisibiles, ac plerumque etiam visibiles inimici) mortes contemplietur, non delicias.* Igitur qui ad Præsulatus assumptus munus obeundū, non videt se ad Crucem adductum, laborat certè cæcitate. Constat Simonem Cruci suffixum, cùm electus fuit ad Episcopatum, vbi tot improbi subditi veritatis aderant impugnatores.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Non est seruus maior Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur.

Simon Zelotes zelo simul & pietate præstans Christum imitatur.

Vbi ostendo, à zeli fortitudine contra improbos pietatem, & mansuetudinem non excludi.

Me persecuti sunt, quia de Mundo non eram, quia zelus paternæ domus meo in pectore exardescebat, eósque aliquando Templi profanatores verbere corripui. Vos itaque Discipulos meos, zeli mei imitatores, odio mundiales prosequentur. An quia zelo succenduntur Apostolorum præcordia contra improbitatem, ab eorum liminibus pietas, & mansuetudo deturbatur? Minimè planè: quemadmodum zelus & pietas ineffabilis Domini vnâ in sede morabantur. 20.

21. *Simon zelo simul ac pietate præditus imo zelus totus erat pietas.* Isidor. Antno. Hieron. Niceph.

Isidorus de Patr. noui Test. Simon Zelotes, qui interpretatur Zelus, zelo Domini *feruens, par Petro in cognomēto & similis in honore.* Antonin p. 1. lib. 6. c. 14. Simon interpretatur. Tristitiam ponens, Zelotes zelo feruens. Hieron, Epist. 53. *Zelotes vocatus, quia zelo feruebat.* Alio enim nomine proprio cognitus. Isidorus, *Prius, dictus est Chananæus.* An ex zelo rigidus nimiùm Apostolus? Tā pollet *Pietas*, quàm Zelus vocitari. Nicephorus. *Erat tamen valde misericors & in condonando clemens.* Testor Magos toties veniâ donatos. Zelus itaque Simonis totus erat pietas, dum subditorum curandis vulneribus seruiebat.

22. *Deus cum zelo accenditur, misericors ostentatur, quia zelus pietas.* Naum 1. Hieron. 1. Cor. 12. 2. Cor. 11. Psalm 68. 3. Reg. 19. Num. 25. 1. Mach 2. *Simon ex zelo misericors.*

Naum sic de conditore. *Deus æmulator, & vlciscens.* Cap. 1. Vbi Hieronym. æmulatorem, siue zelotem idē esse ac misericordem. An congruit particula: *Et vlciscens.* Ita quidem. Improbos enim reprimere, ac punire pietas, & misericordia est. Probat autem Doctor zelum esse pietatem. Quòd autem (ait) *zelus in bonam partem accipiatur, Paulus Apostolus ostēdit, dicēs 1. Cor. 12. Æmulamini charismata meliora. Et 2. Cor. 11. Zelor enim vos Dei zelo. Et ipse Dominus in Psalm. 68. Zelus domus tuæ comedit me. Et Elias zelans inquit 3. Reg. 19. Zelatus sum Domino omnipotenti Deo Israel. Phineen quoque Num. 25. & Matathiam 1 Mac. 2. zelatores legimus.* Quid plura? *Et* Simonem Zelotem Apostolum Iesu Christi, Act. 1. quem Marcus cap. 3. Chananæum vocat. Concludit pulchrè. *Zelatur ergo Dominus in salutem eorū, quos zelatur.* Zelatur ergo Simó Zelotes in salutem peccatorum.

Erat

23. *Punits Simon clementissimus apparet. Deum punientem imitatus* — Rom. 5.

Erat Simon *valde misericors.* Et vndenam Magis serpentes vulneraturos immittebat? Vndenam improbos ad cauernarum latibula ablegaba? Certè pietas ipsa nullatenus suos terminos excedens, impiis vulnera infligit. An Deus possit immutari? Paulus, *Neque irascitur Deus quasi mutabilis.* Rom. 1. Quomodò non mutatur, si pietate hodie diffluens erga iustum, cras ità in ipsum peccatorem succenditur? Profectò non irascitur, vt mutabilis, quia pietas ipsa hodie amplexu donans iustum, cras verbere afficit peccatorem. Hieronymus ad Eze. 16. *Ex quo perspicimus, nostris vitiis clementissimum, & mansuetissimum Deum ad iracundiam prouocari:* An post iracundiam à mansuetudine, ac clementiâ recedit? Certè ipsa iracundia, zelus ipse mansuetudo, clementia est: *Clementissimus & mansuetissimus ad iracundiam prouocatur.* — Hieron.

24. *Percussio Dei est sanitas, zelus pietas.* — Deut. 13.

Percutiam (ait) & ego *sanabo.* Deut. 32. Cur non dixit, *Ego percutiam, & ego sanabo?* Existimo, vt sola actio propriissima Dei inuueretur. Ac si diceret, Non ego percutiam vt sanem: sed *ego sanabo* percutiendo; quia zelus percussionis totus est sanitas Paulinus Epist. 10. *Tanta est summi Patris pietas, vt etiam ira eius misericordia sit: & ideo castigat, vt parcat.* Imo parcit castigans. — Paulin.

25. *Deus non parcendo parcit: non miserendo miseretur.* — Ezech. 8. Hieron.

Non parcet (alibi Dominus) *oculus meus, nec miserebor.* Ezech. 8. Deus non parcit, non miseretur? Peccatorem deperire necessum est? Imo sanitati eum reputo iam restitui: Quia cum Deus zelo accensus non parcit, & non miseretur: ideo non parcit, vt parcat: ideo nonmiseretur, vt amplius valeat misereri. Hieronymus ad Ezech. 24. *Deus non parcit, vt parcat. Crudelis est, vt misereatur: nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem.* Parum est tam misericordi Deo non parcere ideo, vt parcat: crudelem, seu seuerum esse, vt misereatur, si quidem illa ipsa non parcendi actio, parcere fit: illud ipsum non misereri, fit misericordia. Non parcens, parcit: non misericors, miseretur. Idiota lib. 2. de verâ pœnit. *Cùm sentio te iratum, tunc maximè confido te esse propitium.* Non dixit: Fore *propitium*, sed *esse.* Illud enim zelo accendi vt puniat, esse propitium, proculdubio est; illud non parcere, iam pepercisse. — Idiot.

26. *Simon tunc maximè pius, cum zelator.* — Maxim. Bereng.

Indignatur Apostolus, serpentes ad Magos immittit improbos, ad latibula confugere cogit. An claudit misericordiæ viscera? An oculos compassionis auertit? An deiicit omnino peccatores? An perdendos exturbat. Respondeat D. Maximus Cent. 3. cap. 23. iram appellans salutarem, vtilem zelum. Attamen Berengosius in Nat.. Mart. visus mihi Simonis zelum amplius commendare, cùm illam pulchram planè sententiam exponit: *O quàm salubris indignatio* (& zelus) *qua sic auertit, vt respiciat:* (simultvtique) *sic claudit, vt aperiat: sic deycit, vt erigat: sic perdit, vt requirat: sic amittit, vt custodiat.* Sic Doctor.

Ant. de Escobar & Mead. Tom. IV.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc excusationem non habent de peccato suo.

Simon Prædicator egregius tristitiam auditoribus salutarem immittens.

Ostendo, illum Concionatorem commmendandum, qui non ad risum (quod absit) sed ad lacrymas excitat auditores.

27. *Simon tristitiam ponens, lacrymas eliciens ex auditoribus.* — Antonin.

IVDÆI prorsus inexcusabiles de peccato incredulitatis postquam Dominus loquutus est. Nec enim vulgarium Concionatorũ morem gerens auditorum aures festiuis narrationibus demulsit; sed acribus comminationibus eorum corda percussit: non ad risum, sed ad planctum curauit auditores suos excitare. Simon accuratus Domini imitator vel ipsius nominis voce lacrymas eliciebat. Antonin. *Simon interpretatur; Tristitiam ponens.* Sicut enim Zelotem ex zelo appellatum vidimus, ita ex prędicatione ad lacrymas excitante, Simonis nomen (non sine Numinis afflatu) impositum Apostolo reor.

28. *Angelus prædicator, qui ad lacrymas excitat audientes.* — Iudic. 2. Lyran.

Ecce (ait Dominus) *ego mitto Angelũ meum.* Christus Angelus, Apostoli Angeli: ille à Patre; hi à Christo in Orbem immissi concionaturi, vti Angelum magni Cõsilij, vti Angelos ministrantes decet. *Ascendit olim Angelus Domini de Galgalis.* Iudic. 2. Hebræi apud Lyran. Phineẽ fuisse tradunt Angelum ascendentem. Sacerdotem quidem à Domino immissum vt coram delinquẽte populo cõcionaretur. *Eduxi*, inquit, vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro quâ iuraui Patribus vestris, &c. Quinam quæso concionis fructus? *Cùmque loqueretur hæc verba ad omnes filios Israel, eleuauerunt ipsi vocem suam, & fleuerunt.* Quàm egregius Concionator, qui in animos populi audientis verba immittens, eos fecerit scelerum suorum pœnitudine cõmoueri?

29. *Quia Apostoli amarè flebant, clamore ex pœnitentia affectu docebant auditores.* — Isa. 33. Plus.

Profatur Isaias, *Ecce fides in temporibus tuis, diuitiæ salutis sapientia, & scientia. Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt.* Cap. 33. Tempora Christi Domini annunciat, fidei prædicit dilatationem, morũmque immutationem plorantibus auditoribus, qui videntium nomine signantur, quia Angeli pacis, siue Apostoli pacificum Euangelium annunciantes, *amarè flebunt.* Lacrymas enim non risum satagunt excitare. Isidorus Pelus. Epist. 319. *Sacerdos Domini omnipotentis Angelus est. Angelus autem risum nescit, Deo cum metu, ac pauore ministrãs.* An documentum exhibes, ô Concionator ad risum auditores excitare curans, te Deo cum metu, & tremore ministrare?

30. *Falluntur concionatores qui ad risum excitant, qui securitatem promittunt, nunquam ponentes, vt Simon, tristitiam.*

Vt auram vulgarem captet ille, placidas fabularum, apopthegmatum, narrationes inducit, promittens peccatori ex cælesti benignitate infinitâ veniam, licèt ad vitæ terminum iniquitas

differatur spiraculum nouissimum pœnitudinis, proferet securitatem. Cúmque populus in concione semel & iterum cachinnos excitârit, vulgus inclamat: O egregium concionatorem! *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Isai. 3. Concionatores tui *tristitiam non ponunt*, (Simonis instar) oculis obiiciendo gehennæ horrores, iudicij nouissimi seueritatem; sed Nestoreos post annos risui ac voluptatibus additos, æternam fœlicitatem promittunt? *Ipsi te, misercule popule, decipiunt.* Hieronymus ad hæc. *Ille est Doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem.*

Isa. 3.

Hieron.

31. Aiebat sponsus, *Vox Turturis audita est in terra nostra, tempus putationis aduenit.* Cant. 3. Nam cùm gemitus Concionator, in Turturis morem emittit; vites amputantur vt plorent. Alij legerunt: *Tempus plorationis aduenit.* Bernardus huiusmodi commendat Euangelij ministrum serm. 59 in Cant. *Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum; sed mihi planctum moueat. Verè Turturem exhibes, si gemere doceas: & si persuadere vis, gemendo id magis, quam declamando studeas, oportebit.*

Concionatore plorante, auditores ex pænitentia plorant affectu.

Cant. 2.

Bernard.

Phashuri placido Concionatori, qui & vultu & verbis non ponebat tristitiam, sed gaudium promittebat, risum excitando, & plausum, Dominus comminatur: *Ecce ego dabo te in pauorem, te & omnes amicos tuos, & corruent gladio inimicorum suorum.* Ierem. 20. Tu, qui pauorem ponere debueras auditoribus, eos ad lætitiam placidis narrationibus excitâsti. Vnde *te* ipsum faciam aliis pauorem immissum, quia verbis ab eis curâsti pauorem iudicij, & gehennæ ablegare. *Et omnes amicos tuos*, siue imitatores. O quàm miserè flebunt Concionatores, qui plausum sibi curant auditorum acquirere! Audi Hieronymum. *Comminatur Deus Phashuri cum omni cognatione suâ & familiâ ducendum in captiuitatem, & in Babylone esse moriturum, eò quòd populum suum mendacio deceperit, nequaquam illi tristia; sed prospera pollicendo.* Quàm alius Simon noster tristitiam ponens auditoribus ex supplicij æterni comminatione: *Simon interpretatur Tristitiam ponens.* Edoceantur Euangelij ministri, iudicium sibi horribile imminere, si Phashuris vestigia sequantur, ploraturi vtique in Babylonicâ æternùm fornace, quia ad lacrymas non curauere auditores allicere. 32.

Concionatori curanti plausum excitare Deus comminatur exitium. Ierem. 20.

PARS TERTIA.

SECTIO QVARTA.

IVDAS SPECIALITER.

In Lucam

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS circa literam.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Hæc mando vobis, vt diligatis.

Beatissimus Iudas præstans Charitate omnium virtutum epilogatio fuit.

Ostendo dilectionis vnicum mandatum cuncta continere præcepta; vnde diligens omnis legis videtur obseruator exurgere.

CAIETANVS asserit particulam hanc: *Hæc mando vobis*, eamdem sententiam continere, ac illa verba proximè præmissa: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Vnde, *supple*, ait *sicut ego dilexi vos.* Cur autem dixit: *Hæc mando*, si vnicum dilectionis præceptum indicebat? An quia dilectionis sinus vniuersa legis dictamina complectitur? Qui perfectè diligit, totius legis præscripta se impleuisse credat; quia charitas vna cunctas virtutes suo continet gremio. 1.

Caietan.

Laco

Dilectio Regalis vocatur, quia ceteros circa omnium virtutum cultū affectus ad se traducit. Iacob 2. Strab. Caietan. Thom. Carth.

2\. Iacobus, *Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, benè facitis.* Cap. 2. Cur autem dilectio proximi lex regalis appellatur? An ob excellentiam quam inter cæteras leges sortitur? Sic Strabus. An quia Regum morem respicit, qui Præfectos vel Nuncios, vel sibi gratos honorandos iubent? Sic Caietanus. An quia Reges facit, iuxta illud: Fecisti nos Deo nostro Regnum? Sic D. Thomas. An quia Rex Regum eam proprio ore promulgauit? Sic Carthusianus. Vera hæc; sed Gregorij lib. 10. Mor. cap. 4. aptior mihi expositio, Regia virtus charitas, seu dilectio, quia vnicum præceptum cum sit, ad innumera se extendit, eáque continet, cunctáque suæ addicit ditioni, & imperio. Pulchrè Bernardus serm. 83. in Cant. *Vbi charitas venerit, cæteros in se omnes traducit, & captiuat affectus.* Vnde si circa varias virtutes ad variorum præceptorum obseruationem varij affectus insurgunt, cunctos traducente ad se, & captiuante charitate, omnes illi dilectionem vnam sapere videbuntur. *(Bernard.)*

Dilectiom præceptum latum nimis mandatum, quia cunctas leges continet. Eph. 4. Psalm. 118. Augustin.

3\. Paulus aiebat, *Ambulate in dilectione.* Eph. 5. Psaltes dixerat: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Psalm. 118. Cur non dixit, *in legibus Domini*, si quidem ad cordis puritatem necessarium sit omnia legum præscripta custodire? Profectò quia via, & lex vnica illa dilectio est. At vnicum dilectionis præceptum cunctas continet leges. Vnde Augustinus de hac via dilectionis illud carmen exponit: *Latum mandatum tuum nimis*, Psalm. 118. Latum quidem, quia vnica dilectionis via cuncta præcepta copulat. Ambrosius serm. 12. *Quam latum præceptum charitatis? Omnia vtique efficitur inclusa.* Nec tantùm præcepta; sed leges perfectionis. *(Ambros.)*

Leges perfectionis, & sanctitatis vna dilectio colligare videtur. Col. 3. Imperf.

4\. Alibi Apostolus, *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Coloss. 3. Cur perfectionis vinculum vocitatur? Respondet Imperfectus in Matth. hom. 7. *Sicut in corporali ædificio lapis ad lapidem, cæmento mediante, constringitur: sic in ædificio Ecclesiæ Christianus ad Christianum charitate mediante connectitur.* Rectè quidem, sed accommodatiùs argumento, credo vinculum perfectionis dilectionem vocari, quia totius sanctitudinis & perfectionis præscripta colligat, & arctat, & quasi in epilogationem adducit. An non hæc illa vitta coccinea, quæ cunctos legis pristinæ & nouæ præscriptorum capillos ad vnitatem comæ coëgisse videtur? *Sicut vitta coccinea, ita labia tua.* Nam quemadmodum vitta innumerorum capillorum est vinculum, ita charitatis præceptum quod ex ore Dominico hodie Ecclesia pronunciat: *Hæc mando vobis, vt diligatis,* totius perfectionis leges colligauit: *Charitas est vinculum perfectionis.*

Dilectio est vnum, & decem præcepta, vna familia. Chrysost.

5\. De fidelibus filiis charitatis, & Euangelicæ dilectionis Chrysostomus homil. 5. ad Populum. ait: *Si sint vnanimes duo vel decem, non vnus iam vnus est, sed decuplus eorum quisque fit. Et in decem vnum inuenies, & in vno decem. Viginti manus habet, & oculos viginti, & totidem pedes. Non enim tantùm oculis suis intuetur; verùm & alienis; non suis tantùm manibus operatur, verùm & illorum. Vidisti charitatis excellentiam.* Ac si diceret, Hæc excellentia charitatis, quod quemadmodum decem vnanimes, vnus sunt & simul decem, ita charitas vnum est præceptum, & simul decem mandata proculdubio continet.

Iudas Chrysoprasus ob charitatem virtutum cunctarum auro fulget.

6\. Apostolis Dominus, *Hæc mando vobis, vt diligatis. Hoc est præceptum meum*, quod vnicum, *hæc* omnia præcepta, *hæc* cuncta perfectionis præscripta, *hæc* vniuersa sanctitatis documenta complectitur. Iudas sanctissimus ex dilectione proximi, vel inimici superiùs commendata, vniuersa sanctitatis dogmata impleuisse videtur. Quisnam Iudas Thadæus? Quædam totius legis, totius sanctitatis, ex præstantissimâ charitate, epilogatio. Fundaminum cælestis ciuitatis Ierosolymæ duodecim (de quibus Apocal. 21.) *decimum Chrysoprasus.* Isidorus lib. 18. Ethim, cap. 7. asserens gemmam illam viridem, auróque maculatam, adiicit: *Chrysopraso Iudas Thadæus significatur propter eximiam eius charitatem.* Et cur charitas Apostoli viridi colore signatur, qui assolet spei accommodari? Quia Iudæ charitas cunctarum virtutum ex ipsa germinaturarum promissio est; simul tamen possessio, si notulis aureis fides reliquæque virtutes (authore ipso) significantur. *(Apoc. 21. Isidor.)*

Euangelium latum & concisum, quia in vna charitate totam sanctitudinem complectitur. Dionyl. Anton.

7\. Id probo Bartholomæi Apostoli exemplo. Dionysius Areopag. de myst. Theolog. *Diuus Bartholomæus dicit* (nominis quidem significatione) *multam esse Theologiam, & minimam: & Euangelium latum esse, & magnum, & rursus concisum.* Antoninus part. 1. tit. 6. cap. 12. exponit. *Vult dicere, quod vna consideratione omnia possunt de Deo affirmari, & aliâ magis propriè de Deo negari.: Euangelium autem est concisum, id est, breue, seu vnicum quo ad finem, qui est charitas, latum autem simul, & magnum, propter innumera documenta*, &c. Haud aliter Thadæus noster interpretatur ex eodem Antonino, *Apprehendens Principem*, vtique charitatem, quæ Regia virtus cunctas eius administras comprehendit in se vnâ. Edisco igitur Paulum veraciter scripsisse: *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum*, Galat. 5.

Observatio II.

Ad illa verba:

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

Quasi Iudæ præceptum esset, vt ipse à proximis amaretur, operibus pietatis gestis erga proximum, curauit eum ad mutuam dilectionem allicere.

Vbi ostendo, beneficijs in proximum expositis, eum nos cogere ad mutuam dilectionem.

Articulam illam: *Vt diligatis inuicem* expendo. Dominus potest iubere, vt 8.

ego proximum diligam: proximóque potest imperare, vt ipse me amore prosequatur. At quonammodo mihi potest iubere, vt inuicem diligamus, si solummodò penes me est, proximum diligere, ejúsque redamatio in meâ sit minimè potestate? Præcipit planè: *Vt diligatis inuicem.* Ac si diceret, *Tibi*, ô Petre, ô Andrea, ô Iuda, præcipio vt ames,& ameris. Et quonammodo poterimus hoc quasi impossibile planè preceptum implere? Profectò Dominus facillimum mihi amanti præceptum imponit. Possum enim præstare operibus expressis circa proximi obsequium, vt ipse vix possit meam non rependere dilectionem. *Diligite inuicem*, Id est, ea opera in proximum exhibere, vt ipse teneatur redamare.

An iubemur, vt nos diligat proximi?

9. Proculdubiò proximus ex tuis beneficiis ad dilectionem succédetur. Christus profatur, *Omnia, quæcumq; vultis, vt faciant vobis homines,& vos facite illis.* Math. 7. *Facite*, inquit, operibus dilectio probetur, proximo officia impendite, vt ille vobis eadem rependere teneatur. Gregorius lib. 10. Moral. cap 14. *Quod ab alio tibi odisti fieri, tu alteri ne facias. Quæ vis, vt faciat tibi proximus, & tu fac illi.* Ergo in tuâ est, amari, potestate.

Proximus me diliget, si opera ei exhibeo Math. 7. Greg.

10. Caino Dominus post fratris necem, ait: *Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio, numquid custos fratris mei sum ego?* Cui Dominus: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ.* Gen. 4 Proh Deus immortalis, odio-ne à sancto prosequor fratre, qui vel inimicum tenetur diligere? O stulte, si tenuis eum custodire, si ipsius sanguinem profundis inuidiâ pressus, quia tibi cuncta soli bona concupiscis, quonammodo vis à fratre vel sanctissimo amari? Amabit planè iustus persecutorem; sed tu indignus omnino, qui dilectione afficiaris. Audi Gregorium homil. 4. in Euangel. *Si quidquid in hoc Mundo nobis concupiscimus, hoc proximis inuidemus, qui fieri potest vt proximi amori* (erga nos) *locus supersit?*

Cain nolens fratrem custodire, ab illo redamari non meruit. Gen. 4. Gregor.

11. Bernardus Epistol. 12. *Fundebat*, inquit, *lacrymas Dauid filio parricidæ & si non profuturas: pias tamen.* Respicit enim charitas rationem proximi; non odij causam. Dominus Iudam amicum appellauit: *Amice, ad quid venisti?* Matth. 26. Vbi Gregor. *Dignum est, vt à nobis, non ex suâ nequitia, sed ex nostrâ beneuolentiâ amici nominentur.* Cur, ô Dauid, parricidæ filio lacrymas profundis? Quia parricida. Quid tibi diligenti illum improbum te non redamare? Teneor planè non solùm amare proximum; sed quodammodo facere vt ab ipso diligar: ideo amoris documenta exhibeo, vt parricidam ad dilectioné afferam. Id proculdubiò Dominus intendebat proditorem amicum appellans, quia opera, & affectus nostri documenta proximum assolent ad redamandum cogere. Vnde Dauid apud speluncâ non solum se amare Saulem ostendit dum parcit; sed illum ad mutuam tunc dilectionem adduxit. *Surrexit Dauid, & præscidit oram chlamydis Saul silenter.* Cúmq; milites curarent Saulis necem, Dauid inquit: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino, meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum.* Si ergo cum non vis interficere, quare chlamydem præscindere curâsti? Profectò, quia non solùm studeo proximum diligere; sed vt ipse me diligat; vnde inclamare licet; *Pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu meâ.* Deniq; opere charitatis obiecto eum adduxit ad lacrymas. *Nunc hæc vox tua* (ait Saul) *fili mi, Dauid: Iustior tu es, quam ego*, &c. 1 Reg. 24. *Patrem* Dauid inimicum suum vocitans, id consecutus planè, vt filius à Saule vocaretur, mutuaque tunc exurgeret charitas.

Curabat Dauid opera exhibens filio auerso, & Saulis inimico effi ere, vt ab illis ipse amaretur. Bernard. Matth. 26. Gregor. 1. Reg. 24

Aiebat Ambrosius serm. 10. *Si te non læsit frater, obsequium meretur, vt diligas, quod si forsitam læsit, magis obsequium meretur, vt vincas.* Ac si diceret, Fratrem, seu proximum, qui te non læsit, operibus, id est, beneficiis cura adducere ad tui dilectionem Quod si læsit, si inimicum se gessit aduersùm te, magis meretur obsequia tua, vt scilicet eum vincas, & ad dilectionem tui adducas. Plura alibi. 12.

Beneficijs expressis amor proximi conciliatur.

Profectò Iudas noster mirificus adest huiusce excogitationis cófirmator, qui tot beneficiis studuit, vel Magorum odia in dilectionem conuertere. Mũdus-ne eum odio prosequebatur? *Mundus vos odit.* Curauit ergo Iudas Mundum vincere, vt se diligeret officiis obligatus. Audi Ioannem. *Dixit Domino Iudas (non ille* Iscariotes) *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es te nobis, & non Mundo.* Cap. 14. Tam alliganum te, ô Apostole, Mundi dilectio tenet, vt adeo studeas Mundi vtilitati? Non ne Mundus te odio prosequitur? Imò quia odit, eum dilectionis ostentamentis curo ad amorem allicere. Ait Cyrillus lib. 10. cap. 2. *Quoniam Iudas pius, & charitate fratrum plenus erat, extendi Saluatoris gloriam, & omnibus cognitionem hanc & gratiam Dei communicari optat.* Non enim solummodò diligit proximum; seu operibus expressis studet eum aduersum ad sui dilectionem reuocare: *Vt diligatis inuicem.* 13.

Curauit Iudas amoris documentis mundum adducere ad dilectionem Ioan. 14. Cyrill.

Observatio III.

Ad illa verba:

Hæc mandò vobis, vt diligatis inuicem: si Mundus vos odit, &c.

Iudas. Leo quidem; sed aduersùs iniquitatem; agnus planè erga peccatores.

Vbi edocet Præsules, Dominos, Principes, Patres, non in naturam subditorum; sed in crimina desæuire.

PRÆLATIS, ac Concionatoribus Euangelicis, inter mundiales commoraturis, 14.
hæc mandat Dominus: Diligite *inuicem*, *si Mundus vos odit*, Mundum ne odio prosequentem corripere non curabimus? An Babyloni medicamina minimè adhibenda? Reprehendite, medicamina adhibeatis. At sic taxate Mundum, vt eum diligere ostentemini. Patris enim diligentis est filium supplicio afficere; ita tamen, vt potiùs iniquitatem, quàm iniquum carpere videatur.

Curat

15. *Iudam Christus amicum vocat, quia naturam ob iniquitate separat.* Matth. 14. Leon.

Curat Dominus Iudæ flagitium taxare, ægrotanti mederi. *Amice, ait, ad quid venisti.* Matth. 26. Vbi D. Leo, *Non aspera, nec aperta illum increpatione confundens; sed leni, ac tacita admonitione conuincens, vt facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio.* Quæris, quonammodo verè potuerit Dominus proditorem, inimicum planè, qui Christo procurabat necem inferri, amicum vocitare? Respondet Caietanus, *Non appellauit eum proditorem; sed amicum ab officio osculi.* Acutè planè. Sed accommodatius argumento, respondeo, Christum ab iniquitate hominis abstraxisse: vocauit hominem amicum, diligens naturam, vt homo dilectione exceptus, odio suam prosequeretur iniquitatem. Et quidem pœnitudinem aliquam ingessit reprehensio blanda, nisi quòd eiro exaruit, *quia non habebat humorem.*

16. *In contumeliam, in iniquitatem non in iniquum Iudam inuectio Domini.* Marc. 14. Gauden.

Magdalenæ opus egregium Iudas taxauit, taxabilior quidem ipse; à Domino tamen sic eius murmuratio vulneratur. *Sinite eam, quid illi molesti estis?* Marc. 14. Cur, ô Domine, non illum furem, (quemadmodum Euangelista) vocitâsti? Quia medicus cælestis, diligens vulnerum sanitatem, dilectione ægrotum sibi colligat, dum ægritudinem nititur condemnare. Ideo in communi locutus: *Sinite eam*: ideo blandè inuehitur in flagitium. Gaudêtius serm. 13. *In communi omnibus Discipulis loquitur, vt aduersantis Iudæ contumeliam temperet. Neque acriter vt in fraudatorem inuehitur; sed dissimulato eius crimine, quem & Euangelista furem nominat, leni monitu vniuersos pariter instruit.* Illas preme particulas: *Vt contumeliam aduersantis Iudæ temperet. Neque acriter, vt in fraudatorem inuehitur.* Profectò in contumeliam; non in Iudam inuectio Domini terminatur. Eum non *vt fraudatorem corripit*, sed vt fratrem excipit, curans eius crimen dissimulari, ne in conspectu Discipulorum nimium erubescat.

17. *Baptista Herodis crimen ab humanitate separauit.* Marc 14. Chrysost.

Baptista Herodis intemperantiam taxaturus, ait: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Marc. 14. Vbi Chrysostomus hom. 29. in 2 Cor. 12. *Neque enim dixit: O scelesto; imò scelestissime! flagitiose, ac prophane Dei legem protriuisti, imperia illius contempsisti, potentiam tuum pro lege habuisti. Non licet, inquit, tibi habere vxorem fratris tui. Quæ quidem verba docentis potius sunt, quam coarguentis: erudientis potius, quàm vindicantis.* Quare igitur in peccatorem non insurgit coarguens? vindicans? Quia crimen Ioannes ab homine separans, (charitatis quidem præcisione) docet, instruit hominem, vindicta equidem iniquitati reseruata.

18. *Michael arguit Diabolum ipsum impœnitentem modestis vsus verbis.* Iud. 9. Caietan.

Obiicis Michaëlem ipsum Dæmonem iniquum arguentem. *Imperet tibi Deus.* Iudæ 9. En Iudas noster edocet iniquum arguendum. Cur igitur Ioannes non coarguit Herodem? Respondeo Diabolum impœnitudine laborare; ideóque Michaëlem, sic iniquitati addictam naturam arguisse, modestè tamen, & non quà natura erat; sed quà iniqua. Caietanus, *Arguendo Diabolum, non maledica verba dixit; sed: Increpet te Deus, quæ sunt verba iustitia.* Ac si diceret, licèt Diabolum desperatum arguebat, non omnino abstinuit à reprehensionis dulcedine; siquidem non illum maledicis verbis vulnerauit. Hieronymus, *Merebatur Diabolus maledictum, sed per Angeli os exire non debuit.* (Hieron.) Nam à Domino didicit Angelus iniquitatem à natura distinguere.

19. *Iudas noui naturam ferarum ab ipsa feritate criminum seiungere.* Isidor.

De Iudâ Isidorus lib. de Patr. noui Testam. *Iudas in Mesopotamiâ, atque in interioribus Ponti euangelizans, feras, & indomitas Gentes, quasi belluarum naturas sancto dogmate mitigat, & fidei subiugat.* Illam particulam pondera: *Quasi belluarum naturas mitigat.* An non quia sciuit egregius Prædicator naturam à belluinis moribus separare, potuit mitigare, & subiugare Gentes? Ita planè.

20. *Vbera exhibuit peccatorum naturæ, leo, aduersus crimina exurgens.* Ado. Hieron. Canin.

Ado Episc. Treu. 5. Kalen. Nou. ait, *Iudas Lebæus, quod interpretatur Corculus, id est, Cordis Cultor.* Hieronymus ad Cap. 10. Matth. *Thadæus Apostolus ab Euangelista Lucâ Iudas Iacob dicitur, & alibi. Appellatur Lebæus, id est, Corculus.* Licet autem, authore Adone, *Lebæus* cordis sonet cultorem; magis arridet Caninij de locis noui Testam. cap. 13. expositio. *Thadæus dicitur à Thoad voce Syriacâ, quæ Mammam, vel papillam significat. Lebæus autem Leunculus.* Et Hieronymus, *Lebæus significat Corculum, siue leunculum.* Iudas ergo & Mamma, & Leunculus vocitatur. Quid Mamma lacte plena dulcius? quid Leone horribilius? Certè Iudas cùm sit aduersùs iniquitatem leo rugiens, erga hominum naturam simul Mammam porrigens ostentatur.

21. *Iudas Leo Iuda crimina trucidauit, homines seruans, & eorum incolumitati prouidens.* Mich 5. Hieron.

Aiebat Michæas, *Erunt reliquiæ Iacob in Gentibus in medio populorum multorum, quasi Leo in iumentis syluarum, & quasi catulus Leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit, & conculcauerit, & ceperit, non est, qui eruat.* Cap. 5. Apostolis accommodat Hieronymus fatus. *Dominus Iesus, de quo in Genesi prophetatum: Catulus Leonis Iuda, dedit Apostolis suis, vt quomodo Leoni nemo resistere possit in iumentis, & catulo Leonis in ouibus: ita illi de manu Assyrij, & de manu diaboli liberati, raperent iumenta, & pecora; & raperent, non vt interficerent; sed vt diuiderent, hoc est, ab infidelitate separarent: & non esset, qui eis resisteret.* En tibi Iudam catulum Leonis, diuidentem iumentorum, siue Gentilium naturam ab infidelitate, vt scilicet *quasi belluarum naturas* (vt aiebat Isidorus) *sancto dogmate mitigaret.* Isidor.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Si de, Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, agnosceret.

Iudas Thadæus ipso nomine asserit, se verè Dei Patris Filium.

Vbi assero, homines ad Dei filiationem eleuatos debere adeò terrena fugere, vt cælicolis conformentur.

22. *Iudas non erat de mundo. Sed Dei*

SI de *Mundo fuissetis.* An Apostoli de Mundo non erant? Certè Discipulus Christi ad specialissimam Dei adoptionem eleuatus,

filium ostendebatur. Canis.

uatus, nihil cum Mundo antiquo parente debet habere commune, vnde possis a Mundo cognosci, totus cælestibus addictus. Aiebat Caninius de loc. nou. Testam. cap. 13. *Thadæus dicitur a Thead voce Syriacà, quæ Mammam, seu papillam significat.* Vt scilicet nomine innueret, se dilectissimum Dei Filium diuino lacte potatum, vt inter Apostolos filios Dei specialissimâ dilectione donatus exurgeret. *Papilla* deducitur à dictione *Abba*, quæ *Papam* significat, eo sensu, quo infantes assolent parentem à quâ lacte potantur *pappa*, & *mamma* appellare vulgariter. Iudas igitur specialissimo ad Deum Patrem, siue Matrem amore addictus obiicitur, totus cælestibus datus, omninò à mundiali parente recedens.

23. *Vt Deum appellare possimus Patrem sit vita cælestis.* Rom. 8. Chrysolog.

Paulus ad hæc, *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus. Abba Pater.* Roman 8. Et quinam spiritus filiorum huiusmodi? Certè vitam tantæ filiationi esse conformem. Chrysologus serm. 17. *Vocato Deum Patrem.* Vt autem Deum Patrem appellare possimus, quidnam nobis præstandum. Adiicit, *Date operam, quatenus sit vobis cælestis vita, sint vobis diuini mores; & forma Deitatis tota vestra proferatur in formis. Quia cælestis Pater respondentes generi filios muneribus ditat diuinis.*

24. *Spiritu Iesu informari debemus, vt Deum vocare Patrem valeamus.* Gal. 4. Chrysolog.

Tanta est dignitas huiusce filiationis, vt non auderet mortalis infirmitas Deum vocare illo dulcissimo affectu *Abba* Patrem Deum, nisi ipse in nobis Filius clamitaret *Abba Pater.* Adnotauit idem Apostolus, *Quoniam autem estis filij, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.* Gal. 4. Chrysologus citat. *Succumberet conscientia seruilis, terrena conditio solueretur, nisi nos ad hunc clamorem ipsius Patris authoritas, ipsius Filij Spiritus excitaret.* Quidnam autem, Spiritum Filij Dei apud præcordia nostra commorari, nisi spiritum nostrum adeo Christi conformari Spiritui, vt nihil non spirituale nostrum possit affectum terrenis addicere. *Quando ausa mortalitas Deum vocare Patrem, nisi modò, quando supernâ virtute hominis animantur interna?*

25. *Cui Deus dat videri*

Domine (clamat Habacuc) *audiui auditum tuum, & timui. Considerauì opera tua, & expaui.* Cap. 3. Ac si diceret, Audiui me eleuatum Dei Patris in filium, & timui, meam contemplatus indignitatem. At opera tua (quibus me à terrenis ad cælestia adeò abstraxisti, vt digni[illegible] siue minus indignum redderes tantâ filiatione [illegible] me voluens ineffabili pauore concutior. Raban. Præsul. serm. 68. *Auditum timuit Propheta, non quia tunc tantùm audierit Dominum; sed quia tunc seruus Dominum suum sibi conuersum reperit, & audiuit, in Patrem. Considerauì, inquit opera tua, & expaui.* Quænam opera mirabilia obiiciuntur? *Postquam diuini muneris senserat largitatem, custodiuit se, ne se hostem, ne inimicum, ne latronem seruum, sicut in Paradiso, sustineret. Fit vigilantior, fit sollicitior, fit cautior, qui se, post tanta res laturam, cælestem thesaurum in vasis fictilibus custodiuit.* Hæc Iudæ exclamatio.

filium ostendat operibus Dei [illegible] mur. [illegible] mirabiliter siue specialissimè aliquem elegisse ostendit, sicut Iudam. Habac. 4. Chrysolog.

26. *Si Pater cælestis est Dominus, nos debemus cælestiores viuere in terra.* Matth. 6. Chrysol.

A Domino itaque Dei Vnigenito (dicam, propter fratres, Primogenito) excitamur: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis.* Matth. 6. Profitentes Patrem nostrum in cælis commorari, tenemur sic cælesti Parenti respondere, vt nihil sit nobis cum terrâ commune. Perficit Chrysologus serm. 67. argumentum. *Hoc cum dicis, non sic habeas, quasi non sit Deus in terris; non sic accipias, quasi sit loco clausum qui claudit omnia; sed intellige esse tibi genus è cælo, cuius Pater habetur in cælo; & age, vt viuendo sanctè, sancto respondeas Patri. Dei filium ille se probat, qui vitiis non obscuratur humanis; qui diuinis virtutibus clarescit.*

27. *Terrenum parentem Adamum fugiamus; Iudo imitatores.* Chrysol.

Particula illa: *Qui es in cælis*, innuit nos terrenum parentem habuisse filiis exitialem, cuius sapientes naturam ex humo excitati, terrenis addicti fueramus voluptatibus; iam quidem cælestibus addicendi, vbi Parens cælestis noster commoratur. Denique Chrysologus, *Ideo nunc vocas*, inquit, *Pater noster, qui es in cælis: quia fuit tibi quondam pater, qui te resoluit in limum, qui te ad claustra duxit, & reduxit inferni. Terram nescias, amorem carnis ignores, parentem pulueris non requiras, nihil in se vitij licere permittas, qui Deum Patrem cælestem repetis ad naturam. Et qui se Dei filium credit, actu, vitâ, moribus, honestate, tanto generi respondeat. Ne iterum ad terrena descendens, ad ipsam tanti Genitoris tendat iniuriam.* Ad mentem reuoca Iudæ sect. 1. & 2. expressa facinora; edisces, quam se ille Dei Filium ostenderit, quam à terrenis se abstraxerit,

LIBER

LIBER DECIMVS.

ANDREAS.

Paraphrasis, & Commentarij literales in Cap. quartum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES circa literam

IN ANDREAM APOSTOLVM.

PROLVSIO.

FREQVENTISSIME, humani cordis desidiâ, non iam tepiditas; sed & hyemis frigiditas nostros possidet artus, ne possimus aduersùs insurgentes hostes viriliter decertare. Dũ igitur viget brumalis asperitas vox Turturis Andreæ suauissimè personans in terrâ nostrâ exauditur: *O bona Crux!* Vt ex Andreæ feruore frigora cordis ablegentur, quasi Veris aduentâsset serenitas, quo debeant Reges ad bella procedere. Pulchrè Damianus serm. 1. *Hodie Andreæ nobis festiua solemnitas resplenduit, qui inter ipsam glacialis brumæ caliginem, iucundam nostris mentibus induxit lætitiæ serenitatem. Et dum acris inclementia extrinsecùs obrigescit, tanti prœliatoris audita victoria, pia corda*, tepiditate internâ ablegatâ, *ad procinctum spiritualis certaminis incitat, & insignes bellatorum Christi animos igne diuini amoris inflammat.* Ita Doctor. *Apostolici vitalis Ligni* FRVCTVS DECIMVS.

MATTHÆVS CAP. IV.

VERS. 18. AMBVLANS Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare, (erant enim piscatores.)

PARAPHRASIS.

18. CVM *Christus ambularet iuxta lacum, qui aderat in vtrinsque Galilææ confinio, aspexit duos fratres germanos quorum alteri nomen erat Simon, qui idem dictus est Petrus: alteri nomen Andreas, ex Ioanne parente. Hi suâ in arte satagebant, mittentes rete in lacum. Boni erat ominis fratrum concordia se mutuo studio iuuantiũ, & ars innoxia è publico lacu tenuẽ victum parans, & ipsa piscatio nouæ piscationis admonens, qua non lineis textis in cibũ ventris pisces captaret, sed reti sermonis Euãgelici, homines ad cælestis vitæ desideriũ addiceret*

19. Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

19. *Intentos igitur corporis necessitati Iesus interpellans, Me, inquit, sequamini, & à me artem disceris eâ meliorem, quam à patre didicistis Nec artem tamen deseretis: si quidem post hâc efficiam, vt sitis hominum piscatores. Pisciculis nunc in perniciem insidiamini? Homines in æternam salutem capietis.*

20. At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum.

20. *Agnouerunt vocem eius, cui aliquando crediderant, adeo quidem efficacem, vt protinus non solùm obliuiscerentur piscium, verùm etiam retium, ac ne domesticis quidem salutatis, Iesum vocantem sequerentur.*

21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua: & vocauit eos.

21. *Hinc aliquantulùm progresso Iesu & alios duos fratres conspicato Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, placuit fratrum & patris concordia: omnes enim eadem habebat scapha, rem eandem molientes, nimirum quam Petrus, & Andreas. Illos igitur retibus reconcinnandis, ac sarciendis intentos vocauit Iesus velut obiter præteriens, iussitque vti sese sequerentur. Sic illos Christi attraxit afflatus, qui totum cæleste Numen, quo plenus erat, spirabat.*

22. Illi autem statim, relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.

22. *Vt simplicissima fiducia iuuenes illicò, relictis retibus, & nec patris quidem memores, Iesu comitatui sese adiungerent. En strepitum & pompam Euangelica videtis schola.*

SECTIO PRIMA.

Petri, & Andreæ Vocatio.

TEXTVS.

VERS. 17. AMBVLANS Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare (erant enim piscatores.) 19. Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. 20. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Quotnam Petri & Andreæ vocationes?

1. *Multiplex Petri & Andreæ vocatio.* AMBVLANS *Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres.*] Multiplicem video Petri & Andreæ vocationem. Primum enim Andreas, Discipulus Ioannis Baptistæ, ostendente ipso, ad Christum venit, Petrúmque fratrem adduxit. Ioan. 1. Hæc prima ad Christi agnitionem, ac familiaritatem vocatio fuit, authore Augustino lib. 2. de Cons. cap. 17. fante, *Intelligendum est non sic eos vidisse Dominum, vt ei iam inseparabiliter cohærerent; sed tantùm cognouisse, quis esset, eúmque miratos, ad propria remeâsse.* Non dubito, quin huiusmodi primâ consuetudine, & familiari congressu affectus recesserit Apostolorum animus, vt postmodum vocati velociùs Christum sequerentur. Vt edocearis, conferre quidem ad regularem ineundum statum, claustra adire, cum religiosis viris sermonem texere, vt miratus recedas. Altera planè vocatio fuit apud Galilææ lacum, de quâ in præsenti. August.

An

2. *An fuerint vocationes tres?* Thom. & alij.

An duabus hisce vocationibus tertia sit adiungenda? Affirmat D. Thomas Matth. 4. *Prima*, inquit, *vocatio Discipulorum fuit, ad Christi familiaritatem, Ioan. 1. secunda, ad Discipulatum, Luc. 5. Tertia, vt totaliter Christo adhærerent, Matth. 4. & Marc. 1.* Beda, Haymo, Gerson, Dionysius Carthus. & Hugo Carens. contestantur. Quænam illa ex Luca vocatio? Petrus, Andreas, reliquique admirandæ expiscationis miraculo capti, subductis ad terram nauibus, omnibus relictis, Christum sequuntur. Videtur planè hæc diuersa vocatio ab illâ, quam Matthæus noster describit. Nam apud Lucam piscatores ex naui descenderant, retiáque abluebant; apud Matthæum retia in mare ad capiendos pisces immittebant. Apud Lucam Christus Petro præcipit, *Duc in altum, & laxate retia in capturam.* Pisciumque tanta copia concluditur, vt rete disrumperetur, obstupescente Petro, & profante: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Apud Matthæum autem videt Christus Petrum, & Andream retia in pelagus immittentes, quos his verbis vocauit: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.*

3. *Sententia asserens apud Matthæum & Lucam vocationem eandem fuisse.* Iansen. Buison.

At Iansenius, & Buisonius in Concor. putant vocationem à Matthæo memoratam eandem esse illam, quam memorat Lucas. Non tamen placet concordantiæ ratio. Facilius ex Baradio, Primùm vocauit Dominus Petrum & Andream, illis ex Matthæo verbis: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Deinde simili sententiâ Iacobus & Ioannes Zebedæi filij vocantur. Secuti sunt quatuor hi Discipuli vocantem. Interim socij piscatores, qui in cymbis eorũ rema ifestant, descenderunt è cymbis, vt retia abluerent, de quibus Lucas. Cùm verò turbæ irruerent in Christũ vt verbũ Dei audirent, in nauiculam Petri conscendit, iussitque vt à terrâ pusillum eam reduceret. Tunc ex nauiculâ coram confluente multitudine concionem habuit. Post habitam concionem, in altum iubet ducere, laxaréque retia. Petrus piscium multitudinem admirabilem expiscatur; annuit Iacobo & Ioanni, vt ferant opem retia extrahentibus, quæ tot piscium pondere discindebantur. Denique Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, miraculo stupefacti, subductis ad terram nauibus, vt iam cœperant, relictis omnibus, Christum secuti sunt.

4. *Distinctæ fuere vocationes.*

Diuersam assero Matthæi, ac Lucæ vocationem. Ex Augustini enim sententiâ ad lacum Galilææ venit Iesus, duas aspexit naues, vti Lucas scribit. In alteram, quæ Petri erat conscendit. Ex eâ hominum confluentium multitudinem docuit. Posteà Petro jubet, vt in altum ducat, retiáque laxet. Laxatis retibus, piscium tanta est capta multitudo, vt retia scinderentur. Hoc quidem miraculum Petro Andreæ, Iacubo, ac Ioanni magnam admirationem attulit. Quocirca, subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, non vocati à Christo, illum secuti sunt. *Intelligendum est* (ait Augustinus) *non tunc eos à Domino vocatos; sed tantùm Petro fuisse prædictum, quod homines esset capturus.* Igitur nondum vocati a Christo, extrema saltem vocatione, eum secuti, ad cymbas remeârunt. Augustinus, *Datur locus intelligere, eos ad capturam piscium ex more remeâsse.* August.

At redeuntibus Petro & Andreâ, Iacobo & Ioanne ad naues, vt illi mitterent in lacum retia, hi reficerent, contigit id, quod Matthæus noster scribit.

5. *Tres igitur vocationes adnumeranda. Attamen propriè loquendo sola tertia vocatio fuit.*

Tres igitur fuere vocationes. Prima, quam Ioannes; secunda, quam Lucas; tertia, quam Matthæus scribit. Sed duæ priores non ad perfectum Discipulorum officium; sed ad familiaritatem; tertia ad perfectum Apostolorum officium facta est. Attamen (vt propriè loquamur) duas priores minimè vocationes appellandas ducimus. Nec enim quemquam vocatum à Domino reor aliâ de causâ, quàm vt verus esset Apostolus, séque, relictis omnibus, sequeretur. Duas igitur priores non vocationes, sed admonitiones, & quasi futuræ vocationis præparationes appello, ne duo maximi Apostoli parum obsecuti vocanti Christo fuisse videantur: cùm cæteros Apostolos ad primum Christi se vocantis verbum omnia reliquisse, ipsúmque secutos legamus.

6. *Imò nullus Euangelista duas priores Vocationes appellat, sed solus Matthæus tertiã.*

Imò probare intendam Euangelistarum neminem duas priores, quas admonitiones voco, vocationes appellâsse. Nam apud Ioannem cap. 1. tantùm Christus Petro prædicit, quod futurum erat. Tu, inquit, *vocaberis Cephas.* Lucas c. 5. non dicit à Christo vocatos fuisse: sed viso miraculo captorum piscium, subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secutos fuisse Saluatorem; relictis quidem, id est, omnino abdicatis, (vti Maldonatus & Caietanus infrà exponunt) quemadmodum cum à Christo vocati sunt. Tunc enim cunctis abdicatis secuti fuere Dominum, vt Petrus postea dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Matth. 19. At Matthæus vocatos in præsenti asserit, quia veram narrat vocationem.

---

§ II.

De celebri Galilææ lacu.

7. *Multiplex huiusmodi maris nomen*

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ., Multiplici nomine hoc mare insignitur. Lacus est quidem Galilææ, qui *stagnum Genesareth* vocitatur à Lucâ cap. 5. A Iosepho, *stagnum Genesar.* A Ioanne, *Mare Tyberiadis*, Cap. 6. *Mare Cenereth*, Num. 34. & Ios. 13. vocitatur.

8. *Vndenam nominum diuersitas?*

Vndenam nominum varietas? Mare Galilææ dicitur, quia erat in Galilæâ. Stagnum Genesareth, vel lacus Genesar à propinqua Genesar Regione. Mare Tyberiadis à Tyberiade Ciuitate. Mare Cenereth ab oppido Cenereth, cui successit Tyberias.

9. *Huiusce maris, seu lacus descriptio.* Ioseph.

Porrò eius latitudo (Iosepho authore lib. 3. de Bel. cap. 18.) quadraginta patet stadiis, centum longitudo. At stadia triginta duo leucam efficiunt. Vnde continet latitudo lacus plus quàm leucam vnam; longitudo verò tres superat leucas. Aquæ est potabilis. Quomodò ergo mare vocitatur? Hieronymus Ezech. 37. Hieron. *Mare dicitur, cùm habeat dulces aquas iuxta idioma Scripturarum, quo congregationes aquarum appellantur maria.* Nec non ob magnitudinem, & similitudinem maris potuit hac figurari appellatione. Varia piscium genera procreat ab alterius loci piscibus tam sapore, quam

specie

specie discteta. Medius fluuio Iordane secatur. Hieronymus Isa. 9. affirmat lacum à Iordane influente efformari, quod etiamplacuit Calixto. Hæreo Iosepho asserenti lacum a Iordane secati. *Medius*, inquit, *a fluuio secatur, postea verò Iordanis è lacu exit & in mare vsque mortuum fluit.*

Calix.

10. Iuxta hoc mare oppida aliqua extitere, quorum Euangelistæ meminere Capharnaum Ciuitas ex parte Occidentali maris sita fuit. Ex Orientali vero Cotozaim quatuor milliaribus à Capharnaum distans, id est, leucà vnà. Inter quas Vrbes Iordanis in lacum influebat. Porrò in ripâ Occidentali lacus Bethsaida Petri, Andreæ, & Philippi patria fuit. Post Capharnaum à Bethsaida milliari sexto occurrit Magdalum oppidum, à quo Magdalenæ nomen deducitur. Post Magdalum in eodem Occidentali littore Vrbs Tiberias exurgit, quam Iustus quidam apud Iosephum lib. de vitâ suâ, Galilææ Metropolim asserit extitisse, Herodis Tetrarchæ tempore, à quo condita est, & in gratiam Tiberij Cæsaris, Tiberias appellata. Idem Author Tiberiadē & Sephorin duas maximas Galilææ Vrbes appellat. *Vrbium Galilææ maxima sunt Sephoris, & Tiberias.* Distat ab Ierosolymis Tiberias (à quâ mare Galilææ Tiberiadis vocitatur) milliaribus nonaginta septem si Calixto danda fides. *Iuxta* hoc *Galilææ mare* Dominus ambulans, Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem piscatores, pisces redditos cæpit, & ad collegij sagenam adduxit.

Iuxta hoc mare oppida multa. Vnum Bethsaida Petri & Andreæ patria.

Ioseph. ex Iusto.

Calix.

---

§. III.

De Petri & Andreæ ad Iesu societatem adductione.

11. V*Idit duos fratres.*] Opus fuit à Domino colligi Discipulos, quos cælesti doctrinâ imbueret, vt post Ascensionem Iudæis, ac Gentibus prædicarent. Opus fuit architectos nouæ Ecclesiæ colligere. Opus fuit cælos nouos construere, terram innouaturos, gloriæ Dei enarratione. Quonam se Dominus contulit? An Athenas Philosophiæ fontem adiit? An Romam eloquentiæ parentem? An Ierosolymam veteræ sapientiæ cultricem? Petit *mare Galilææ, duos fratres* piscatores vocaturus. *Ecce nubecula parua ascendebat de mari.* 3. Reg. 18. Vnde pluuia grandis exoritur. Gregorius lib. 17. Mor. cap. 14. *Apostoli per Mundi partes circumquaque transmissi, verbis nouerunt pluere, & miraculis coruscare.* Quis crederet ex mari Tiberiadis, ex Bethsaidis scaphâ, Orbis salutem copioso rigatu profecturam? Augustinus tract. 7. in Ioan. *Christus idiotas elegit, vnde confunderet Mundum.* Inferiùs, *Volens superborum ceruices frangere, de piscatore lucratus est Imperatorem. Nullus nobilis primò electus est, nullus doctus; quia infima Mundi elegit Deus, vt confunderet fortia.* Glossa Ordin. *Christus piscaturus per piscatoria vadit loca, id est, per littus maris Galilææ. Piscatus autem est piscatores: & per piscatores piscatus est orbem.*

Rudes ac pauperes elegit ad se Dominus piscatores

3. Reg. 18. Greg.

August.

Strab.

12. *Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.*] Simon obediens; Andreas autem decorus, Respondens, Virilis, Antonino authore, interpretatur. *Erat autem*, ait, *Petrus Andreæ germanus.* Quemadmodum olim ad educendam ex captiuitate Ægypti synagogam fratres Deus Moysem & Aaron vocauit; haud aliter ad educendam ex peccati captiuitate Ecclesiam fratres Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem accersiuit. Oportet quidem Christiani gregis pastores pace colligari. Interlinealis, *Vidit duos fratres Christus, quia vnitatem fraternæ dilectionis probant, sine quâ nullus in ordinem Prædicatorum admittitur.* Beda ad hæc. *Cum Christus carnis fratres elegit, ostendit, quòd qui eius Discipulatui volumus adhærere, fratres esse debemus, non carne, sed spiritu: non genealogiâ, sed charitate. Quibus est vnus Pater Deus, & vna Mater Ecclesia, consequens est, vt fratres sint, vt vnum sentiant, id ipsum sapiant, & non discordent.* D. Thomas *A principio Christus vocauit fratres & fratres; lex enim noua in charitate fundatur. Vnde & in veteri Testamento duos fratres vocauit Moysem, & Aaron; quia ibi etiam mandatum dabatur de charitate. Et quia perfectio est noua, ideo in principio vocatur duplex numerus fratrum.* Addo Isidorum Pelus. Epist. 10. *Nihil apud Deum tanto pretio est, quam charitas. Ob quam homo factus est, & ad mortem vsque obediens. Eàque de causa Discipuli quoque illi, qui primi ab eo vocati sunt, duo fratres extiterunt. Ex quo statim per ipsa initia Saluator indicauit, se Discipulos omnes suos fraterno amore copulare velle.*

Cur fratres

primi Apostoli

Anton.

Interl.

Beda.

Thom.

Pelus.

13. *Venite post me.*] Ait illis, Me sequimini (vt Maldonatus exponit) pedum incessione, & cordis affectu. Caietanus, *Vocantur ad Discipulatum, non qualemcunque; sed sequela etiam corporalis. Fuerunt enim multi Iesu Discipuli, qui non corporeâ etiam societate comitabantur illum; vt patet de Nicodemo, & Ioseph Arimathia. Imò omnes credentes in Iesum erant Discipuli Christi, vt patet in Actis Apostolorum; & ex verbis Iudæorum dicentium Cæco nato: Tu Discipulus eius sis.*

Vocantur ad discipulatum speciali sequela.

Maldon.

Caietan.

14. *Faciam vos fieri.*] Hæc quidem actio Christi potentiæ piscatores in Discipulos commutare: *Faciam.* Augustinus lib. 8. de Ciuit. Cap. 49. *Elegit Discipulos Christus humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, vt quidquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret.* Petrus Damian. serm. de Andr. *Ad prædicandum Rex gloriæ sæclis aduenerat, paulatim sibi milites acquirebat. Non tamen eligebat triumphalibus titulis claros, non strenuos bellatores, non philosophos, non eloquentes: sed retium textores, & exilis nauiculæ remiges: vt victoria soli diuinæ potentiæ, non humanis viribus ascribatur.* Hieronymus hîc, & Gregorius lib. 9. Epist. 58. contestantur.

Christi potentia in metamorphosi hac elucet.

August.

Damian.

Hieron.

Gregor.

15. *Faciam vos fieri piscatores hominum.*] Retinentes officium, mutant obiectum. Strabus, *Mutatur intentio, non piscatio. Mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorem animarum. Fit mare sæculum, nauis Ecclesia, pisces homines. Faciam, ait, vos fieri piscatores hominum.* Concionum finis, homines Deo expiscari; non pecunias, non gloriam inanem. Magnus Paulus piscator, *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos.* 2. Cor. 12. Hugo appositè, *Rete prædicationis proijcitur, non ad pisces; sed ad ranas.*

Retinent officium, mutant obiectū.

Strab.

2. Cor. 12.

Quia

Quia prædicatio non fit ad bonorum fulgorem, sed ad propriam laudem, quod per loquaces ranas significatur. Contra Prædicatores inanis gloriæ cupidos.

16. *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.*] An omnino retia relinquunt? Certè rursum ad retinia, expiscationisque ministerium reuersi. Vnde in præsenti non abdicatio proprietatis; sed promptitudo describitur obedientiæ. Vnde Caietanus, *Non dicit relictis omnibus. Describitur enim non abdicatio proprietatis rerum, sed promptitudo obedientiæ: quod quamuis sciuerent tunc retia in mare, quia piscatores erant, ad piscandum, nihilominus relinquerent retia,* vt protinus Christum sequerentur. *Animo quidē, & gressu corporeo: nā ita quin postea quādoque piscationi vacauerint, cum incumberet illis cura domus, nec haberēt, vnde sua prouiderēt de victu, nisi de piscatione.* Imperfectam itaque retiū ad piscationē in pelagus immissorū, actionem relinquere. Strab. *Perfecta obedientia est, sua imperfecta relinquere.* Annuit Maldonatus.

Perfecta illorum obedientia imperfectam actionem relinquens. Caiet.

In Andream

PANEGYRICUS MORALIS PRIMVS circa literam.

EX EIVS, AC PETRI, VOCATIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres.

Christus Andream videns eum fecit esse elogiis clarissimum.

Vbi adnoto Deum respicere in nos, idem esse ac misereri, & cælestia munera largiri.

17. VIdit duos fratres:] Quam prædati ex Domini euaserunt aspectu! Nec enim nouit Dominus respicere quempiam, nisi eum simul munere cumularet. Pauperes ergo piscatores diuites planè ex Christi oculis intendentibus exurgunt.

18. Ex ore Prophetæ, *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritum:* Isa. 66. Vbi Vatablus, *Qui est humilis spiritu.* LXX. *Nisi ad humilem.* Et quonam fructu pauperculus Dei oculis donatur? Chrysostomus hom. 44. ad Popul. *Respiciam, dicit Deus, pro faciam, prouidentia dignum, manum porrigam, suscipiam in omnibus, gratias meas cum largitate prabebo.* Idem itaque est Deum respicere, & manum ad cælestium bonorum abundantiam impertiendam aperire.

Respicere Deum, est gratias cum largitate prabere. Isa. 66. Chrysost.

19. Olim *respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit,* Gen. 4. Vbi appositè Theodot. legit, *Inflammauit Dominus super Abel & super munera eius.* Respexisse enim Dominum Abelis munera, ipsumque Pastorem idem fuit, ac cælesti flamma offerentis demulcere præcordia, sacrificij obsequium perficere, & illustrare. Laudat Hieronymus lectionem hanc fatus, *Alioquin non cognouisset Cain sua munera despecta à Deo esse.* Quàm despectus, quàm pauper ille, in quem Deus oculos non intendit! quàm diues, qui à Domino aspectatur!

Respicere Abelem fuit ipsum inflāmare. Gen. 4. Theodot. Hieron.

20. Petrus abnegat Magistrum, *qui conuersus illum respexit.* Luc. 22. Quid Apostolus? *Ille autem continuò egressus foras, fleuit amarè.* Quid pœnitentia vtilius? quid gloriosius? Hanc oculi Domini operantur in Petro. Ambrosius, *Quos respicit Iesus, plorant delictum. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia adhuc non respexit Dominus. Negauit secūdo, & nō fleuit; quia adhuc non respexit Dominus. Negauit tertio, respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit.* O exuberantia beneficij ex Domini respectu! Cùm Petrus ex delicti multiplicatione durior ostenditur, & indignior; tunc amarissimo fletu ex oculis Dominicis deriuato donatus est.

Petrum aspiciens eum ad pœnitentiam excitauit durum ante respectum. Luc. 22. Ambros.

21. Cæcum à natiuitate Dominus aspexit: *Vidit hominem cæcū.* Ioan. 9. Et quonā beneficio homo ille ingēti planè cuperet donari? *Domine, vt videam.* Non dubites accepte lumine, quia illud ipsū à Christo videri, videre est. Theoph. ad illa verba: *Fecit lutum ex sputo, & linuit lutum super oculos eius,* ait, *Quidam dicunt, quod & lutum non sit depositum, sed formatum in oculum.* Quemadmodum Adami corpus fuerat è puluere efformatum, vt oculi illi ex luto effecti, facici cæci inuenis suo loco addicerentur. Alij sentiunt ex Dominico respectu oculos cæco nato apertos, quos lutum, & ablutio postmodum in visum perficerent: sicuti Luminaria cæli prius fabricata, lumine postea succensa prædicantur. Quem exponendi modum admitto in præsenti, vt confirmem illud ipsum oculos prætendere Saluatorem, vt cæcum videret, idem fuisse, ac oculos illius fuisse efformatos. Nunquam enim Deus respicit in homines, quos egregio munere non afficiat.

Cæcum aspicere, fuit oculis illum donare, quos succenderet. Ioan. 9. Theoph.

22. Vidit Christus Andream & ipso aspectu eum Apostolum Apostolorum constituit. Primus enim Christicola, vti adnotat Damian. reliquis Christianis exurgit Magister. *Vidit Dominus Andream.* (loquor cum Bern. serm. 2.) *Venit, vt post*

Aspicere Andream, fuit eum in Apostolum efformare. Damian. Bernard.

post me, faciam fieri hominum piscatorem. Quid Andreas à Domino aspectatus? *At ille continuo nihil dijudicans, aut haesitans, non sollicitus, vnde viueret; non considerans, quonammodo rudis homo Prædicator fieri posset; nihil interrogans, secutus est eum.* En ex vnico Christi aspectu Andreas perfectissimus efformatur Apostolus.

23. *Si videre Andream Domini hospitium, fuit ipsi in Christi hospitium praeparari, ex legis custodia: visum esse à Christo fuit perfectè Apostolum efformari. Ioan. 1. Lyran.*

Viderat ipse Christi habitaculum: *Viderunt, vbi maneret.* Quonam fructu ipse Andreas habitaculum vidit Saluatoris? *Venerunt, & viderunt, vbi maneret, & apud eum manserunt die illâ.* Ioan. 1. Vbi Lyranus, *Videre mansionem, est praeparare hospitium cordis sicut habitaculum Dei. Manere apud Christum, & seruare mandata ipsius.* Si videre Christi mansionem idem est ac præparari cor in Dei hospitium: quid erit à Domino videri? Si videns Andreas Dei hospitium, hospes, legisque accuratus obseruator exurgit; quid mirum visum à Deo perfectissimum in Discipulum efformari? Edisce semper cum Dauide clamare: *Respice in me.* Respectum enim proculdubiò & misericordia, & Regnum æternum consequitur. Vnde adiicit: *Et miserere mei, da imperium tuum seruo tuo.*

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Vidit duos fratres Simonem & Andream fratrem eius.

Duos videns simul fratres Andream & Petrum, priuilegiorum munere eos donauit æquali.

Vbi innuitur è laboribus è Cruce nos in spiritualem regenerare infantiam.

24. SI vidisse Christum Petrum & Andream idem fuit, ac eos cælestibus donasse muneribus: simul ipsos videns, pari eos sanctitudine, haud dissimilibus exornauit elogiis. *Vidit duos fratres.*

25. *Andreas Petrum verbo, opere, miraculis Christum secutum imitatur. Is. 60.*

Quam promptè Petrus Christum secutus operibus conspicuum, coruscantem miraculis, verbo homines allicientem? An Andreas pigrior? *Illi relictis retibus secuti sunt eum,* Fatur Isaias, *Qui sunt isti, qui vt nubes volant; & quasi columbæ?* Cap. 60. Profectò Greg. contemplatus duorum velocissimum cursum, vitæque puritatem, qui vti nubes, verbi profunderent stillicidia; vti columbæ, vitæ exhiberent exempla, secuti Saluatorem, appositè respondit Petrum ac Andream existere. *Bene Isaias Petrum & Andream* (inquit hom. 5.) *intuens, ait: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ? Vidit quippe eos terrena despicere, mente cælestibus propinquare, verbis pluere, miraculis coruscare. Et quos terrenis contagiis sancta prædicatio, & sublimis vita suspenderat, hos volantes pariter & nubes appellauit.* En Petrum & Andream & vitâ,

Gregor.

& prædicatione, & miraculis pariter incedentes.

26. *Andreas & Petrus moriendo Christum secuti. Chrysolog.*

Petro Dominus, *Sequere me.* Ioan. 21. Quâ quidem sequela, Crucis ei Martyrium præsignatum: de quo lib. 12. Profectò Andreas cruciferum; imo crucifixum sequitur Saluatorem, non circa id inferior Petro videatur. Petrus Chrysolog. serm. 133. fatur, *Sequitur & Andreas moriendo Dominum, ipsumque, & ambulando, ac toto virtutis gradu Dominicis inhæret vestigiis: Nec enim cursus iacuit disparem esse Petro, quem naturâ similem, vocatio socium, gratia ipsa parem perfecerat.* Petrus ad vnam vocem Domini cuncta reliquit, se se innumeris immiscuit tribulationibus, socius Christi effectus, vt crucifixum viuens sequeretur, quem suffixum Cruci moriens sequuturus erat? Haud aliter Andreas, de quo adiicit Chrysol. *Ad vnam vocem Domini, sicut Petrus, patrem, Patriam, censum reliquit, laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis Christi indefessè germana societate donatur.*

27. *Sic Andreas fugit, Petrus negat. Chrysolog.*

Andreas, obiicis, effugit Dominicâ passione instante. An non etiam Petrus minimè fugiens; sed secutus, vinctum Dominum, abnegauit? Bellè Chrysol. *Solum est, quod tēpore Dominicæ passionis Andreas fugit, dū Petrus sequitur.* Sed neq; hoc impar, quia fugit. Negare autē, si aliqua putatur culpa nō est grauior, fugere, quàm negare.

28. *Andreas post fugā, Petrus post negationem crucem ascendunt. Chrysolog.*

Quid verò post fugam Andreæ, & Petri negationem. Pulchrè concludit aureo ore Præsul Rauen. *Sequens deuotio perprobauit, quos metus improbauerat antecedens. Nam Crucem, quam refugerant, postea totis viribus ardenter inuadunt. Vt vnde reatum sumpserant, inde conscenderant cælum, inde præmium sumerent, & coronam. Petrus namque Crucem, arborem ascendit Andreas: vt qui Christo cōpati gestiebant, in semetipsis figuram, formamque exprimerent passionis, & redempti ligno, ligno consummarentur ad palmam.*

29. *Petrus ducētur quò eum carnis repugnantia non vult: Andreas quò & caro ipsa volebat. Ioan. 21. Antonin.*

Imo Petrum gloriosissimè vincentē in Cruce Andreas quodammodò superauit. *Alius* (ait Dominus Petro) *cinget te, & ducet, quò tu non vis.* Ioan. 21. Vbi naturalis repugnantia corporis, non spiritus renitentia exprimitur ex Doctorum expositione. Porro adeo lætus, ita præ gaudio gestiens Andreas horribilem aliis ascendit in Crucem, vt vel ipsa naturalis pugna conuersa fuerit in victoriæ congratulationem. Antonin. p. 1. tit. 6. cap. 9. ait, *Cùm iussu Regis vellent deponere Andream de Cruce, non valuerunt, orante ipso Apostolo Dominū, ne sineret eum viuum deponi.* Sed & cum ad Crucem duceretur, non solum spiritu; sed & corpore volens ducebatur. Bern. serm. 1. *Videns Andreas paratam sibi Crucem nequaquam facies eius expalluit, sanguis eius nequaquam gelatus est, nō steterē coma, non vox faucibus hæsit.* Ducebatur enim, quò vel infirma caro volebat. An sic Petrus? *Et ducent te, quo tu non vis.*

Bernard.

30. *Vterq. frater ex Cruce infans cælestis.*

Petro spiritualis (fateor) infantia promittitur. Illa enim particula: *Quo tu nō vis* hunc sensum admittit: *Alius cum senueris cinget te, & ducet* velut infantem fasciis illigatum, quò volet. Certè Andreas nouus infans matre ortus à Cruce, Chrysol. citat. *Andreas meritò natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam materno est effusus ex vtero; sed conceptu fidei, martyrij partu, cælestem nascitur generatus ad gloriam.*

Chrysolog.

Licet

31. Licet igitur cum Petro Damian serm. 1. exclamare. *O beata germanitas, quam sicut Mundo vna consanguinitas edidit, sic eadem triumphalis mors victores ad astra trāsmisit: & quos in hâc vitâ vnius gratia protulit natura consortes, in illam beatitudinem sempiternā Crux parturiuit æquales!* Adiicit pulchrè. *Eiusdē nobilitatis in terrâ, eiusdem prosapiæ celsitudinem sortiuntur in cælo. Qui enim hic sunt filij Ioannis, illic sunt filij Crucis.* En vnius gratiæ vniùsque gloriæ Petrus & Andreas filij Crucis apparent. *Isti sunt filij Chore, qui in quorumdam Psalmorum titulis prænotantur. Crux enim, quæ eos morientes huic vitæ subtraxit, cælestis Ierusalem renascentes cum triumphali gloriâ nouos ciues innexit.* Edocemur è Cruce, è laboribus in spiritualem recurrere infantiam.

Quam germani ex Cruce natalitio! Damian.

Observatio III.

Ad illa verba:

Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.

Ex nominum Petri & Andreæ mysterio, Andreę fructuosa admodum prædicatio præsignata.

Vbi innuo, nouitium feruorem fausta futuri prouentus signa prætendere.

32. Illa particula: *Qui vocatur Petrus,* suadet apposita Apostolorum nomina specialissimâ Matthæi aduertentia, vt Andreæ ex prædicatione egregia gesta præsignarentur. Adnotauit Strabus ad Apostolatum, ad prędicationis munus appositè primùm Petrum & Andream vocatos. *Bene primo Petrum, qui vocatur obediens (ex Simone) & Andream qui vocatur fortis, ponit. Petrus agnoscens, Andreas virilis. Quia soli magisterio sunt apti, qui sapientiæ luce illustrantur, præceptis obediunt, & alijs viriliter suggerunt.* Profectò egregia Andreæ prædicatio ab hisce nominibus gloriosè profertur.

Strab.

33. Nondum à Domino vocatus vltimò fuerat, nondum constitutus Apostolus, cùm iā viriliter Christum prędicans, Petrum adducere ad ipsum conabatur. *Inuenimus Messiam.* Ioan.1. Imperfectus in Matth. Encom. D.And. *Andreas hodierno die, cum tanquam luminis thesaurum quemdam communem Dominum inuenisset, clamabat ad Petrum fratrem suum: Inuenimus Messiam. Inuenimus thesaurum illum. Euge Petre, circumcisionis paupertatem, exue te laceris pannis legis. hæc omnia contemne, vt parua quædam, vt somnia despice præsentia.* Quàm viriliter prædicauit, qui tam obsequentem ad Dominum fratrem adduxit. *O fraternæ* (clamat Doctor) *charitatis exuberantiam! ô inuersum ordinem! Posterior Petro in vitam ingressus est Andreas, & prior Petrum ad Euangelium allexit.*

Nec dum Apostolus, etiā prædicator Petrum conatur adducere ad fidem. Ioan. 1. Imperfect.

34. Quàm perspicuum documentum, Andream Spiritùs sancti iam esse domicilium. Non Andreas loquitur, sed spiritus, eùm viæ alumnus, iam Apostolos, imo Apostolorum Principem adduxit ad Christum. Beda hom.2. in Matth.4. *Considerandum est, qualis artifex Spiritus sanctus, qui sine morâ mentem, quam tangit non solum immutat; sed etiam habet, & docet. Tetigit puerum cithæradum, & Psalmistam fecit. Tetigit armentarium sycomoros vellicantem, & Prophetam fecit. Tetigit Publicanum, & fecit Euangelistam. Tetigit persecutorem, & Doctorem Gentium constituit.* Quid plura? *Tetigit Andream & piscatorem piscium Apostolorum, statuit.* Alij Apostoli hominum piscatores: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* At Andreas non hominum tantùm; sed & Apostolorum (quos ipse Dominus Diuos appellauit) piscator exurgit. Quàm à Spiritu tactus obiectus est.

Iam Spiritus sancti Templum erat Andreas tam proficuus Ecclesiæ. Beda.

35. Pondetans Petrus Damian. serm. 1. præproperam hanc Andreæ; at proficuam admodum prædicationem, ait: *Inuenit hic fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, & adduxit eum ad Iesum.* Legimus Petrum côcione vnâ triâ hominum millia; altera autem quinque millia ad fidem adduxisse. Nescio an vtilior prima Andreæ prædicatio, dum Petrum adducens, tot adducendis Prædicatorem præparauit, totique Orbi tam egregium Euangelij ministrum Ecclesiæ Patrem lucratus est.

Andreas Petrum adducens, quodam modo cunctos ipsius conuertit alumnos. Damian.

36. Reliquis Apostolis Dominus, *Faciam vos fieri piscatores.* Non facit, sed promittit facturum se vt illi fiant piscatores, id est, prædicatores. Munus enim hoc accuratam exigit magisterij diuturni instructionem. Hinc mirabilis tyronis prædicatio. *Ecce Andream* (adiicit Damianus) *inter ipsa noui tyrocinij sui rudimenta fructificat, & prædicator veritatis efficitur, cuius adhuc vix erat auditor. Thesaurum reperit, gaudet alijs prodere. Furtum putat illum sine consortibus possidere.* Et inferiùs, *Fausta, & præclara futura indolis signa nouus tyro prætendit; & in ipso nouitiæ conuersionis exordio, mox, quod didicerat, docuit; quod acceperat, fideliter erogauit.*

Alios Dominus facit fieri piscatores; Andreas piscator fidei nascitur; repente concionator egregius. Damian.

37. Propheta Dominus, *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Tam difficile enim in morem tubæ vocem prædicatoris exaltari, vt vel constitutus iam Propheta Domini indigeat præuia excitatione. Hinc præcipuè mirandam Andreæ tyronis prædicationem effero. Petrum enim adduxit vocem Prophetarum eleuatissimam imitando. Damianus sic serm. 1. *Quam terribilis, ac vehemens tuba vox Andreæ in Petri corde personuit, & tanquam repentinum fulmen inopinatò coruscans attonitum fecit: Inuenimus Messiam.*

Vox tyronis Andreæ iam quasi tuba, imo quasi fulminis Petro intonat. Damian.

38. Premo particulam illam Damiani: *& præclara futura indolis signa nouus tyro prætendit.* Si nondum factus a Domino Prædicator tam validâ voce, instar tubæ, & fulminis, Petrum adduxit: quid post eruditionem, & præparationem Euangelicam? Mirabiliter plane Petri

Fausta hac futura indolis in Andrea signa: vt Achaia conuersio testatur.

prædicatio insonuit, tot milliaribus hominum vnâ & alterâ concione ad fidem adductis. At Andreas si Præsulem summum Petrum veneratur, non Prædicatorem vberioribus fructibus stipatum agnoicit. Petrus Crysologus serm. 133. *Sic Andreas noster & si Petro cedit ordini, præmio tamen non cedit & labori.* Beda appositè hom. 2. *Videte Andreã in Achaiâ retia in manibus tenentem, & multos pisces spiritualiter capientem. Non solùm enim ad eius prædicationem tota ciuitas, sed etiam tota Regio credidisse legitur. Et addit, Istos piscatores Deus pollicebatur Ecclesiæ, cùm dicebat, Ierem. 6. Mittam piscatores meos, & piscabuntur eos.* Edisce nouitium feruorem indicem esse futurorũ profectuum, dũ vides Andream vix vocatum, cùm prædicationis se se tradit in munus, *fausta quidem & præclara futura indolis signa prætendens.*

Chrysolog.

Beda.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.

Andreas Petro præponitur, quia ei supponi curauit.

Vbi ostenditur, humilitatem descendendo ascendere.

39\. *Eo ipso Andreas Petro Magister præponitur, quia supponitur ipsi.*

ANDREAS Apostolorum catalogo secundus addicitur cum & ætate & fide extiterit primus. Pugnare autem Matthæus, & Ioannes videntur. Hic Andream & primum Christicolam, & Petri Apostolum esse asserit; Ille secundum post Petrum nominauit. Si præponitur Petro, dum vocatur, quia Petrum adducit ad Dominum, quonammodò in ipsâ actione, quâ prior, posterior assignatur: *Vidit Simonem, & Andream?* Asserit Petrus Dam. serm 1. eo ipso, quòd Petro supponatur, (non solùm minimè renuente ipso Andrea: sed & procurante ex Doctoris sententiâ) eum Petro esse præponendum. Vt scilicet qui se se Petri ostentat alumnũ, eâ ipsâ actione eiusdem Magister ostenderetur. *Andreas in Apostolici Senatus catalogo secundus ponitur; qui tamen (tunc ideo) in agnitione Domini primus inuenitur. Dicit enim Ioannes Euangelista, quia cum staret Ioannes, & ex Discipulis eius duo, respiciens Iesum ambulantem, dixit Ecce Agnus Dei. Et audientes eum duo Discipuli loquentem, secuti sunt Iesum. Et paulo post, Erat, inquit, Andreas frater Simonis Petri vnus ex Discipulis, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum.* Necessariò itaque qui submittitur, præponitur; *Tunc ideo.*

Damian.

40\. *Petrus sic se se submittens Apostolis, eis præponendus (quodammodo necessariò) ostenditur. Ioan. 21.*

Ex ipsius Petri confirmo submissione. Curat Dominus eum gregis totius summum Pastorem constituere, prius charitatis eius facto periculo. *Petre, amas me? Pasce,* inquit, *oues meas.* Postquã autem ei ouium cura commissa, rursum Dominus, *Diligis me plus his?* At ille noluit se se cũctis præferre; sed quasi omnibus minor ait: *Tu scis, quia amo te.* Dominus autem: *Pasce agnos meos* Ioan. 21. Iã non oues fideles; sed & agni Apostoli Petro commendantur. Ille cunctis submittitur Apostolis, & quâ actione postponitur, dignus, qui cunctis præponatur ostenditur. Rogas quare Christus constituens Petrum Pontificem summum, eius dilectionem sibi iam cognitam adduxit ad examen? Existimo vt ostenderet Condiscipulis quàm aptè, quàm meritò; imo quàm necessariò cunctis præponebatur, qui cunctis se supponere curabat. Toletus, *Vt humilitatem eius alijs manifestaret, quod iam cæteris non se præferre, nec comparare ausus esset.* Vnde præferendus necessariò quodammodò apparet, qui nec ouibus, agnisque se conferre audet. Alibi Petrus, *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor.* Se se cunctis præposuit, vnde cunctis, abnegans Magistrum suppositus est. Iam igitur cæteris *non se præferre, nec comparare ausus.* Meritò itaque, imo necessariò quodammodò cunctis præponitur. Vt actio ipsa humilis submissionis, actio prælationis existat. Tolet.

Ioseph aliquando, *Vidi per somnium Solem, Lunam & stellas adorare me.* Vel per somnium se se fratribus præponens, à cunctis despectus, omnibus submittitur mancipium. Post modum carceris effectus custos, vinctis humiliter ministrans, ipsum Regem subditum sortitur. Bellè Ambros. ad Psalm. 118. *Sciuit sibi ipsi obfuisse, quod prælatus erat fratribus. Etiam plus amor miseriam Prælationis inuenit, Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit externos. Prælatio concitauit germanos, humilitas Regem subditum fecit. Andreas* quidem *Petri ordini* (vt aiebat Chrysolog.) *cedit; præmio tamen non cedit.* Quia videlicet se se vltrò Petro submittens eidem (loquor cum Damian. supra) in agnitione Domini præponitur. 41. *Andreas instar Ioseph submittitur Petro & ipsi præponitur non quidem in ordine dignitatis & officij, sed in agnitione Domini.*

Habebat non paucas Andreas se se extollẽdi, Petróque, ac cunctis Condiscipulis se præferendi occasiones. Maior erat ætate, fide prior, Petri Magister, Discipulus Ioannis. At se Petro supponendum sciebat, vt Magister eiusdem publicaretur. Danielem Rex Babyloniæ & captiuum, & despectum adorauit. An non quia præclara quæque & nobilitatis, & scientiæ occludere curauit? Fatur Chrysostomus hom. 26. in Epist. ad Hebr. *Daniel habebat innumeras sui extollendi occasiones; sed sciebat, quod hæc omnia ei aderant, eò quod non extolleretur.* Sicut enim elato cuncta depereunt: sic submisso præclara omnia necessariò addicuntur. Humiliari enim erat illi idem, ac dignum esse adoratione. 42. *Habens Andreas plures se extollendi causas, supponitur, & eo ipso præpositus ostenditur.* Chrysost.

Iosephus verus, Dominus à fratribus adoratur, iuxta illud: *Adorabunt te filij Patris tui.* Gen. 49. Et quandonam Dominus à fratribus, à cunctis adoratur? Paulus respondet, *Se metipsum exinaniuit formam serui accipiens, factus obediens, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Phil. 2. An Dominus ante submissionem adoratur à cũctis? Video eum apud præsepium à pastoribus, à Magis adorari: sed post submissionem hoc ei obsequiũ impenditur. Ambros. de Christo Geneseos expendens sententiam, Iacobi scilicet vaticinium, ait: *Quanta fecit Dominus? Audeo dicere tamen, Et non flexi ei genu, sed flexi ei, postquam se humiliauit.* Hinc humilitatis conditionem 43. *Adoratus Dominus, à fratribus, cum submittitur.* Gen. 49. Ambros.

ditionem edoceris, tunc scilicet ascendentis, cùm per descensum præparatur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.

Andreas primus Dominum agnoscens, siue Christicola primus specialissimo, ob hoc, honore supra cunctos Discipulos donandus.

Vbi innuitur quantum Ecclesia debeat Apostolorum, & Martyrum primorum, magisterio.

44. ANDREAS quidem primus Christicola assignatur à Ioanne; Petro enim indixit: *Inuenimus Messiam.* An inuentor Christianæ vitæ quodammodò vocitandus? Petrus Dam. serm. 2. de And. aiebat. *Andreas in Apostolici Senatus catalogo secundus ponitur; qui tamē in agnitione, seu inuentione Domini, iuxta Euangelicam fidem, primus inuenitur; vò iuxta Euangelicam fidem preme.* Euangelica fides, illud est Ioannis: *Inuenimus Messiam, qui vocatur Christus.* Ca. 1. Ergo inuentor est Andreas, ergo *primus* in agnitione Domini, specialissimo honore efferendus apparet.

Damian.

Ioan. 1.

45. Esto Andreas secundò natus esset, Christianus primus fuisset primogenitus; quia Dei ex sanctitudine & pietate filiatio longè superat naturalem hominum primogenituram. Abel ætate posterior, prior honore quia sanctitate conspicuus. *Abel pastor ouium, & Cain agricola.* Gen. 4. Cur Abel ætate minor, prior exurgit honore? Quia in Dei conspectu ille, qui sacrificium primum obtulit, primus apparet, ideo cunctos præcedens. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel, cap. 2. *Non quæ primogenita sancta: sed omnia, quæ sunt sancta, sunt primogenita. Denique Cain primogenitus; sed non sanctus.* Ergo Abel sanctus, primogenitus proculdubio est, primus est.

Andreas primus Christicola, primus in honore.

Gen. c. 4.

Ambros.

46. De Leuitis Dominus, *Ecce tuli Leuitas de medio omnium filiorum Israël, pro omni primogenito, qui aperit vuluam à filijs Israël, & erunt mihi Leuitæ.* Num. Quonammodo Leui filij primogeniti nuncupantur, si Leui tertius Liæ filius legitur exortus? Quia Sacerdotum parens in Dei conspectu primus obiicitur. Ambros. *Leui sanctus; sed non primogenitus; nā tertius Liæ filius legitur; & tamē Leuitæ primogeniti in Numeris nuncupantur, quibus ab eo nomen est deriuatum. Ergo primogeniti nuncupati, qui sanctificatione cæteris antelati sunt.* Ergo Andreas in conspectu Domini *primus* honore, qui *primus* fide ornatus exurgit.

Instar Leuitarum, primogenitus honore est.

Num.

Ambros.

47. Petrus Dam. serm. 2. fatur. *Magister, & Dominus noster, cuius schola est in terris, & cathedra est in cælo, & ex ijs omnibus, quos elegit, prælegit Andream. O dulcis Apostolus, primitiua vocatio Saluatoris!* Cur prælectus, cur specialissimè dulcis Magistro? Planè quia *primitiua Saluatoris vocatio.* Quem enim primum ex cunctis elegit, chariorem sibi ac dulciorem esse manifestat.

Andreas prælectus Magistro, & dulcis, quia eius primitiua vocatio.

Damian.

48. Natura Angelica primas fert inter omnes creaturas dignitate, decore, pulchritudine. Quare? Quia primitiua opificis, rationalis exædificatio, suâ scilicet specie & pulchritudine proferens Conditorem. Petrus Damian. serm. 52. *Dignitatem huius considera creaturæ. Ipsa est principium viarum Dei. Quantum priuilegium, quod illa cognitio Altissimi in hoc primum opus prorupit! Decebat profectò, vt singulari gloria præfulgeret, quod de manibus Dominantis primitiuâ creatione processit.* Dignitatem ergo Andreæ considera. Ipse *primitiua vocatio Saluatoris*, quâ quidem Domini efficacia dignoscitur, omnipotentis eius ostenditur pulchritudo. *Quantum priuilegium quòd illa cognitio Altissimi in hoc primum opus*, in huiusmodi Christi primam vocationem Andream *prorupit?* An non decebat vt singulari gloriâ Andreas præfulgeret, qui de vocantis Dei ore primus meruit procedere?

Quia Opificis primum potentiam manifestat, primas fert decore, & pulchritudine sicut Angelus.

Damian.

49. Ideo Propheta de primario illo Dei opere, *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in delicijs Paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, &c. *Perfectus in vijs tuis.* Ezech. 28. Si primum tanti Opificis ædificium, non mirum supra cunctas creaturas eleuari, eásque perfectione vincere. Igitur Damianus ponderans ex hoc primo opere, Conditoris aperiri potentiam, concludit meritò opus illud primum, quod Opificem primò manifestat, super cunctas creaturas eleuari. *Subdit Scriptura, quod super excellit, & quod totius eloquentiæ superat facultatem: Quem pretiosiorē fecit Deus.* An pretiosior Andreas, qui, prima Iesu vocatio, eius potentiam ostendit, eum esse Messiam declarauit: *Inuenimus Messiam?* Certè, si non primus est ordine, quod primogenium Petro reseruatur, secundum sanctitudine esse non asseruero.

Pretiosior Andreas effectus quodammodo, quia signaculum fuit similitudinis Saluatoris.

Ezech. 28.

Damian.

50. Vnum illud audebo affirmare, saltem apud multorum fidelium præcordia, primum ex dulcedinis affectu locum obtinere, quia Christicolarum Magister extitit. Pulchrè planè Bernardus serm. 3. de And. *Dulcis Apostolus, & primitiua vocatio Domini Saluatoris, qui in ipsum Apostolicum chorum tanti Prioratus insignitur fastigio, non subterfugit vos, quia tenerrimus est, & dulcior in cordibus fidelium.* Quia igitur primitiua fuit Saluatoris vocatio, & Prioratûs insignitur fastigio, & tenerrimæ vocationis affectu eius memoriam celebramus. Ex quibus patet quantum debeat Ecclesia Apostolorum, ac Martyrum primorum magisterio.

Dulcior est Andreas in cordibus nostris, quia prima vocatio Saluatoris, & Apostolis alijs prior.

Bernard.

* * *

Observatio VI.

Ad illa verba:

Mittentes rete in mare, erant enim piscatores.

Pauper Andreas piscator eligitur Apostolorum primus, vt reliquis daret humilitatis in exaltationem documentum.

Ostendo, humilitatem conseruari ex memoriâ pristinæ paupertatis.

51. ALIQVIS non incongruè sic locum exponit: *Vidit Dominus Simonem, & Andream mittentes rete in mare; erant enim piscatores.* Id est, ideo vidit, ideo elegit, quia piscatores erant; iudicans scilicet parenthesim appositam seu particulam: *Erant enim piscatores,* aliàs superfluere. Asserens enim Euangelista eos retia in lacum immittere, piscatores esse innuebat. Verùm, licèt sic contextus non efferatur, existimo particulam: *Erant* enim piscatores, emphaticè adiectam, vt edoceamur quosnam Dominus ad Ecclesiæ elegerit magisterium, scilicet pauperes piscatores, qui quidem cælestia munera excepturi, digni ex humilitate efficerentur.

52. *Piscatores Discipuli eliguntur, vt pristinæ abiectionis memores, humiles cælestia munera capiant.* Rupert.

Quærit Rupertus, cur Dominus Apostolos, quos constitueret Orbis terrarum Magistros, & quos Mundialis machinæ axes efficeret, piscatores pauperes elegit? Et respondet, *Nimirum propter eruditionem ipsorum, quia videlicet conscientia pauperis grande est instrumentum, & valens documentum, vt creatura teneat, vel cognoscat id, quod coram Creatore valde pulchrum est, scilicet ordinem suum: vt scilicet Creatori creatura subiiciatur. Ad huius admonitionem, multùm valet memoria recentius prisca humilitatis caminus, in quali Petrus, Andreas, & cæteri Apostoli homines sine litteris, & censu pauperes inuenti sunt.* Spiritus sancti, ais, donis erant innumeris ditandi? Imò, quia diuites futuri veraciter, pristinæ paupertatis, humilitatisque sæcularis necessaria erat conseruanda memoria, ad diuitiarum cælestium conseruationem *Quid multa?* (addit Abbas) *Quantò plura sancti Spiritus dona percepturi erant, tantò maiori conscientiâ paupertatis indiguerunt, vt eadem dona portarent stabiles, & firmi, fundati in spiritu humilitatis.*

53. *Mundi axes debent pulueris recordari, vt pondus possint sustinere.* 1. Reg. 2.

Annam audite, Dominus *pauperem facit, & ditat.* 1. Reg. 2. Cur pauperem efficit, quem mox est ditaturus? Quia post paupertatem, ipsius memoria eum efficiet ad diuitiarum receptionem, spiritualium vtique, stabiliorem. *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* An non aptiùs diuites ad Regnum assumeret? Profectò spirituale Regnum describitur, Apostolorum Principatus: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos Orbem.* Ibidem. Aliter, *Domini sunt pauperes.* Hi nimirum ex paupertatis recordatione, humilitate fundati, humeros tanto ponderi subiicient. Rupertus, *Nam Domini sunt afflicti, seu pauperes terræ, & posuit super eos Orbem. Denique quod facit in corporibus, vt aliud tardiùs, aliud citius moueatur, flante vento, seu mouente manu; hoc facit in mentibus humilitatis virtus, vt succedentibus prosperis spiritualibus, non extollatur animus pristina paupertatis memoriâ.* Rupert.

54. *Piscatorum ideo Apostoli nomen retinent.* Matth. 4.

Cur existimas à Domino Apostolis indictum: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum?* Matth. 4. Eos à retibus, quæ reliquere, abstrahens, deberet indicere: *Faciam vos fieri* Prædicatores, Apostolos, Magistros. Piscatores efficiam. *Mutatâ intentione, non munere.* Plura inferiùs adnotabimus. In præsenti ideo ad hominum piscationem aduocari Apostolos reor, vt sciant se nunquam non futuros Apostolos, Principes Ecclesiæ, Magistros, concionatores; sed piscationis retento vocabulo; vt retineant memoriâ conscientiam pristinæ paupertatis: humilitatisque vi possint tot donorum pondera sustinere.

55. *Abraham memor pulueris, è quo eleuatus, conseruare curat Dei munera.* Gen. 18.

Sanctissimus Abraham diuitiis onustus ad Dei adsumitur consortium, super astra locandus, ad diuinam generationem adsciscendus. Vndenam hic tantùm beneficiorum pondus humilis sustinebit, si pauperie caruit, cuius tunc posset recordari? An non sciebat, à Domino hominem de puluere humanitatis eleuari ad sublimia? *Eleuat de puluere egenum.* Curauit ergo pulueris naturalis inopiæ memor, cælestibus muneribus cor humile exponere. *Quia semel cœpi,* (ait) *loquar ad Dominum, cum sim puluis.* Genes. 18. Vbi quærit Alcuinus quæst. 180. in Genes. *Quare Abraham dixit: Puluis sum, cùm tantas promissiones à Deo accepisset?* Et respondet, *Sublimitatem promissionum humilitatis temperauit subiectione. Aptè enim intelligitur, in quo loco se posuerat, qui puluerem se, etiam tunc cum Deo loqueretur, æstimabat.* Ac si diceret, Cùm tot muneribus se onustum vidisset, vt conseruaret, vt persistere posset, vt cum Deo sermonem adhuc texeret, pulueris, è quo fuerat assumptus, recordatur. Humilitas enim acquiritur, & perdurat pristinæ vilitatis recordatione. Alcuin.

56. *Recordatus David muneris pastoris, tot munerum spiritualium copiam excepit vase humilitatis.* Act. 13. Zenon.

Quotnam muneribus Dauid à Domino affectus? *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum.* Act. 13. Et quonammodo tam aptus Dei ostenditur consuetudini? Declaratio (ait) *sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Psalm. 118. Se paruulum apud Isai domum recordabatur, ex ouibusque in Regni solium, assumptum. Vnde pulueris humilitatis recordatus, semper submissum animum tot muneribus obiiciebat. Ex Zenon. serm. 1. ad Psalm. 130. confirmo. *Dauid humilis, abiectus, ignobilis, sub iacebat, in domo patris, oues semper pascendo. Hinc placuit Deo; vnctus in Regem non insolescit in Regno, obumbrat neminem Prophetæ terrore, iniurias suas non exequitur Regiâ potestate, odientes se diligit, inimicis parcit, parricidalibus filiis ignoscit. Rex mansuetus, pater pius.* Et vndenam tot cælestium munerum capax esse putatur? Ex humilitate. *Magnis & mirabilibus sæculi non immutatur.* Humilitas

militas autem huiusmodi vndenam exorta? Pulchrè concludit, *Mitem, humilémque retinet vbique pastorem.* Memor ouium quas pauper & despectus pascebat, humilitatem conseruat, tot munera excepturam.

57. *Andreæ necessaria humilitas vt ineffabilia cælestia dona tueretur.* Bernard.

Igitur (vt Ruperti recolam sententiam) *multùm valet memoria retentus priscæ humilitatis caminus, in quali Petrus & Andreas censu pauperes inuenti sunt.* Valuit quidem Andreæ, vt posset tot munerum pondera sustinere. Contemplatus enim Bernardus serm. 2. Andreæ magnalia, qui in morem Abrahæ ac Dauidis, consortio Domini addictus est, ait: *Obsecro, fratres, homo est Andreas, an non est homo; sed Angelus, aut noua aliqua creatura?* Imò ipse Conditor potentissimus quodammodo ostentatur. *Nam quadraginta viros* (loquor cum Antonino part. 1. tit. 6. cap. 9. §. 1.) *in flumio submersos, qui ad eum veniebant, vt doctrinam fidei ab eo audirent, vitæ restituit. Quandam mulierem, ex adulterio conceptum filium cùm parere non posset, ad pœnitentiam adduxit, & credentem parere liberè fecit. Quemdam iuuenem, quem mater impudicissima accusauerat apud Iudicem, quod eam violare voluerat, ex eo quòd libidini sua non consenserat, mirabiliter liberauit, combustâ illâ pessimâ à fulmine, & in carbonem conuersâ coram Iudice. Vnde & ipse, & familia sua conuersi sunt ad fidem. Nicolao septuagenario in cœno luxuriæ immerso, quatriduano ieiunio & oratione continentiam impetrauit, & veniam,* &c. Profectò, vt humilitatem cælestis huiusce mannæ vrnam exhiberet, operæ pretium fuit eum piscationis pristinæ recordari? Chrysostomus asserit Andream semper munus gessisse piscatorium. Vt scilicet homines pisces adducens ad fidem, pristinæ pauperiei piscationis recordaretur.

Plura Andreæ miracula. Anton.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Vidit Simonem & Andream, & ait illis: Venite post me.

Ostendit Dominus Andream dignissimum, qui in Ecclesiæ Præsulem summum posset assumi.

Edocentur Principes, vitare infamiam subditi digni, cùm electus non est ad munus.

58. *Cur Andreas primò apponens, & quærens Discipulatum Domini, post Petrum recipiatur?*

DVo ex Ioannis Discipulis Christi Discipulatum exoptantes, *secuti sunt Iesum,* quorum vnus Andreas, qui humaniter exceptus, vnâ die totâ de mysteriis cælestibus eruditur. Ioan. 1. Attamen mox dimisit sine togâ piscatorem. Cur ille reiicitur, qui postmodum erat ad Apostolatum quærendus & cum Petro aduocandos? Quia cum Christus mox esset electurus Petrum in Ecclesiæ Principem, tunc cunctatur, ne si reciperet Andream primum, aut cogeretur eum totius Ecclesiæ ordinare Prælatum, aut non sine nota Andreæ Petrum in Præsulem eligere. Igitur primus ad Apostolatum Petrus eligatur, vt pateat ideo ad summum Pontificatum esse (inter alias causas) assumptum, ne si Andreas maior natu priùs electus fuisset, aliquâ nota afficeretur, dum non fieret Ecclesiæ Pater.

Vndenam autem notula huiusmodi, si non est præsulatus munus volentis, sed Dei eligentis? Quia scilicet Andreas tam præcelsi meriti, tam egregiæ sanctitudinis obiiciebatur, vt maior simul natu videretur vndequaque perfectus ad munus Pontificium. Ipse Petrum excitauit ad Christi sequelam *Vidimus Messiam.* Bernardus serm. 3. *Andreas in ipsum Apostolicum chorum tanti prioratûs insignitur fastigio.* Ac si diceret, ipse Apostolorum chorus eum, & vocatione, & fidei merito cæteris priorem profitebatur. Igitur Andreas non recipiatur primò in Apostolum, cùm Discipulatum accepturus accedit, vt constet maiorem natu priorem cognitione, ideo Petro suppositum, quia Petrus primus fuit Apostolus à Domino electus. 59.

Habebatur Andreas Prioratus honore conspicuus apud Apostolos. Bernard.

Moses in Principem Hebræi populi electus, recusat principatum. *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* Exod. 4. Quemnam missurus, Mose existimante, erat Dominus? Certè memor ille Aaronem fratrem, maiorem natu adesse, meritò eloquentiæ aptiorem, putabat illum immittendum. Lyranus, *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es. Licèt Moyses de verbo Domini non dubitaret; tamen quia Aaron frater eius erat eo senior, & eloquentior, desiderabat eum habere socium sibi à Domino designandum; ideo hanc petitionem replicauit.* Ac si diceret Moses, Scio, ô Domine, me in Pharaonis Deum immitti, cuius Propheta Aaron frater natu maior, & eloquentior designatur. Sortes immutentur; sit ille Deus Pharaonis, me Prophetæ munus obeunte. Iam quæris cur Dominus priùs Moysem vocauit, quàm Aaronem? Certè, vt maiorem natu & eloquentiorem priùs vocando, non teneretur Deum Pharaonis constituere; aut, electo Mose postmodum ad huiusmodi munus, nota meritissimus Aaron Sacerdotum futurus Pater afficeretur. Andreas ergo post Petrum ad Discipulatum vocatur, ne maior natu, & zelo, & sollicitâ charitate (circa Petri fidem) primus, aut ad Papatum assumeretur consequenter, exigentibus meritis: aut Petro suppositus notula affectus appareret; imò Christus fortasse personarum videretur acceptor eis, qui non sinceris oculis vellent discernere electionem. 60.

Moyses prior Aarone eligitur, ne maior natu, & eloquentior postponeretur, notula affectus. Exod. 4. Lyran.

Ideo Andreas post Petrum eligitur.

Si prudentia humana res gerenda fuisset, à cunctis fortè Discipulis Andream primum quidem credentem, primam Saluatoris vocationem, Prioratu huiusmodi Apostolico in choro coruscantem, in Præsulem summum eligendum. Ast Dominus totam sibi addicens electionem Petrum Ecclesiæ præposuit. Cùm Dauid fuisset in Israëlis Regem inungendus, immittitur Samuel, cui ex ore Basilij Seleu. Orat. 14. Dominus: *Prouidi in filiis Isai mihi in Regem. Non simpliciter prouidi; sed mihi in Regem; arcanum aliquod mysterium continet. Tantum non dixit: Meum esse istius Regnum reputo.* Accedit Propheta, & post Isai ac filiorum sancti- 61.

An, si Discipuli elegissent Præsulem sibi, Andreas fuisset cunctis præpositus? Seleuc.

 ficationem,

ficationem, extendens vas olei, Christum Domini expectabat. *Cúmque ingressi essent fily, vidit Eliab*, (natu maximum) *& ait: Num coram Domino est Christus eius?* 1. Reg. 16. Ad quæ adiicit Basilius. *Conspicatus hominem, humanis mensus oculis, mirabatur: num coram Domino Christus eius; & cornu tauergens, reiectaneum, vt vngeret, cogebat.* Cogebat quidem cornu, quia natu maximus, formâ conspicuus, corpore procerus, aptus imperio videbatur Fortasse hominibus eligentibus in throno collocaretur ex meritis; sed Dominus sibi totam adsciuit electionem: *Tantum non dixit: Meum esse istius Regnum repute.* Vnde Dauid natu minimus Imperio donatur. Profectò Dominus (si fari liceat) Pontificem Ecclesiæ electurus, tantum non dixit: Meus est istius Præsulatus. Discipulorum suffragia ad Andream *Prioratus* illius fulgore conspicuum, natu maiorem ducerentur; *Cornu reiectaneum, vt vngeret, cogerent.* Sed tota Christi electio est. *Pasce oues meas. Vocauit Simonem.* Ne autem id in tanti Andreæ cedat notam; primò accedens, & cupiens Discipulatu initiari, non admittitur. Ediscant hinc Præsules vitare virorum, quos, dignos planè ad munera obeunda, non admittunt, exorturam frequentet infamiam.

1. Reg. 16.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Venite, faciam vos fieri piscatores hominum.

Andreas aptissimus piscationis spiritualis muneri à Domino eligitur.

Admonentur Reges, ac Præsules munia esse subditorum ingeniis accommodanda

61. *D. Ignatij hinc prudentia illustratur, ingeniis subditorum ministeria accommodantis.* Philo.

AIEBAT Philo lib. de Mundi opif. *Deus non pro magnitudine gratia sua beneficus est, nimirum infinita, ac incomprehensibilis; sed attemperat se ad vires eorum, quos dignatur suâ beneficentiâ. Neque enim sicut Deus ad benefaciendum, natura propensus est, ita creatura ad recipienda beneficia.* Vnde Deus apta ingenia ad munera sæpè eligit. Ideo ad homines adducendos spirituali piscatione piscatores aduocauit: *Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum.* Vbi Chrysostomus apud D. Thom. in Cat. *Futura dignitatis gratiam artificij opere prophetabant.* Certè Apostolorum piscandi pisces opus adnatum, præsagium erat, assumendos ad expiscandi homines dignitatem.

Chrysost.

63. *Virgo Deigenitrix, quæ retinere à conceptione Deum nouit, apposite eligitur, ad Verbum vtero excipiendum, & retinendum vsque ad partum.* Prou. 31. Luc. 1. August. Ambros.

Mulierem fortem (ait Deus) *quis inueniet?* Prouerb. 31. Ad quodnam eam munus requiris? Profectò vt de Spiritu sancto Verbum vtero accipiat, quod potens sit eniti. Certè ad id munus vna fœmina apta, quæ semper Dominum animo retinuerit, cui possit verè Angelus profari: *Dominus tecum.* Luc. 1. Id est, Augustino authore, *semper tecum.* Hæc igitur iuxta ingenium perseuerantiæ virtutis, ex cælesti gratia apta Verbum excipere, vt maturum suo tempore hominibus exhibeat. *Ecce* (ait Archangelus) *concipies in vtero, & paries.* Ad quæ Ambrosius pulchrè, *Non omnes sunt, sicut Maria, vt dum de Spiritu sancto concipiunt Verbum, pariant.* Adiicit; *Sunt autem, quæ abortiuum excludant Verbum, antè quam pariant.* Illæ scilicet animæ quæ exceptum Dominum facilè ex graui delicto è pectore eliminant. Verbum Andreæ traditur in commodum Orbis pariendum; sed ei, qui ex piscationis munere nouit tempus expectare, iuxta piscium naturam cibum apponere.

64. *Petrus, qui ex casu plorare didicit, eligitur ad illigandos, & soluendos peccatores.* Matth. 20. Seleuc.

Tonitrui filij præcipuas sedes, siue Pontificium munus ambiebant. Queis Dominus, *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matth. 20. Vbi Basilius Seleu. Orat. 24. ait, *Pater dum probat, non simpliciter gratificatur, expectat mores nostros: donum dum parat, non leuiter effundit.* Ideo non vobis; sed Petro sedes Pontificia apponenda est. Quosnam Pater mores expectat? Ingenia vtrique muneri accommodata. Vos tonitrui filij, quorum vnus militari igne accensus infideles sternet; alter notitiæ Diuinitatis horribili sonitu Orbem complebit. Munus Pontificium humaniora requirit ingenia, homines respicit, qui infirmitate induti, fragilitate pressi, ex iis quæ passi sunt nouerint peccatoribus condolere. Iacobe, ac Ioannes, nunquam Magistrum abnegâstis; non vobis, sed Petro Pater primariam sedem præparauit. *Expectat enim mores hominum, donum dum parat, non leuiter effundit.*

65. *Dominus Conditor ad opera egregia ingeniorum lustrat qualitatem, sicut materiam contemplatur.* Gen. 1. Hugo.

Olim *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Genes. 1, Vbi Hugo Cardin. *Spiritus Domini ferebatur super aquas. Spiritus* nempe *quasi voluntas artificis super materiam ædificij faciendi, quid de quo faciat, considerantis.* Zelatorem Euangelij vult Conditor Saluator exædificare? Paulum eligit, quem videt legis antiquæ zelatorem. Conatur spiritualium lucrorum magistrum exponere? Eligit Matthæum, quem vidit temporariis lucris impensè studentem. Intendit egregium mundiali pelago dare piscatorem, Regum, Vrbium, Prouinciarum! Eligit Andream, quem vidit materiali piscium capturæ operam dantem, non de more eius, qui relaxandi animi causa calamum admouet; sed eius qui ei adnatus est ministerio. *Erant enim piscatores.* Hispanè exponam: *Pescaban, como quien lo tenian por officio.* Edocentur Reges, ac Prælati muneribus illos præficere, qui ad ea ex inclinatione quadam adnati obiiciuntur. Sic Diuum Ignatium Parentem Societatis Iesu gessisse circa electionem operariorum legimus.

Hinc Andreas eligitur.

Sectio

SECTIO SECVNDA.

Iacobi & Ioannis Vocatio.

TEXTVS.

VERS. 21. ET procedens inde vidit alios duos fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua: & vocauit eos. 22. Illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Vidit Dominus Zebedæi filios.

1. *Simili vocatione duo alij fratres adducuntur.* Caietan.

ET *procedens inde.*] Iuxta eundem Galilææ lacum inambulans non post multum spatij terminum, aut temporis interstitium, alios duos fratres inuenit, quos similiter ad Discipulatum aduocauit. Caietanus. *Simili vocatione (scilicet ad Discipulatum, & corpoream sequelam) vocantur Iacobus & Ioannes* Zebedæi & Salomæ filij.

2. *Profuit bonorum societas.*

Vidit alios duos fratres.] *Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes* (loquor cum Chrysostomo) *arte officij pares, fraternitate pietatis coniuncti.* Ideo sic vocauit & istos, ne tot bonis rebus coniunctos, dissimilis vocatio separaret. Profuit eis bonorum societas.

3. *Horum fratrum concordia.*

Vidit, ait, alios duos fratres, Iacobum & Ioannem fratrem eius.] Si præmiserat duos esse fratres, cur addidit: *Fratrem eius.* Quia multi sunt fraternitatis naturali iure coniuncti, qui ex iurgiorum odio à fraternâ sunt dilectione recedentes. Petrus & Andreas fratres: Vidit autem Dominus *Petrum & Andream fratrem eius. Vidit & alios duos fratres, Iacobum, & Ioannem fratrem* vtique Iacobi, quia charitatis vinculo arctiùs, quàm naturæ, illigabantur. Chrysostomus ponderat *duos & duos fratres* aduocatos ad Ecclesiæ fundamina, *quoniam Ecclesia præcipuè in charitate erat construenda. Sicut Dominus dicit: Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem.* Sicut enim in corporali ædificio lapis ad lapidem, cœmento mediante, constringitur; *sic in ædificio Ecclesiæ Christianus ad Christianum, charitate mediante, connectitur.* (Chrysost.)

4. *Ioannes composuit Euangelij retia.* Chrysost.

Reficientes retia sua.] Legit Chrysostomus *Componentes.* Exponénsque his in retibus Euangelium fuisse designatum, ait: *Fortè propter Petrum illi dicti sunt: Mittentes retia in mare. Isti autem propter Ioannem. Componentes. Quia Petrus prædicauit tantùm Euangelium, quod composuit Marcus. Ioannes autem & prædicauit Euangelium, & ipse composuit. Et non solum composuit; sed omnium Euangelistarum retia ipse composuit.* Nam cùm omnes humana Christi penè sola composuissent; ipse composuit eis etiam Diuina ipsius; vt nullam relinqueret Spiritus sanctus scandali aperturam, in eis, vnde pisces egrederentur. Sic penè Chrysostomus.

5. *Horum parentum paupertas.* Chrysost.

Reficientes retia.] Hinc idem Doctor adnotat fratrum, parentisque inopiam. *Vide, quam diligenter inopiam eorum Euangelista significauerit. Inuenit, inquit, eos reficientes retia sua. Tanta erat egestatis magnitudo, vt vetera contexerent, quia emere noua nequibant.*

6. *Colentes illi patrem aduocantur à Domino.* Chrysost.

Cùm Zebedæo patre eorum.] *Nec sunt parua hæc* (adhuc Chrysostomus) *documenta virtutis, facilè omnem tolerare pauperiem, de iustis laboribus viuere, mutuâ sibi charitate connecti, secum habere inopem patrem, & in eius obsequio viuere.* Nec mirum paterno obsequio addictos, benignissimè à Domino exceptos fuisse, Ecclesiæ Principes constitutos. *Et vocauit eos.*] Vtique eisdem verbis vsus, queis ad Petri & Andreæ vocationem: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*: aut non dissimili vsus sententiâ.

§. II.

De Filiorum Zebedæi sequelâ.

7. *efficacia huius vocationis.* Caiet.

ILli autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.] Mirabar aliquando tam facilè Iacobum & Ioannem, relictis retibus & patre, ad sequendum Dominum exiliisse. Sed perpendens gratiæ cælestis efficaciam, iam non miror. Audi Caietanum. *Nec est mirandum, quòd isti, & illi statim secuti fuerint Iesum, quia interiori operatione Iesus mouebat (motione non inuitatoria; sed efficaci) corda eorum, ad relinquendum omnia, & sequendum ipsum. Tali enim attractioni interni Spiritus nullus vnquam restitit: nullus etiam resistet vnquam; quia efficit voluntarium sectatorem, voluntarium Martyrem, &c.*

8. *An pater relictus licitè.* Thom.

Relictis retibus, & patre.] Ad quæ D. Thomas, *Videtur, quòd isti peccauerunt dimittendo patrem senem, & pauperem; quia filij tenentur subuenire parentibus. Si pater* (respondet) *non potest viuere vllo modo, nisi adiutus à filio, filius non debet deserere; sed hic casus non erat in Zebedæo, quia poterat se iuuare, & habebat necessaria.*

Relictis

9. *Mundialium inanitas. Pint.* *Relictis retibus.*] Cuncta mundialia, quæ quidem affectu Apostoli reliquere, in retibus designantur iuxta illud Petri: *Ecce nos reliquimus omnia.* Hinc arguit Hector Pint. in Ezech. 4. omnia mundialia retium vilium tegmine designata, penè nihil. *Vnde (ait) ad tantam fragilitatem & breuitatem rerum signandam, iussit Deus Ezechieli, vt in quodam latere depingeret Ierosolymam. Vt inde intelligas opes, & Magistratus, Regna, & Imperia, & omnia, quæ mortalibus magna videntur, parua esse, & fragilia.* Quid fragilius & vilius tegmine retis, quod piscatores reficiebant? Nihil igitur mundiali gloriâ inanius.

10. *Statim.*] Obedientiæ commendatur virtus, cuius perfectio vel instantibus dimetienda est Chrysostomus, *Talem a nobis obedientiam Christus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus, etiam si nos aliquid necessarium vrgere videamus. Propter quod & alium quendam accedentem ad se, & rogantem, vt ad sepeliendum patrem rediret, ne id quidem facere permisit; ostendens, quia Christus cunctis sit necessitudinibus præferendus. Miror, quòd cum signum aliquod factum non fuisset, tam firmiter promissionis magnitudinem crediderunt, vt Christum sequi rebus omnibus anteferrent.* Plura ex sect. 1. pete. Iam Iacobum & Ioannem, alios nempe duos fratres allicio, vt primæ fraternitatis vnum, Andream, efferant elogiis. *Iacobi, & Ioannis obedientia. Chrysost.*

In Andream

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

EX IACOBI, ET IOANNIS VOCATIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Vidit alios duos fratres.

Andreas verè frater Petri non solùm carne; sed animo, fraternam commendat Charitatem, quâ fundatur Ecclesia.

Illum ostendo meum fratrem verè appellandum, qui in me confert charitatis officia.

11. *Non omnes fratres sanguine, sunt fratres spiritu. Beda.* CHRISTVS ad Ecclesiæ fundamina binos fratres seligit, vt spirituali charitati addatur beneuolentia, quam sanguis sæpè conciliat. Huc respiciens Beda, fatur hom. 2. *In prima sua vocatione carnales fratres elegit. Cum ergo carnales fratres elegit, ostendit, quod nos, qui eius Discipulatui volumus adhærere, fratres esse debemus, non carne; sed spiritu non genealogiâ, sed charitate.* Si non carne, sed spiritu fratres esse debemus; cur fratres binos sanguine adlegit? Quia propinquitas speciatim pauperum, & humilium, queis non agnitæ hæreditaris lites, assolet concordiæ spirituali beneuolentiam adiicere. Non autem semper; ideóque Doctor asserit nos fratres esse debere, *non carne, sed spiritu: non genealogiâ, sed charitate*, quia fraternitas carnalis facilè dissoluitur, spirituali fraternitate æternùm colligata.

12. Non sanguis tantummodò fratrem efficit; sed interna charitas, quæ operibus assolet accendi. Post Dinæ raptum, *Simeon & Leui fratres Dinæ arreptis gladiis, ingressi sunt Vrbem confidenter, interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.* Gen. 34. An non Dina alios fratres habebat? Cur ergo Simeon & Leui eius fratres vocitantur, ac si alios non haberet? Certè quia soli hi circa eius honorem vindicandum, fraternum amorem ostenderunt. Abulensis ad cap. 15. Exod. quæst. 6. *Fratres dicuntur, quia pro eâ specialiter laborauerunt.* *Simeon & Leui Dinæ specialiter fratres, quia operibus eam diligere ostenderunt. Gen. 34. Abul.*

13. Maria soror quidem fuit Moysi & Aaronis. Verùm solius Aaronis appellatur, *sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum.* Exod. 15. Et quare non etiam Moysi soror dicitur, qui posset hoc titulo sororem honorare. Nec enim Magistratus Hebraici populi contemnenda consanguinitas. Consului dubius caput duodecimum Numerorum, & occurrit Mariæ murmurantis historia. *Ecce Maria apparuit candens leprâ sicut nix. Cùmque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam leprâ, ait ad Moysem: Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum, quod proiicitur de vuluâ matris suæ: Ecce iam medium carnis eius deuoratum est à leprâ.* Huiusmodi planè veræ fraternitatis officia fecere Aaronem Mariæ fratrem specialiter vocitari. Confirmo ex Lytano quærente: *Cur non dicitur soror Moysi, sicut & soror Aaron?* & Respondente: *Quia Aaron ostendit se multùm pro ea zelare, quando fuit percussa leprâ.* *Maria Aaronis soror vocatur, quia ille præcipuè circa eius lepram curandam sollicitus. Exod. 15. Num. 12. Lytan.*

14. Sponsa proclamat, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cant. 1. Si matris illi filij erant communis, quare non eos soror fratres appellauit? An quia pugnantes fraternam charitatem hostili violârant opere, indigni nomine fraterno ostendebantur? Sic Bernardus serm. *Non fratres verè, qui contra te pugnant. Cant. 1. Bernard.*

29. in

19. in Cant. sanguinem *alieno negauerunt animo, propterea non dicit: Fratres mei pugnauerunt.* Quia videlicet implicationem inuolueret terminorum; *fratres* enim & *pugnauerunt pro me* (sicuti Simeon & Leui pro Dinâ sorore) cohærent; at *fratres, & pugnauerunt contra me,* minimè copulantur.

15. *Ideo Iacob Esau Dominum, non fratrem appellat.* Gen. 33.

Accedenti Esau fratri Iacobi obuiam procedens, fatur: *Præcedat Dominus meus antè seruum suum, & ego sequar.* Genes. 33. *Dominus* ne frater vocitandus? An Iacobum timor impulit ad obsequium? Profectò memor Iacob Esau erga eum se olim habuisse, ac si Dominus seruum despectum agitaret, quatenus à patriâ profugus in Regiones ignotas profectus fuerat: noluit eum fratrem appellare Lipomanus. *Perseueras vocare Dominum, & nunquam fratrem: Fortassis enim ex integro non fidebas.* Non quidem fidebat illum ad se excipiendum ex fraternâ charitate accedere. Nyssenus in vità Mos. *Sunt enim nonnulli fratres, qui quasi alieni, & inimici nobis aduersantur.* (Lipom.)

16. *Ioab non frater, sed hostis Amasam occidens sub fraternitatis prætextu.*

Testor Iacobum Amasæ profantem: *Salue, mi frater.* An opere nomen fraternitatis impleuit? *Et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est.* 2. Reg. 20. Vbi Chrysostomus serm. de fide, & lege nat. *Fratrem te vocat, & quasi hostem te occidit, quasi aliud agens.* Id est, quasi fraterna te ad oscula inuitans. Hieronymus ad cap. 66 Isai. *Multi fratres vocant, & in corde non retinent charitatem.*

17. *Andreas supponitur Ecclesiæ ædificio Apostolica fraterna charitatis documentum.* Beda.

Ideo Euangelista noster postquam dixisset: *Vidit alios duos fratres*, addit: *Iacobum & Ioannem fratrem eius.* Vt ostendat non solùm nomine, sed & charitate fratres existere. Qui quidem Andreæ fraternam celebrant charitatem, verè fratris Simonis: *Vidit Simonem & Andream fratrem eius.* De quo appositè Beda, *Petrus & Andreas fratres erant; non solum autem carne, sed etiam spiritu germani.* Quorum ad Apostolatum electione curauit Dominus fraternam suorum charitatem instituere: Vt scilicet tam egregiâ duorum primorum vnione fratrum, *omnes Discipuli, vnum sentiant, id ipsum sapiant, non dissideant, non discordent.* Beda sic.

Observatio II.

Ad illa verba:

Vidit alios duos fratres Iacobum, & Ioannem.

Andreas post Petrum incedit, vrbanitatem religiosam commendaturus.

Vbi ostendo, Vrbanitatem, & comitatem à Religiosorum cœtu non ablegandam.

18. QVARE Iacobus prior Ioanne nominatus, cùm hic esset Discipulus, quem diligebat Iesus: nec ipse hoc scriberet Euangeliũ; sed Matthæus, qui deberet meriti Euangelistæ recordari? Existimo, quia Iacobus maior natu erat, & huiusmodi præcedentia antiquiori debetur ætati. Verè quidem. Sed obiicitur Petrus minor, prior Andreâ; ab eodem Euangelista appositus, si Iacobus natu maior præcedit Ioannem, cur Andreas natu maior non præcessit Simonem? Profectò, quia Petrus omnium est Præsul constitutus, vnde reliquis iustè præponendus. Nec enim religiosa modestia renunciauit vrbanitati.

19. *Vrbanitas Ioannis erga Petrum non dico vt Pontificem, sed & vt natu maiorem.* Ioan. 20.

Ex binis fratribus, Petrum & Ioannem seligo in instituti mei probationem. Ad monumentum pergunt, audito Dominici Resurrectionis rumore. *Currebant duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum; non autem introiuit. Venit ergo Simon Petrus, & introiuit in monumentum.* Ioan. 20. Ioannes iunior præcurrit, & primus ad monumentum accedit; non tamen primus introiuit, sed Petro cessit. Quare? Lyranus respondet, *Non introiuit Ioannes propter Petri reuerentiam, quem expectauit.* Hugo Cardin. *Venit primus, non autem introiuit: Licèt prior venisset,* (quia iunior velocior) *intrare non præsumpsit.* Præsumptio enim discipuli iunioris esset, si non primus locus seniori daretur. Lyranus, *Expectauit Petrum, quia erat senior ipso.* Quid vt Ecclesiæ Præsuli summo; si vt seniori submissus est? (Lyran.)

20. *Sancti sese inuicem honore præueniunt.* Rom. 12. Anselm.

Apostolus aiebat: *Honore inuicem præuenientes.* Rom. 12. τὸ præuenientes premo. Non expectanda fratris comitas, eum tua præueniat vrbanitas. Anselmus sic, *Vnusquisque festinet alium magis honorare, quam honorari ab illo: & maiorem ei reuerentiam exhibere, sibique ipsum præferre. Et ille similiter huic faciat.* Tam adnata Sanctis comitas, vt sollicitè & certatim à cunctis sit procuranda.

21. *Comitas Petri Præsulis erga subditum Ioannem.* Act. 3.

An Petrus; quia Ecclesiæ Præsul summus, Ioannem iuniorem, & subditum sibi postponebat? Ioannes primus ad sepulchrum accedens Petro cedit. Nouit-ne Petrus Senior & Pontifex cedere Ioanni? Simul Petrus & Ioannes rursum incedunt, Templum ingredientibus claudus occurrit. Petrus autem ei datiuus stipem sanitatis ait: *Respice in nos. In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula:* Act. 3. Petri vmbra miraculorum operatrix. Quis abnegat? Si ergo potens Petrus sanitatem claudo impertiri, cur coadiutorem Ioannem indicat fatus: *Respice in nos?* Scio Basilium Seleuc. Orat. 22. respondere: *Etsi solus loquitur Petrus, tamen adiutor est Ioannes.* Existimo tamen non adiutorem fuisse, sed comitatis & vrbanitatis causâ Petrum dixisse: *Respice in nos;* vt quæ in iuniorem affectus fuerit reuerentiâ, Apostolorum Princeps manifestaret. Immò (si fas esset) profatetur: *Respice in Ioannem,* vt sanitas Ioanni omnino ex cælesti munere tribueretur. Quid ni ex Petro (qui tam perspicuum comitatis exhibuit magisterium) edocti, Ecclesiæ Pontificem summum cunctis præponamus. Tanta enim dignitas Petri, vt vel Andreæ sanctissimo præponendus sit. *Qui tamen* (adnotante Chrysologo serm. 133.) *& si cedit ordini Petri, præmio non cedit, & labori.* (Seleu.) (Chrysol.)

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Reficientes retia sua.

Andreæ egregij Prædicatoris, seu piscatoris retia contemplatione reficiebantur.

Vbi ostendo, Euangelico ministro necessarium esse contemplationis orationisque continuum exercitamentum.

22. PRÆPARANDA retia in Euangelicam expiscationem nos Iacobus & Ioannes edocent, qui quidem reficiebant *retia sua.* Hugo Cardinalis, *Rete prædicatio, quæ debet refici contemplatione.* Si quando rete Euangelicum reficiendum est (est sæpè) non est emendicandum subtile linum ex fabularum futili figmento, et gymnasiorum arte malè dulci; sed ex contemplationis scholà.

Hugo.

23. Olim Abraham *Sepeliuit vxorem suam in spelunca duplici.* Genesi 23. Vbi Gregorius lib. 6. Moral. cap. 25. Apostolicum Prædicatorem Mundo mortuum, qui omnia Christum secuturus reliquit, apud sepulchrum duplex morantem statuit. Perfectus enim Prædicator non est, qui piscationi hominum operam expendit, non priùs contemplationis studio addictus, vt perfectè proximorum saluti prouidere possit. Haud huiusmodi Prædicator est, *qui propter operationis instantiam contemplanda postponit.* Præponenda nempe est contemplatio, seu orationis exercitamentum, vt prædicationis rete non sine emolumento emittatur.

Prædicator sæculo mortuus ex contemplatione retia præparat ad actionem. Genes. 23. Gregor.

24. Rebecca non solùm Abrahæ famulum, sed & camelos potans, tibi sit, ex Origenis sententià, Concionator. *Ecce Rebecca egrediebatur.* Genes. 24. An potabat domo egressa? Ex hydrià vacuâ quinam riuuli profluerent in sitis extinctionem? *Quotidie* (inquit ille) *veniebat ad puteum, quotidie hauriebat aquam. Et quia quotidie vacabat ad puteos, inueniri potuit à puero Abraham*; qui potari petiit. *Paucillum aquæ mihi præbe ad bibendum de hydria tuâ.* Te edocet, *quotidie venire ad puteum Scripturarū, ad aquas Spiritus sancti, & haurire semper, & plenum vas domum referre. Est quæ in tantum scit haurire, vt etiam sufficiat his, qui irrationabiles; & peruersi videntur.* Contemplationis itaque studio, Scripturarum testimonia, ne sit nisi spiritus hauriendus est. Sine Spiritu enim quid Scripturæ acutè excogitata loca proficient ad peccatorum expiscationem? Spiritus ergo contemplationis ac orationis exercitamentis comparandus.

Eliazer verè prædicatorū typus Rebecca potat, postquam hydriā contemplationis implevit aqua. Genes. 24. Origen.

25. Expiscaturus Eliazer Rebeccam filio Domini sui afferendam vxorem, rete curat reficere ad ripam; iuxta aquas (si non lacus) putei constitutus. *Iuxta puteum aquæ orauit ad Dominum: Domine, Deus Domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam.* Genes. 24. *Fac*, inquam, misericordiam Rebeccæ; mihi autem priùs oranti occurre, vt iactus retis haud sine fructu appareat. Interlinealis Glossæ Magister, *Prius enim orare debet Prædicator, vt sermo Dei fructificet in auditoribus; & deinde prædicationis verba diffundere:* seu immittere retia. *Rete enim prædicatio, quæ refici debet contemplatione.*

Ipse Eliazer prædicatorem geris orantem, priusquam retia immittat. Gen. 24. Interl.

26. Laurentius Iustin. serm. de D. Andr. asserit Apostolum, post Spiritus sancti immissionem, spiritualibus exercitiis retia prædicationis refecisse. *Nemo sufficienter Andreæ spiritualem (post immissionem Paracleti) valet explicare profectum. Postea in verbi prædicatione adeo fuit intentus vt de eo (spiritu) totam Regionem expleret Achaiæ.* Quàm ardent auditores, cùm ante concionem, Spiritus sancti incendio, per contemplationis exercitium Prædicator immergitur, spiritu replentur auditores, cùm Prædicator curat Spiritui verba copulari; quod fit orationis continuæ ac lectionis exercitamento. Vnde Hugo Cardin. postquam dixit prædicationis rete reficiendum, *contemplatione*, addidit, *& studio.*

Andreas contemplationi addictus, Spiritu sancto impletus, mox totam expiscatur Achaiæ Regionem. Lau. ent. Iustin.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Reficientes retia sua.

Andreas sanctissimæ vitæ retibus expiscationi hominum operam dedit.

Ostendo eum egregium Concionatorem, qui sanctitate obiectâ allicit auditores potiùs, quàm sermone profuso.

27. THOMAS Angelicus postquam asseruit quatuor fratribus, Petro, Andreâ, Iacobo & Ioanne vitæ sanctitatem præsignari; (*Petrus enim, qui dicitur Agnoscens, est Prudentia; Andreas, id est, Fortis, est Fortitudo; Iacobus supplantator est Iustitia; Ioannes Virgo est Temperantia*) adiicit: *Super his virtutibus voluitur Euangelium*, seu Euangelica perfectio. *Et nota, quod per illos, qui mittunt rete in mare, notantur qui incipiunt in Mundo versari;* innocentes scilicet, nullo crimine maculati: *per illos verò, qui reficiebant retia, significantur, qui iam peccatores fuerunt;* quapropter retia operum, quibus expiscandi homines, pœnitudine reficere. Petrus delinquens ex triplici negatione, curet retia operum reficere, ne piscatio depereat. At innocens Andreas huiusmodi non indiget refectione; vnde, iactis pelago mundiali sanctissimarum actionum retibus (ne præ multitudine, ac magnitudine piscium rumperentur) cælesti potentià solidatis, Euangelicæ perfectionis imaginem in vita sua expressit.

Quatuor fratres Euangelica vitæ perfectionem figurabant, cuius Andreas vita imago est. Thom.

28. Elegantia morum plures adduxisse ad fidem, quàm innumeris miraculis excitatis, Apostolum apud Achaiam Presbyteri Vrbis illius scripsere. Et quidem Chrysostomus hom. 11. in Matth.

Plures adduxit Andreas ad fidem, vita, quàm miraculis. Chrysost.

Matth. fatur, *Siquidem Sacerdos est, doceat, & doctrinam suam bona vita, quasi miraculis factis, commendet.* Quid quando mirabilis vitæ sanctitudo stupenda miracula superaret?

29. *Andreas sanctificauit Euangelium.* Rom. 15. Anselm.

Quàm verè Andreas posset cum Paulo clamare, *Audacius scripsi vobis ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam, quæ data est mihi, vt sim minister Christi in Gentibus, sanctificans Euangelium Dei*, Rom. 15. Quòd si requiras, quonammodo Paulus sanctificaret Euangelium Dei, Anselmus respondet, *Vt sim minister Christi, id est, vt ministrem, & seruiam Christo, prædicans illum Gentibus. Sanctificans Euangelium Dei, id est, exemplo meo sanctum ostendens.* Vis indicem, quàm cælestis fuerit Andreas Euangelij sanctificator?

30. *Docuit exemplo qualis debeat esse Christianus.* Iustin.

Ait Laurentius Iustinianus serm. de D. Andr. *Longè excellentiùs docuit exemplo, quam verbo, qualis esse debeat Christianus, quam vera sit Catholica fides. Hunc propugnatorem egregium operibus sequamur.* Illam particulam expende: *Exemplo docuit, quam vera sit Catholica fides.* An non id fuit Dei Euangelium sanctificare, siue ostendere sanctum ac verum existere?

31. *Quasi Adamus fuit Christiano populo prototypus perfectionis illius.* Damian. Iustin.

Audisti Andream primum Christicolam? Damianus serm. *Andreas in Apostolici Senatus catalogo secundus ponitur; qui tamen in agnitione Domini primus inuenitur.* Verus ille Christiani populi Adamus sit tibi, quem Deus totius perfectionis (post verum Adamum Christum) regulam fidelibus exposuit. *Docuit* (aiebat Iustinianus) *exemplo qualis debeat esse Christianus.* Bellè Damianus adiecit, *In primo illo Discipulo omnium virtutum formam signanter expressit, vt vsque ad consummationem sæculi vnusquisque fidelium ad eum imitationis oculos dirigat, & per eius tramitem neutrelibet exorbitaturus incedat.*

32. *Mortificatio, & humilitas Andreæ regula, ac norma vitæ nostræ fuit.* Damian.

Mortificationis verò, & humilitatis (cardinis spiritualis Orbis vtriusque) idem Cardinalis in eo præstantiam manifestat, dum ostendit perfectissimè Andream sanguinis respectus reliquisse (nec victum à filiis Zebedæi, qui relicto *patre*, sequuti fuere Saluatorem) & circa Apostolatûs fastigium (quod ipsi ex nostra opinione addici potuit, quia primus Christicola) se gessisse, velut qui cum Abrahamo se puluerem agnoscebat. Damianus itaque citatus ait: *Ecce beatos fratres nunquam post conuersionem legimus carnali quadam necessitudine sibimet inuicem familiariùs adhæsisse, quàm cæteris: non arctiùs inter se mutuo confœderatos affectu; non easdem Prouincias prædicationis gratiâ sortitos.* Multum quidem reliquisse in sæculo parentem; sed vide an maius cum fratre fratrem ad Collegium Apostolicum aduentasse, & ita à fraterno carnali affectu recessisse, ac si in sæculo alter relinqueretur? *Et, vt magis stupeas, non molestè tulit Andreas, quòd in fide primus, factus est Ordinis dignitate secundus: nec zelo ductus est, quòd Petrus, qui eius ducatu posterior credidit, cuiusque ad fidem ipse præuius fuit; primatûs tamen inter omnes Apostolos iura suscepit.* Adiicit vtramque virtutem commendans: *Hanc mortificationis regulam oculis nostris supernus Magister apposuit. Hanc nobis veræ humilitatis normam, per quam rectâ viâ illum sequeremur, exhibuit.* Qui dixerat: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, se regulam, & normam mortificationis, & humilitatis perfectissimis viris proponens, tanti ducit Andreæ mortificationem, ac humilitatem, vt eam fidelium cœtui vt regulam mortificationis, & humilitatis normam obiiciat: *per quam rectâ viâ illum sequantur.*

33. *Adeò hæsit vita Andreæ Saluatoris vitæ, vt qui Andream sequitur, quasi Saluatorem sequi videatur.* Damian. Iustin.

Preme verba illa, *per quam* normam *rectâ viâ* Christum fideles *sequantur.* Cur non dixit: Per quam sequantur Andream mortificatione, & humilitate conspicuum? Certè, quia sic Domino adhæsit, sic Domini inseparabiliter comes cum ipso graditur, vt fideles Andream imitati, necessariò sequantur Saluatorem. Laurentius Iustinianus serm. de D. Andr. pulchrè, Sequuturi Dominum *Andreæ sectemini vestigia, qui vocantis se gratiam sine vlla cunctatione percepit. Christo sic adhæsit ex corde, vt tunc in aliquo penitus dimoueri non posset.*

34. *Quam bonû certamen, seruata sanctitudine fide, Andreas certauit.* Iustin. 2. Tim. 4.

Quid de virtutum egregiarum attexam incrementis? Iustinianus, *Pro disciplinâ virtutum in Præceptoris amore crescebat. Hinc factum est, vt neque Pontificum Iudæorum minis terreretur, neque pro illatis flagellis, à nominis Iesu prædicatione cessaret.* An posset Andreas illam Pauli sententiam veraciter proferre? *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui*, &c. 2. Timoth 4. *Planè* (ait Iustinianus) *Apostolicum illud in corde dulci modulatione ingeminabat: Bonum certamen certaui, &c. Certauit, inquam, & durum passionis agonem viriliter pertulit, carnalésque voluptates subegit spiritui, & spiritum Deo, ita vt diceret: Viuo ego, iam non ego: viuit in me Christus. Hinc seruando fidem vita sua cursum fœliciter consummauit, non in mollis stratu, nec in corporis deliciis; sed constitutus in stipite. Generosus Discipulus cælestem est imitatus Magistrum. Parem ignominiosa Crucis, vt ille, pertulit pœnam, & tanquam athleta fortissimus in certaminis occubuit stadio.*

35. *Andreæ ineffabilis charitas.* Cant. 8. Iustin.

Si autem charitas Regina virtutum, quonam modo tot tantæque virtutes possent à charitatis eximi imperio? *Fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum, aqua multa non potuerunt extinguere charitatem*, Cantic 8. Vbi citatus Laurentius Iustinianus, *In Andreâ hanc veridicam reperimus esse sententiam. Facibus charitatis Andreas incensus, numquid sacrilegi Iudicis minas expauit? An fortè Crucis recusauit subire supplicium? Magnanimitatem huius fortissimi Ducis, imperterritam mentem, passionis desiderium, spiritualéque lumen ipsius ex sermonibus eius attende. O bona Crux diu desiderata! Lætus ibat ad Crucem, ad illam ascendit intrepidus, de qua tanquam de spirituali cathedra prædicabat populo, rogabátque illos, suum ne vellent impedire Martyrium. Sanè spreto sæculo, proximus erat cælo, & æternæ vitæ degustabat delicias. O felix anima, quam Dei compleuerat charitas, irradiauerat fides, immortalitatisque erigebat fiducia.* Vide an in Andreâ solo quatuor illæ virtutes, (de quibus Doctor Angelicus) cælesti lumine fulgurarint?

Docet planè prima vocatio Saluatoris Andreas, siue Christianus primus, qualis debeat esse Christianus.

* * *

Observatio V.

Ad illa verba:

Reficientes retia sua.

Rete Crucis, quo Orbem Andreas expiscatur, non indiguit refectione. O Apostoli erga Crucem affectus!

Ostenditur Crucem, laboresq́ue gloriosos, expetibiles, amabiles.

36. *Ars expiscatoria Andreæ instrumenta. Imperf.* IMPERFECTVS in Matthæum Encom. Andr. sic de Apostoli expiscatione, *Quemadmodum ars illa, quâ vsus est, admirabilis fuit, & illius instrumenta noua, atque inusitata extiterunt, Nam pro arundine, prædicatione vtitur; pro funiculo memoria; pro hamo potentia; pro escâ miraculis; pro petrâ calos, ex quibus huiusmodi piscationem exercet. Pro scaphâ habet altare; pro piscibus Reges etiam ipsos capit; pro sagena Euangelium expandit; pro arte diuinam gratiam adhibet; pro mari vitam humanam tractat; pro retibus Cruce vti solet.* Igitur Andreæ egregij piscatoris rete Crux extitit. *Pro retibus Cruce vti solet.* An retia huiusmodi refectione indiguissent? Profectò nunquam Andreas retia sua reficiens inuenietur; quia semper nouus illius circa Crucem dilectissimam affectus. *Semper nouus Andreæ erga Crucem affectus. Bernard.* Ait Bernardus sermone 2. *Videns paratam sibi Crucem, non contremuit Andreæ corpus, nec mens turbata est, non recessit, vt assolet, intellectus. Ex abundantiâ cordis os locutum est: O Crux diu desiderata! Securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans recipias me Discipulum eius, qui pependit in te. Quia amator tuus semper fui.* Crucis vidimus amatores, qui dimittentes dilectam sponsam, amasiæ voluptati copularentur. At Andreas semper Crucis extitit amator: *Amator tuus semper fui.*

37. *Edocet Andreas Crucem amari posse. Bernard.* Quàm debitores sumus Andreæ edocenti Crucem amari posse, vt ex necessitate subeundi labores, virtus animi exurgat? Bernardus sermone 2. *Quid sibi vult hoc? & vnde tam noua Andreæ lætitia? Ergo certè Crux pretiosa est, & Crux amari potest, & Crux habet exultationem. Si fuerit, qui colligat, semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem.*

38. *Christus dilecta Cruce pauere voluit, vt Andreas laetaretur.* Vidisti Christum ad Crucis conspectum affici mœrore? *Cœpit pauere, & mœstus esse.* Imo apud hortum inclamabat, *Transeat à me Calix iste.* Quod de Crucis opprobrio aliqui sunt interpretati. Si Christus hominum Magister, si perfectioris Euangelicæ norma, quare non amabilem esse Crucem ostendit lætitiâ perfusus dum mors appropinquaret? Certè Andreæ suo commisit huiusmodi dilectissimæ Crucis magisterium. Pauet Dominus, tristitiâ afficitur ad Crucis conspectum, vt Andreas exultet, & clamet: *O bona Crux, diu desiderata, amator tuus semper fui. Videns paratam sibi Crucem, nequaquam facies eius expalluit.* Sic Bernardus serm. 2. *Bernard.*

39. *Thabore in* Vt Transfigurationis mysterio testes adhiberet, assumpsit Iesus *Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Adstant Christi laterones Moyses & Elias, *loquebantur* autem de excessu, quem completurus erat in Ierusalem. Matth. 17. Vulgatus, *loquebantur de excessu.* Chrysostomus iuxta aliam lectionem, *loquebantur de gloriâ*, addit ipse, *Crucis.* Quæritur cur Dominus gloriam in Thabore Petro ac sociis ostentarit? Respondet Chrysostomus homil. 57. in Matthæum, *Crucis gloriam ostendit, vt Petrum, qui passionem formidabat, ad sublimius erigeret. Non enim tacebant, sed loquebantur, inquit, de gloriâ, quam completurus erat in Ierusalem, de Cruce videlicet.* Si Petrus Cruci suffigendus adducitur, cur non & Andreas, qui Cruci etiam erat addicendus ad Thaboris gloriam inuitatur? Certè, quia si Petrus naturali repugnantiâ formidat ad Crucis aspectum, vnde Dominus et: *Alius cinget te, & ducet, quò tu non vis*, Ioan. 21. Andreas non solùm non formidabit, sed ad Crucis aspectum perfusus gloriâ proferet illud: *O bona Crux, diu a me desiderata!* Andreæ igitur datum hominibus persuadere, Crucem toto cordis affectu diligi posse. Quam amabiles labores eis, qui cum Andreâ diuini amoris igne cremantur? *Quid mirum* (ait Bernardus citatus) *si Crucis suauitatem dedit amor, qui dedit & igni? Quid enim sapiebat Laurentio ignis, cum irrideret carnifices, Iudicem subsannaret?*

Thabore crucis gloria ostenditur, ne terreatur cruci suffigendus, Non adest Andreas, quia crucis olim amator. Matth. 17. Chrysost. *Ioan. 21.* *Bernard.*

Observatio VI.

Ad illa verba:

At illi statim, relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.

Andreas perfectissimæ obedientiæ regulam præscribit, retium iactu imperfecto relicto.

Illa enim præstans obedientia est, quæ auditâ Præsulis voce, venit intersecare actionem.

IACOBVS & Ioannes vocati, *statim* retia quæ reficiebant, reliquere, sicut & Petrus 40.
& Andreas vocati *continuo* sequuntur Dominum, relicta quidem immittendi retia in lacum actione, vti Caietanus obseruauit. Vt Andreas perfectissimæ sit obedientiæ magister, eius, inquam, quam D. Ignatius Parens nostræ Societatis præscribit, dum præcipit ad vocem Præpositi accurrendum, litterâ inceptâ imperfectâ relictâ. Gregorius homil. 5. Ad vnius iussionis vocem Andreas, *relictis retibus*, quæ immittebat in lacum, *secutus est Redemptorem. Nulla adhuc eum fecisse miracula viderat, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierat; & tamen ad vnum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbatur, oblitus est.* Et Bernardus aptiùs quidem serm. 2. *In ipso suæ conuersionis initio magnum nobis perfectæ obedientiæ Andreas præstitit exẽplum. Venite post me. At ille continuò, nihil diiudicans, aut hæsitans, non sollicitus vnde viueret,* (retium iactum relinquens vtique imperfectum) *nihil interrogans, relictis retibus secutus est eum.*

A D. Ignatio P. nostro præscripta Iesuitis obedientia proponendo commendatur. *Gregor.* *Bernard.*

Iosue

41. *Iosue sciens obediendi obsequio intersecare actiones, simili perfecta stellarum obedientia honoratur.* Ios. 10.

Iosue obedientia perfectissima fuit, Patribus attestantibus. Ergo, si opus erat, imperfectam reliquit negotij cuiusuis actionem; quia obedientia huiusmodi, perfectissimæ sibi nomen addixit. Id ostendo ex præmio, quo vel in sæculo præsenti Dux ille fortissimus fuit affectus. Imperauit ille aliquando vtrique diei ac noctis luminaribus; imo quodammodo Deo ipsi. *Sol, contra Gabaon ne mouearis; & Luna, contra vallem Haialon. Steteruntque Sol & Luna, obediente Domino voci hominis,* Iosue 10. Sol & Luna perfectissimæ obedientiæ ostentant obsequium, siquidem actionem inceptam occumbendi intersecant, vt imperio Ducis pareant. Et vndenam obedientia tam perfecta luminarium; imò & Dei ipsius, nisi quia ab obedientiâ perfectissima Iosue didicerant? Bellè Hieronymus ad Psalm. 143. *Iosue imperat Soli & Lunæ, & stant: homo iubet, & cælum audit. Audit illum cælum,* vt sistat, *quia ille audiebat Dominum.*

Hieron.

42. *Similiter Abrahæ obedientia afficitur munere.* Abul. Gen. 22.

Quando non obedientia huiusmodi, quæ scit, iubente Domino, literam imperfectam relinquere, seu actionem intersecare, vberrimo cæli munere donatur? Abulensis ad cap. 23. Geneseos Abrahamum ex promptitudine obedientiæ clarissimum progenie asserult. Ei Dominus præceptum immolandi filij indixit; & mox intersecans quidem somni, seu quietis actionem surrexit, vt filium Deo libaret. Vt autem constaret, quam illa intersectio actionis grata Conditori, alterius actionis intersectione muneratur. Nam cùm parens fortissimus brachium protendisset, stricto gladio, vt collum adolescentis secaret, exitialem actionem intersecans Dominus ait: *Abraham, Abraham*, Genes. 22. Quàm apposité actio secatur occisuri, qui obediens nouit inchoatam actionem interrumpere, vt illico sacrificio difficili accingeretur? Alibi plura.

43. *Andreæ adhuc obedit, à promptitudo expeditur, nostram segnitiem carpens.* Iustin.

Obedientia commendabilior virtus, (perficit Laurentius Iustinianus argumentum) *hanc commendauit Andreas. Vocatus quippe à Christo, ad vnius iussionis obsequium, retibus relictis, secutus est Dominum. Obedientia omni veneratione colenda! Omnes abstulit moras, excusationem nullam adhibuit; quin potius oblitus infirmitatis propriæ, difficultatis obedientiæ, asperitatis pœnitentiæ, præsentis vitæ illecebræ, vocantis se humiliter subtraxit* (ab actione scilicet piscationis, seu retium immissionis) *imperio. Conuincit planè sancti huius promptitudo, ac voluntarius famulatus torpentem nostrum: surditatem nostram excitat: imprudentémque nostram confundit prudentiam.* Hæc Doctor.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Secuti sunt eum.

Sic Andreas Christum sequitur, sic sese ei conformare curat, vt quasi Christus alter exurgat.

Vbi ostendo, ex perfectâ imitatione hominem posse ad Deitatis culmen quodammodo ascendere.

44. Iustin.

LAVRENTIVS Iustinianus Andream asserit Saluatorem secutum adeò, vt in ipsum transformaretur, conformitate scilicet actionum, perfectissimæ imitationis studio. *Sic subegit spiritum Deo, vt diceret: Viuo ego; sed iam non ego: viuit verò in me Christus*, Galat. 2.

45. *Andreæ crucis suffigendus prohibet hominum compassionem, vt Dominus fœminarum.* Bernard.

Christus cupiens Cruci suffigi, lacrymas fœminarum curauit exsiccare? *Celebrantes* (inquit Bernardus serm. 1.) *gloriosum Andreæ triumphum, exultauimus, & lætati sumus. Neque enim locus poterat esse tristitiæ, vbi tam vehementer lætabatur & ipse. Nemo ex nobis compassus est sic patienti, nemo ausus est plangere exultantem. Alioquin ille nobis dicere poterat, quod Saluator Crucem baiulans se lugentibus ait: Nolite flere super me, Luc. 23. Desiderabat dissolui, & esse cum Christo; sed in Cruce, quam semper amauerat. Ergo si diligimus eum, congaudeamus ei, non solùm quia coronatus, sed quia Crucifixus, quia desiderium animæ eius tribuit ei Dominus: O bona Crux diu desiderata.*

46. *Christo cruci addicto, quasi necessitate consequentiæ Andreas cruci suffigitur.* Damian.

Cur existimas Andream & Petrum Crucis Martyrio à Domino donatos? Credo quia adeo eum Apostoli sequuti sunt, vt quodammodo in ipsum mutarentur. Vnde Christo Cruci addicto, necessitate consequentiæ Petrus & Andreas eidem erant suffigendi patibulo. Pulchrè planè Petrus Damianus serm. 1. *Inter cuncta Martyrij genera illud nobilius, illud meritò iudicatur esse præcipuum, quod in ipso Redemptore nostro capite Martyrum cognoscitur dedicatum. Vnde hos diuina dispensatio inter cæteros Apostolos quodammodo egregios atque conspicuos fecit. Crux enim, quæ Regem præmisit ad sceptrum, eadem consequenter vtrumque Militem euexit ad præmium.* τὸ *consequenter* ponderandum. Dominus Cruci addicitur, & consequenter Petrus & Andreas Cruci suffiguntur; quia eos perfecta sequela adeò cum Iesu colligarat, vt dicerent: Viuit in nobis Christus. Vnde quia necessitate consequentiæ huiusce Cruce erant donandi, eos Dominus digniores effecit; ne immeritò Crucis Martyrio donarentur.

47. *De Cruce quemadmodum Dominus non descendit.* Anton.

Clamantibus Iudæis: *Descendat de Cruce, & credimus ei,* Cruci ampliùs Dominus illigatur affectu. Imitator Andreas, *Nam cùm iussu Regis* (cum Antonino citato loquor) *vellent deponere Andream de Cruce, non valuerunt, brachijs eorum obstupescentibus, orante ipso Apostolo Dominum, ne sineret eum viuum deponi.*

48. *Obitus Andreæ à Domino glorioſior efficitur, quàm ipſius Ieſu.* Ado. Anton.

Quid ſi glorioſiorem Dominus Diſcipulum ſuffixum curarit apparere? Obeunte Domino, Sole deficiente, tenebræ peruolarunt. Obeunte autem Andreâ nouus Sol viſus ambire patibulum. Ado Epiſcopus Treber. *Fulgore cæleſti ferè vnâ deſuper circumfuſus horâ cum ipſo lumine aſcendente emiſit ſpiritum.* Antoninus, *Apparente ſplendore nimio circum eam, vt videri non poſſet, Domino ſpiritum reddidit.* Chriſtus ſibi tenebras arripit, obnubilato die, vt obeunti ſeruo chariſſimo, duplicato lumine, famuletur.

49. *Vtriuſque ſepulchrum glorioſum.* Turon.

Sepulchri Saluatoris gloria prophetico cantatur elogio: *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* De Andreæ ſepulchro ſic Gregorius Turonenſ. lib. de glor. Martyr. cap. 30. ſcribit, *Andreas magnum miraculum in die ſolemnitatis ſuæ profert. Hoc eſt, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectaris de tumulo eius exũdat. Per id, quæ ſit fertilitas anni ſequentis, oſtenditur. Si exiguum profluxerit manna, exiguum profert terra fructum. Si fuerit copioſum, magnum arua prouentum fructuum habere ſignat.* Id apud Patras Achaiæ vrbem, vbi Andreæ cadauer reconditur: ſiue vbi viuus dormit Apoſtolus: ſiue potiùs vbi regnat; cælum etenim refert ſepultura, ſi perennis mannæ fons effecta eſt.

50. *Vt Andreas Diuinitatem referebat Ieſus.* Damian.

Hæc non ſolùm humanitatis documenta Andreas retulit Saluatoris, ſed & Diuinitatis eius quodammodo expreſſit imaginem. Petrus Damianus ſerm. 2. de Andreâ ſic: *Tanta tanti viri feſtiuitas monet; imò impellit aliquid dicere, ad oſtendendam gloriam Deitatis.* Vndenam Andreæ feſtiuitas ad Deitatis tractationem impellit? Quia euoluenti egregia Andreæ facinora, tot Diuinitatis obiiciuntur (operante in eo gratiâ mirabiliter) documenta, vt neceſſariò de Deitate ſit ſermo profundendus

51. *Trinitatis erat imago.* Iuſtin.

Profectò tota Trinitas effulgebat in Andreâ facto imagine Deitatis. Laurentius Iuſtinianus exclamat: *O beata mens ſancti, quam & Patris, & Filij inhabitabat Diuinitas, fœcundabat gratia; erigebat fides, & cæleſtium contemplationum impinguabat infuſio!* Et vbinam Spiritus ſanctus? Ipſe Andreæ Spiritus ſanctus planè vices quodammodo Paracleti gerebat. *Nemo* (addit) *ſufficienter Andreæ ſpiritualem, poſt immiſſionem Paracleti, valet exponere profectum.* Quia Andreas ipſe immiſſi Spiritus ſancti vim retinens; *de eo totam Prouinciam repleuit Achaiæ.* Iámque, velut Spiritus ſanctus, alios replet Spiritu: *de eo*, id eſt, ſpiritu, &c.

LIBER

LIBER VNDECIMVS.

THOMAS.

Paraphrasis, & Commentarij literales in Cap. Vigesimum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES circa literam.

IN THOMAM APOSTOLVM.

PROLVSIO.

FATVR Antoninus part.1.tit.6.cap.10. *Dicitur, quòd Thomas Apostolus non adfuerit cum reliquo superstite Apostolorum cœtu in transitu Mariæ, & postea veniens dubitauerit, de corporis eius cum animâ assumptione. Et ideo Maria cingulum suum ei dederit, apparens ei in testimonium huius; quòd cingulum dicitur Prati esse.* Sententiam non admitto, ex quo capite asserit Thomam de Virginis assumptione dubitâsse; secus Deiparæ apparitionem, ac cinguli munus ab Apostolo acceptum adstruo. Fortis enim Virago à Spiritu sancto sponso laudata (*Mulierem fortem*, &c.) *cingulum tradidit Chananæo*, Prouerb.31. Id est, D. Thomæ à Chanâ Galilææ exorto, si cuidam credendum. Et cur Chananæo cingulum Deipara tradidit? Strabus, *Vt quod præcipitur Apostolis: sint lumbi vestri præcincti, viuendo teneatur.* Præcinctos Apostolos ad ardua itinera cinguli traditione innuitur? Tradit ergo Virgo cingulum Chananæo Thomæ, vt velocissimè difficillimo sese tradat itineri. *Thomas* enim *in multas Prouincias* (loquor cum Ecclesiâ) *profectus est, ad prædicandum Christi Euangelium; Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, & Bactris Christianæ fidei, & vitæ præcepta tradidit. Postremò ad Indos se conferens, eos in Christianâ religione erudiuit.* Quàm perspicuum sanctitatis eius documentum, à Deiparâ fuisse cingulo donatum, vt tot posset cursus felicissimo gressu perficere.

Apostolici vitalis Lingni FRVCTVS VNDECIMVS.

IOANNES CAP. XX.

VERS. 24. THOMAS autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus.

PARAPHRASIS.

24. *CVM Dominus è sepulchro prosiliens, Discipulis congregatis in vnum appnruit, solus aberat Thomas (quod nomen Græcè sonat Didymum, Latinè geminum) vnus è numero duodecim, quos peculiariter Dominus ad prædicationis munus delegerat.*

25. Dixerunt ergo ei alij Discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

25. *Is vbi venisset, certior à gestientibus gaudio Discipulis de Iesu resurrectione effectus, suspicans illos aliquo phantasmate ludificatos, negat se crediturum, nisi suis oculis testantibus; ac ne oculis quidem fidem habiturum, nisi conspectis in manibus clauorum vestigijs, digitoq́; in locum clauorum misso, manu quoque lateri Iesu admotâ, lanceæ vulnus deprehenderet. Vt scilicet Apostoli incredulitas hac, dispensatione diuinâ, ad nostræ fidei proficeret firmitatem.*

26. Et post dies octo iterum erant Discipuli eius intùs, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.

26. *Post dies igitur octo, cùm rursus in vnum quasi furtiuo congressu Apostoli conuenissent, iamq́; Thomas adhuc incredulus, simul cum cæteris adesset, ianuis clausis, ingressus est Dominus, stansq́; in medio suorum eos solito, cognitoq́; iam more salutauit: Pax vobis. Vt Thomas donatus pace, bellum incredulitatis à corde posset deturbare.*

27. Deinde dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.

27. *Mox versus ad Thomam, cuius incredulitas ei, qui nihil nesciebat, non occultabatur; Quando non satis est tibi, ô Thoma, inquit, à tam multis, qui me viderant, audisse, nisi tuis sensibus cunctis certa fiat fides, infer huc digitum tuum in clauorum vulnera, & vera ferri vestigia inspice: in latus meum manum admoue, & vulnus lanceæ contrecta; & post hæc edoctus, noli alijs in rebus incredulus esse; sed promissis meis fidem adhibe, proculdubio dandis executioni.*

28. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

28. *Thomas vbi vidisset, agnoscens faciem, & notam Domini vocem, iam plenâ fide conceptâ, exclamauit: Dominus meus, & Deus meus. Ad credendum fuerat quidem difficilior; sed nemo clariùs Deum & hominem professus est, testans verum hominem resurrexisse, & internâ conscientiâ diuinam virtutem agnoscens.*

29. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

29. *Amplexus est ideo Iesus Thomæ professionem, sed credendi difficultatem taxauit fatus: Thoma: quoniam vidisti me, & audisti, credis. Cæterùm beati erunt, qui cùm non viderint, credituri sunt; nobiliori quidem fidei documento.*

SECTIO PRIMA.

Thomæ incredulitas.

TEXTVS.

VERS. 24. THOMAS autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. 25. Dixerunt ergo ei alij Discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

COM

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Thomæ Absentia.

1. *Thomas vnus ex Duodecim tunc quomodo?* THOMAS *autem vnus ex duodecim.*] Aliam Discipulis factam à Domino post resurrectionem apparitionem Euangelista describit: cuius occasio fuit Thomæ absentia. Thomas hic vnus erat è duodecim. An non soli iam vndecim, Iuda damnato? Ita planè, sed vnus ex duodecim institutis Apostolis appellatur. Caietanus. *Vnus erat ex duodecim non existentibus; sed institutis: vndecim enim tantùm tunc erant; sed quilibet erat, & vocabatur vnus ex duodecim institutis Apostolis.* Caiet.

2. *De duplici nomine Thomæ idem significante.* *Qui dicitur Didymus.*] *Didymus* apud Græcos idem significat, quod *Thomas* apud Hebræos, Latinè *Geminus*, aut Gemellus, qui vnà cum altero ex vtero nascitur. A Græcis ille Didymus dicebatur, propter nominis Hebræi significationem; ab aliis autem appellabatur Thomas. Ioannes ideo: *Thomas, qui dicitur Didymus*, non vt nominis Hebræi significationem explicet Græco vocabulo, sed quia sic à multis tunc temporis appellabatur. Ideo etiam cap. 11. & sequenti apponit Ioannes, *Qui dicitur Didymus.* Vnde non approbo Toleti sententiam, quo capite innuit Ioannem apposuisse: *Qui dicitur Didymus*, vt etiam nominis Hebræi significationem Græco vocabulo explicaret, quod in aliis non facit Apostolorum nominibus.

3. *Quare Thomas non aderat?* Chrysost. Euthym. *Non erat cum eis quando venit Iesus.*] Nō aderat Thomas cum reliquis Apostolis, illa prima die cū apparuit eis Dominus: eáque causa factū, vt Christum cum reliquis non videret. Cur autem abfuerit? Chrysostomus hom. 83. Quia à fugâ nondum redierat, facta quidem, quando captus Dominus. Contestatur Euthymius. Improbabilem tamen puto hanc sententiam, quia Luc. vlt. mulieres à monumento reuersæ cuncta illa, quæ viderant dicuntur, & vndecim Discipulis, & eis, qui cum illis aderant, nunciâsse. Aderat ergo Thomas à fugâ reuersus.

4. *Auctoris sententia.* August. Respondeo veriùs cum Augustino lib. 3. de cons. cap. 25. & aliis adfuisse Thomam post fugam cum reliquis Apostolis; tamen aliquâ de causâ tunc exiisse. An non duo ex Discipulis illâ ipsâ die abierant in Castellum? Nisi apparuisset eis primò Dominus, nullatenus cum Apostolis, quando apparuit Iesus, fuissent inuenti, quia scilicet non tam citò rediissent.

5. *Soluit hinc grauem difficultatem.* Hinc grauem soluo difficultatem: Ioannes namque videtur à Luca dissentire. Negat Ioannes adfuisse Thomam quando primò Dominus apparuit; Lucas autem asserit reuersos illos duos è Castello Discipulos vndecim congregatos inuenisse, & narrâsse, quonammodo in viâ eis Dominus apparuisset. Dum autem hæc loquerentur, in eadem hora apparuit eis Dominus. Erat igitur ibi Thomas. Respondet Euthymius in numero vndecim Matthiam eòm putari Euthym. nam licèt non esset illo tempore Apostolus; erat tamen quando hæc Lucas scripsit. Aderat igitur tunc Matthias non quidem Apostolus; sed postea electus. Vnde *erant congregati vndecim Apostoli, qui nunc Apostoli sunt.* Duram arbitror expositionem, quia numero hoc: *Vndecim illi*, qui, Iudâ discedente, manserunt, semper in Euangelio appellati sunt. Faciliùs respondeo duos Discipulos è Castello reuersos pluribus vsos verbis, quibus narrârunt, quæ gesta erant in viâ, vnde Thomas fortasse somnia putans, non expectatis omnibus recessit. An non aliquando, cum narrata sunt aliqua, queis fidem non adhibebas, multiplicabantur dum verba, recessisti; sermonem inchoatum, reliquis audientibus, deserens? Mecum Augustinus tract. 121. Addit Gregorius hom. 26. in Euang. Dominum permisisse Thomam abesse propter nostram vtilitatem; ex eius enim dubitatione in resurrectionis fide confirmamur. August. Gregor.

§. II.

Thomæ incredulitatem expendo.

DIxerunt ergo ei alij Discipuli: Vidimus Dominum.] Quo tempore reuersus est Thomas? Incertum planè. Probabilius reputo paulò post Domini recessum venisse, & illa eadem nocte vnà cum aliis mansisse, qui rem totam cum ingenti animi lætitia, ignoranti ex absentiâ narrauerunt. Vidimus, inquiunt, Dominum resurrexisse. 6. *Quo tempore reuersus?*

Ille autem dixit eis: Nisi videro, &c.] Sine rationabili causâ credere, leuitatis est, ſante Sapiente: *Qui citò credit, leuis est corde.* Ecclesiast. 19. At causis, & argumentis rationabilibus credendi adhibitis, fidem non habere, est pertinaciæ. Audierat Thomas, & testimonium acceperat Dominicæ resurrectionis à Magdalenâ, à mulieribus, à Petro, à duobus Discipulis, à decem Apostolis, cæterisque simul Discipulis: audierat à Christo: *Post tres dies resurgā*; nec tamen credidit. *A pertinaciâ* (ait Tolet.) *excusari incredulitas eius nullâ ratione potest.* 7. *Pertinacia non credendi.* Eccles. 19. Tolet.

Nisi videro, & mittam digitos & manus.] Vos citò credidistis resurrectioni, quia vidistis. Oportebat immittere digitum in loca clauorum, & manus in latus. *Monstrat*, (adnotat Caietanus) *audisse se à Discipulis, quòd non remanserat obducta exteriùs in superficie manus cicatrix claui, sed profundum interius foramen, secundùm figuram claui, in quod foramen posset mitti digitus: Similiter de latere, &c.* An non superbia fuit, imprudentiæ & leuitatis Discipulos omnes arguere? Num non in Christum irreuerentia, se indicare dignum, qui digitum, & manum in loca clauorum & lanceæ immitteret? An non satis digitum in locum vnius claui mittere? *Et mittam digitum in loca clauorum*, & insuper manum etiam in latus. Imò non alterius manus digitum in latus, aut manū vnam, sed digitum & manum. Cur tam exactè Euangelista 8. *Amplius expenditur incredulitas.* Caiet.

gelifta morbi defcribit grauitatem ? Non quidem vt Thomam notâ infaniæ inurat; fed vt Domini refurrectionem confirmet, & Medici clementiam virtutémque in fanando exponat.

9. *Quibufnam rebus Thomas fidem non adhibuit?* Ambros. Enim verò quænam funt illa, quibus Thomas fidem habere recufauit? Ambrofius afferit non dubitâffe de refurrectione; fed de refurrectionis qualitate. Credidit refurrexiffe; fed cum ianuis claufis intrâffe audiret, & vulnerum cicatrices geftare, id non credidit. Non placet, quia Apoftoli afferentes fe Dominum vidiffe, de refurrectione quidem, non de qualitate loquebantur. Chryfoft. Euthym. Chryfoftomus & Euthymius affirmant nec credidiffe Thomam refurrectionem, nec poffibilem exiftimâffe. Improbabilis fententia mihi, cùm, Thomâ præfente, Lazarus è fepulchro prodierit. Quamuis enim non cognofceret Chrifti potentiam, & ideo feipfum refufcitare poffe non crederet; potuiffe à Deo *Authoris folutio.* Origen. fufcitari quomodò valeret abnegare? Refpondeo itaque cum Origene lib. 2. contra Celf. Thomam non negâffe, Difcipulos vidiffe, quod affirmabant; fed illum, quem viderunt, fuiffe Chriftum in corpore fuo vero fufcitatum. Sciebat enim animas aliquando apparere in corporibus, & quafi proprias voces efformare; & tamen non effe vera corpora, fed apparentia: nec veram, fed apparentem effe refurrectionem. Talem exiftimabat ille Chrifti refurrectionem: ideo fe velle tactu ipfo corporis veritatem comprobare afferebat. An non cuncti anteà Difcipuli *exiftimabant fe fpiritum videre*, audieruntque: *Palpate, & videte, quoniam fpiritus carnem & offa non habet.* Luc. 24. Haud aliter *Thomas affentiebatur narrantibus fe vidiffe Chriftum,* (loquor cum Origene) *quafi non nouum effet confpici defuncti animam. Cæterum, vt eum refurrexiffe in proprio corpore crederet, id non poterat in animum inducere. Quapropter non dicit folum, Nifi videro, non credam; fed adiungit illa verba; Nifi mifero manum meam in veftigium clauorum, &c. non credam. Hæc autem dicebat, quia arbitrabatur, fieri poffe, vt oculis fe offerret corpus per omnia depofito fimile, &c.* Plura Doctor,

Vndenam autem Thomæ incredulitas habuit ortum? Credo & ex parte intellectûs, & ex parte affectûs. Ex parte intellectûs, quia non credebat Chrifti Diuinitatem? Si enim credidiffet Filium Dei verum; qui mortuus fuerat, facilè audiens refurrectionem; credidiffet. Ex parte affectûs triftitiâ & dolorem affigno, quia nón adfuit cum reliquis quando Dominus apparuit. Scio Chryfoftomum ad craffitiem mentis retuliffe, fatum: *Præter modum inquirere, & inueftigare, craffiffima mentis eft: ideo Thomas accufatur.* Sed non videtur conftans hæc doctrina, cùm ex aliis caufis incredulitas oriatur. An non ex fuperbiâ procedit aliquando? Superbus, ne alteri cedat, & minùs illo fapere videatur, mauult quæ alter affirmat probata non credere. An non ex odio & inuidiâ prouenit? Sæpè bona argumento probabili confirmata, homo fibi minimè perfuadet de eo, quem odio, aut inuidiâ profequitur. 10. *Vnde orta incredulitas Apoftoli* Chryfoft.

Quale ergo Thomæ delictum? Infidelitas fuit, quæ fidei diuinæ opponitur; quod Chrifti fententia fignificat: *Noli effe incredulus, fed fidelis.* Ac fi diceret: Hactenùs incredulus, & infidelis fuifti. Cyrillus lib. 12. cap. 57. *Thomas in infidelitatis crimen incidit.* Auguftinus ferm. 159. de Temp. *Manus quærebat, & latus, & dum curiofus exiftit in vulnere, mortem incurrit in fide. Voluit Dominus vt videret, ne in incredulitate animam perderet.* 11. *Quale hoc crimen?* Cyril. Auguft.

Quæris denique, quandonam Thomæ (abfenti tunc) data eft poteftas prædicandi, & remittendi peccata, quæ cæteris Apoftolis data fuit primâ refurrectionis die? Cyrillus refpondet Thomam abfentem fimul cum aliis recepiffe. Quod probat exemplo Num. 12. Eldal enim, & Meldal acceperunt donum prophetandi vnà cum aliis feptuaginta fenioribus, quamuis abfentes fuerint in Tabernaculo Mofis: Manferant enim in caftris. Probabilis fententia. Attamen probabilius exiftimo, datam ei fuiffe, quando videns Dominum credidit, vt & fanctificatione, & infufflatione conferretur. Nec enim omnia ab Euangelifta fcripta funt. 12. *Quando data Thomæ prædicandi, & remittendi peccata poteftas?* Cyril. Num. 12.

In Thomam

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

EX IPSIVS INCREDVLITATE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Thomas autem vnus ex Duodecim, non erat cum eis, quando venit Iefus.

Non apparet Dominus Thomæ fingulari, fiue à reliquis Apoftolis abftracto, vt edoceat eum Indis gentilibus cæleftia dona communicare.

Vbi adnoto Euangelicum miniftrum à Deo dona cuncta accipere proximis communicanda.

Potvit Dominus fefe abftracto à Difcipulis Thomæ oftendere, quemadmodum Petro, & Magdalenæ fingularibus apparuerat; fed minimè id præftitit. An 13. *Thomas in communicans accipit Refurrectionis*

fidem, quam Iudæorum communitati perferat. Bernard.

An vt singularitatis se osorem ostenderet? Bernardus serm. 6. de Ascen. *Hinc colligitur eos Dominum non videre, qui singulares sunt. Hinc ergo discamus vitare singularitatem.* Sed & Petrus, & Magdalena singulariter lamentabantur. Profectò contemplari lubet ideo Dominum Thomæ à Discipulis abstracto non apparuisse, vt edoceret eum cælestia bona communicanda. Et cur solus Thomas id edocetur? Petrus quidem & Iudæis, & Gentilibus vicinioribus concionaturus erat. At Thomas Gentilibus rudissimis longè dissitis Apostolus eligitur. Cum autem difficillimum esset institurum, Æthiopes affectu excipere paterno, æquora tranare, in incognitas deferri Regiones, edocet specialiter Thomam Dominus cælestia munera haud ei singulariter expendi; sed vt Gentilibus filiis ipse proferat. Resurgentis Iesu muneribus donatur communitati addictus, vt cognoscat resurrectionis fidem à se communitati Gentilium exponendam.

14. *Samaritana fœmina agē concionatorum personā in conspectu viri accipit aquam viuam, quam Gentilibus potandā deferat.* Ioan. 4.

Christus Gentes aquâ cælesti potaturus, adit Samaritidem fœminam, cui aquarum fluenta manifestaturus, ait: *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et cum illa potari petiisset: *Domine, da mihi hanc aquam*, Dominus eam ad communitatem instruendam immisit: *Vade, voca virum tuum, & veni huc.* Ioan. 4. Non solum virum ad Dominum, sed & Gentilium ingentem cœtum adduxit. Et cur, ô Domine, me singularem cœlesti munere non donâsti. Te elegi fidei ferculum ad Gentiles, ideo communitati addici curaui, vt ediscas te fidem non tibi, sed Gentilibus communicandam accipere. *Voca virum tuum* (loquor cum Chrysostomo) *ne spiritualium horum bonorum gratiam sola accipias.* Accipe viro colligata, vt ex bonis tibi non solitariæ, sed in conspectu viri constitutæ communicatis, edoceare te electam, vt multis Gentilibus fidem acceptam communicādam perferas. Haud aliter Thomas resurrectionis fide donandus, ad Apostolos redit fratres, accipiénsque communiter donum, edocetur, Gentilibus despectis allaturum.

Chrysost.

15. *Virgo desponsata accipit Verbū, quod ad Ægyptum ad latura est.* Luc. 1. Athan.

Gabriel nunciaturus Verbi Incarnationem immittitur *ad Virginem desponsatam viro.* Luc. 1. Vbi Athanasius Epist. ad Epitec. *Gabriel ad eam ipsam legatur, neque simpliciter ad quamuis Virginem, sed Virginem desponsatam viro.* Cur Deus prouidit desponsatam Mariam Verbo incarnando donari? An non aptiùs arcanum cæleste à sola Virgine, à singulari turture custodiretur? Certè Dominus Virgini datur non sibi soli, sed & Gentilibus etiam salutaris. Immittenda enim Virgo, nubes vtique leuis, in Ægyptum, deserta cælesti rore fœcundatura: vnde non solitaria, sed Iosepho sponso adhærens hoc munus accepit, vt edoceatur non sibi sed Gentilibus communicandum excepisse. Damascenus Orat. 1. de Nat. Mar. *Deum habebis, vt Orbis vniuersi saluti administram te prabeas.* Vnde non soluta; non accipis solitaria; *Sed desponsata viro.* vt ediscas tantum munus communitati præparari. O Thoma singularitatis fuge prætextum, ad Apostolos redi. munus accipies fratribus colligatus ad Gentilium communitatem, difficillimo tramite, deferendum. Ediscat Euangelij minister dona accipere proximis egentibus communicanda.

Damasc.

Observatio II.

Ad illa verba:

Dixerunt ei alij Discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro, &c. non credam.

Excusatur Thomæ incredulitas, quia de resurrectionis gloriâ agebatur.

Difficillimè enim alienæ fælicitatis testimonio fidem adhibemus.

Difficilè admodum vel oculis credimus alienam gloriam: quid mirum Thomam de resurrectionis triumpho dubitâsse? Non omnino excusabilem expono, sed eo ex capite haud difficili veniâ afficiendum adnoto, quod aliena gloria fere incredibilis hominibus obiiciatur. Si credenda Thomæ ab Apostolis Crucis mors proponeretur, mox intellectus non firmæ testificationi assentiret: Proculdubiò Cruci suffixus. Ast resurrectionis gloriæ non tam adnatum hominis credulitas præbet assensum. 16.

17. *Testibus miraculosis eget Resurrectionis gloria, vt credatur. Vnde haud mirum Thomā dubitasse.* Act. 1. Hugo Card.

Christus Apostolis, *Accipietis*, inquit, *virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæâ, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Act. 1. Premo illud: *Eritis mihi testes.* Cuiusnam gesti? An opprobrij Crucis? Profectò resurrectionis gloriæ. Hugo, *Eritis mihi testes resurrectionis.* Et quare non simul passionis opprobrij? Quia ignominia viri omnibus credibilis obiicitur; at gloria testibus indiget, vt credatur. Imò testibus, qui editis miraculis ferant testimonium. Vnde addidit Cardinalis, *Eritis testes resurrectionis, verbo, & exemplo, & signis.* Quare excusabilis quodāmodo Thomas, qui non soli verborum testificationi fidem adhibebat circa resurrectionis triumphum.

18. *Ioannes testimonium de Resurrectionis lumine laturus immittitur.* Ioan. 1.

De Ioanne præcursore sic Euangelista: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Ioan. 1. De quonam lumine Ioannes testimonium perhibuit? Certè de conctis Iesu egregiis facinoribus, de Transfiguratione, Resurrectione, remittendi peccata potestate, & aliis miris lucidissimis, quæ Christus vti Dei Filius suscitauit. Horum testimonium Ioannes tulit, dum ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi, cuius non sum dignus, &c. Qui post me venit, ante me factus est.* Et quare specialiter de lumine perhibet testimonium, & non simul de Solis defectu, id est, de passionis tenebris? Rupertus. *Quo indigebat lux hominum, vt tantopere sibi prouideret tam magni praconij testimonium?* Imò quia præclara est lux, quia egregia sunt & coruscantia gesta, testimonio indigent, vt credantur. Tam arduum est laudi, & encomio alieno fidem homines exhibere.

Rupert.

Quid

Chrysolog. Quid mirum, Thomam solis iustitiæ fulgentissimam resurrectionem (sic Chrysologus aduocat) non facilè credidisse.

19\. *Tam pronus homo ad non credendum cum de proximo magnalia proferuntur, vt de resurrectione dubitare Thomam, idem sit ac illam asfirmare.* Matth. 11.

Pone aliquem de resurrectione Dominicâ dubitare. Eo ipso illam affirmare videtur: quia vel de alienâ gloriâ dubitatio, euidētia quidem est, ob eam, quâ homines ad credenda aliorum egregia adducuntur, difficultatem. Ipse Ioannes *mittens duos ex Discipulis* ad Saluatorem, ait: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Matth. 11. Aliqui verbum *venturus* ad Iudicium extremum alliciunt; alij autem ad resurgentis in corpore glorioso aduentum, cùm à sepulchro proditurus esset:' mysterium quidem, quod meritò fidei fundamentum vocitatur à Patribus. Christus non directè respondet. *Euntes renunciate Ioanni, quod vidistis: Cæci vident, &c.* Et cur dubitationi circa resurrectionem non satisfacit Saluator? Profectò quia Ioannes minimè dubitabat. Dubitare enim de gloriâ cuiusque, idem prorsus, ac illam affirmare. Tam adnatum hominibus, incredulos sese circa gloriam resurrectionis exhibere. Hinc efficacius Thomam excuso, de quo Patres Obseruatione proximâ citandi, asserunt solummodò *dubitâsse*, non negâsse absolutè. Si qui dubitat de resurrectione, affirmare videtur; dubitans Thomas, illam proculdubio Saluatoris gloriam affirmauit. Nec enim Ioannes dubitare visus, ideo est reprehensione afficiendus. August. & alij.

Observatio III.

Ad illa verba:

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. non credam.

Omnino Thomas ab incredulitatis suspicione liberatur.

Vbi innuo, quonammodò proximi defectus sint inaurandi à rectâ intentione.

20\. SCIO planè Thomam haud dedecore affectum ex incredulitate obiici, quam tam egregiâ confessione obliterauit. Sed tamen in tantæ Apostoli sanctimoniæ gratiam omnino eum ab incredulitatis suspicione liberare contendam.

21\. *Vox Thomæ inquisitionem, non negationem obiicit.* August.

Nisi videro, ait, *in manibus eius fixuram clauorum, &c.* An negauit resurrectionem? Profectò vox hæc non negationem, sed inquisitionē Augustino intulit. *Vox ista* (inquit Tract. 121. in Ioan.) *inquirentis est, non negantis. Dum hoc diceret, edoceri voluit, confirmari desiderauit.* An vitio vertendum Ioanni interrogâsse: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Matth. 11. Minimè, quia Discipulos instrui curabat; vnde non erat vox negantis, sed inquirentis. Matth. 11.

22\. *Ideo tam benigniter Dominus Thomam instruit.*

Cognouit id Christus respondens benignè Discipulis: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis.* Matth. 11. Nec tam benignè, reor, respondisset, nisi affectum interrogantis & inquirentis, vt instruerentur in ipso Discipuli, agnouisset. Huc refero Iesu ad Thomam suauissima verba: *Infer digitum tuum huc, & cognosce loca clauorum.* Instruit certè Discipulum quærentem, non reprehendit dubitantem, aut negantem. Augustinus pulchrè. *Confirmari Thomas desiderabat, & ideo Dominus ad eum ait: Infer digitum, &c. Dum benignum præbet Veritas moderata responsum, in Apostolo suo non dubitationis vitium, sed sollicitudinis instruxit affectum.* Matth. 11. August.

23\. *Laudabilis dubitatio Thomæ, quia communitati instruendæ dubitauit.*

Adde ideo à Patribus non modò non taxabilem; sed & laudabilem Ioannis fuisse inquisitionē asseri, quia non sibi prouidens, sed communitati Discipulorum suorum dubitantium, instruendum se, dubitantis exhibuit specie: *Tu es, qui venturus est?* Existimo (haud aliter) Thomam egisse Gentilium cunctorum incredulorum causam: non propriæ dubietatis curauisse instructionem. Augustinus ad hæc, *Accedit, quod in his Apostoli verbis Mundi vtilitas agitur. Vnius enim interrogatio Thomæ vniuersitatis* (Gentilium Discipulorum) *est instructio.* Matth. 11. August.

24\. *Prouidit deuotio & pietas Thomæ, vt nec impietas Iudæorum de Resurrectione Domini dubitaret.* Chrysolog.

Illustre do Petri Chrysol. serm. 84. testimonium. *Cur Thomas vestigia fidei sic requirit? Cur tam piè patientem, tam durè discutit resurgentem? Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, deuota dextera sic resulcat? Cur latus, quod impij militis lancea patefecit, refodere manus mittitur obsequentis? Cecidit potestas diaboli, patefactus est carcer Inferni, disrupta sunt vincula mortuorum, surgente Domino tota est mutata conditio. Et cur solum, Thoma, tibi sola vulnera præsentari ad indicium fidei, nimis callidus explorator expostulas?* Credo, quia curauit Apostolus, non solùm Gentiles instructe synceritate ingenuâ præditos; sed & Iudæos perfidos vulnerantes Dominum, ipsorum vulnerum argumento conuincere. *Quæsiuit Thomæ pietas, exegit deuotio,* (adiicit Chrysologus) *vt resurrexisse Dominum, nec ipsa in posterum dubitaret impietas Iudæorum.* Neque solum Iudæorum, sed etiam Gentilium fidem procurabat confirmari. *Sed Thomas* (inquit Præsul Rauen.) *omnium hominum curabat incertum. Et prædicaturus hæc in Gentibus, quemadmodum tanta fidei astrueret sacramentum, exequutor strenuus perquirebat.*

25\. *Se Thomas Prophetam hodie ostendit.* Chrysol.

Profectò dum illam expendo particulam: *Nisi videro fixuram clauorum*; & illam: *Et mittam manum meam in latus eius*, magis Prophetam commendo Thomam, quàm taxo incredulum. Vndenam enim dignouit, seruatis vulnerum cicatricibus Dominum surrexisse nisi prophetico afflaretur spiritu? Chrysologus citatus, *Certè prophetia magis, quam cunctatio fuit. Nam cur talia peteret, nisi à Domino ad indicium Resurrectionis sua seruata sola vulnera prophetali spiritu cognouisset?*

26\. *Prodiit sententia illa: Nisi videro, &c. ex desiderio videndi, quod vtilius prædicaret.* Metaph.

Non quidem illa verba: *Nisi videro, &c.* ex pertinaci errore prodiisse existima; sed ex desiderio videndi, quod oculatus testis posset vtiliùs prædicare Gentibus remotissimis. Audi Apostolos è Metaphrasti Sore. *Non te pudere efficiunt, ô Thoma, & ad fidem attrahunt præcedentium ingentes turbæ miraculorum? Leprosus mundatus, Paralyticus integris membrorum compagibus restitutus, Cæcus videndi facultati redditus, & Lazarus sepulchrum exuens*

tanquam

tanquam vestem? Quomodo cuius admiraris opera, eius suspectam habes Resurrectionem? Non credat Cayphas, curiosè scrutetur Nicodemus, calumnietur Iudæus, cur dubitat Thomas? Sic Apostolus respondet obiectioni. *Contra, Discipulus videtur dicere iustiora. Cur mea dubitatio a vobis reprehendenda, ô Apostoli? Emittor ad docendas Gentes Resurrectionem. Quomodò ergo, quibus non fui socius spectaculi, suscipiam æquè ac ipsi videntes, legationem? Quomodò quorum non habeo cognitionem; ea docebo alios?* Dubitans igitur in morem arguentis discipuli, propono quæstionem, vt ab ipso Magistro veritatis instructus, aliorum Doctor, & instructor exurgam.

17. *Christus cumulatiorem doctrinā sigillatim Thomæ tradere ad Indos immittendo. Metaph.*

Ipse Dominus immissurus Thomam ad Indos, curauit ei vberiorem doctrinam Resurrectionis tradere, dum absentem tunc cælesti prouidentiâ, postmodum solum edocturus apparuit. *Sed Saluator* (addit Metaphrastes) *cum sui spectaculo impertiuisset* (seu donâsset) *Apostolos, recessit protinus.* Cur Thomæ aduentum proximum non expectauit; sed protinus recessit? *Perfectiorem contemplationis visionem Thomæ amico, vt videret, reseruaas.* Amicus Thomas etiam cum se dubitantem obiicit? Ergo piè dubitationem præ se tulit. Vberiùs instruitur, quia circa fidei prædicationem difficilior ei Prouincia commendatur.

28. *Orta cunctatio illa: Nisi videro, &c. ex lætitia ineffabili. Metaph.*

Quid si quæstio, seu cunctatio illa: *Nisi videro, &c.* ex ineffabili lætitiâ ortum duxisset? Assolet, qui circa effectum aliquem maximè afficitur, cum nunciatur ei, quod cupiebat, sese incredulum ostentare. Vulgariter expono: *Desseaua tanto el bien, que le tengo en las manos, y no le creo.* Pulchrè Metaphrastes, *Cum Discipulis venisset in mentem, Thomæ dicere: Vidimus Dominum. Ille propter id, quod audiebat, lætitiâ affectus: quod fieri desiderabat, hoc factum esse audiens, non credebat. Solent enim ingentis lætitiæ exuberationes esse tardiores ad ea credenda, quæ dicuntur.* Vti in Iacobo de Iosepho superstite nuncium audiente demonstratur.

29. *Inuenit lætitiâ dissolutus Dilectum, quem amissum lamentabatur.*

Audite exclamantem Thomam: *Dominus meus, & Deus meus!* Et quare exclamauit, nisi vt amicis nunciaret, se dilectum, quem quæsierat, inuenisse. *Congratulamini mihi, quia inueni*, quem diligit anima mea. Laurentius Iustin. serm. de D. Thom. fatur, *Tetigit, & exclamauit dicens: Dominus meus, &c. Exclamauit vtique, vt cunctis notificaret, se, quod quæsierat, reperisse.* Ergo quæsiuit resurrectum, si se Inuenisse surgentem gloriatur.

30. *Inquisitoris fidei Thomas munus agebat ad hæresum eliminationem, Inquirit, non negat. Laurent. Iustin.*

Quam longè ab errore circa fidem, qui munus agit Inquisitoris? Curat Inquisitoris in morem Thomas cunctos fideles, erroribus eliminatis, in Resurrectionis fide confirmare. Vnde inquirit mysterij non substantiam, quam credebat; sed modum, quem non viderat, vti nos veraciùs Inquisitor Ecclesiæ contra hæreticam prauitatem instrueret. Bellè Iustinianus, *Hinc Thomæ non est redarguenda dubietas, quæ illum Inquisitorem fidei fecit esse sollicitum. Per ipsum quippè consummatæ Resurrectionis, & veræ Diuinitatis in Christo, certam sumus assecuti notitiam.*

31. *Non tetigit*

Solummodò Christi sententia illa: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, videtur Discipuli tanare dubitationem, aut quæstionem: *Nisi videro, &c.* Certè & ex his verbis commendabilis Thomas apparet. Primò enim non dicit Dominus, *quia tetigisti*. Credidit planè ex solâ visione, verè Christum proprio in corpore resurrexisse, nec veretur adesse phantasma. Reuerentia illa probat Thomam minimè incredulum. Augustinus, *Non ait Dominus: Quia tetigisti: sed, quia vidisti. Non ausus fuit Discipulus tangere, cùm se offerret ille tangendum.* Ac si diceret: Quæstionis gratiâ dixi. *Nisi misero digitum in locum clauorum*, non ex dubitantis pertinaciâ; si quidem cum tangendum sese Dominus obiecit, minimè digitum, aut manum admoui; sed videns confessus sum: *Dominus meus, & Deus meus.*

Thomas Dominum, cum professus. Ergo haud probauit verbum illud: Nisi mittam digitum, &c. August.

32. *Credidit illud, ac vidit. Gregor.*

Quia vidisti me, credidisti. Profectò credidit; sed aliud ac vidit. Videns enim humanum Dominum, Diuinum professus est. Gregorius pulchrè, *Aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit, & Deum confessus est: Dominus meus, & Deus meus.* Exponit hanc sententiam Theophylactus, *Dicendo: Dominus meus, humanam naturam; dicendo: Deus meus, Diuinam confessus est.*

33. *Non dubitat de Resurrectione, sed de eius qualitate. Ambros.*

Non omnino Thomam à crimine Ambrosius liberat; attamen valde imminuisse videtur. lib. enim 10. in Luc. ait, *Thomas non de Resurrectione Domini; sed de Resurrectionis videtur qualitate dubitâsse. Faciliùs credimus, quæ vidimus. Habuit admirandi causam Thomas, cùm videret, clausis ianuis, per inuia septa, corporibus inoffensâ compage, corpus insertum.* Edisce mitiùs proximi actiones interpretari, generosi, ac sancti animi esse. *verè loquantur Euangelista* (vtor verbis Chrysostomi) *quæ nam nec sua, neque aliorum vitia abscondunt;* Sed nos Sanctorum etiam errata inaurare curemus, quantum veritas sanæ intentioni permiserit.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. non credam.

Tam sanctus Thomas, vt eius Incredulitas pertinax iustitia à Patribus reputetur.

Vnde egregiæ sanctitatis gloriam contemplamur, quæ scit vel crimina operire, imò vt virtutes exponere.

Postqvam Thomas asseruit, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c.* Dominus ei apparens dixit, *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Audis Thomam incredulum & infidelem ex ore Dominico: & tamen audisti Augustinum, Chrysologum, Metaphrastem, Laurentium Iustin. & Gregorium tanti æstimantes Thomæ sanctitatem, vt perfidiam 34.

August. & alij

fidiam eius, quodammodo crediderint esse virtutem.

35. *Deorum crimina quid diuinum æstimabatur.* Nazianz.

Iouis, Veneris, Martis, & aliorum ex confictâ Gẽtilium Deitate crimina audiuimus; quæ tamen iam aliena mulri à reprehensione crediderunt, vt quid diuinum reputarint. Tanti habebant huiusmodi criminum authorum sanctitatem. Nazianzenus Orat. in sancta Lum. *Sed etiam quòd Deos vitiorum patronos effinxerint, vt peccatum non modò crimine careat; sed præclarum etiam, ac Diuinum censeatur.* Id Doctor speciatim in Mineruâ virginum Diuâ probat. Peperit hæc draconem ex dracone grauida, & post parturitionis infamiam, virginitatis decorem fingitur retinuisse Rursis Mineruа (inquit Orat. 2. in Iuli.) *Virgo est, & draconem peperit.* Tantæ enim æstimationis apud Ethnicos Mineruæ virginitas, vt & pariens & virgo celebretur.

36. *Petri negatio excusabilis, imò virtuosa quodammodo apparet alicui.* Matth. 26. Ambros.

Petrus Dominum abnegauit sæpè, etiam periurio addito, *Non noui hominem, &c.* Matth. 26. Apertè Christus abnegationem Apostoli prophetârat: *Prius quam gallus cantet, ter me es negaturus.* Abnegauit crimine graui admisso, siquidem ad Iesu respectionem egressus foras, amarè fleuit. Quodnam euidentius delictum? Et tamen lib. 1. vidimus Ambrosium tam benignè interpretatum esse negationem, vt quodammodò inter egregia facinora visa sit computanda. Tanti æstimabat Petri sanctitudinem, vt eius quasi ebrietas (sic fari liceat) sobrietas ab ipso putaretur. Senecæ recordor sententiæ

Senec.

lib. 1. de Tranquil. vitæ. Sic ille de Catone ebrietate correpto. *Catoni ebrietas obiecta est. At facilius efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem.* Petro quidem obiecta abnegatio, & verè. At tanta eius sanctitatis opinio, vt facilius efficiat, quodammodo quisquis obiecerit abnegationem esse fidelem, & sanctam, quam Petrum infidelem.

37. *Delictum Dauidis sanctissimi, honor virtutis quodammodo habetur.* Basil. Seleuc.

Notissimum planè Dauidis delictum. Impudicitiæ maculatus crimine addidit homicidium. Tamen Basilius Seleuc. Orat. 14. fatur, *Virtutem discamus & his honoratam, & in cælo coronatam.* Honorauit quidem Dauid virtutem. Et cur ad virtutem decorandam non elegit immaculatum Abrahamum, Isaacum, & Iacobum? Quodnam vitium magis famam deturpat, quàm impudicitia? Quomodo igitur asserit Doctor à Danide virtutem honoratam? Tanti ille æstimabat Dauidem, vt vel impudicitiam puritatem fuisse existimaret? Profectò tanta aliàs Dauidis virtus, vt ille defectus à magnitudine gloriæ obrui videatur. Fatur appositè

Nazian.

de Basilio Nazianzenus, *Tanta Basilij virtus, gloriaque præstantia fuit, vt multa etiam ex paruis illius virtutibus, atque adeo ex corporis defectibus, ab aliis ad gloriam, nominisque claritudinem parandam, excogitata sint.* Haud aliter Patres illos Thomæ defectus ad eius commendationem parandam excogitasse videntur. *Tanta Apostoli virtus, gloriaque præstantia fuit.* Edoceamur hinc egregiæ sanctitatis gloriam; quæ nouerit, non solùm crimina operire Diuorum; sed & virtutum speciem exponere.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c.

Non abnego Thomæ incredulitatem, non excuso; sed toti Ecclesiæ fidei vtilissimam fuisse confirmo.

Vbi innuitur ex peccatorum grauium permissione sæpè mirabiles effectus prodire.

PRÆMITTO D. Antoninum p. 1. tit. 6. cap. 10. fantem, *Thomas dubitans de Resurrectione Christi magis nobis profuit, quam Magdalena credulitas subita.* Quare? Magdalena quidem videns & audiens credidit; non autem tetigit. Prohibita enim à Domino fuit curans tangere resurgentem: *Noli me tangere.* Ioan. 20. Profuit quidem nobis Magdalena audiens & videns. At plus profuit Thomas audiens videns, & tangens, egregius planè testis Resurrectionis. Addit Florentinus Præsul, *Vulnus, vnim futura ambiguitatis, dũ palpantur Christi vulnera, de mente nostra amputauit, testis Resurrectionis Christi factus non solum per auditum, & visum; sed etiam per tactum* Si Magdalena obiecisset Domino tactum prohibente: *Nisi mittam manum meam in locum clauorum,* non credam te, ô Domine, resurrexisse, & tetigisset vulnera, non dubium quin testis irrefragabilior haberetur. Ast Magdalenæ contactus prohibitus est; vt testificationis huiusmodi gloria non fœmina; sed vir maximus Thomas donaretur. 38.

Thomas dubitans magis profuit Ecclesiæ, quam fuerit Magdalena credulitas, quia vidit, audiuit, & tetigit. Ioan. 20. Anton.

Quàm simpliciter Magdalena profitetur, *Rabboni Magister.* Ioan. 20 Quàm fortiter Thomas duplicat: *Dominus meus, & Deus meus?* Ex contactu enim non solum circa Resurrectionis fidem; sed circa Diuinitatis credulitatem confirmatur, ipso Thomæ nomine id præ se ferente. Quid Thomas Græcè nisi *Didymus*? quid autem Didymus nisi *Abyssus*, & *Geminus*? Abyssum Diuinitatis Thomas tangens, & geminam Christi naturam professus est. Antoninus, *Thomas testis Resurrectionis per tactum etiam factus est; & ideo Abyssus, & Geminus, quia geminam Christi naturam, & Abyssum Diuinitatis confessus est, dicens: Dominus meus, & Deus meus.* 39.

Quam fortius ex dubitatione Thomæ tangentis confessio! Ioan. 20. Antonin.

Cunctis Apostolis Dominus, *Eritis mihi testes in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Act. 1. Vbi aiebat Hugo Card. *Eritis testes Resurrectionis.* Et quinam testis aptior ad Resurrectionis gloriam proferendam vsque ad vltimum terræ, Thomas; an reliqui Discipuli? Thomas planè, qui dubitans tetigit resurgentis vulnera. Ergo plus Ecclesiæ incredulitas Apostoli nostri profuit, quam aliorum 40.

Profuit magis Thomæ incredulitas, quam credulitas Discipulorum. Act. 1.

Discipulorum

Greger. Discipulorum credolitas. Gregorius ad hæc, *Non casu gestum, vt electus ille Discipulus tunc deesset. Egit namque miro modo superna clementia, vt Discipulus dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret incredulitatis. Plus enim nobis infidelitas Thomæ ad fidem, quàm fides credentium Discipulorum profuit.*

41\. *Quodammodo videtur Dominus crimen Thomæ non solum permittere, sed velle, ob fructus ex ipso prouenientes.* Beda.

Premo illam particulam: *Egit namque miro modo superna clementia; vt Discipulus dubitans: Egit?* An non veriùs *permisit?* Quid cum voluntate & dispositione Domini crimini, circa quod Deus se solum permissiuè gerit? Tam vtile crimen illud Thomæ Ecclesiæ, vt quodammodò dispositum & volitum à Domino fuisse (quod verè solum permissum) videatur: Ideo Beda contestatus ait, *Quare Dominus voluit dilectum etiam Discipulum de suâ Resurrectione dubitare?* Adnota particulam, *Voluit*. Permisit quidem; sed voluisse dicitur quodammodo, vt innuatur, totius Gentilitatis fidem inibi esse à Domino operatam. Vnde respondet venerabilis Doctor quæstioni: *Propter nos Gentiles factum est hoc.*

41\. *Voluit non dubitare Thomam, vt voluit Iosephum dubitare.* Math. 1. Beda.

Iosephum vidisti de Deiparæ virginitate dubitantem? Vidi planè discessum meditantem à Virgine, ne cogeretur illam traducere. *Voluit occultè dimittere eam.* Matth. 1. Et cur dubitans Iosephus describitur, nisi vt edoctus mysterium, irrefragabilis Marianæ puritatis testis exurgeret? Haud aliter Thomas dubitat, vt testis egregius, omnique maior exceptione Resurrectionis exponatur. Sic Beda, *Voluit Discipulum de Resurrectione suâ dubitare; nec tamen in eadem dubitatione permanere: sicut voluit Matrem suam temporalem habere sponsum. Vt sicut Ioseph fuit integerrimæ virginitatis testis dubitando: ita iste Discipulus fieret testis dubitando, veracissimæ Resurrectionis.* Vtrobique quidem τὸ *voluit* apposuit, vt sicut voluit Iosephum dubitâsse, (quod sine criminis suspicione effectum) sic vellet potiùs, quàm permitteret in Apostolo, vt innuatur, aut dubitationem illam nullo fœdatam crimine; aut fœlicem, ob Ingentem Ecclesiæ vtilitatem, culpam induci, iuxta illud: *Fælix culpa, quæ talem, &c.*

43 *Circa huiusmodi permissionem maximè ex studio vsus est Deus, vt maximi fructus oborirentur ex illa.* Iustin.

Permissionem eam catholicè vocitandam scio, non Dei volitionem. At illud liberiùs affirmârim, circa huiusmodi permissionem accurato studio se Deum gessisse, quatenus ex ipsâ fructus vberes germinarent. Pulchre Laurentius Iustinian. serm. de Thom. *Hoc ad Pastoris regimen, hoc ad Magistri spectat ingenium. Maximo artis suæ studio Dei permisit sapientia, vt hic electus Apostolus dubius erraret in fide; non tamen minùs ad aliorum, quàm ad ipsius fuit maximum profectum.* Permissio quidem hæc; sed maxima diuinæ sapientiæ Dei arte excogitata. Vis fructus ex permissione huiusmodi proferam, dignos planè tam speciali Conditoris, permittentis incredulitatem, studio? Iustinianus idem. *Hæc est fides (* per Thomam *) perfecta merces, brachium perseuerantium in Christo, corona victoriæ, resurrectio futura, vita æterna, consummata fælicitas, hæreditas promissa, imperturbabilis pax, perpetuum Regnum.* Vt edisças criminum grauium permissionem sæpè mirabiles effectus delinquenti, & proximis parturire.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Non erat Thomas cum eis, quando venit Iesus.

Singulariter Thomæ potestas prædicandi & ligandi, soluendique crimina impenditur, vt innuatur, singularem ad Indos immittendum.

Vbi adnoto vnum Euangelij ministrum zelo animarum accensum, pro pluribus sufficere.

QVÆSIVI in Comment. quandonam Thomæ potestas prædicandi & absoluendi fuerit exhibita, si quidem absens fuit, quando reliquis Discipulis impensa? Respondi singulariter postmodum reuersum, ab apparente rursum Domino, accepisse. Confirmo ex Euthymio prosante, *Quamquam aberat Thomas; tamen per fratres Apostolos particeps & ipse fuit gratiæ insufflati in illos Spiritus sancti, sicut ait Cyrillus. Quidam tamen dicunt, quòd postmodum, postquam vidit manus, & latus Saluatoris, & circa Resurrectionem credidit; tunc accepit & ipse huiusmodi gratiam, vt in nullo horum inferior esset coapostolis.* Imò ex modo conferendi, ostendit Dominus, me iudice, cunctis esse quodammodo prælatum. Singulariter enim Prædicator eligitur, qui singularis ad Indos erat immittendus. 44. *Singulariter Thomas accipit prædicandi potestatem, vt innuatur singularem immittendo ad Indos.* Euthym.

Misit (aiebat Lucas) *illos binos ante faciem suam in omnem Ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.* Cap. 10. Binos reliquos Ecclesiæ Patres immisit. At Thomas singulariter, immittente Domino, pergit; quia tam difficilem viam solus ille arriperet, qui ex spiritus feruore clamabat. *Eamus & nos; & moriamur cum illo.* Cur Binos Dominus Discipulos immisit? Quia *væ soli.* Difficilis planè prædicationis via à binis Discipulis percurrenda, vt singuli societatis beneficio potiantur. Clamabat Sponsa, *Trahe me post te.* Canticor. 1. A te, ô Domine, ad proximos immitti efflagito. *Ite, ecce ego mitto vos.* Vna petit Sponsa, non sola immittitur: *Mitto vos.* Difficilis via à solitario ministro minimè percurrenda obiicitur. Ideo adiicit illa: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Ibidem. Ad quæ Bernardus serm. 42. in Canticor. *Non curram ego sola; & si sola me trahi petierim, current adolescentulæ mecum.* Dux enim Dominus non singulariter Discipulos mitti; sed binos incedere curat. *Misit ancillas suas.* Prouerb. 9. Sine Euangelij ministros Caietano authore, Vni Discipulo alter consiliarius, & excitator zeli addicitur.

45\. *Difficilis prædicationis via à reliquis Discipulis binis percurrenda, à Thoma singulari percurritur.* Cant. 5. Bernard. Prou. 9.

46. *Missi bini vt Resurrectionis mysterium in duobus testibus staret.* Luc. 24. Tertul. Adde immitti binos, vt Resurrectionis mysterium in duorum testium ore credibile cũctis exponatur. Post Dominicam Resurrectionem plorantibus fœminis, *Ecce duo viri steterunt secus illas.* Luc. 24. Et cur duo viri apparent? Tertull. lib. 4. in Marci. *Duo quidem Angeli apparuerunt, tot ferè laterensibus vti solebat, in duobus testibus consistens Dei sermo.* Ac si diceret, duo viri adstant, vt in duplici teste Resurrectionis veritas fœminis innotesceret. Difficilè planè mysterium non aptè vnius testimonio adstruitur. Venio ad Thomam.

47. *Solus Thomas, geminus cum sit, binum proficiscitur.* Anton. Antoninus part. 1. titul. 6. cap. 10. *Cùm Thomas prædicaret apud Cæsaream, apparuit ei Dominus dicens: Thoma, Gandopherus Rex Indiæ misit ad Ciuitatem istam Abanem procuratorem suum, vt conduceret ad eum virum peritissimum in arte architectoriâ ad construendum sibi palatium. Quid demum respondit: Deus meus es tu, & ego tuus seruus, fiat voluntas tua.* *Abanes igitur*, prouidentiâ Domini, *solum Thomam accipiens, secum duxit.* Et quare non binos Discipulos Dominus immittit? An non aptiùs Thomas socium sortiretur, cuius consilio dirigi posset? Resurrectionis mysteriũ ex ore duorum efficacius Gentiliũ mentibus infigeretur? Profectò solus Thomas pergit; sed qui gemino & ad consilium & ad testificationem robore polleret. Florentinus Archiepiscopus pulchre excogitauit. *Thomas idem est ac geminus.* Suo ipso nomine innuebat Apostolus binum immittendum, cùm solus proficisceretur; quia ipse virtute, constantiâ, sapientiâ, zelo, ac charitate geminus prædicatur. Edisce Domini in conspectu, vnius ministri feruore succensi actiones, pro operantium multitudine deputari.

SECTIO SECVNDA,

Thomæ Confessio.

TEXTVS.

VERS. 16. ET post dies octo iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. 17. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus. 29. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Apparitione Christi ad Thomam.

1. *Vbinam hæc apparitio facta?* Hieron. ET *post dies octo erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis.*] Vbinam hæc apparitio facta? Hieron. Matth. vlt. exponens illud; *Vndecim Discipuli abierunt in Galilaam*, existimat apparitionem hanc non in Ierosolymâ, vbi prior fuit; sed in Galilæâ factam. Censeo apud Ierosolymam Dominum Thomæ apparuisse, vbi primò cæteris Discipulis apparuerat. Allicior ex narrationis vniformitate: Congregati erant omnes simul in vno loco, ianuis clausis. Nec enim erat, cur ianuis clausis in Galilæâ, & omnes simul congregati essent, cùm maiore inibi securitate potirẽtur. Addo, quia cum omnes ex præcepto Domini in Galilæam essent profecturi, oportebat hoc mandatum etiam Thomæ constare, vt vna cum cæteris proficisceretur. Nec mirum octo diebus eos apud Ierosolymam mansisse, Christi persecutoribus cuncta obseruantibus, quæ fiebant, & timentibus adhuc Discipulis.

2. *Pertinacia* *Et post dies octo.*] Non possum hic non Thomæ pertinaciam incredulitatis taxare, non ad horam, aut diem increduli; sed per octo integros dies perseuerantis: imò diutiùs persistere, si Dominus distolisset aduentum. At vberior clementia, & in suos amor, extitit Saluatoris, qui propter vnum, & hunc incredulum, iterum dignatus est apparere, vberioráque suæ Resurrectionis argumenta facere. *Thomæ magna, sed maior pietas Resurgentis.*

3. *Apparitionis circumstantia.* *Iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus, ianuis clausis, &c.*] Octauâ ergo Resurrectionis die, Discipulis domi vnà cum Thoma congregatis, clausis ianuis, iterum Dominus apparet, & in medio eorum stat, solitâque sua pace eos salutat; vt adhuc in hac repetitione similis apparitionis idem esse Dominus agnoscatur. Cur autem dicitur: *Post dies octo?* Existimo, quia ad occasum octaui diei, & in eius fine apparuit; non autem quòd in non odie apparuerit. Ad illam particulam: *Pax vobis*, adnotat Caietanus, *Similiter & iam tertiò salutat Discipulos imprecando eis pacem; vt Christianorum corda toties repetita pax penetret.* Caiet.

Edocens quidem doctrinam sæpè expressam efficacius cordi adhærescere.

§. II.

§ II.

De Thomæ Confessione.

4\. *Apparitio hæc in nostrā, Thomæque vtilitatem facta.* Caiet. DEinde dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, &c. Non requisitum* (ait Caietanus) *offert Discipulo incredulo, quod quæsierat, simul monstrans se (quamuis absentem) nosse quæ dixerat Thomas, & suauissimum se esse satisfactorem desiderijs Discipulorum.* Scio te, ô Thoma, dixisse ex incredulitate: *Nisi mittam digitum meum in loca clauorum, & manum meam in latus, non credam.* Fiat quod dixisti, mitte digitum, mitte manum, vt à tantâ incredulitate recedas. *Tolet.* *Non erat opus* (Toletus adnotat) *Christo iterum apparere, vt Thomæ suam persuaderet Resurrectionem: multòque minus se ei exhibere palpandum, qui solâ voluntate, saxea hominum corda emollire, & cæcas illuminare mentes poterat. At Dominus propter nostram instructionem id effecit: Similiter propter ipsius Thomæ vtilitatem. Tantâ enim Domini clementiâ confusum fuisse, magnamque, & profundam humilitatem concepisse, certum est.*

5\. *Conuincitur Thomas, & reprehenditur.* *Et noli esse incredulus, sed fidelis.*] Feci, quod meum est, dum me palpādum exhibeo; fac ergo, quod tuum est, & noli veritati resistere; sed ad fidem cor tuum conuerte. Miro Dominus in admonendo vtitur artificio. Priùs veritatis adhibet argumentum, & postea reprehendit. An capax admonitionis, qui veritatem non concepit? Minimè. Propterea Paulus priùs peccantem ex ignorantiâ censet peccati conuincendum; & postea increpandum. *2. Tim 4. Chrysost.* *Argue, obsecra, increpa.* 2. Timoth. 4. vti Chrysostomus adnotauit.

6\. *Vis particulæ Noli.* *Noli esse incredulus.*] τὸ *noli* voluntariam eius incredulitatem ostendit. Ac si diceret, Incredulus fuisti hactenus, quia voluisti: habebas namque vnde credere posses. Non credidisti, quia noluisti. At modò noli iam incredulus esse, quando argumenta suppetunt, quæ tu ipse petiisti. *Tolet.* Adnotat Toletus in Græco sermone concinnitatem quandam habere sententiam, ex verbi similitudine. *Ac si Latinè diceremus: Noli esse infidelis, sed fidelis.* Est quidem Hebraismus affirmatione, & negatione simul eandem rem exprimere. *Caiet.* Caietanus autem aduertit, *directè Dominum respondisse ad id, quod dixerat Thomas; Non credam.*

7\. *Profitetur Christum hominem & Deum.* *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.*] Recognoscens Thomas vulnera, humanitatem; attendens Domino cognitam incredulitatem suam, Diuinitatem professus est. *Theoph.* Theophylactus, *Dominum propter humanam, Deum propter diuinam naturam dixit. Suum* autem ex affectu magno appellat: *Dominus meus, & Deus meus*, vti affirmat Ambr. ad Ps. 43. *Ambros.* Nō credidi (Thomas ait) priùs, quia te esse Deum meum nesciebam. At nunc credo te esse Deū, quia resurrexisse te video. Priùs, quia non credidi tuam diuinitatem, negabam Resurrectionem; at nunc videns Resurrectionem, tuam veram Diuinitatem profiteor. Affirmat hisce verbis Apostolus, non solùm Christum resurrexisse, sed seipsum suscitâsse. Dum enim eius Diuinitatem credit, & confitetur, à se ipso suscitante surrexisse affirmat. *Hilar.* Sic Hilar. lib. 7. de Trinit. & Ambros. in Psal. 43.

8\. *Num confessus Thomas statim ac vidit.* *Respondit Thomas, & dixit, &c.*] An Thomas credidit, confessúsque est statim ac vidit, tactu non expectato? Ait Dominus, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Non autem additum: Quia manum in loca clauorum intulisti, aut in latus meum. Ergo statim ac vidit, tactu non expectato, credidit. *Euthym.* Hac ratione ductus Euthymius existimat prius quàm tangeret, credidisse. Refert hanc sententiam Augustinus tract. 121. nec refutat. Probabilius tamen puto Thomam tetigisse, & post tactum credidisse. Hoc enim factum, vt argumentum efficax veræ Resurrectionis omnibus relinqueretur. *August. Post tactum credidisse vero. Hilar. & alij.* Ita Augustinus citat. Tertullianus lib. de animâ cap. 28. Hilarius lib. 3. Trin. Ambros. Psalm. 43. & 47. Cyrillus lib. 12. cap. 58. Gregor. hom. 26. in Euangel. Cur igitur Dominus non dixit: Quia tetigisti me, Thoma, credidisti; *sed quia vidisti me?* Verbum videndi in sacris pro quacumque sensatione accipitur. *Cunctus populus videbat voces.* Exod. 20. *Exod. 20. Mar. 15.* *Vide in quantis te accusant.* Marc. 15. *Infer digitum tuum, & vide,* (inquit nunc Dominus.) Non iubetur Thomas inferre digitum, vt videat oculis; sed vt tactu experiatur. Mox adiicitur: *Quia vidisti me, credidisti.* Id est, quia vidisti, digito, & manu admotis in vulnera, seu tetigisti, & expertus es, me surrexisse, ideo credidisti.

§. III.

De correptione incredulitatis.

9\. *Sententia expenditur.* Caiet. D*Icit ei Jesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti.*] Iuxta præfatam expositionem, Quia sensibus tuis expertus es meam Resurrectionem, credidisti. Caiet. confirmans, ait: *Cum non videamus digitis, dicendo: Vide, intendit euidenter, Cognosce. Frequenti enim vsu videre appellamus, euidenti notitiâ cognoscere, quocumque sensu, quocumque actu interiori animi euidenter cognoscamus. Perinde dictum est: Vide manus meas, ac si dictum fuisset: Euidenter cognosce manus meas. Ex illis autem verbis: Quia vidisti me Thoma, credidisti, apparet, quod Thomas tetigit foramina, ad quod inuitauerat ipsum Iesus dicendo: Vide. Eodem enim verbo vtitur, dicendo: Quia vidisti; hoc est, quia euidenter cognouisti, me esse eundem.*

10\. *Commendabilis, & taxabilis Thomas obiicitur.* *Quia vidisti.*] Ne se tantâ confessione Thomas extolleret; sed in humilitate potiùs contineret, respōdit Dominus: Vera est tua fides, laudanda, ac probanda confessio. Ne tamen te magnum aliquid fecisse existimes, quandoquidem credidisti, quia vidisti, & cōtrectâsti, sensu priùs expertus es Resurrectionem, quā tātam confessionem proferres; quia videns meam humanitatem resurgentem, in eâ latentem Diuinitatem credidisti. Magna certè professio; maior tamen, si ante visionem, seu experimentū euidens professus fuisses. *Quia vidisti credidisti.* *Sunt* (ait Tolet. Tolet. *cuiusdam reprehensionis verba. Ac si diceret. Non rectè fecisti, quod tamdiu credere distulisti, donec videres. Debuisti priùs credere, quando audisti Resurrectionem meam.*

11\. *Quæstioni fit satis. Gregor. Hilar. August.* Excitat Greg. citat. hāc quæstionem: *Quâ ratione dictum sit: Quia vidisti, credidisti, cum fides sit eorū, quæ non videntur?* Respōdet, aliud vidisse, aliud credidisse. Eadē est Hilar. & Aug. doctrina, quam tamen sic expendo. Nempe fides est eius, quod non videtur; & adhuc quod non deducitur necessariò ex iis, quæ vidētur. Qui enim latentis ignis fumum videt, ignem non videt; tamen non fidem, sed scientiam quandam, aut experientiam eius habet: quia fumus est ignis argumentum.

11. *Thomas quia vidit, credidit; ideo minus laudabilis, quã qui non videntes, credunt, aut videntes credunt quod crederent, etiam si non viderent.* *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Duo hæc distincta valde: *Vidit, ac credidit*, & quia *vidit, credidit*. Hoc enim posterius significat argumentum, & experientiam fuisse causam credendi. Illud autem simul esse cum fide aliquam experientiam, aut cognitionem, quæ ex argumentis, & rationibus procedit. Argumentum quidem non imminuit fidei meritum; nisi quando propter argumentum creditur, nec aliter crederetur; maior autem est fides, & præstantius meritum eius, qui credit simpliciter, non propter rationes, & argumenta: quia magis intellectus captiuatur, & voluntaris obedientia promptior est. At quando aliquis habet argumentum, aut rationem eius, quod credit; tamen etiam si non haberet, crederet: nec argumentum est causa, nec ratio credendi, tunc dicitur videre, & credere; nec propter argumentum, aut rationem, fidei meritum imminuitur. Thomas igitur credidit non solùm videns Resurrectionem; sed quia vidit: & nisi vidisset, non credidisset; propterea ex hoc capite eius fidei meritum imminuitur. Haud sic, si antequam videret, credidisset. Scio tamen ex alio capite factam compensationem, quia perfectam Christi Diuinitatem, quam non vidit, quando vidit Resurrectionem, credidit, & professus est. Non negat Dominus beatum Thomam, qui credidit; nam fides eius laudabilis, & meritoria fuit; sed in hoc beatiores affirmat futuros, qui cùm non viderint, credunt.

13. *Respondet obiectioni.* Poterit aliquis sic argumentari: Si beatus qui non videt, & credit; ergo qui vidit, & credidit, non est beatus. Hebraismum esse respondeo; vtitur enim Hebræus positiuo loco comparatiui. *Dico* (inquit Paulus) *innuptis, & viduis. Bonum est, si sic permanserint; quòd si non se continent, nubant*, 1. Corinth. 7. An licet ex hac sententia argumentari: Si bonum est sic permanere, & non nubere; ergo nubere bonum non est: cum sit Hebraismus, ac si diceret: Melius est sic permanere? Ita Thomæ dictum: Beati qui non viderunt, & crediderunt, id est, beatus quidem Thomas; sed in hoc beatiores, qui non videntes crediderunt; id est, qui crediderunt, non quia viderunt. Ergo nos sumus Thomâ beatiores. Respondeo negatiuè. Quamuis enim Thomas sit in accessu ad fidem aliis inferior; tamen & illustrior, & constantior, multóque perfectior eius effecta fides; ideo absolutè nobis beatior. 1. Cor. 7.

An inferendum: Ergo fides sola beatos facit Christicolas? Certè in hâc sententiâ fides non confertur cæteris virtutibus, & operibus, nec comparantur hi, qui credunt, illis, qui operantur: sed hi, qui credunt non videntes, illis, qui videntes credunt: & beatiores dicuntur posterioribus priores. Non tamen ideo solam fidem ad iustitiam, quæ beatitudo dicitur, sufficere sequitur. An dicitur, *Beatus, qui timet Dominum, Beatus qui sperat in Domino, Beatus qui miseretur?* At non solus timor, nec sola spes, nec sola misericordia iustum faciunt, aut beatum. Solet enim aliquando Scriptura, quando multa vni conueniunt, singulis per se id tribuere, non quòd singula sufficiant; sed quòd singula sint ad id consequendum necessaria. 14. *Alia obiectio soluitur.*

In Thomam

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam,

EX EIVSDEM CONFESSIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Et post dies octo iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis.

Thomæ cum Discipulis intus commorantis commendo ad pœnitudinem, dispositionem.

Vbi assero, pacis concordiam, & in delinquendo cautelam ad pœnitentiam valde conducere.

15. MIRVM planè, incredulum Thomam cum credulis Discipulis tam pacificè commorari, intúsque apud domum occludi. Profectò pœnitudinis eius id aderat perspicuum documentum; pacificè enim degens peccator & domi clausus, pœnitentiæ assolet fructus decoquere, & maturare. Si audiens Thomas Discipulos piè proclamantes: *Vidimus Dominum*, ille à pacifico consortio recedens, vix sese fugitans commisisset, difficilè ab hoste Tartareo posset liberari. Ideo reor tam facilè pœnituisse, quia ex pacifico consortio, & apud domum persistentiâ, animum præparauit.

Aiebat Cyrilus Ierosolymitanus Præfect. ad Catech. *Caeterùm Draco circa viam transeuntes obseruat; caue ne te veneno infidelitatis inficiat. Vides tot saluatos, & quæris quem deuoret.* Et cur obseruat iuxta viam? An non facilius infectum incredulitatis veneno Thomam intus manentem cum Discipulis deuoraret? Certè domi occlusus, & pacis vinculo illigatus facilè Draconem superaturus erat; ideo fugientem & consortium pacificum, & domum, ille Discipu 16. *Draco Thomam ex consortio pacis, ac domo recedentem absorbebat.* Cyril.

Discipulum obseruabat. Adiicit Pater : *Induc pedes tuos apparatu Euangelij pacis, vt non nocere possit.* Inducendos pedes admonet, recludendos, nó effugiant & domus habitaculum, & pacis consortium.

Thomas ex Luna mutabili redditur fundamentū, ex consortio pacifico.

17. Certè inter pacificos infidelitatis error minimè perseuerat. Aufertur enim cordis olim stabilis mutabilitas, & redditur stabile fundamentum fidelitatis. Vidisti Thomam, sicut Lunam, mutatum? *Eamus*, inquit, *& nos, & moriamur cum illo.* Postmodum asserit : *Nisi videro, &c. non credam.* Vndenam Apostolus instar Lunæ mutatus, visus à Ioanne Ecclesiæ fundamentum? Super duodecim enim Ierosolymæ fundamina scripta nomina Apostolorum Agni. Apocal.20. Existimo, id à pace Apostolicâ accepisse, à concordiâ, tantâ stabilitate donatum esse. Exclamat Chrysostomus homil. 16, *O quàm desiderabile nomen pacis! quam Religionis Christianæ stabile fundamentum!* Pacifica enim Thomæ cum Discipulis commoratio, eum Ecclesiæ stabile fecit fundamentum.

Chrysost.

Ex pacifica Thomæ commoratione incredulitatis Luna in stabile Ecclesiæ fundamentū mutatur.
Psalm 71.
August.

18. Nec poterat diu in pacis conspectu mutabilitatis Luna persistere. Dauid, *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna*, Psalm.71. Vbi Augustinus, *Fiat pax in tantùm crescens & abundans, donec Luna extollatur, id est, eleuetur Ecclesia.* Quid cum Luna mutabili eleuari, & extolli? Ex pacis abundantiâ Lunæ mutabilitas ablata est, & iam vt fundamentum Ecclesiæ, apposita super quod quidem stabilis eleuatur & extollitur Ecclesia. A Thoma enim, beneficio consortij Apostolici, Luna mutabilitatis ablata est, vt redderetur *stabile Ecclesiæ fundamentum.*

Idem accidit Petro negāti.

19. Negauit Christum Petrus, quem reliqui Discipuli possent à communione pacificâ relegare. At curantes eius pœnitudinem disponere, minimè à pacis vinculo reiecerunt; sed sibi arctiùs copulârunt. Optatus Mileu.lib.7. aduers. Parm. *Apostoli noluerunt à Petro recedere, qui negauerat Christum. Quòd si maior esset amor innocentiæ; quàm vtilitas pacis, dicerent, se non debere communicare Petro, qui negauerat Christum.* Et quænam pacis & consortij illius vtilitas? Puto Apostoli mutabilis reductionem, stabilitatem; & vt Luna fieret, beneficio pacis, stabile Ecclesiæ fundamentum. Haud aliter Thomas incredolus à pacifico Discipulorum consortio non reiicitur.

Optat.

Curat diabolus virorū egregiorum crimina euulgari, vt difficilior pœnitudo reddatur.
Ioan.10.
Anselm.

20. Iam probo, apud domum commoratione, Thomam ad pœnitudinem adductum. *Et iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis.* Haud dubium, quin Diabolus curaret Thomam à Discipulis, à domóque abripere, vt egredientem è clausurâ, vti alterum Iudam deuoraret. Aiebat Dominus, *Et lupus rapit, & dispergit oues*, Ioan.10. Vbi Anselmus, *Dispergit oues, quia dissipat actiones.* Illud enim oues dispergere, ne s*mul* persistant, idem est, ac earum actiones dissipare, ne ad meliorem sese frugem recipiant. Quia scilicet euulgatur delictum, fitque plerumque peccator ex diuulgatione insolentior; vnde difficilior redditur pœnitudo.

Laudabiliter Noë in tabernaculo nudatur, quia faciliùs pœnituit,
Genes 9.

21. De Noë ebrietate correpto Moses, *Bibit vinum, & inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo*, Genes. 9. Crimen certè viro egregio admodum infame, ebrietate corripi; sed illud commendabile, ob facilem pœnitudinem in Noë, quòd *intus* in tabernaculo inebriatus, inibi nudaretur; non foris. *Secundùm sapientiæ* (ait Ambrosius) *altiorem sententiam laudatio est. Cautus est, qui, & si nudatur, in domo nudatur; vbi operimenta non desunt, & quædam tegmina ebrietatis, vt vitia sua norit abscondere.* Hæc proxima verba preme: *Vt vitia sua nòrit abscondere*, id est, vt norit pœnitudine celare, ac tegere iniquitatem. Pœnitentiâ enim peccata teguntur iuxta illud : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Remissione enim peccatorum, siue pœnitudine crimina conteguntur, absconduntur. Nudari ergo Noë in tabernaculi abscondito, fuit documentum pœnitentiæ; *quâ norit vitia abscondere.* Ne viri tanti nuditas euulgata difficilem redderet pœnitentiam.

Ambros.

Aptè Michæas, *In Geth nolite nunciare, lacrymis ne ploretis, in domo puluere vos conspergite.* Et cur prohibet spoliationem populi nunciari? Præmiserat: *Desperata est plaga eius, quia venit vsque ad Iudam, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem.* Cap. 1. Si ergo ex publicatione delicti & nuditatis populi, desperata est plaga, quia difficilis admodum pœnitudo, nolite nunciare in Geth, nec obortis lacrymis, calamitatis dolorem innuatis. Ad domum vos reducite nudos, vbi illud ipsum, in huiusmodi clausurâ esse, idem est, ac vos puluere conspergere, ex pœnitudinis instituto: *In domo, puluere vos conspergite.* Thomas igitur *intus* in domo commorabatur, vnde tam facilè se ad meliorem frugem conuertit. 22.

In domo commorari peccatum occultum, idem est, ac proximum pœnitere peccatorem.
Mich. 1.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum, &c.

Solum Thomam reducturus rursum sua vulnera exponit Dominus, quia futurus ille similis Saluatori.

Vbi adnoto iustorum felicitatem, queis datum vel ipsius Filij Dei actiones imitari posse.

PETRVS Chrysologus serm. 84. *Considera* (inquit) *Dominatoris clementiam, qualiter pro vnâ animâ ostendat se ipsum vulnera habentem; & accedit, vt saluet vnum.* Profectò hinc vnius huius valorem expendo, qui tantus apparuit Conditori, vt sollicitè accederet, & vt vnum saluaret, vulnerum suorum rursum pretium exponeret. Miratus Thomæ fœlicitatem merita eius disquirere curans, eum vidi innumerabilium Gentium Doctorem, quarum saluti prouidens Dominus, vnum sanans Thomam tot animabus sua vulnera sanandis impendit. At altiùs adhuc rimatus Thomæ valorem, nactus sum Isidorum, profanitem, libro de 23.

Sanatur Thomas, & quia plurimos adducturus erat ad fidem, & quia futurus erat similis Saluatori.
Chrysolog.

ortu, & obitu Sanct. *Thomas Apostolus similis Saluatori, prædicauit Parthis, & Medis, Persis, atque Brachmanis.* Non solùm à Domino quæritur & sanatur, quia plurimos ad fidem adductus est; sed quia & ipse similitudinem Saluatoris erat imitaturus.

14. *Similis Thomas Christo, quia à iuuentute & deinceps in laboribus.* Certè Saluator & patiens à iuuentute, & circa hominum conuersionem exercens potentiam, & præparans iustis æterna tabernacula Saluatoris munus explevit; quod non indiget probatione. Hic tum Thomas egregius imitator exurgit. An non illa vox Domini: *In laboribus à iuuentute mea?* Thomas laboribus adnatus esse obiicitur. Describit Apostolum Metaphrastes, Metaph. *Viuens in vita paupere, & artem exercens piscatoriam, in vtroque potens est cognitus. Ex vno quidem formatus ad tenuitatem, quæ sunt superuacanea, minimè admittentem: & doctus, esse contentum solis necessarijs. Ab altero autem institutus ad patientiam in laboribus.* Nec quidem retia dimittens, patientiæ prætextum dereliquit, qui hominum piscator, socius Saluatoris effectus, debuit magnum laborem pro maximo commutare. *Cum Christo* (adiicit ille) *degens toto tempore, quo vitam ille degit in carne, multas cum eo subijt afflictiones, multas persecutiones, & migrationes. Cùm Dominus à Iudæis ex elleretur, simul expellebatur cum eo: & cum lapidibus appeteretur, simul cum illo ipse appetebatur. Aliquando autem cum ipsum vellent in suam redigere potestatem, & morte afficere, paratus erat alacriter cum illo mortem subire.* Illas particulas preme: *Cum eo, cum illo.* Quid mirum cum Domino pateretur, qui similis erat Saluatori? An Domino ad Superos ascendente, Thomas à laboribus, & simul a Christi similitudine seiungitur? *In Indiam ingressus Apostolus, nullum præ se tulit fastum, loricâ indutus, comâ sordidus, vultu pallidus, totus aridus, & exsanguis, & planè succo carens: &, vt semel dicam, non tam corpus, quam vmbram corporis circumferens, sordido, & tristi amictus pallio.*

15. *Thomas Iesu potentiam circa virginitatem persuadendam imitatur.* Quid de Thomæ potentiâ ad adducendos peccatores attexam? Paulus egregius admodum Euangelij Minister non vtitur potentiâ, vt homines ad virginitatis propositum æternandum adduceret; sed consilio, fatus: *De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do.* Et quare non potentissimo brachio eos ad virginitatis cultum adducis? Quia Saluatoris potentiæ hoc facinus reseruatur. Ipse Ioannem è nuptiis potens ad perpetuam virginitatem attulit, si credendum huius opinionis magistris. Profectò Thomas similis Saluatori, potentissimè ad virginitatem vtrumque perferens sponsum. Antoninum part. 1. tit. 6. cap. 20. Anton. audiamus. *Nauigantes* Thomas & Regis Indorum ministri, *peruenerunt ad ciuitatem quandam, in quâ Rex celebrabat nuptias filio suo. Ad sponsos de nocte, clausis ianuis, in thalamum Apostolus ingressus, hortatus est eos ad virginitatem conseruandam dicens. Virginitas soror est Angelorum, possessio omnium bonorum, victoria libidinum, fidei trophæum, expugnatio dæmonum, æternorum securitas gaudiorum. Qui conuersi ad fidem, virgines permanserunt: & sponsa Pelagia, sacro velamine suscepto, Martyrium sumpsit. Sponsus Dionysius eiusdem ciuitatis Episcopus est ordinatus.* O Thomæ potentiæ Christo similis egregium documentum!

16. *Similis Thomas Saluatori, palatia electis exædificans.* Quid plura? Illustriorem obiicio adhuc Thomam, dum similem Saluatori Palatia æterna electis exædificantem esse ostendo. Filiis Zebedæi præcipuas Dominici Regni sedes eflagitantibus ait Dominus: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, Matth. 20. Matth. 20. Tam illustre, sedes in Superis iustis præparare, vt suæ Diuinitatis id munus Christus esse asseruerit. Sic aliqui Doctores lib. 5. dati locum exponunt. Profectò se ex hoc capite quodammodo diuinum Thomas ostendit Christi imitatorem, qui palatia præparat prædestinatis. Antoninus citatus scribit Regis Indici ministrum immissum, vt virum, architectum egregium quæreret, vt palatium illustre exædificaret: Christum autem Thomam ad Abanem Regis famulum adduxisse. Anton. *Qui commendauit illi Thomam, vt doctissimum in eâ arte. Nec mendacium, quia spiritualia ille palatia virtutum construere nouerat in mentibus hominum. Parum* esset tanto architecto virtutum delubra ædificare, nisi & cælestia moliretur tabernacula, queis prædestinati addicerentur. Exhibuit Rex Thomæ maximam pecuniarum vim, vt construendo Palatio operam impenderet, & in morem Regis Euangelici, *profectus est statim. At Apostolus thesaurum pauperibus erogauit, & prædicationi insistendo, non solum vnum, sed multa Palatia ædificauit in cælis, intra biennium.* Rediit Rex, cognoscénsque Thomam sibi illusisse, eum carceri addixit: frater Regis Gad è vitâ excessit, qui quarto die resurgens Regi profatur: *Hic homo, quem disponebas igni tradere, amicus est Dei omnipotentis, & Angeli Dei ei famulantur, qui me in Paradisum ducentes, quoddam mihi Palatium ostenderunt ex auro, argento, & lapidibus pretiosis. Hoc est,* inquiunt, *Palatium, quod construxerat Thomas fratri tuo. Sed quia eo se fecit indignum incarcerans Apostolum, si vis illud habere, rogabimus Dominum, vt te resuscitet, vt valeas illud emere à fratre tuo, restituendo pretium ei, quod se existimat amisisse.* Cui Rex, *Palatium fabricatum pro me, sit mihi, tibi autem faciat Thomas aliud.* At Apostolus, *Innumerabilia,* concludit, *Palatia sunt ab initio in cælis præparata, quæ fidei pretio, & eleemosynis comparantur.* Ergo Thomas Palatia ædificans Patrem æternum imitatur præparantem electis sedes; conuersioni autem Indorum studens, Christo ea electis Palatia exhibenti similis obiicitur. Edocere ex præfatis iusti, specialiter Euangelici ministri, fœlicitatem, qui Dei possit actiones imitari.

***

Obser

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Infer digitum tuum huc, &c. At ille dixit: Dominus meus, & Deus meus.

Thomas sapientissimus, qui ex obiectis sibi vulneribus reliquis, Christi professus est Diuinitatem.

Edisciimus Iesum se Diuinum ostentare, dum iustorum labores beat, & ad Deitatem quodammodò affert.

27. NON incongruè Thomas à quibusdam, *scientia* vocitatur *Abyssus*, dum videns humanitatis Iesu vulnera, eiusdem calluit Diuinitatem, cognoscens seipsum à mortuis Dominum suscitâsse. D. Hilarius lib. 7. de Trin. *Videns Thomas credidit, & quid aliud credidit, quam confessus est? Dominus meus, & Deus meus. Resurrexisse enim per se ex mortuis in vitam, nisi natura Dei, non potuit.* Manus Domini vulnerum obiiciunt cicatrices? Proculdubiò Christus Dei verus est Filius, sese potens suscitare.

Hilar.

28. Aiebat Sponsa, *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Cant. 5. Alij, *Plenæ Tharsis.* Vbi Hieronymus putat voce Tharsis significari *mare serenum.* Iesu manus maris quidem passionis vestigia referunt; sed tranquillitate plena. Hoc apertè indicatur sese Christum à mortuis excitâsse. Colligit hic Nyssenus homil. 14. *Ordo postulat, vt hoc postulemus in manibus, quæ laudantur, quòd sponte sua, quasi tornando, detritis omnibus, quæcumque superuacanea erant in eis corporea, ad sortem diuinam transeant.* Ac si diceret, qui in manibus potuit, ablatis cunctis tempestatis præteritæ documentis, vulnera obiicere pacata, tanto splendore coruscantia, non horrorem, sed lætitiam iustis obiicientia (hoc enim est manuum vulnera *ad sortem Diuinam transire*) se probat Conditorem. Pintus ad cap. 1. Ezech asserit per vocem Tharsis pelagus notari, solaribus percussum radiis, hyacinthinum referens colorem, admodum splendidum. Solus Deus potuit sic labores sanctos *ad diuinam sortem* adducere.

Dei omnipotentis manus ostenduntur, dum vulnera præmio affecta apparent.
Cant. 5.
Hieron.
Pintus

29. Thomas asseuerat, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. non credam.* Ad quæ Chrysologus serm. 84. *Resurgenti Domino ad gloriam tota mortis est mutata conditio, mors fugit, vita redit, caro amplius casum nescitura surrexit. Et cur tibi, Thoma, sola vulnera præsentari in iudicium fidei nimis callidus explorator expostulas? Quid si ista cum aliis abolita fuissent?* Callidus ille explorator cognoscebat vulnera tam fœda morientis, à Deo in resurgente corpore tanto donanda splendore, tantâ impassibilitate, vt perspicuum essent glorificati corporis documentum. Sic enim Diuinitas Sanctorum laboribus præmia largitur.

Sapientissimus Thomas sciebat Christum vt Dei verò Filium, vulnera pulchritudine donata in præmium laborum, ostentaturum
Chrysolog.

30. Iam stigmata illa tantâ sunt à Deo gloriâ affecta, vt impassibiles Deus quodammodo reddat illos, qui eis pro armamento vtuntur. Aiebat Paulus, tot actus hostium vulneribus, *De cætero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Gal. 6. Quare confidenter iactat se à nemine molestiis afficiendum? Quia vulneribus Domini resurgentis munitur. Chrysost. *Hæc vulnera rather, deque sociis quam solent milites, exultat, vndique circumferens.* Armatus incedo, vulnera Iesu me reddunt impassibilem. An Christus, nisi Deus esset, posset vulnera armamentum aduersùs vulneratores reddere? *Dominus meus, & Deus meus.*

Quam impassibilia vulnera, quæ sanctos impassibilitate donant!
Gal. 6.
Chrysost.

31. Ideo Dominus cùm Rex iustis & peccatoribus iudicandis apparebit, gloriosa gestans vulnera, Deificæ Maiestatis insignia obiiciet. Imò ipsa Deifica vulnera vices Dei gerendo sententiam improbis proferent. Cæsarius Arel. hom. 27. *Prima erit in reos intoleranda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illos crucifixi Domini liuores, nota peccatorum nostrorum proferentur?*

Domino iudicaturo vulnera Deifica sententiam prolaturam gestabit.
Cæsar. Arela.

32. Adde relictas in resurgente corpore Iesu cicatrices illas, vt Diuinitatis victorias nunquam non proferant. Rupertus lib. 12. de vict. Verbi cap. 28. *Plagarum cicatrices idcirco in corpore suo retinuit, vt victorias suas semper loquantur.* Et quonam modò Diuinitatis vulnera proferunt victorias, nisi adstruendo illum proculdubiò Deum esse, qui iustos labores sic beauit?

Reliqua vulnera, ut Deum esse Iesum probant, qui tanto præmio labores donauit.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Dominus meus, & Deus meus.

Datus Deus in possessionem Thomæ, vt & ipse cœlesti hæreditate donare possit, quos voluerit.

Vbi adnoto Euangelicum ministrum, Deum gratis accipere, vt gratis proximis exhibeat.

33. NON solùm Deum Thomas professus est; sed & *suum* esse affirmauit: *Deus meus.* Mirabar aliquando Thomam tot in cœlis Palatia hominibus exædificare, (de quo Annotationis Obseru. 2. datus.) cum Christi Dei Filij proprium sit cœlestes sedes hominibus præparare; imò Patris æterni, iuxta illud: *Non est meum dare vobis, &c.* Sed videns Deum datum Thomæ, vt possideat, non iam miror aliis hæreditatem impertiri; nam qui possidet Dominum, quid non hæreditatem possideret? Possessor igitur Apostolus & Dei, & hæreditatis est, vt cuilibet possit impertiri.

Gratis dare, quod gratis accepere Euangelici ministri meminerint.

34. Ex ore Dauidico Thomas, *Ostende nobis Domine,*

Thomas accipit Saluatorem, vt Gentilibus impertiatur, Psalm 84 Cal.

Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Psalm. 84. Curat sibi dari Saluatorem in possessionem. An vt sibi reseruet? Certè vt perfidis Gentilibus valeat ipse donare. Cassiodorus apposité. *Da nobis, id est, concede nobis salutare* (seu Saluatorem tuum) *quasi possidendum* Quare? *Perfidis enim nondum datus est.* Ideo ad meam possessionem cupio transferri Saluatorem, vt meum possim perfidis exhibere, vt credentes salutem assequantur.

35. *Beata Gentilitas appellatur ex Dei possessione, quia vno Thoma possidente, omnes Gentiles possident ipso gratis donante. Psalm 32. August.*

Ideo cecinit rursum Vates Gentilium Indorum fælicitatem ex Thomá, proferens. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum.* Psalm. 32. An si diceret: O beati Gentiles, quibus Deus cedit in possessionem. Datus enim Deus Thomæ, illum Apostolus possidet, vt det Gentilibus possidendum. Augustinus videtur Thomam sic allocutus. *Qui fecit vt esses, qui etiam malis* (Gentilibus) *præstat pluuiam, præstat Solem, præstat fructus, fontes, vitam, salutem,* aurum, argentum, gemmas, *seruat tibi aliquid, quod non det, nisi tibi. Quid est autem quod tibi seruat, nisi se?* Vnde Thomas clamat: *Dominus meus, & Deus meus.* Si ergo Thomæ Dei possessio reseruatur, quonammodo Dauid beatos Gentiles ex Dei possessione vocitauit: *Beata Gens, cuius est Dominus eorum?* Quia eo ipso quòd Thomas Deum suum possideat, Gentilibus dabit possidendum. *Beata gens cuius est? Quid? Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum.* Thomas enim dicens: *Dominus meus, & Deus meus,* Gentibus Dominum Deum gratis exhibet; vt iam sit Dominus Deus eorum. *Hunc, ama, ô Gentilis, hunc posside, hunc cum vis, habebis, hunc gratis habebis,* Thomâ vtique largitore. Cùm è carcere Thomas eductus, vt eum *suum* Regi Gentili donaret, *obtulit ei Rex* (ait Antoninus) *vestem pretiosam, quam renuens ait: Ignoras, quod nil terrenum quærit in terris, qui affectat in cælis habitationem?* Gratis habebis quidquid Thomas possidet: accepit namque Dei possessionem, vt Gentilibus daret gratis possidendam. *Beata Gentilitas, cuius est Dominus eorum!*

36. *Accipiens Apostolus Deum, tenetur gratis censum reddere proximis solutionem. August.*

Confirmat Augustinus lib. de salut, docum. cap. 10. *Quid potest esse in Mundo fælicius, quam cui efficitur suus Imperator & Redemptor censu, & hæreditas dignatur esse ipsa Diuinitas!* Huiusmodi fælicitate Thomas fruitur accipiens suum Saluatorem. Attamen non sibi retinendum; sed gratis Indis exponendum accepit. Pende τὸ *Et Redemptor censu.* Saluator etenim datus, seu consignatus Thomæ census fert conditionem, vt necessariò redditus obligatione Thomas teneatur. Vnde Gentilibus gratis Deum exhibet gratis acceptum. Imò eo quòd *suum* fecit, tenetur census proximis soluere pensionem, id est, Deum ipsum Indis exhibere. Ambrosius ad Psalm. 118. Non decimas quæro, non fructus, non dona, non munera (profatur Apostolus) *Ipse meus Saluator mihi pro munere est, ipse est pro tributo.* Gratis accepi, sed gratis dans, non gratis exhibeo, si ipse mihi datus, & à me exhibendus *mihi est pro munere.*

37. *Ionas accipiens Deum suum gratis.*

Apud ceti ventrem Ionas inclamabat: *Sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* Cap. 2. Vbi Hieronymus, *Communem Deum omnium, beneficij magnitudine, quasi suum proprium sensit Deum.* Deus Ionæ in possessionem cessit? Profectò non sibi retinebit; sed perget aliis gratis exhibere. Ideo Dominus, *Surge, & vade in Niniuem Ciuitatem magnam, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.* Cap. 3. Te, prædicator, meipso donaui, vt valeas profari: *Domine Deus meus*: hanc ipsam *prædicationem prædica* miseris peccatoribus. Deo illos cura donare, & gratis illis exhibere munus, quod tam ingratus tam gratis accepisti. Ediscant Euangelij ministri gratis dare, quod gratis à benignissimo Domino acceperunt.

gratis Niniuitis exhibere surgit. Ion. 2 Hieron. Ion. 3.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Dominus meus, & Deus meus.

Quàm facilè Thomas ab incredulitatis somno excitatur!

Vbi doceo necessariam obedientiæ promptitudinem in Euangelico Ministro, vt ad difficile proximorum ministerium, præcipuè Indorum, immittatur.

PONDERANS Metaphrastes Thomæ ad professionem post incredulitatis somnum facilitatem, seu promptitudinem, ait: 38. *Metaph.* *Protinus, nulla dilatione vsus est, nec cunctatione, nec tardauit ad vocationem; sed adeo celeriter, ius mutatus, & vinctus verà voce vocantis, vt dicto citius ostenderet obedientiam. Fitque Discipulus, animi studio promptissimus Apostolus Gentium.* Quia videlicet tot itinera tam breui temporis interstitio conficienda tam velociter exurgenti Apostolo committenda erant; sententiam expendo.

39. *Thomas ex promptitudine exurgendi ab incredulitate, & obediendi fidei, ostenditur aptissimus Indorum Apostolus. Genes. 12. Hugo.*

Qui diligentes obiiciontur circa voluntatis Domini executionem, apti ad gentium conuersionem esse ostentantur. Ideo Thomas *animi studio promptissimus fit Apostolus Gentium.* Abrahæ Dominus, *Egredere de terrà tua, & de cognatione tuà, & veni in terram, quam monstrauero tibi, faciámque te in Gentem magnam. Egressus est Abraham, sicut præceperat ei Dominus.* Genes. 12. Quantà, quæso, promptitudine egressus est? Respondet Hugo, *Non expectat diem; sed statim mandatum Domini satagit adimplere.* Et Ambrosius, *in tantùm obediendi auidus, vt ante ipse nox moras studio festinantis patris videretur.* Quare tam festinanter ad obsequium exurgit? Quia magnæ Gentis præceptor ac parens effectus est. Nec enim ad Gentem magnam, seu innumeros populos, parens ac magister immitteretur, si tanta promptitudo tanto itineri necessaria non præmitteretur. Et quonammodo Thomas tam facilè se à domo, à patria, à propinquis expediret, cum Dominus patrem eum Indorum, Gentis nempe magnæ, constituit, si huiusmodi promptitudine non donaretur? *Deus meus es tu;* respondet ille

Anton. ille ex ore Antonini) *fiat voluntas tua*. Profectò hæc obedientiæ promptitudo illam à surgendo ex somnio promptitudinem connotabat: *Dominus meus, & Deus meus.*

40. Iosepho spõso Deiparæ Angelo nuncio Deus: *Accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Qui quidem protinus consurgens *accepit Puerum, & Matrem eius nocte*, & ad Ægyptũ se recepit. Matth. 2. *nocte* quidem surgit, vt fugiat. Quare *nocte?* Eoseb. Emis. *Fugit Christus in nocte, vt fuga, quæ per se difficilis est, noctis obscuritate difficilior fiat.* Et cur fugæ difficultates adiici Christus prouidit? Vt scilicet Iosephi, & Mariæ promptior obedientia ostendatur, dum eorum velocissimus volatus tot difficultatibus minimè retardatur. Instas, quare tanta fuit Iosephi profecturi necessaria velocitas? Quia ad Ægyptum immittebatur Verbi baiulus, Gentilium ei committebatur messis, tot Idola comminuenda, tot Christicolæ surrecturi. Et quidem ad Gentiliũ populos edocendos specialissima Euangelici ministri promptitudo requiritur. *Fit* itaque Ioseph *animi studio promptissimus* (ante Apostolorum immissionem, imò vocationẽ) sic posteà Thomas *Apostolus Gentium.*

Sine huiusmodi promptitudine haud possunt Gentilium difficultates superari. Matth. 2. Euseb.

41. Iacob à Matre admonitus sese promptissimè commisit itineri. Apud desertum somnum capturus lapidem capiti supposuit. Gen. 32. Vbi requiris, cur tam durum capiti puluinar adiecit? Respondet Chrysost. hom. 22. ad Popul. *Ideo Iacob lapidem ad caput sibi posuit dormiens, vt facilius vigilaret; vnde scalam vidit ad cælos vsque pertingentem.* Innuitur Iacobi properantis diligentia. *Vidit scalam.* Profectò Iacob ad Syriam immissus Gentilium conuersioni operam erat nauaturus, vnde tam ingens electorum cœtus in ascendentibus per scalam Angelis exprimebatur, si credendũ Interpretibus. Oportebat igitur solicitudine, operandique promptitudine donari eum, qui ad Gẽtes immittebatur. Committitur Thomæ Indorum messis, quia tot difficultatibus exundans ministerium solus ille perficiet, qui nouit tã velociter se in opera exercere. *Fit Discipulus animi studio promptissimus, Apostolus Gentium.* Hinc Dominus præcinctos Discipulos requirit: *Sint lumbi vestri præcincti*, vt promptitudo eos reddat ad ministerium difficile proximorum aptos. Dum enim ad operandum se veloces exhibent, cunctis videntur necessariis virtutibus abundare.

Iacob immissus ad Gentiles animi promptitudine ad operandũ donatur. Gen. 32. Chrysost.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Dominus meus, & Deus meus.

Thomas ex efficacissimâ vulnerum prædicatione conuersus, apud Indos plus prædicatione operum, quam voce persuadebat.

Vbi illos Concionatores, ac Magistros commendo, qui operum prædicatione vtuntur.

42. Admirabilis planè promptitudo Thomæ exurgentis ab incredulitatis crimine; sed non miratur qui concionatoris cælestis efficaciam contemplatur. Reducturus Dominus Thomam, pro verbis vtitur operibus benignitatis, vulnera ostendẽdo, *anni benignitatis* Domini abundantiam. Ideo adeo Thomæ efficax sermo, vt protinùs eo ad meliorem frugem auditores adduceret, edoctus quidem, magis apud Indos operibus benignitatis & misericordiæ, quàm sermonibus tot Gentiles ad fidem conuertendos. Metaphrastes, *Thomas concionaturus vtitur mansuetudine, & bonis moribus ad persuadendum.* Metaph.

43. Aiebat Seneca, *Eum elige Doctorem, quem magis admireris, cùm videris, quàm cùm audieris.* Vidit Thomas Christi vulnera benignitatis indicamenta, & conuersus clamauit: *Dominus meus.* Pergénsque ad Indos, obiectúsque Gentilibus & nudus, & marcidus, & exanguis (vt vulnerum Iesu referret imaginem) eos ad fidem, ad virtutisque præscripta adducit. Vnde (vt Paulinus ait) Thomæ *non tam lingua, quam facies* edocebat. Leo Magn. *Ad erudiendum populum, nullorum est vtilior forma, quam Martyrum eloquentia.* Eorum enim vulnera obiecta oculis efficacissima sunt ad persuadendum. *Validiora sunt exempla, quam verba: & pleniùs est opere docere, quam voce.*

Operibus benignitatis Thomas persuadebat, & vulneribus. Senec. Paulin. Leo.

44. Vt autem commune argumentum specialiter persequamur, illam particulam expendo: *Thomas concionaturus vtitur mansuetudine, ad persuadendum.* Opera enim benignitatis hoc verbo: *Mansuetudine* designantur; ideo adiicit, *& bonis moribus.* Vocalia itaque mansuetudinis opera efficacissimè persuadẽt. Discipuli Ioannis ad Dominum: *Tu es qui venturus es; an alium expectamus?* Ac si dicerent: Deus es tu? Respondet Dominus, *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur.* Concionatorem enim cælestem, Mundum conuersurum, decent benignitatis opera loco vocis exhibita. Dæmonibus confitentibus Dei Filium esse Christum, qui Iudæis prędicabat, tacere imperauit. An non vel diaboli inimici præstans testimonium, vt Iudæi crederent, & ad virtutis studium conuerterentur? Ambrosius ad Psalm. 118. *Imperauit eis tacere, vt operibus magis, quàm sermonibus Deus agnosceretur.* Miracula enim benignitatis Domini effectus efficaciùs persuaderent.

Christus benignis operibus persuadebat, se Dei orbis egregiũ prædicatorẽ. Ambros.

45. Apostolis ideo, *Sic*, ait, *luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Matth. 5. Cur luci opera Apostolorum comparauit? Quia sicut Sol bonis & malis oritur, Apostoli sese cunctis benignissimos ostendebant, vel hostibus crudelissimis indifferenter exoriebantur. Operibus huiusmodi curat Dominus vti Discipulos ad persuadendum: Vt videant ea opera vestra magis, quàm sermones exaudiant. Eusebius Emis. *Quia maior est splendor operis, quàm sermonis. Vnde non ait: Vt audientes vestrum sermonem bonum, glorificent Patrem; sed quid ait? Videntes vestra bona opera.* Id est, opera in eorum commodum gesta, documenta benignitatis. *Deum glorificent*, qui tam egregios Ecclesiæ Cõcionatores *ad persuadendum* dedit.

Apostoli operibus mansuetudinis Gẽtes attrahunt. Matth. 5. Emissen.

46. Curans Dominus ad se Discipulos allicere, fatur, *Venite, & videte.* Ioan. 1. Videte vtique opera mea, vt suaderi possitis. Quænam opera? *Venite* (adiicitur) *post me.* Matth. 3. Anselmus, *Venientes*

Vult Iesus Discipulos opera benignitatis vi-

Domini in corpore meo porto. Patientissimè vulnerantes sustineo, bonum pro malo reddo; sermone benignissimo vtor; vnde clamantibus vulneribus, & patientiâ meâ, peccatores conuertentur. Chrysostomus, *Quouis sermone, inquis, quauis voce clarius, per hac vulnera me purgo. Hæc namque vocem tubâ clariorem, & sublimiorem emittunt aduersùs eos, qui mihi contradicunt.* Quid loquetur Apostolus, vulnerum Martyrij ex ore, nisi Domini, cui assimilatur; benignitatem? Huiusmodi sermone increpat Paulus peccatores, vt ad veritatis eos agnitionem adducat.

Chrysost.

55\. Vnde suadet Prædicatoribus in Timotheo, *Prædica verbum, argue, obsecrá, increpa, in omni patientia.* cap. 4. Rigorem redolent illa verba: *Argue, increpa.* Sed illis interpositis dulcorantur: *Obsecra, in omni patientia.* Si arguis, obsecra; si increpas, omnem patientiam exhibe. Obsecratio enim arguere est; sufferre autem est increpare. Pro τὸ *Obsecra* Theophylactus scribit, *Consolare.* Consolando arguis, patientiam obiiciendo increpas delinquentes. Thomas equidem *obsecrando* arguebat, & sufferendo iniurias, increpabat. Anselmus; *Increpa in omni patientiâ, ad sustinendas indignationes eorum quas destruis.* Destruitur enim peccati Regnum, quoties Euangelicus Minister persecutionem passus sustinet peccatores.

Obsecrando arguunt, sufferendo increpant Euangelici ministri. Timoth. 4. Theoph.

Anselm.

Profectò Apostolus pluribus vsus sermonibus, Regis Iudorum præcordia infidelitati addicta non emollit. At postquam ab impio necem patientissime sustinuit, valuit Regem ad veritatis adducere agnitionem. Metaphrastes, *Rex detentus a profunda caligine ignorantia, a quibus miraculis oportebat ad lucem traduci, ab eis voluntariâ cæcitate ad maiorem accensus insaniam, consultabat de morte Apostoli. Quamobrem dicto citius in eum fert sententiam, & lanceæ de medio tollitur, magnus Apostolus.* Qui quidem vulnerum linguis, benignissimo sermone vsus, Regem conuertit. *Regis filius incidit in grauem morbum, pater inflectitur à naturâ, fletibus, & lacrymis irrigatur. Sed nullam inueniens malis solutionem, miraculorum Apostoli recordatur, & quærebat paruulam aliquam partem ex eius reliquijs, ad medendum ei, qui laborabat. Post quam autem rescivit, non comparere corpus, saltem puluerem, qui illud tetigit, iussit adferri. Quod cum factum esset, Pater ægrotanti filio puluere imposito, sanum vidit,* Séque ad fidem recepit, locutum enim Thomam vulnerum ex ore audiuit, benignissimóque patientissimi Apostoli sermone incredulitas Regis increpatur. Quàm benignum Thomam expertus est, quam iniuriarum immemorem, quem post necem à se illatam putat propitium aditurum!

56\. *Thomas sufferens mortem crudelissimam, & bonum pro malo reddens, vulnerum ore suadet Regi idola relinquere.*

Metaph.

LIBER DVODECIMVS.

IOANNES.

Paraphrasis, & Commentarij literales in Cap. Vigesimumprimum eiusdem.

PANEGYRICI MORALES. in Ioannem

APOSTOLVM ET EVANGELISTAM.

PROLVSIO.

GESTIENS præ gaudio elogia Ioannis euulganda assumo, sciens specialissimè scribenti de dilecto à Domino Discipulo, Spiritus sancti opem exponi, fanre Petro Damian. serm 2. de Ioan. *Gaudeamus copiosum nostræ fraternitatis adesse conuentum: quia dum nos ad festiuitatem Ioannis gloria prouocat, etiam Spiritus sanctus, vt tam reuerenter, tam pacificè, tam deuotè conueniatis, indubitanter inspirat. Dignum quippe est, vt qui à Christo præ cunctis mortalibus specialiter est dilectus, à Christi dilectoribus permaximè diligatur. En Spiritus sanctus & sermonem accendit, & præparat auditu, & cunctos ad Dilecti à Domino excitat dilectionem.* An & Ioannes ipse Spiritus sancti circa nos experitur effectus? Certè se hominum eximium exhibuit dilectorem. Adijcit Damianus, *Dignum, vt Ioannes dilectus Discipulus à nobis diligatur, præsertim cùm & ipse circa nos tantæ charitatis extiterit, vt diuinitùs sibi traditis sapientiæ & scientiæ clauibus, omnium Sacramentorum cælestium thesauros expenderet, æternæ vitæ diuitias, quas solus acceperat, nobiscum participando largiter, & fideliter erogaret.* Sic Pater. Igitur Spiritus apparatu, & Ioannes suggeret suæ gloriæ conceptus scribenti, & aptè prolatum verbum non ingrato excipietur auditu. *Apostolici vitalis Ligni FRVCTVS DVODECIMVS.*

IOANNES CAP. XXI.

VERS. 19. DICIT ei (*Iesus Petro*) sequere me.

PARAPHRASIS.

19. POSTQVAM *Dominus Petrum Crucis nece donaret subeundá, cœpit ambulare, dixitque Petro: sequere me, rursus ad mortis suæ imitationem inuitans.*

20. Conuersus

20. Conuersus Petrus, vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in Cœnâ super pectus eius, & dixit: Domine, quis est, qui tradet te?

20. Petrus vbi respexisset vidit & illum Discipulum, quem diligebat Iesus, quiq; supra Domini pectus in extremâ cœnâ incubuerat, dum à Discipulis rogatus, è Iesu sciscitaretur, quisnam esset proditor! (Quibus planè documētis se Ioannes à Domino diligi admodum expreßit.) Cùm autem gloriosum, ac vehemens Dominicæ erga Petrum charitatis indicium esset, quòd Iesu esset mortem imitaturus, existimauit proculdubiò Ioannem eodem munere donandum.

21. Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine hic autem quid?

21. Hunc cùm vnicè Petrus diligeret, & Domino cæteris chariorem semper fuisse sciret, Dominum rogat, quidnam de illo futurum esset?

22. Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

22. Iesus autem superuacuam hanc de Ioannis morte Petri curam corrigens, ait: Si hunc velim manere, donec ipse veniam, quî id tua refert? Meus est, & meo arbitratu, de illo, quod optimum erit, statuam. Tu quod ad te pertinet cura, videlicet, vt me sequaris.

23. Exiit sermo iste inter fratres, quòd Discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur, sed: sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?

23. Ex huius occasione sermonis inter Discipulos rumor exortus, quòd Discipulus ille Iesu dilectus, non esset moriturus; sed permansurus superstes; donec Dominus iudex viuorum, & mortuorum rediret, quod omnes tum breui futurum opinabantur. Tametsi Iesus non dixerat eum non moriturum; sed Petri taxans curiositatem, ad illum non pertinere innuit, si vellet Ioannem vsque ad aduentum suum apud viuos manere.

24. Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius.

24. Porrò hic est ille ipse Discipulus, qui testimonium perhibet, hæc sic esse gesta, quiq; scripsit hæc, quo certiùs ac latiùs ad omnium notitiam diffundantur. Non enim scripsit ab alijs audita; sed quibus ipse testis oculatus interfuit.

SECTIO PRIMA.

Petri de Ioanne quæstio.

TEXTVS.

VERS. 19. DIcit ei (*Petro Iesus*) sequere me. 20. Conuersus Petrus, vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in Cœnâ super pectus eius, & dixit: Domine, quis est, qui tradet te? 21. Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Petro Iesum sequente.

1. DICIT ei: *Sequere me.*] Dignatus est Iesus explicare, quid sibi vellet ter iterata dilectionis Petri professio. Qui pro salute gregis Dominici contemnit facultates suas, mundiales negligit honores, suos renunciat affectus, magnum de se amoris exhibet documentum; Cæterùm, qui pro salute gregis non dubitat vitam suam in discrimen adducere, is absolutè charita-

tis certissimum exhibet specimen. Id Petrum facturum subindicare volens, aiebat Dominus Cùm esses iunior, & iuxta corporis vires malorum tolerantior, molliùs viuebas; nam ipse tibi cingulum tuo arbitratu soluebas, aut arctabas; ac liberè, quocumque esset libitum, ambulabas. Verùm vbi senueris, iam iuxta corporis vires imbecillior, duriùs tractaberis, nimirum animo jam fortior. Nam porriges manus tuas & alius cinget te, ducturus, quò nolis. Hoc ænigmate Iesus significauit, quo mortis genere Petrus esset olim Deum glorificaturus: siquidem admodum senex ductus est ad Crucem, quam & si libenter ob immensam erga Dominum suum charitatem pertulerit; tamen imbecillitas naturæ horrebat humanæ. Cùm igitur hæc proferens, Iesus è loco surgeret, vbi discumbebat, quod verbis expresserat, simul facto significauit. Faciens enim iter dixit Petro: *Sequere me.*

2. *Quid per sequelam signarum? Cyrill. Tolet.*

Sequere.] Id est, me corpore ante omnes sequaris oportet. Quidnam per sequelam signatum? Idem prorsus quod verbo profuderat, nempe, morte Crucis Petrum eum secuturum. Ita Cyrillus lib. 12. cap. 65. Adde ex Toleto *simili officio pascendi etiam secuturum.* Ac si diceret, *Sequeris me officio pascendi, & etiam morte Crucis.* Probus enim Pastor pro ouium incolumitate vitam non dubitat exhibere

3. *Innuitur præsulatus Petri. Tolet.*

Quare autem ante omnes sequi iussit? Idem Toletus, *Vt omnibus eum præesse indicaret.* Munus enim regiminis Præsulem ampliùs Domino addicit; nec rectè obibit, qui non feruenter curat sequi Saluatorem. Non solùm autem significat; sed & instruit, & confortat. Instruit quidem, insinuás ei, vt & verbo, & opere pascat, sicut Christus verbo pauit, & exemplo. Confortat autem, acsi diceret: Haud durum tibi videatur, si quò tu non vis, (siue natura repugnante) duceris; sequere me, contemplatus me priorem Cruci suffixum, vt vitam pro ouibus exponerem. Quam apta Prælati viuendi ratio ad normam Saluatoris!

§. II.

De Petri sollicitudine circa Ioannem.

4. *Cur Ioannes addidit se dilectum, & in sinu Domini discubuisse*

CONUERSUS Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus sequentem.] Conuertitur Petrus; iam enim cæteros condiscipulos sequentes se habebat omnium Præsul. At Ioannem videns, quem ille multum amabat, de eo Christum sciscitatur: *Hic autem quid?* In cuius expositionem prius discutiendum, quare hanc Ioannes clausulam interposuit? scilicet; *Discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in Cœnâ super pectus eius & dixit; Domine, quis est qui tradet te?*]

5. *Idem Petri Primatus exprimitur.*

Profectò tria hæc maxima priuilegia sunt Ioannis, magno quidem Euangelistæ hic consilio descripta, vt ostendat iam Petrum omnibus antelatum: cæteros planè oues, Petrum verò Pastorem effectum. Qui plus à Domino dilectus, quique super pectus recubuerat, & interrogarat quinam proditor, iam post Petrum adest; *conuersus* enim *Petrus*, illum vidit. Qui interrogauit in Cœnâ, rogatus à Petro; iam de ipso, Petro interrogante, curæ Petri commissus exponitur. Addo simul hæc interposita, vt quales sint eligendi in Pastores, ipsemet Petrus, & successores discant. Non qui sibi familiariores adsunt, non qui coniunctiores; sed qui oneri imponendo, & muneri subeundo aptiores apparent.

6. *De vita exitu Ioannis sollicitatur. Cyril. Chrysost.*

Hic autem quid?] Ac si diceret, scio iam quâ morte ego sim te clarificaturus; scire vellem, quâ etiam morte Ioannes dilectus tuus vitæ huius concludet interstitium? Sic exponunt Cyrillus lib. 12. cap. 66. & Chrysostomus homil. 87. *Ac si diceret: Quis vitæ exitus hunc expectat?* Cuncti fere expositores subscribunt.

7. *Cur id Petrus interrogarit? Chrysost. Cyrill.*

Quanam autem de causâ id Petrus interrogârit, non conuenit inter Doctores. Chrysostomus citat. in amorem, quo Petrus Ioannem prosequebatur, refert causam. Amor enim sollicitos efficit amantes. Cyrillus vbis. ad quandam Petri curiositatem retulisse videtur, quam taxauit Dominus fatus: *Quid ad te?* Ambrosius Luc vlt. inquit, *Post tentationem præsumptionis sua, Petrus iam non audet voluntatis perseuerantiam sibi polliceri; sed quasi ad solatium sui consortium quærit alterius.* Nec ad Crucem Petrus sine socio audet proficisci, qui binos immissos Discipulos sciebat, quia *væ soli.* Planè tanti Patris veniâ non probo sententiam, quia Petrus iam à Christo edoctus de futuro exitu non timebat. Quid si timuisset? Non credo solatium huiusmodi ex alieno lapsu quæsiturum, Ruina enim alterius (à se dilecti præcipuè) homini iusto, & Deum timenti vitiosum solatium.

Ambros.

Probabilior sententia. Chrysost. Cur Ioannes dilectus à Petro? Tolet.

Ego sequor Chrysostomum, & in amorem, quo Petrus in Ioannem æstuabat, refero quæstionem: *Hic autem quid?* Rogas, & quare Ioannes à Petro dilectus specialiter? Respondeo cum Toleto, *Propter Christum*: Cùm enim Petrus Christum admodum diligeret, in quem Christus ipse vberiora dilectionis signa ostendebat, eum & ipse sibi strictiori vinculo illigabat.

8. *Circa Petri dubitationem non probatur Maldonati expositione. Maldon.*

Maldonati hinc non probo sententiam asserentem probabiliter additum à Ioanne τὸ *Quem diligebat Iesus, & Qui recubuit in Cœnâ super pectus eius, & dixit: Domine, quis est, qui tradit te?* vt indicaret Petrum dubitâsse, num Ioannes violenta esset morte discessurus, quia vnicè à Christo diligebatur. *Responsio enim*, ait, *Christi haud valde obscurè indicat, Petrum genus potius beneficij ac priuilegij esse existimasse, quod Ioannes violentam non subiret mortem. Adhuc enim Petrus non Spiritu sancto confirmatus, vt homo loquebatur.* Certè quia violenta morte abripi specialissimum putabat beneficium, visum illi Ioannem dilectissimum crudeliori necis genere donandum.

In

In Ioannem

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS circa literam.

EX PETRI DE IOANNE QVÆSTIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Conuersus Petrus vidit Discipulum illum, quem diligebat Iesus sequentem.

Summum Ioannis elogium, à Christo dilectum esse Discipulum.

Ex beneficijs in dilectum Ioannem collatis ob dilectionis documentum, colligo operibus amorem comprobari.

9. Villan. VENERABILIS Thomas de Villanoua Archiepisc. Valent. fatur, serm. de Ioan. *Valde ponderandum est, quòd Ioannes Euangelista cum tot titulis, & cognominibus clarus esset, in suo Euangelio non Apostolum, non Euangelistam, non Prophetam, non Virginem, aut alio quolibet dignitatis cognomento: sed Discipulum, quem diligebat Iesus, frequenter se soleat nuncupare. Existimauit enim (& meritò) vir sapiens, omnium gratiarum hanc præcipuam, & maximam reputandam esse, quòd à Domino dilectus sit: neque posse ampliori, aut digniori titulo quenquam decorari.*

10. *Ioannes præ cunctis Discipulis à Iesu dilectus.* August. In cuius gratiam Panegyris, suppono Christum non solùm dilexisse Ioannem; sed præ cunctis Discipulis dilexisse Patribus, sparsim dandis à me, testantibus. Vnum in præsenti accipe Augustinum apud D. Thom. in Cat. *Tacito nomine discernitur Ioannes a cæteris, non quòd solum eum; sed quod plus cæteris diligeret Dominus eum.* Si enim non speciali præ reliquis Ioannes donaretur dilectione, non specialiter Discipulus dilectus à Domino vocaretur, si quidem & Petrus, & cæteri à Domino etiam diligebantur. Se igitur vocitans Discipulum, quem diligebat Iesus, tacitè discernit à cæteris, dum se plus dilectum à Domino affirmat.

11. *Amor Iesu erga Ioannē ex ipsius Ioānis potentia, ei à Christo communicata ostenditur.* Antonin. Exhibeas, ais, huiusmodi dilectionis documenta, vt eius simul exprimas magnitudinem, lubens exequar. Si quis in Regno acceptus Regi; & Regis, & Regni donatur possessione: amor namque cuncta tribuit amato. *In Regno Dei* (inquit Valent. Præsul) *si quis amicus est Deo, omnis illi obtemperat creatura in cælo & in terrà. Inde tot miracula & prodigia.* Profectò miracula à Ioanne excitata, eum naturæ Dominum quodammodo ostentant. Ex innumeris autem vnum aut alterum ex ore Antonini p. 1. tit. 6. cap. 6. exponam: *Ioanni Ephesum ingredienti occurrerunt plures ferentes quandam discipulam Ioannis, nomine Drusillam, rogantes pro suscitatione eius, cùm esset mater pupillorum, & viduarum. Hanc Ioannes, oratione præmissâ, suscitauit. Alterâ die cùm Ioannes per ciuitatem incederet, redarguit ciuem,* (cui suaserat gemmas totius patrimonij pretio comparatas in particulas redigere, vt Mundi contemptum præ se ferret) *quod pauperibus non erogasset. Tunc* Craton, *si Deus est magister tuus, vt prædicas, redintegrare faciat hos lapides, vt quod feci ad Mundi gloriam, ipse faciat ad sua virtutis ostensionem. Quod Ioannes factâ oratione, peregit. Ex quo prodigio Craton, & duo discipuli eius, & alij conuersi sunt ad fidem. Mox tentati à diabolo pœnitere cœperunt de statu assumpto. Ioannes cognouit in spiritu eorum lapsum. Deo, inquit, non placent coacta seruitia; sed ne credatis, quæ dimisistis rehabere vos non posse, pergite ad syluas, & adducite virgas ligneas, & de littore fluminis lapillos; quod egerunt quam citissimè. Ipse autem virgas conuertit in aurum, & lapillos in pretiosos lapides. Dum autem contra eos hæc inueheretur aliquis, ecce quidam cum consanguineis & amicis adduxerunt adolescentem tunc defunctum. Imperauit Ioannes adolescenti suscitato, vt referret eis duobus auersis à sancto proposito, quid vidisset de eis in alio sæculo. O miseri, ait, quid egistis? Vidi Angelos vestros flentes de interitu vestro, dæmones autem gaudentes. Amisistis Palatia vobis ex auro, argento, & lapidibus pretiosis fabricata: & pœnas vobis acerrimas in inferno vobis præparatas expectatis: Ex miraculo igitur viso, & resuscitati verbis compuncti illi duo ad pedes Ioannis prostrati misericordiam postulabant. Quibus Ioannes mandauit, vt triginta diebus pœnitentiam agerent; & hoc pro signo caperent suscepta à Deo misericordia, cùm virga aurea & lapides illi ad naturam pristinam redacti essent.* Ex vngue potentissimum agnosce Leonem. Vnius & alterius diei interstitio quanta, quàm illustria miracula acetuantur? Drusilla redditur egenis, vt viuat, suscitante Apostolo, charitati. Gentiles philosophi Magistri, veritatis discipuli efficiuntur, lapidibus sanitati restitutis, vt pauperibus restituerentur. Virgæ & lapilli viles conuertuntur in aurum, mutantur in gemmas: mox ex auro & gemmis (suscitato, & locuto adolescente) vertuntur in ligna, in lapillos mutantur, vt cuiusnam arboris sint fructus diuitiæ perpendamus. Si tot portentis Ioannis vnus & alter dies illustratur, quis diuturnæ vitæ miracula adferet in compendium?

Ex secretorũ reuelatione apparet. Villan.

12. Pergit Thomas à Villan. *Sunt & alia quatuor dilectionis præcipua indicia, scilicet secretorum reuelatio; pretiosorum commissio; beneficiorum collatio; familiaritatis exhibitio. Vide nunc si quid horum Christus in Ioanne omisit?* Profectò ei vberrimè cordis reuelauit arcana. *Recubuit super pectus Domini.* Tunc magnus fluuius Euangelicæ veritatis dulcedinem ebibit; tunc magna illa Aquila *venit ad Libanum, & tulit medullam cedri*, Ezech 17. *Reuelauit illi secreta personæ*(ait Archiepiscop.)*secreta Regni, secreta domũ: In illo enim somno, quãdo in Cœnâ supra pectus Domini recubuit, mira de illius Diuinitate secreta cognouit, à quo euigilans stupendum illud Euangelij exordium: In principio erat Verbum, &c. mirabiliter eructauit. Neque fonte labra proluit Caballino, neque in bicipiti somniauit Parnasso, vt sic repentè Propheta prodiret; sed Euangelij secreta de sacro Pectoris Domini fonte potauit; & suprà se ipsum eleuatus, velut Aquila potens magnarum alarum plena plumis, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.*

Ex Matre ei tradita eluret, gemma vel quæ pretiosissima. Villan.

13. Sed quàm pretiosa illi commiserit! Cuncta illi bona vnà contulit in Matre. *Pendebat* (pergit ille) *in Cruce moriturus, disposuit testamentum electis suis, Patri spiritum, Ecclesiæ corpus, peccatoribus sanguinem, Regnum Latroni, militibus vestem, Petro Ecclesiam, Apostolis Paraclesum, electis charismata liberaliter distribuit. Quid tibi, ait, ô dilecte, legabo? Ecce Mater tua! Hoc omnium, quæ possideo, charissima, & pretiosissima gemma; hanc tibi trado, hanc dono. Et ex illâ horâ accepit eam Discipulus in sua, gaudens, quia talem sibi hereditatem Dominus reliquisset.*

Ex cunctorũ beneficiorum collatione obquirtur. Villan.

14. Age, beneficiorum collationem expende. Cur, existimas, Aquilam illam magnarum alarum ad Libanum auolasse, cedríque medullam tulisse, dici à Propheta; nisi quia cunctorum priuilegia Diuorum in Ioannem fuerunt recapitulata? *Omnium quippe* (loquor cum Archiepiscopo Valentino) *dignitatum titulos, omnes gratias, & honores, quos per alios sparsim diuisit, in hoc plenius vno accumulauit. Hic Apostolus, Propheta, Euangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doctor, cognatus, amicus. Et si quid aliud in Ecclesia dignitatis, & gratiæ est, totum perfectissimè possidet.* Hinc arguit pulchrè. *Quòd si aliorum quilibet, vno solo titulo, in Ecclesia Dei præclarus, & magnus est, quid de Ioanne dicendum, qui simul omnibus pollet?*

Ex familiaritatis insignibus venelatur

15. Denique quanta Christus Ioanni familiaritatis insignia exhibuerit, Euangelium legentibus ostentatur. Si quos ab aliis segregabat, si quos præ cæteris ad occultiora negotia deligebat, vnus è tribus Ioannes. Apostolorum Princeps non audet de proditore interrogare, nisi

Villan. Ioanne internuncio. *Hoc* (addit Villanoua) *eminens familiaritatis indicium; sed illud omnium supremum, & maximum, quod coram omnibus in cœnâ vltimâ supra pectus Domini recumbere ausus sit.* O miram audaciam! Non audet Baptista sacrum Domini contingere verticem, Magdalena cum timore, ac tremore pedes tangit; Thomas haud manus ad latus, nisi iussus immittit. Ioannes non iussus, non petitâ veniâ, confidenter recumbit super Domini pectus. Amor fecit hoc; *est enim suprà modum audax dilectio.* Confirmat exemplo. *Videas aliquando pusillos tenerrimè dilectos à matribus, earum pectora, ora, facies, oculos, audacter contingere, super gremium volutari, amplexari capita, capillos spargere, velamina tollere. Omnia audet, omnia sibi putat licere amor. Non vtique sacrum Domini pectus contingere Ioannes auderet, nisi fiduciam illi præstaret amor, qui ipso latebat in pectore.* Magnalium Ioannis hæc epilogatio sit nobis, singula vberius confirmaturis ex Patrum elogiis. Interim edisce, illam ieiunam, ac sterilem dilectionem, quæ, licet spoliis non indigeat, spoliis tamen non decoratur. Bona etenim amicorum nunquam non communia ostentantur.

Observatio II.

Ad illa verba:

Vidit Discipulum illum, quem diligebat Iesus venientem.

Ex specialissimâ Christi in Ioannem dilectione colligitur, nihil alij Diuo collatum, quod exuberanter Ioannes non acceperit.

Interim Diuina in homines dilectionis fructus expendo germinatos.

PRÆMITTO Præsulis Valentini sententiam illam: *Nihil omisit Christus, quod dilecto suo Ioanni non donaret. Omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias, & honores, quos per alios sua domus famulos, & officiales sparsim diuisit, in hoc vno plenius aceruauit.* 16. Villan.

Petro Dominus, *Sequere me.* Secutus autem 17.
Petrus *vidit Discipulum illum, quem diligebat Iesus, sequentem.* Et cur Ioannes non iussus sequitur Saluatorem? Priuilegium-ne Petri Præsulis, ac Principis Ecclesiæ posse immediatè Domino hærere? Putauit Ioannes ex amoris præcipui priuilegio nullâ gloriâ Petrum donari posse, quã & ipse à Domino non simul donaretur. Pulchrè Strabus, *Cœpit Petrus incessu pedum sequi. Secutus est & Ioannes, qui sciebat se diligi.* Se nempe plus Petro diligi. Vnde arguit sapienter nullum sibi incommunicabile priuilegium alium Apostolum accepturum.

Ioannes sequitur non iussus Iesum, quia ex amore speciali colligit, nihil Petro dari, quod sibi commune nõ esset. Strab.

Ipse approbat Petrus fatus: *Hic autem quid?* 18.
Contemplatus Apostolus se à Christo adeò amatum, vt & Ecclesiæ ei commiserit curam, & Crucis præsignarit subeundam necem, Imperio gloriosiorem, & arbitratus Ioannem dilectum eisdem, vberioribúsve beneficiis afficiendum, quæsitat: *Hic autem quid?* An non eisdem Ioannes muneribus donabitur? Chrysostomus apud Cat. D. Thom. *Quia magna Petro prædixerat Dominus, & Orbem terrarum commiserat, & martyrium prænunciauerat, volens ille Ioannem communicatorem accipere, dixit: Hic autem quid? Quasi diceret, Nonne eadem nobiscum*

Ipse Petrus id approbat. Chrysost.

nobiscum veniet via? Quare voluit Ioannem communicatorem accipere, nisi quia necessariò dilectissimo communicanda gloriosa quæque à Domino cognouit?

19. *Ioannes Apostolorum aduocatum cum agat, innuit se vberioribus beneficijs præ omnibus donatum.* Adde particulæ illius à Ioanne appositæ: *Domine, quis est, qui tradet te?* testimonium: Ioannem enim non solùm Discipulis æquasset sed & supra cunctorum merita euexisse videtur. Nec enim audet Andreas fidelium magister; nec Iacobus tonitrui filius, & quidem à consiliis, ausus interrogare, à quonam Dominus esset tradendus? Imò, nec ipse Ecclesiæ Princeps audet; sed internuncio Ioanne interrogat, sciens ex dilectionis præstantiâ vberiori donandum à Domino eiusdem amoris documento. Petrus Damianus serm. *Tacent cuncti Apostoli, tacet & Petrus, tacet cæli clauicularius; tacet lingua, qua clauis facta cælorum, cælum simul & terram ligat, & soluit. Tandem Ioannis patrocinium ab omnibus quæritur, & sic ad rei dubiæ veritatem perueniunt. Ille nimirum Condiscipulorum suorum personâ in se susceptâ, consultor accedit.* Quare audet? *Quia de amplioris dilectionis prærogatiuâ confidit.* Addit pulchrè, *Quantum apud iustum iudicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipsis cælestis Curiæ Senatoribus interuenit? Et qui aduocatus factus est summo, quàm humiliter implorandus est à minimis.* (Damian.)

20. *Angelus noluit à Ioanne obsequium accipere, quia superiorem dignouit ex præcipua dilectione.* Vidisti Angelum adorationem, aut submissionem Ioannis prohibentem? *Vide ne feceris,* Apocal. 19. Cur Ioannis prohibetur obsequium? Datum Angelo coram Iudice summo stare, nullique hominum Diuo prouolui? Eodem Ioannem ea specialissimâ Domini in eum dilectione priuilegio affectum cœlicola dignouit. Damianus ad hæc, *Hanc hominis eminentiam, hanc meritorum sublimium celsitudinem Angelus ille cognouit, qui se ab illo adorari prohibuit. Refugit obsequium ab illo suscipere, quem nouerat apud communem Iudicem locum gratiæ familiariter obtinere. Conseruus, ait, sumus.* In conspectu nostro Apostoli, cunctique Diui prouoluantur; tu autem nec Angelis stantibus ante Iudicem præstes obsequium; imò suprà Iudicis ipsius pectus recumbens, Angelum (stantem, minimè recumbentem) deberes sortiri adoratorem. (Apoc. 19. Damian.)

21. *Solis scriptis æquare videtur Ioannes Diuos, vt operibus excedat.* Diuos ne excelluit cunctos? Profectò *Apostolus, Propheta, Euangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doctor,* (vt cum Archiepiscopo Valentino loquamur) mirum in modum Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Martyres, Confessores, Doctores, Virgines superauit. Cætera Ioannis egregia opera ab ipsius scriptis diuido. Solummodò vt Euangelij scriptor, Epistolarum, & Apocalypseos, Apostolus, Euangelista, Propheta, omnis est sanctitudo. Quid si facinora egregia expendantur? Planè solis scriptis Ioannes cunctos Diuos exæquare videtur, vt operibus excedere innuatur. Petrus Damianus vbi suprà, *Quid in virtutibus, quid in meritis, quo beatissimus Ioannes incomparabiliter non excedat? Apostolus est in Epistolis; Euangelista in Euangelio; Propheta in Apocalypsi.* Si scribens æquat, operans proculdubiò superauit: & cuius scripta ad æqualitatem sufficiunt, opera egregia ad superabundantiam meritorum adiiciuntur. (Vilian. Damian.)

22. *Si cuncti Diui Mariæ filij* Profectò cuncti Apostoli, omnes fideles Deiparæ filij vocitantur, quæ veraciùs Eua viuentium parens exurgit. Dum omnes Diui Mariæ adoptiui filij nuncupantur, alia altioris ordinis filiatio Ioanni præ cæteris dilecto Discipulo excogitanda est. Reliqui filij adoptione: Ioannes quodammodò natura filius appellandus. Audi Arnoldum Carnot. de lament. Virgin. *Ecce Ioannes, piæ hæreditatis suscipis testamentum; eligeris, & in hoc præponeris omnibus.* Omnes testamentum piæ hæreditatis accepêre, dum communem Matrem cunctis Dominus Discipulis specialiter donauit. An tunc Ioannes in hoc præponitur omnibus, quia quidquid cunctis Diuis communiter expenditur, semper (ex dilectionis præcipuæ vi) Ioanni cumulatissimè exhiberi quis abneget? Vnde dum speciali Matris Dei adoptione alij fideles donantur, Ioannes in hoc naturali quodammodo filiatione decoratus apparet. *Ecce Mater tua!* (loquor cum Carnotense) *vices filij naturalis filius accepit adoptiuus, & transfunditur in mutuum filialis affectus, firmaturque; & formatur in ambobus pietatis vnica gratus, concorsque complexus, non ex tradace naturâ sed ex gratiâ.* (*adoptiui, Ioannes ex speciali Christi dilectione filius quodammodo naturalis appellandus.* Arnold.)

23. *Christo quodammodo Ioannes præponendus, ex speciali illa dilectione.* Parum esset cunctis Diuis Ioannem ex speciali illâ dilectione præpositum fuisse, si non & ipsi Iesu quodammodo præficeretur. Asserit Damianus inferiùs exhibendus, Ioannem maiora Iesu miracula fecisse iuxta illud: *Opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* In Ioanne enim adeò Christi operatur dilectio, vt quod Christus non gessit, virgas in aurum, lapides mutaret in gemmas. Aiebat Dæmon aliquando; *Dic vt lapides isti panes fiant,* Matth. 4. Nec in panem Dominus conuertit lapides, vt hoc tantæ potentiæ documentum inseparabili Ioanni, dilectissimo Discipulo reseruaretur. Olim Iesus Naue inseparabilis Moysi dilectissimus comes & filius. Moriturus eum successorem potestatis Moyses reliquit; cuius Iosue præstantiora exhibuit documenta; vt inde Moysis in ipsum dilectionis superabundantia innueretur. Ambrosius lib. 2. offic. cap. 20. *Vbique inter admiranda opera, & veneranda secreta, Moysi Iesus indiuiduus adhærebat. Vnde factum est, vt qui fuerat socius conuersationis, fieret successor potestatis. Meritò vir huiusmodi euasit, vt sisteret fluminum cursus, noctem differret, diem produceret, quod quidem Moysi negatum est, solus eligeretur, vt populum introduceret in terram promissionis.* Magnus vir miraculis, magnus triumphis, illius augustiora opera, huius prosperiora. Scio quidem Christi veri Mosis opera augustiora extitisse. Sed an audax affirmarim Ioannis comitis indiuidui prosperiora excitata miracula? Ex præfatis adnota quot dilectionis diuinæ in Diuos præcelsi germinentur fructus. (Damian. Matth. 4. Ambros.)

Ant. de Escob. & Mendoz. Tom. IV.

Hh 3 Obser.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Vidit Discipulum illum, quem diligebat Iesus sequentem.

An Ioannes Euangelista Baptistæ Præcursori Domini præponendus?

Vbi innuuntur virginitatis præmia, accessus ad Iesum & Virginem Deiparam commoda recensentur.

24. Villan. ALEBAT Valentinus Archiepiscop. *Omnium, omnes gratias, & honores, quos per alios domus suæ famulos sparsim diuisit, in hoc vno plenius accumulauit.* An Baptista quò nullus natus ex muliere maior surrexit, sit Ioanni nostro submittendus? *In hoc vno plenius accumulauit. Spirituum* certè *ponderator est Deus.* At si externis amoris diuini indicamentis fides danda, existimo Euangelistam obiici Baptistæ superiorem. An omnis odiosa comparatio? Grata quidem vtrique nostra Ioanni, facta inter amicos & propinquos, quorum alter commendatur in altero.

25. *Baptista filius Virginis specialiter ad priuorum; Euangelista naturalis quodammodo.* Canis. Ioan. 19. A natalitio exordium ducens spirituali, scio Ioannem Baptistam Virginis filium vocitari. Canisius lib. 2. de Corrupt. verbi Dei, Cap. 10. *Nec desunt qui Ioannem Baptistam Mariæ Filium dicant, spiritualem scilicet. Quandoquidem illa parentes eius inuisens magnam præbuit causam, vt idem in vtero matris conclusus baptismo spiritus imbueretur.* Num non augustius, naturalem Virginis quodammodo in filium mutari, fante Domino: *Mulier, ecce filius tuus: Ecce mater tua!* Ioan. 19. Vbi Augustinus tract. 119. *Alterum pro se filium prouidebat. Se pro se* Ioannem prouider, eum quodammodò naturalem filium constituit, vt naturalis filij locum obtineret. *Pro se filium alterum prouidebat.* De quo inferiùs. (August.)

26. *Baptista recumbit in sinu Christi in cælo, cunctis recumbentibus; Euangelista in terra, nullo discumbente simul.* Guarric. Postquam Guarricus Abbas vitam Baptistæ tot asperitatibus, tot ieiuniis decoratam expressis, adiicit serm. 4. *Cum fastidiis nostris non satisfaciunt opes Mundi, non satis sint artes, & tormenta coquorum, dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahæ, vel potiùs in sinu Christi cum Ioanne. Planè sita est, ridenda magìs, quam prædicanda vita Ioannis.* Credo Abbatem dum de vitâ Baptistæ texebat sermonem, ad Ioannis Euangelistæ somnium in Christi sinu allusisse. Sed do Baptistam in Christi sino collocari. An non huiusmodi accubatio cuilibet apud cælicolas beato communis? *In pace in id ipsum dormiam & requiescam,* aiebat Dauid. Et anima sanctitate conspicua cælos scandit, *innixa super Dilectum suum.* Verùm Ioannis nostri in cœnâ suprà pectus cubatio singulare est Euangelistæ priuilegium. Ideo notanter ipse: *Qui & recubuit in cœnâ super pectus eius.* Vt quando nomen supprimebatur, ex insigni huiuscemodi accubatione Dilectus Ioannes exprimeretur.

27. *Virginitas Baptistæ afficitur præmio dum baptizat Dominũ: Euangelistæ, de pretiosissima Christi gemma donatur.* Damian. Baptistæ virginitas potissima cælesti præmio ornatur, dum datum Præcursori Christum Iordanis vndâ diluere, specialissimo planè priuilegio. Petrus Damian. serm. de Bapt. *Tibi, ô Ioannes, datum est, quòd omnibus est negatum, baptizare eum, Virginémque Virginis filium virgineis manibus irrorare.* Eximium planè beneficium Præcursori collatum, de quo Cyprianus lib. de Baptismo, *Horret Ioannes, & acclinе sibi esse sacrum Christi caput non patitur; quia maiorem à minori benedici antiquis regulis refragatur. Ideóque Deo hominem manus imponere iudicabat temerarium.* Singulare prorsus Euangelistæ elogium, ei Virginem commendatam veræ titulo Matris, *quod omnibus negatum est.* Vnde Hieronymus lib. 1. con. Iouin. cap. 4. hinc Ioannis cuncta merita curat exprimere, quando virgini Virgo commendata est. *Docebo, cuius priuilegij sit Ioannes, imo in Ioanne virginitas. A Domino Virgine Mater Virgo virgini Discipulo commendatur.* Quam ex hoc priuilegio singularia Ioannis elucescãt insignia, alibi ostendam. Interim perpende, an priuilegium augustius, semel Iesum tingere lymphâ; vel diuturnâ custodiâ totum Deitatis Thesaurum, Mariam possidere? *Accepit eam Discipulus in suam.* Sic legit Ambrosius. (Hieron.)

28. *Baptista plura incrementa ex trium mensium apud Virginem commoratione: vberiora Euangelista ex tot annorum consuetudine.* Bernard. Magnum Baptistæ encomium ex diuturnâ apud paternam domum Mariæ commoratione: vnde ipsi tot gratiarum incremẽta addicuntur. Bernardus de Priu. Bapt. sic: *Mansit autem Maria cum illâ quasi mensibus tribus.* Luc. 1. *Morata est, donec puerum beatissimo consoneret sinu, & propiaquiorem redderet præsentia Creatoris.* Inferiùs, *Ipsa Deigenitrix filium puerum primum de terrâ leuauit.* Si trium mensium intersititium cum Virgine, tot Baptistæ incrementa addixit: quid Euangelistæ tot annorum contubernium?

29. *Baptista didicit à Deo arcana Diuinitatis, quæ tacens seruauit: Euangelista quæ euulgauit Ecclesiæ.* Chrysost. Bernard. Thom. Num non Euangelista rerum diuinarum cognitione Baptistæ præcelluit? Chrysostomus hom. 12. in Ioan. *Ioannes Baptista cùm omnibus, quæ sub sensum cadunt, sese exuisset, aliis magisteriis non indiguit; sed cælitus eruditus est.* De qua eruditione Bernardus serm. in Nat. *Ioannes in spiritu tanquam Angelus eruditur. Nimirum tantùm propinquior Deo, quantò vox Deo vicina. Neque enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit.* Quid Euangelista? D. Thomas cap. 13. in Ioann. *Fuit Ioannes magis dilectus propter subtilitatem sapientiæ, quia cæteris altiùs arcana Diuinitatis intuitus est.* Nõne augustius, edoctum à Domino Eũgelistam, illa Deitatis arcana eleuatissima intonãdo edocere Ecclesiam: *In principio erat Verbum, &c.* quam edoctum, licet à Domino Baptistam, adeo subticere, vt docturus discipulos, ipsos immitteret ad Saluatorem rogaturos: *Tu es, qui venturus est, an alium expectamus?*

30. *Baptista adest mediæ Trinitati: Euangelista vnam agit Trinitatis personam.* Matth. 4. Matth. 17. Diluente Dominum Ioanne Baptistâ, Patris æterni exaudita vox. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* Matth. 4. Tunc quidem tota videtur adfuisse Trinitas, Pater loquitur, Filius baptizatur, Spiritus sanctus columbæ speciem referens volitat, non iam super aquas; sed super Saluatoris caput effertur. Profectò apud Thabor Transfigurationis solemni, & Patris vox exauditur, & Filius apparet gloriosus, Requiris Spiritus sancti præsentiam.

Bernard.

ſentiam. Vbinam Spiritus ſanctus? In Iordane adeſt Baptiſta, & ideo tota Trinitas oſtentatur ipſum commendans. Bernardus ſerm. de Baptiſtæ excel. excel. 8 ait, *Octauus honor eſt, prima reuelatio de Trinitate. Pater auditur ab illo in voce; Filius baptizatur in flumine; Spiritus ſanctus demonſtratur in columba ſpecie. Adeſt Ioannes totius medius Trinitatis.* Et cur Euangeliſtæ in Thabor tunc, cum transfiguratur Dominus, commoranti, non Trinitatis cunctæ oſtentantur perſonæ, vt Diuinitatis arcanum reuelaturus, integrè myſterium cepiſſe videatur? Certè, ſi Baptiſta aderat totius medius Trinitatis, Euangeliſtam aſſero non adfuiſſe Trinitatis medium; ſed Patris & Filij; vt ipſe Dilectus admodum Diſcipulus Diuinæ dilectionis exprimat Sacramentum, dum Spiritus ſancti aſſignat proceſſionem. Dilectus itaque in ipſum Spiritum ſanctum conuerſus quodammodo inter Patrem & Filium obiicitur. Cùm Stephanus *plenus eſſet Spiritu ſancto* Patrem & Filium ſolommodo *vidit*. Ioanne noſtro Spiritu ſancto pleno ſolummodò Pater & Filius oſtentantur, vt, Stephani inſtar, tertiam ipſe exerat Trinitatis perſonam.

31. *Baptiſta Aquila comparatur: Euangeliſta eſt Aquila ipſa.* Damian. Ezech. 1.

Denique Petrus Damian. vbis. Baptiſtam aquilæ comparauit fatus, *Relinquit Ioannes Mundum, homines fugit, parentes aſpernatur: & in ſolius Diuinitatis apicem, beata contemplationis figit obtutus.* Certè tam proprius aquilæ typos Euangeliſtæ, vt vera ſit eius effigies ſine pingentis inſcriptione. Cùm Ezechiel aſſerit quatuor ſibi animantia oſtenſa, Hominem, Leonem, vitulum, & Aquilam; quis non videat Aquilæ imagine Euangeliſtam noſtrum exprimi? Plura de Aquilæ inſigni ſparſim ſcripturus vnam dabo in præſenti Auguſtini tr. ct. 36. in Ioan. ſententiam. Reſtat Aquila (poſt reliqua animantia) *Ipſa eſt Ioannes, ſublimium Prædicator, & lucis internæ, atque æternæ fixis oculis contemplator. Dicuntur enim & pulli aquilarum à parentibus ſic probari: patris ſimul vngue ſuſpendi, & radiis Solis apponi. Qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoſcitur; ſi acie palpitauerit, tanquam adulterinus ab vngue dimittitur.* Quàm hinc egregiè aquilinos Euangeliſtæ intuitus commendatur! Plura vtriuſque Ioannis imitanda fulgurant documenta, præcipuè præmium virginitatis, & Societatis Marianæ commoda innuuntur.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Vidit Diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem.

Quàm meritò Ioannes, ex ingenij acumine, ſcientiæque cæleſtis præſtantiâ, ſpecialiter fuerit dilectus à Domino, expendo.

Vbi adnoto, debere Eccleſiæ miniſtros iuxta vocationis inſtituta operam exhibere.

32. Q VÆRIT Antoninus part. 1. tit. 6. cap. 6. cur ſpecialiter Ioannes fuerit à Domino dilectus? Reſpondet ex Doctore Angelico. *Primò, propter intellectus eius perſpicacitatem: ſolent enim Magiſtri illos diſcipulos plus diligere, quos capaciores inuenerint.* Confirmat ex Hieron. in Prol Bibl. Quàm vberem Ioannis ſpecialiſſimi amoris Magiſtro ſuppeditarit materiam ſapientia Apoſtoli, aquilinum eius ingenium manifeſtat.

33. *Ioannes Theologus appellatur ob aptitudinem ad diuina exprimenda.* Bernard.

Aquila magnarum alarum, quæ velocibus plumis adſcendit ad Libanum, vt Cedri medullam erueret, Ioannes Patribus eſt myſteria Trinitatis, & Euchariſtiæ, tam breuiter, tam dilucidè manifeſtans. *In principio erat Verbum, &c. Caro mea verè eſt cibus.* Cap. 1. & 6. Bernardus aſſerit, ideò Ioannem Theologi cognomine inſigniri, quia *ſacroſanctam intima huius ſapientiæ eruit medullam.*

34. *Quia multi ex Diſcipulis recedebant, euulgato à Domino Euchariſtiæ myſterium, Ioannes prolaturus eligitur.* Ioan. 6. Damian.

Ad cuius munus aquilinum Ioannis acumen erat neceſſarium. Manifeſtat Chriſtus coram Diſcipulis, non quidem iam imperitis, Euchariſtiæ myſterium, *& ex hoc multi Diſcipuli abierunt retrò.* Ioan. 6. Nec enim omnes capiebant verbum iſtud. Ideo Ioannem electum ad hoc myſterium declarandum reor. Petrus Damian. ſerm. 1. de Ioan. *Non de turbâ, non quilibet imperitis; ſed ipſi Diſcipuli nequiuerunt verbum myſterij capere. Proptereà igitur Redemptor noſter Dilectum ſibi ſpeciali prærogatiuâ Diſcipulum, ad declarandum ſua Diuinitatis eſſentiam quoddam quaſi organum fecit.* Exundat ſententia Euangeliſtæ elogiis. Primò enim Diſcipulus ſpeciali prærogatiuâ electus innuitur, acuminis ſcilicet, vt Diuinitatem omnipotentem ad id quod hominibus videbatur impoſſibile, profunderet.

35. *Loquente Ioanne, cuncta ſilent de Diuinitate mendacia.*

Varij de Deo apud Philoſuphos errores, innumeræ hæreſes euulgatæ apud Chriſticolas. Nec obticent Ioanne loquente: quia Aquilæ Ioanni organo ſuo hæc gloria à Domino reſeruatur. *In principio* (canit ille) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Siluere cuncta circa Deum philoſophici mendacij verba Ioannes enim Aquila auiculas, ex potentiſſimæ Diuinitatis expreſſione, efficit obticere. Licèt enim Verbi, virtus vocis; organum autem huius virtutis Ioannes eſt: *Quoddam quaſi organum fecit.* Baſilius in cap. 2. Iſaiæ fatur. *Vniuerſum ſimul mendacium ſuppreſſum ſilentio eſt.* (Ioanne locuto: *In principio erat Verbum.*) *Quemadmodum, Aquila aliunde aduolante, ac deſuper conſpecta, futilis garrulitati loquacium auium quàm ocyſſimè ſilentium inducitur.*

Baſil.

36. *Specialiſſima Ioannis aptitudo ad huiuſmodi exprimenda myſteria.* Apoc. 21. 2 Cor. 12.

Vis ſpecialiſſimam Ioannis aptitudinem, ad eleuatiſſima myſteria exprimenda obiiciam? Recole Ioannem noſtrum. apud Inſulam, cæleſtis Ieroſolymæ vidiſſe gloriam: *Vidi Ciuitatem Ieruſalem deſcendentem de cælo.* Apoc. 21. Vidit & Paulus, qui tamen non deſcribit, ſed ingenuè profitetur: *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 2. Corinth. 12. Itane? Homini ad tertium cælum eleuato non licet loqui, quod licet Ioanni? Vidiſti apud Ezechielem hominis & Aquilæ ſimilitudinem? Aſpexiſti Aquilam eminere in hominis conſpectu? Vidi, aſpexi. Tibi ſit Ioannes Aquila, qui circa hoc ipſum hominem Paulum antecelluit. Licuit Aquilæ loqui, quod homini non licuit. Pulchrè Thomas à Villanoua expreſſit. *Ioannes*

ſicut Aquila petens venit ad Libanum. Domus Chriſti, id eſt, Eccleſia cuncta ei reuelata ſunt arcana. Cæleſtis etiam Ieruſalem, id eſt, perpetui Regni gloria ei monſtrata eſt. Nec ſolum monſtrata, ſed & deſcripta. Paulus Apoſtolus cùm illam gloriam perambulâſſet, quæ vidiſſet, interrogatus, neſcit dicere aliud, niſi: Vidi arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ioannes verò vidit, & ſcripſit. Aquilæ enim datum à Domino huiuſmodi arcanis verbis aptiſſimum organum exhiberi. *O miram* (exclamat ille) *ſcholam, quæ talem repentè Diſcipulum Mundo edidit! Non ſic doctus Plato, non ſic verboſus Demoſthenes, non ſic argutus Ariſtoteles de Diuinis differuit; ſupra humanam* (ſiue ſupra hominis Pauli) *facultatem, & ſuprà ſeipſum eleuatus, velut Aquila plena plumis, & varietate, tulit medullam Cedri.* Ediſco ad varia Eccleſiæ munia variè à Domino eligi miniſtros. Non omnia poſſumus omnes. Nec datum boui aranti aquilino ingenio eleuatiſſima myſteria penetrare. Iuxta vocationem quilibet cuſter operam Eccleſiaſticæ meſſi exhibero.

Quod non licuit loqui Homini, licet Aquilæ Ezechielis.

Iuxta vocationis inſtinctum quiſque ſuam exhibeat operam.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Vidit Diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.

Virginitatis puritas ineffabilis Ioannem fecit ſpecialiſſimâ Ieſu dilectione dignum.

Vbi plura innuimus Virgineæ puritatis elogia. Scilicet ſpeciali Dei amore donari, &c.

37\. *Specialiſſima virginitatis puritas ſpecialiſſimam illam excitauit dilectionem.* Antonin.

Elenim ſpecialiſſimæ Ieſu in Ioannem dilectionis cauſam Antonin. adiecit. *Gratiam beneuolentiæ præcipuam ad eum Chriſtus habuit, propter munditiæ puritatem. Virgo enim eſt electus à Domino, canit Eccleſia. Et ideo prærogatiua caſtitatis amplioris dilectione eum fecerat dignum.* Non quidem huiuſmodi ſpecialiſſimæ dilectionis virginitas vtcunque dignum, me iudice, fecit; (nec enim ſolus Ioannes hoc priuilegio decoratus, quod quidem & in Iacobo vtroque, & in aliis Diſcipulis recognoſco) ſed ſpecialiſſima virgineæ puritatis decus.

38\. *Supereminês Diuinitatis reuelatio ſupereminenti virginitati Ioannis impenditur.* Damian.

Tam ineffabilis Ioannis virginitas, vt vel in præſenti præmio affecta fuerit, & data ſit ei à Deo Diuinitatis ſpecialis agnitio, & cæleſtium fruitio deliciarum. Petrus Damian. ſerm. 1. *Non immeritò tam profunda, tam ſupereminens reuelatio Deitatis Virgini Ioanni debebatur.* Scio multis virginibus dandam Deitatis etiam viſionem, iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 6. (quæ verba ſpecialiter de munditia mentis & corporis intelligi poſſunt. At tam ſupereminens, tam profunda reuelatio Deitatis Ioannis virginitati ſupereminenti debebatur. *Vt qui* (adiicit Pater) *carnis ſibimet amputauit illecebras, talis commercio, pro carnali dulcedine, cæleſtium epularum diuitiis frueretur.*

39\. *Angelus prohibuit Ioannis obſequium, quia ſocium vidêrat Deum cognouit ex virginitatis præſtantia.* Apoc. 19. Damian.

Id quod ex vulgari iam loco Apocalypſeos non vulgariter expendam. Dum Ioannes Angelo curaret obſequium ſubmiſſionis expendere, prohibens Angelus inclamat: *Vide, ne feceris; conſeruus enim ſum tuus.* cap. 19. Quare cælicola Ioannis prohibuit adorationem? Reſpondet Damianus ſerm. 1. *Fratrem Angelus recognouit, ſocium indicauit; ſubiectionis obedientiam non accepit.* An non electi virgines ſocij, ac fratres Angelorum futuri? Ita planè. At in præſenti ſæculo non ſocij; ſed alumni. Apud Superos ſocij futuri ſunt, cum non nubentes hic illic erunt ſicut Angeli Dei. Attamen Ioannes ob puritatis decus eximium iam hic Angelorum ſocius prædicatur: Ideo Angelus iam Ioannem ſocium agnoſcens, non aſpexit alumnum: *Vide, ne feceris.*

40\. *A ſola virginitate Mariæ Ioannis virginitas antecellitur.* Damian.

Reliquos igitur Virgines adoratores excipit Angelus, quia eorum puritas à Ioannis vincitur puritate eximiâ. Bellè adiicit Cardinalis, *Quamuis enim in omnibus Sanctis, ſemper ſit Angelicæ munditiæ contubernalis, & cognata virginitas; Ioannes tamen tantò reliquos virgines ſuperat; quantò virginitati Mariæ per ſedulitatis atque perpetuæ cuſtodia meritum appropinquat.* Adhuc pulchriùs ſubiecit: *A quâ ſolâ videlicet præceditur.* O virginitatis Ioannis gloria, quam ſolus Virginitatis Mariæ fulgor vicit!

41\. *Antecellit Mariæ virginitas fœcunda & Deifica Ioannis virginitatem, non alia.* Damian.

Et quare à Mariæ puritate vincitur Apoſtoli virginitas? Audi egregiam Damiani ſententiam. *A Maria ſolius virginitate præceditur Ioannis virginitas; quia fœcunditas virginalis, quæ eſt in Mariâ, nullis eſt omnino meritis comparanda. Et non ſolùm quia fœcunda eſt; ſed quià Deifica. Virginem enim parere, nouum, ac ſingulare eſt: Deum parere, quidquam diuinum.* O prodigioſæ puritatis gloria! A ſola Mariæ virginitate vincitur, quia fœcunda, & Deifica eſt. Illud etiam liberè proferam, quod adiicit Damianus; *Sicut ergo Matris Domini virginitas Ioannis virginitatem excedit: ſic ipſe pro glorioſa eius contubernio cæteros à Mundi primordio virgines antecellit.* Nec Abel vincens, nec Baptiſta victor exurgit? *Cæteros à Mundi primordio virgines antecellit.* An non ideo tonitrui vox, tot virginibus concinentibus, exauditur; *quia Ioannis virginitas cæteros à Mundi primordio virgines antecellit?* Ita planè.

42\. *Ex virginitate Ioannes ſocius Archangeli, circa Mariæ cuſtodiam.* Damian.

Angeli ſocium Ioannem virginem appellaui? Archangeli Gabrielis ſocium fuiſſe iam oſtendo. Commiſſa Archangelo Mariæ cuſtodia, commiſſa & virgini Ioanni, cuius puritas ad Archangelorum faſtigium eleuatur. Petrus Damian. adnotauit. *Quocirca,* (id eſt, quia Ioannis virginitas mirum in modum fulgurans ſupra cunctos virgines eleuatur) *dignum fuit, vt Ioannes Archangelo Gabrieli ad cuſtodiam Matris Domini ſocius haberetur. Quatenus ille cæleſtis domi Paranymphus intactam Virginem inuiſibiliter cuſtodiret, & iſte forinſecùs fragilitati fœmineæ obedientiæ ſuæ miniſterium exhiberet.*

Centum

43. Centum quadraginta quatuor millia Agnum *quocumque ierit* sequi videmus. Credo Ioannem tot virginum gloriam præcedere, dum immediatus Agno pedisequus adiicitur. Ad quæ Cardinalis citatus. *Credendum, quòd inter cunctum illa quadragintaquatuor millia, qui habent nomen Agni, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, qui empti sunt de terrâ, hic beatus Ioannes egregius sit, & insignis, atque cum his omnibus tantò propinquior Agnum, quocumque ierit, sequitur, quantò eidem Agno dilectior, atque familiarior extitit.* Proxima hæc expendenda particula: *Tantò propinquior, quantò dilectior.* Hæc etenim in illo conuertuntur: *Dilectior, & propinquior.* Ideo dilectior, quia ex virginitatis gloriâ propinquior ostenditur, *tantò propinquior, quantò dilectior.*

Agnum sequitur Ioannes immediatus, ideo pro cunctis dilectus amplius. Damian.

44. Mirum denique huiusmodi virginitatis gloriam non solùm animum ascendentem ad Superos, sed & corpus exanime apud sepulchrum comitari. Manna è Ioannis sepulchro profluere Antoninus, Metaphrastes, & plures alij Doctores asseruere. Corpus illud virgineum cælum nobis exhibet, manna profluens. Celebrat Damianus serm. 2. *Iam verò illud quis dignè miretur, quod in sepulchro eius manna reperiatur? In sepulchro, quod domus est vermium, panis oritur Angelorum. Quod Hebræis olim mittebatur è cælo, nunc scaturire conspicitur in sepulchro. Videtis, fratres, quid delitiarum incorrupto carnis habet in cælo, si cibum cæli germinat in sepulchro.* Plura ex præfatis collige virginitatis elogia.

E sepulchro Ioannis virginitas manna emittit, cibum Angelorum. Damian.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Vidit Discipulum, quem diligebat Iesus, qui & recubuit in cœnâ super pectus eius.

Ioanni Deipara ineffabili priuilegio commendatur.

Innuo perspicuum esse Dominicæ in nos dilectionis documentum, si Mariæ filij ex specialissimo exurgamus obsequio.

45. Illam particulam: *Et*, pondero. *Qui & recubuit.* Coniunctio & cuinam verbo, aut clausulæ copulatur: An illi: *Discipulum, quem diligebat Iesus?* Crediderim (quidquid de litteræ contextu) copulandam alij clausulæ, quam supponit Ioannes, nec quodammodò explicare potuit. Nam cùm specialissima priuilegia à Domino accepta recenseret, euulgans suam super pectus Domini excubationem, non deberet aliud speciale proculdubio priuilegium præterire, Deiparæ scilicet se addictum specialiter obsequio. Curans igitur Euangelista sua, suppresso nomine, priuilegia, ex Dei beneficio, ad ipsius gloriam manifestare, postquam dixit se Discipulum illum, quem diligebat Iesus, supprimens silentio maximum Deiparæ sibi traditæ in custodiam (quia quodammodo ineffabile) solum euulgat suam supra pectus Dominicum excubationem, idque media coniunctione, *Et*, quasi coniungens hoc priuilegium, quod exprimit, alteri quod suppresserat: *Et, recubuit.* Specialissimæ erga Ioannem Dominicæ dilectionis documentum fuisse, ei Deiparam commendatam, supra vidimus ex Archiepiscopi Valentini sententiâ. *O magnum* (addit) *dilectionis indicium! suo loco apud Matrem substituit eum, & pro se Virginis in filium reliquit.* Villan.

46. Hæc prima sit tanti priuilegij circumstantia, pro meritis quodammodo Ioannem huiusmodi hæreditate fuisse donatum. Discipulus erat, quem diligebat Iesus, ob specialissimam ipsius erga Dominum dilectionem, cuius indicium præstans extitit, cum Domino morituro fideliter astitisse. Ergo dilectioni Ioannis quodam iure hæreditas illa debebatur. Olim Eliæ Discipulus duplicem spiritum efflagitabat, cui Propheta Magister ait: *Si videris me, quando tollar a te, erit tibi, quod petisti.* 4. Reg. 2. Ergo videnti Magistri discessum iam duplex spiritus debebatur. Ioannes Cruci hærens adstat Iesu morituro, discessurum minimè deserit. Igitur Discipulo diligenti præcipua amantis Magistri signa debebantur. Rupertus, lib. 5. in Reg. cap. 18. *Velut ex latere meritum attigit Elisæi. Videlicet, quia perseuerando cum illo, quasi hæreditario iure, spiritum perciperet Magistri.* Quod quidem inferiùs sub alio prætextu ponderabo. Nunc illam premo particulam: *Meritum attigit Elisæi.* Donatum enim fuisse Domini præcipuo Thesauro, Maria scilicet, Ioannem pro *merito*, ineffabile elogium Euangelistæ reor. Potuit meritum adeo eleuari, vt Deiparæ, quasi hæreditario iure, possessio ei à Deo pararetur in præmium?

Iure quodammodo data Ioanni Maria filiatio.

4 Reg. 2.

Rupert.

47. Deinde effero Ioannem Virginis filium effectum. *Et ex illâ horâ accepit eam Discipulus in sua.* Ioan. 19. Legit Ambrosius, *In suam.* Scilicet, *Matrem.* Vnde de Virgine curauit Ioannes, quasi Matri propriæ prouideret. Ambrosius idem serm. 15. in Psalm. 118. *Sic distributum est huic Discipulo, quod opus erat, vt illic etiam beata Maria, tanquam Matris eius, portio poneretur. Illic.* Dum scilicet Maria & Ioannes vnicâ in domo morarentur. O Ioannis Euangelistæ propè immensa dignitas, qui tamdiu cum Maria Matre persistere meruit!

Quam magnum, Ioannem eadem in domo cum Maria tamdiu commorari Matre scilicet sua. Ioan 19. Ambros.

48. Abiit aliquando Maria in montana Iudææ, vt Elisabetham salutaret. *Exultauit autem infans in vtero eius.* Luc. 1. Quæritur quidnam huiusmodi indicet exultatio? Respondet Cæsarius Dial. 3. Ioannem Baptistam, tantum Mariæ splendorem ferre non potuisse. *Ille, appropinquante suæ matri ea, quæ gestabat Filium sine patre, Matrem reueritus Mariam, gestus exiliendo: ac velut imminente sibi à Maria prægnante periculo, non ferebat eam, quæ facem gestabat, propiùs accedere.* Si Baptista vix potuit vteri interposito velo Mariæ splendorem tam paruo temporis interstitio sufferre, quonammodo Euangelista palam tot annis sustinuisset, si maiori lumine præditus non esset? Addit Pater, *Euangelistam* (Ioannem) *autem in eodem loco status, & commendat Matri pro-*

Baptista non potuit tantum fulgorem sustinere. Euangelista diuturno aspectu (oculis aquilinis) fruitus est. Cæsar.

pria

pria Dominum , cùm intentis in eum oculis , ait:
Ecce Mater tua ! Particula hæc : *In eodem lo-*
co , notanda , vt Euangelistæ mirabilem con-
templere capacitatem, dum Baptista non ferens
splendorem in vtero exilit ; & Euangelista *in*
eodem loco cum Maria tamdiu commoraretur,

49. Sed quisnam æquare valeat sermone , gra-
Immensum gratiarum pondus Ioanni ex diuturna apud Mariam Matrē commoratione obuenisse quis dubitet?
tiarum ac meritorum incrementa , quæ ex hu-
iusmodi contubernio Ioanni nostro addicun-
tur ? Ex alterius Ioannis gloriâ summam indica-
mentum. Multi sunt Patres in pondetatione
earum gratiarum , quæ Baptistæ minim accre-
uerunt in cumulum , ex Mariæ apod Zachariæ
domum præsentiâ , trium mensium spatio. Ar-
gue obsecro , Euangelistæ ex diuturna Mariæ
præsentiâ (ineffabilia planè) incrementa. Au-
diendus Thomas à Villanouâ fatus serm. de
Villan. Ioan. *Si vna huius Virginis salutatio Baptistam*
in vtero tantâ gratiâ perfudit : quid putas , in
Euangelistâ, tam diuturna conuersatio fecit ? Si
grande fuit apud Elisabeth tribus mensibus Vir-
ginem commorari : quantum erit tot annis apud
eandem Virginem eadem domo versari ? Bene-
dixit Dominus Obededon, quia in domo suâ ar-
2.Reg 6. *cam Domini recepisset. 2. Reg. 6. Et Ioanni*
quomodò putas benedixerit,qui Virginem Theo-
tocon , (id est , Matrem Dei) *tot annis apud se*
habuit. Adiicit appositè ad argumenti appli-
cationem illam Ioannis clausulam : *Vidit Di-*
scipulum , quem diligebat Iesus. Hac omnium
gratiarum maxima fuit , hoc maximum , &
præcipuum illius dilectionis iudicium. Vt ediscas,
tunc erga te Dominicā elucescere dilectionem
præcipuè, cùm te adeò ad Deiparæ excitat ob-
sequium , vt filiali affectu eam possis Matrem
charissimam appellare ; ex quâ quidem mater-
nitate tot tibi cælestia munera proferentur.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Vidit Discipulum illum , quem diligebat Iesus , &c.

Ideo Ioannes cæteris magis dilectus , quia plus ipse reliquis dilexit Saluatorem.

Vbi assero amorem amore rependendum : amoris enim pretium est amor.

50. AVDIANS Ioannem Discipulum , quem
plus Saluator reliquis diligebat , asserui
ipsum plus cæteris dilexisse Saluatorem. Appo-
Anton. sitè Antoninus part. 1. tit. 6. cap. 6. *Ex his*
videtur inferri , quòd Ioannes ex quo plus dile-
ctus à Christo cæteris , plus & ipsum cæteris
Christum dilexerit ; quia Sapiens ait Prouerb.
8. Ego diligentes me diligo. Et quantum dili-
gitur , tantùm diliget.

51. Adiicit Florentinos Præsul ; sed io contra-
An Petrus plus Ioanne
rium videtur, quòd ipse Iesus ait Petro : *Simon*
Ioannis , diligis me plus his? Ioan.21. Ergo , si
Petrus plus Ioanne dilexit, quonammodo Ioan-
Saluatorem dilexerit
nes plus reliquis dilexisse asseritur , vt Christi
Ioan. 21.
explerēt dilectionem ? Respondet ille, *Non po-*
Anton.
test dici tutè , quod Petrus plus dilexerit Chri-
stum , quia tunc fuisset maioris meriti , & præ-
mij. Christus quidem non asserendo ; sed inter-
rogando ait : *diligis me plus his ?* ostendens ex
hoc , quadam congruitate Præsulem in dile-
ctione subditis debere præcellere ; sed non ex
necessitate. Nec præsumpsit Petrus hoc assere-
re ; sed tantùm , quòd diligebat. Quærit Do-
minus : Diligis me plus his ? Ille autem. *Tu*
scis Domine , quia amo te. Nec ausus coram
Ioanne plus dilecto à Domino de vberiori di-
lectione præsumere.

Exurgit tamen pugnax Augustinus apud D. 52.
Ioannes inæfabiliter felicior , si plus diligeretur à Domino, quā Petrus.
Thom. in Cat. *Tacito hic nomine discernitur*
Ioannes à cæteris , non quòd solum eum,sed quod
plus cæteris diligeret eum. Petrus plus dilexit
Christum. Videtur ergo melior , (id est , ma-
iori dignus dilectione Christi) *qui plus , quam*
Augustinus
qui minus diligit Christum. Item videtur me-
lior, qui plus , quàm qui minus diligitur a Chri-
sto. Quis de duobus melior est ? An qui minus
diligit Christum , & plus diligitur à Christo?
An quem minus diligit Christus , cùm ipse plus
Christum diligat ? Sic Doctor soluit quæstio-
nem ,*Videtur quidem qui plus diligit Christum*
melior ; quem plus diligit Christus fælicior. Do
quod Petrus plus diligeret Saluatorem , quàm
Ioannes. Cur fælicior ab Augustino vocitatur?
An non quia præter legem illam , aut commu-
ne præscriptum : *Ego diligentes me diligo*, tan-
ti Deus Ioannem æstimârit , vt eum vel minus
diligentem plus dilexerit ? Hoc arguendi gra-
tiâ. Assero enim Ioannem plus reliquis dile-
ctum à Domino,non absque aliquo fundamen-
to dici posse, plus reliquis Dominum dilexisse.

Non ideo affirmo plus à Domino non fuisse 53.
Ioannes plus amatus à Domino expectat diem Iudicij , vt amans continuò implere possit mensuram dilectionum Saluatoris.
amatum , quam Saluatorem ab ipso. Nam qui
plus reliquis Dominum amauit , haud potuit
explere immensam vim Dominicæ dilectionis;
quæ tandem aliqoando explenda est. Dominus
Petro. *Sic eum volo manere donec veniam. Exiit*
mox sermo , quod Discipulus ille non moritur,
&c. Ioan. 21. Ad quæ Theophylactus , *Chri-*
stus non negauit Ioannem moriturum, nam quid-
Ioan. 21.
quid oritur , moritur : sed dixit : Volo eum ma-
Theoph.
nere , donec veniam , id est , viuere vsque ad
Mundi finem ; & tunc pro me patietur Marty-
rium. Et ideo fatentur aliqui adhuc viuere Ioan-
nem ; ab Antichristo verò debere occidi , & vnà
cum Elia prædicaturum nomen Christi. Inferiùs
hanc refello opinionem. Sed admittens in præ-
senti vt ansam præbeat egregiæ cogitationi,
quærito , cur Dominus Ioannem vsque ad An-
tichristi tempora disposuit eius aduentum ex-
pectare ? Profectò vt immensæ erga se Domini
dilectionis amans tot sæculis possit æquare ma-
gnitudinem. Ad hanc mentem allicio Augu-
August.
stinum citatum. *Propterea dictum est ei : Volo*
eum manere , id est , expectare , donec veniam:
quando & ipsum amorem , qui tunc multò am-
plior erit, nondum habet ; sed expectat [illegible]urum:
vt dum venerit ipse , habeat. O ineffabilis præ-
stantia amoris Iesu in Ioannem, si vt eam Apo-
stolus mensuram impleat, vt rependat , vt gra-
tus soluat, necessum fuit eum ad paradisum as-
sumi vt nunquam non ardenter amans vsque ad

diem

dem nouissimam tandem possit æquari. O Ioannis immensam fælicitatem, qui meruit quodāmodo plus à Domino diligi non æqualiter amato!

54\. Quòd si Theophylacti sententia Augustinique contemplatio admittenda non sit, diu saltem Ioannes superstes incredibilibus dilectionis incrementis honestatur. Debitor enim nec per vnum (si liceat fari) instans ab amoris, seu dilectionis studio recessit. Profugientibus Apostolis Petrus & Ioannes Dominum comitantur. Petrus quidem pluribus in domo Cayphæ tentaminibus afficitur, ancillâ ostiariâ, & aliis arguentibus: *Tu ex illis es, &c.* Matth. 26. At Ioannes notissimus quidem & ipsi Pontifici Discipulus Christi, minimè ab aliquo disturbatur. Adnotauit Archiepiscopus Valent. fatus: *Mirandum, quòd cum in passione Domini omnes fugissent, & solus Ioannes & Petrus cum Domino mansissent, Petrum teties ministri sathanæ querendo infestant; Ioannem verò nullus interrogat. Astat in Palatio, astitit in prætorio, adest in patibulo, lacrymatur, dolet, gemit, palam Magistri sui mortem deploras: & nullus eum interrogat: Quid ploras? Nullus criminatur dicens: Amicus es, Discipulus es, fautor es.* Cur ita? *Mira vtique amoris dispensatio fuit, vt terribilibus Domini dilecti sui cruciatibus dilectus adesset, & calicem passionis ad pedem Crucis cum dilecto potaret.* Vt scilicet Ioannes nunquam à diligendi ardentissimè studio recedens sine morulis, sine interstitiis, posset Christi dilectioni respondere.

Diu viuens implere curauit mensuram dilectionis nunquam non diligens, & obsequens.
Matth. 26
Villan.

55\. An præcipuum dilectionis Dominicæ in Ioánnem documentum fuit, ei fuisse Deiparam commendatam? Huius gratiæ debitum curauit Ioannes pro viribus explere. *Ecce* (inquit Dominus) *filius tuus: Ecce Mater tua.* Et *ex illâ horâ accepit eã Discipulus in suã.* Ioan. 19. *Accepit* quidem *in sua* cura, & obsequio perpetuo, vt rependeret illud pro ipso specialis dilectionis documento. Pulchrè Ildephonsus serm. 5. de Assumpt. *Ioanni dilecto Matrem Christus commendauit. Qui ab ipsa Cruce eam suscepit in sua sollicitudine, & curâ. Videlicet, vt Domino nostro rependeret seruitutis & dilectionis obsequium, qui eum præ cæteris fecerat suâ dilectione dignum.* Quid dignum fieri Ioannem Christi specialissimâ dilectione, nisi ingratum minimè post acceptum beneficium persistere?

Ioannes dilectioni Dominicæ, ex Virgine ipsi commendata respondere curauit.
Ioan. 19.
Ildeph.

56\. Certè Virginem Matrem Ioannis effectam esse à Domino non minus egregium amoris documentum fuit, quàm ei fuisse commendatam. Quid si Ioannes priùs ex dilectione meruisset quodammodo hoc donari munere? *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius.* Ioann. 19. Ambrosius. *Sed neque Maria minor, quàm Matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis, ante Crucem stabat, & piis spectabat oculis Filij vulnera.* Quisnam hoc narrauit? Solus Ioannes, qui solus iuxta Crucem simul stabat. Addit Ambrosius, *Maria Mater Domini ante Crucem stabat Filij. Nullus me hoc docuit nisi sanctus Ioannes Euangelista. Mundum alij concussum in passione Domini conscripserunt, cælum tenebris obductum, refugisse solem. Ioannes docuit, quod alij non docuerunt.* Aderat ille intrepidus, Cruci illigatus, reliquis fugientibus. An decebat Dei Matrem iuxta Crucem stare? Ergo Ioannes stans iuxta Crucem materni vultus ebibens formam, *non minor quàm filium Mariæ decebat, fugientibus Apostolis antè Crucem stabat.* Videns ergo Dominus *Discipulum* intrepidè *stantem*, vt illud rependeret singulare obsequium, eum Mariæ stantis filium constituit. Theophylactus, *Concredidit Discipulo præfecturam Matris. Quomodo honorat Discipulum fratrem suum illum faciens? Vsque adeo bonum est stare apud patientem Christum; nam in fraternitatem illius ducit.* En ductum Dominum ex statione Ioannis, vt stantem muneraret, stantis Matris ei tradendo præfecturam. Vt qui stans stantis Virginis insigne imitaretur, eius filius effectus frater Domini vocaretur.

An rependerit, quod filius Mariæ effectus fuisset?
Ioan 19.
Ambr.
Theoph.

57\. In sinu Domini recubuit? Ausus quidem recumbere, quia eius vitæ omnino immaculatæ locus ille quodammodo debebatur. *Erat ergo* (ait Ioannes) *recumbens vnus ex Discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille super pectus Iesu, dixit ei: Domine, quis est, qui tradet te?* Cap. 13. Et quonammodo ausus Ioannes Christi sinum occupare? Apollinarius apud Corder. in Cat. Græca. *Recubuit in sinu Iesu: tantam nimirum Magister illi tribuit confidentiam. Quòd si & huius rei causam scire velis, ego ob id factum puto, vt ostenderet se à crimine alienum: ideóque id audere.* Ineffabile prorsus beneficium, Ioannem ad sinum Domini admissum; sed date mihi Discipulum ita immaculatum non immeritò tanto munere affectum.

Quid ad sinum Domini admissum fuisset
Ioan. 13.
Apollin.

58\. Efferatur itaque à cunctis Ioannes quòd fuerit Discipulus à Iesu Dilectus. Ego eum commendârim, quòd dilexerit se diligentem; diligens enim Christum à Christo diligebatur. Magnum Euangelistæ encomium (fateor) Dilectum vocitari; quia Christus hoc nomine insignitur; sed ideo Dilectus Dominus appellatur, quia diligens Ioannem ab ipso diligitur. Archiepiscopus Valentinus. *Vide* (ait) *quantum dignitatis Ioanni accrescat, quòd vnigeniti Filij Dei titulum quodammodò meruit obtinere. Sponsus enim in Canticis Dilectus sæpissimè nuncupatur.* Et cur Dilectus? Certè ex Dilecto. Vnde. Qualis *Dilectus tuus ex Dilecto.* Canticor. 5. *Rex virtutum Dilecti Dilecti.* Psalm. 67. Vocatur Dominus dilectus ex dilecto Ioanne, quia prior ipse dilexit Ioannem; sed Ioannes rependens munus, dilexit Saluatorem. Bellè concludit Præsul, *Ioannes ergo Dilectus simpliciter vocitetur, Christus autem Dilectus ex Dilecto Ioanne.* Ex præfatis, amatus à Deo, innumeris quotidie beneficiis obæratus ediscat rependere amando gratitudinem; amor enim pretium amoris est.

Ab aliis laudetur Ioannes, quod sit Discipulus Dilectus. Ego eum commendo, quod dilexerit diligentem se.
Villan.
Cant. 5.
Psalm 67.

OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

Qui & recubuit in Cœnâ in sinu Domini.

Ioannis, Christi ex sinu, gloriam illustro.

Adnotans, eum qui Domino hærescit, vnum cum ipso spiritum fieri.

59. DIXIMVS perspicuum dilectionis Dominicæ erga Ioannem documentum, ad sinum fuisse Saluatoris admissum. Quod confirmans Antoninus part. 3. titul. 6. cap. 6. ait: *Ioannes magis dilectus, quantùm ad quædam familiaritatis indicia, quæ illi Christus magis, quàm aliis ostendit. Vnde & ei soli proditorem manifestauit, & super pectus in Cœnâ vltimâ recubuit. In signum, quia de fonte diuinæ sapientiæ maximam Verbi profunditatem debebat haurire.*

Anton.

60. Quàm diues surrexit Dominico è pectore, qui totam ditauit Ecclesiam! Petrus Damian. serm. 1. *Quia in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, ex illo cælesti gazophylatio summam traxit, vnde nostra paupertatis inopiam copiosâ liberalitate ditauit.*

Quam diues Ioannes Dominico surrexit è pectore? Damian.

61. Profectò in sinu Domini recumbens sese Principis præcipuum a secretis Ministrum ostēdit; & vt vulgariter explicem, *El valido del Rey de los cielos.* Ideo adiicit. *Qui & recubuit in Cœnâ super pectus eius, & dixit: Domine, quis est, qui tradet te?* Quonammodò ea gesta fuerint, ipse alibi exposuit. *Erat ergo recumbens vnus ex Discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est?* Cap. 13. Vbi adnoto priùs supra sinum recubuisse Ioannem, postea ad pectus ascendisse. Quare ascendit ad pectus? Certè vt secretorum Domini solus particeps esse innueretur. Pulchrè Theodorus Mopsuesten. apud Corderij Caten. fatur, *Recumbentis in Christi sinu Ioannis innuebat Petrus, vt peteret, quis eum esset traditurus. Recumbens itaque in Christi pectus, clanculum, ne à cæteris audiretur, interrogauit.* Quid si cæteri audirent? Non omnes admittendi ad arcanorum Domini participationem. Ioanni dilectissimo à consiliis Ministro reuelandum, quod à Petro reliquisque Discipulis absconditur. Qui enim tantâ vtitur confidentiâ, vt tam facilè possit è sinu in pectus exurgere, dignus planè, qui occultissimorum reuelatione donaretur.

Se ostendit Ioannes, esse præcipuum à consiliis Ministrum. Ioan. 13.

Theodor. Mopsuest.

62. Cupiebat aliquando Sponsa locum accubitûs Dilecti sui lustrare, vt venerari posset tantum tabernaculum Deitatis. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi cubes in meridie?* Cant. 1. Si diligis, si diligeris, ô Domini sponsa, efflagitâ, in sinu Iesu cubare. Solummodò cupio indicari mihi locum Dominicæ accubationis, vt beatissimo fruar aspectu. Tantum-ne loco addici Dominum accubantem? Quantum ergo erit ipsum Dominum locum addici Ioanni accubanti? Ipse Deus locus est, vbi Ioannes accumbit. Bernardus serm. 5. de verb. Isaiæ, *Parum videtur Sponsa videre sedentem, sibi cubantem flagitat indicari.* Venerabilior enim ei locus vbi accumbit, quàm locus vbi sedet. Si locus adeo venerabilis est ex Domino accumbente, quàm venerandus Ioannes ex eo quòd Dominus ipse locus est, vbi Ioannes accumbit?

Si locus vbi Dominus requiescit, venerabilis admodum quid Ioannes venerabilis, dum Dominus locus fuit, vbi ipse accumberet. Cant. 1. Bernard.

Petrus Ecclesiæ Præsul sedet; imò ipse & cuncti Apostoli iudicaturi consedebunt: *Sedebitis & vos iudicantes duodecim Tribus Israel.* Rogo an gloriosior illa sessio Ioannis excubatione? Respondet Bernardus citat. *Dulcius sapit per omnem modum, quod Apostolus ait: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* 1. Cor. 6. *quàm quod Apostolis dicitur: Cùm sederit Rex in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes iudicantes duodecim Tribus Israel.* Matth. 19. En Ioannis ex huiusmodi accubatione gloriam! Vnus spiritus cum Iesu ipsi adhærens efficitur adeò, vt Petrus eum interrogaret, *Quis est, de quo dicit:* Et vndenam ô Petre, Ioannes agnosceret? Quia super pectus Dominicum excubans, iam cum Iesu vnus spiritus est, iam alter Iesus debet reputari. 63.

Gloriosior Ioannes in Iesu pectore accubans, quam Apostoli sedentes. 1. Cor. 6. Matth. 19. Bernard.

Hoc Ioannis priuilegium Patres olim typicè innuentes, gloriâ mirabili illustrantur. Isaac lecto quiescens, Iacobo filio cunctas impendit benedictiones: *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* Genes. 32. Sed & Iacob lecto addictus duodecim Patriarchas benedictione donauit. Deuter. 33. Vndenam illis tanta bonorum affluentia? Quia Christum Ioannis accubitum figurabant. Ambrosius lib. de Isaac cap. 5. *Lectulus Sanctorum Christus est*, quod Ioannes in sinu Domini recumbens probat. *In hoc lecto requieuit Isaac, & benedixit filium iuniorem. In hoc lecto recubans Iacob, benedixit duodecim Patriarchas.* Si tam diuites accumbentes in typico lecto, quàm ditior Ioannes verè in Christi pectore requiescens? Illud ad mores adnota, Deo adhærentem vnum fieri cum ipso spiritum, vt studeas nunquam à Domino (siue in orationis exercitio, siue in Eucharistiæ receptione) separari. 64.

Patres olim gloriosi, exprimentes Ioannis accubitum. Gen. 32. Deuter. 33.

Ambros.

OBSERVATIO IX.

Ad illa verba:

Hunc ergo cum vidisset Petrus dixit: Domine, hic autem quid?

Ioannem Petrus meritò se superiorem sanctitudine innuit.

Ostenditur prudens moderamen adhibendum circa Diuorum comparationem.

AVDIENS Petrus tot se à Domino beneficiis donatum (nam & Ecclesia eius curæ 65.

curæ cõmissa, & Crucis gloria victorijs promissa egregijs) agnoscensque Ioannis plus dilecti à Domino ob vberiorem sanctitatem scilicet, merita: recognouit celsiori illum munere donandum; vndè profatur: *Hic autem* quid? Quasi diceret, Si Petrus tot donatur beneficijs, Ioannes, præstantior vtique, quot nam thesauris cœlestibus replebitur? Chrysostomus apud D. Tho. in cat. *Quia magna Petro prædixerat Dominus, & Orbem terrarum commiserat, & martyrium prænunciauerat: dixit; Hic autem quid?* Celsiora nempè de Ioannis munere præsumens.

Chrysost.

66. Age, magnalia Petri ab ipso Apostolorum Principe excitata, Ioannis magnalijs opponamus. Magnum prorsus, Petro commissam Ecclesiam. An non maius, Dei Matrem commissam Euangelistæ? Petrus Damian. serm. 1. *Commisit Dominus Petro claues Ecclesiæ; voluit autem Ioanni Matris custodiam delegare.* Quænam augustior delegatio? *Vtraque Mater; Mater Maria, Mater Ecclesia. Sed Maria Mater Christi, Ecclesia Mater populi Christiani.* Ergo Ioannes vincit, qui Dei Matrem custodiendam accepit, Petro interim fidelium Matrem custodiente. *De Maria* (adijcit) *Christus carnem suscepit; Ecclesiam verò de lateris sui carne produxit. Harum duarum Matrum, duarum perpetuò Virginum, alteram Petro, alteram Ioanne voluit commendare.* An non Ecclesiæ Maria Regina & Mater? Augustius ergo munus Ioanni addicitur, quam Præsulum Parenti.

Petro Ecclesiæ Matris delegatur custodia. Ioanni Matris Dei. Damian.

67. Dominus Petro: *Tibi dabo claues Regni cælorum* Profectò Mariano cælo à Domino Ioannes Clauicularius constituitur. Damianus, *Numquid & Maria cælum non fuit, in cuius vtero virginali nouem mensibus tota Diuinitatis plenitudo permansit? In breuissimo virginalis vteri domicilio constitutus, & cæli gubernabat Imperium, & terrenorum omnium non amiserat Principatum. Cælum igitur Maria, atque ideo Ioannem Dominus Clauicularium cæli esse constituit, cum Genitricis suæ eum decreuit esse Custodem.* Vtra maior gloria; Regni claues, an Reginæ Mariæ possidere?

Petrus cæli Clauicularius. Maria cæli augustioris Ioannes. Damian.

68. Petrus confessione egregiâ Christi Diuinitatem protulit. In conspectu enim Discipulorum ait: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Num Ioannes professus fuerit Christi Diuinitatem? Audi pulchram eiusdem Damiani citati sententiam: *Cùm Redemptor inquireret: Quem dicunt homines esse Filium hominis? illique protinus respondissent: Alij Eliam, alij Ioannem Baptistam &c. Donec ad Petrum ventum est, mutabat assertio: Tu es, inquit, Christus Filius Dei viui. Inter nutantis adhuc fidei sinuosa volumina, inter fluctuosas ambiguitatum fluctuantium tempestates, Piscator ille veritatis anchoram fixit, & nauiculam fidei, in tutissimo tranquilli portus sinu collocauit.* Quid Ioannes? *Hæretici Marcion, Cherinthus, Ebion, cæterique quamplurimi caulas Ecclesiastici gregis irrumpunt, & velut lupi graues super ouilia, pastoris adminiculo destituta, grassantur, Christum ante Mariam non fuisse dogmatizantes. Confunditur Mundus, turbatur Ecclesia, vacillat fides, & velut inhorrescente tempestate, perfidiæ plurimi naufragantur. Ioannes* (qui fuerat à Domitiano relegatus in Pathmos Insulam) *redit Ephesum, & quid* *quid inuenit errorum turbine, atque tempestate turbatum, solidius, atque robustius ad pristinæ fidei reuocat sacramentum. Nam rogatus à charitate ferè totius Ecclesiæ, in illius tandem erupit Diuinæ inspirationis elogium: In Principio erat Verbum.* Faciliús-ne fidem inter amicos & domesticos confirmare, quàm ab hostibus vindicare calumniatoribus?

Petrus Iesu Diuinitatem confitetur: profitetur & Ioannes. Damian.

Elogium plane singularissimum Petri, Ecclesiæ fundamentum vt petram apponi. *Tu es Petrus,* (ait Dominus) *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Silet-ne Ioannes, huiusmodi resonante Panegyride? Audi Cardinalem: *Petra quoque Ioannes factus est, supra cuius fides fundamentum totius Ecclesiæ structura consurgit.* Et quodnam fundamentum hoc: Illud planè totius Euangelij sui fundamen appositum Verbi diuinitas. *In principio erat verbum.* Hæc petra (adijcit) *veri Dauid fundam implet, quæ Philisthæum, signanter in fronte percutiat, vbi prophanus, & impius Crucis vexillum non habebat.* Profectò hoc singulariter eluxit in Ioanne licet enim Petrus Christi Diuinitatem professus est: *Tu es Christus Filius Dei viui* Martha etiam dixit, *Ego credidi, quia tu es Filius Dei, qui in hunc Mundum venisti. Illud autem Ioannis* fundamen fidei; *In principio erat Verbum* &c. *singularitatis locum sibi vendicare conspicitur; quia neque antè illum, neque post illum hoc idem scripsisse aliquis inuenitur.* 69.

Petrus Ecclesiæ fundamentum. Ecclesiæ Ioannes fundamentum. Damian.

Venio denique ad Petri singularissima potentiæ cœlestis documenta. In plateis infirmi statuuntur, in lectis ac grabatis, *vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Act. 5. An Dominus tam egregia miracula edidit? Ergo ex hoc superans Dominica opera longo interuallo Ioannem superauit. Bellè Damianus perficit argumentum. Illud quidem (Petri) *Dominum fecisse nusquam legimus,* scilicet vmbra mederi lãguotibus. *Sed quid mirum si Ioannem de Diuinitate loquentem Petro præferimus, cùm illud Euangelij sui singulare principium, ita etiam Dominica verba (si dici liceat) excedere videamus. Hoc Ioanni Dominus concessit in verbis, quod & Petro contulit in miraculis. At ipse operabatur in Petro, ipse loquebatur in Ioanne.* Petrus itaque miracula edidit, operante Christo, quæ Christus numquam scribitur edidisse; sed quę Andreas in multis alijque Discipuli, & Diui plurimi imitati sunt. At Ioannes, loquente Christo, id ore pronunciat, quod neque Dominus, nec alij Apostolici Collegij Proceres protulere. 70.

Singularissima Petri miracula; singularissimus sermo Ioannis. Act. 5. Damian.

Hos tamen acuminis ingenij Damiani fœtus sic moneo proferendos, vt non detrahatur Petro, quod Ioanni addicitur. Adhibita enim prudentiæ cautela, Diuorum sunt merita libranda. Audiendus Antoninus p. 1. ti. 6. cap. 6. *Sciendum secundum Thomam, quòd merita Petri & Ioannis ponderare solius est Dei. Vade cap. 16. Prouer. Spirituum ponderator est Dominus. Non potest ergo dici tutè, quòd Petrus plus dilexerit Christum, quia tunc fuisset maioris meriti & præmij quàm Ioannes. Nec quòd Ioannes sit simpliciter melior Petro.* &c. Id quod de vtriusque Ioannis comparatione superius expressã dictum existima. 71.

Prudens moderamen adhibẽdum circa Diuorum comparationem

SECTIO SECVNDA.

Christi de Ioanne Solutio.

TEXTVS.

VERS. 22. DICIT ei Iesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. 23. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia Discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus : Non moritur, sed : Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? 24. Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc ; & scimus, quia verum est testimonium eius.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Christi ad Petrum Responsione.

1. *Varietas dictionis, sic, & verborum ambiguitas.* DICIT *ei Iesus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere.*] In cuius expositionem in primis præmitto dictionis illius *sic* varietatem. Augustinus, Ambrosius, Bernardus legunt *sic*. Cyrillus, Chrysostomus, Hieronymus *si*. Ambrosius alibi *si sic*. Deinde adnoto etiam esse varietatem in verbis. Ambrosius collocat vtrumque verbum in præsenti indicantis : *sic volo manere, donec venio*. Cyrillus ponit vtrumque in præsenti subiunctiui : *si velim manere, donec veniam*. Bernardus, & Augustinus priùs verbum in præsenti indicantis, posterius in præsenti subiunctiui apponunt : *sic volo manere, donec veniam*. Est lectio communis. Existimo planè vtroque modo & eodem sensu posse legi particulam *sic* aut *si*, quæ habetur in Græco. An verò sit præsens indicans, an subiungens, ambiguum in Græco Toletus profitetur.

Augustin. & alij. Hieron. Chrysost. Ambros. Cyril. Bernard. Tolet.

2. *Ex verborum ambiguitate diuersæ expositiones ortæ. Cyril.* Hâc ex ambiguitate diuersitas expositionum exorta. Cyrillus conditionaliter exponit : *si eum velim manere, donec veniam nihil ad te pertinet.* Non quòd Christus affirmet, eum vsque ad vltimum ipsius aduentum mansurum ; sed quòd etiam si mansurus esset, ad Petrum id minimè pertineret. Alij non conditionaliter legunt, & asseueranter exponunt Ioannem non moriturum vsque ad vltimum tempus ; tunc tamen moriturum. Sic Theophylactus. *Volo eum manere vsque ad vltimum meum aduentum. Hoc autem si volo, ad te nihil pertinet.* Bernardus denique & alij de vltimo aduentu exponentes, interpretantur: *sic eum volo manere*, id est, sine Martyrio. Non quòd non sit moriturus; sed quòd non sit secuturus per Martyrium Christum. Nec licet inferre : si sic mansurus est, donec veniat ; Ergo postquam venerit subibit Martyrium. Consequutio hæc non valet. *Non cognouit eam*, (Ioseph. Mariam) *donec peperit*. Matth. 2. Infertur ne, postquam peperit, cognouisse? Absit. His præmissis.

Theoph. Bernard. Matth.

3. *Approbo lectionem, si & necessario retinendam ostendo.* E duplici τὸ *sic*, vel *si* lectione, *si* magis quam *sic* arridet. Quia si legas: *sic*, tunc sententia terminatur, & absoluitur in verbo illo : *donec veniam*. At si legas, *si*, suspensa est oratio vsque ad illud : *Quid ad te?* Quid si terminetur in verbo : *donec veniam*? Profectò sequentia verba indicant hanc orationem verbis illis : *Quid ad te?* terminandam. Recolens enim Ioannes eadem omnia, inquit : *Et non dixit Iesus; Quia non moritur, sed : si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Si oratio compleretur in verbo *veniam*, cur Ioannes repeteret : *Quid ad te?* Hoc quidem ad propositum mortis non facit. Repetijt ergo, quia in eo completur oratio. Hoc argumento illigatus, qui probabiliter legi ab alijs dixi : *sic* ; non possum non *si* legere.

4. *Verbum est indicantis.* Circà ambiguitatem autem verbi indicantis, vel subiungentis, probabilius puto in præsenti indicantis legendum vtrumque : *si volo manere, donec venio*. scio posteriùs *venio*, aut *veniam* sensum non immutare.

6. *Est affirmans sententia, non conditionata.* An sit conditionata, an affirmans sententia? Tam affirmantem esse appositâ particulâ *si*, acsi apponeretur *sic*, reor. Quando enim *si* verbo indicanti connectitur, non conditionem puram, sed affirmationem significat. Longè enim differunt hæc: si lego, non est, quòd me accuses, & si legam, non est, quòd me accuses : illa enim affirmatio est, hæc conditio sola. Affirmatiua itaque clausula est. Nam si esset merè conditionalis, nulla Discipulis occasio erat existimandi, Ioannem non moriturum. Id autem opinati sunt, quia affirmanter fuerant verba Iesu prolata.

7. *Expenditur sensus.* Iam sensum expono. Respondet Dominus Petro interroganti de Ioanne: si volo eum manere (vt te verè volo) donec venio, quid ad te? siue enim maneat, siue non, qualiscumque exitus eius futurus sit, hæc, quæ tibi dixi, fient, nec mutabuntur ; tu ergo me sequere; quæ tua sunt, considera ; & quæ iniunxi, aduerte; illius enim exitus ad te non pertinet.

8. *De quonam aduentu sive Dominus loquatur?* *Donec veniam.*] De quonam Dominus loquatur aduentu? An de illo vltimo, quando iudicare venturus? Minimè reor ; sed de illo aduentu, quando dicitur venisse punire Iudæos

Roma

Romanorum flagello, in peccati eorum vindictam. Sæpe Dominus in Scriptura, quando malos punit, aduenire, & egredi dicitur. De
Iacob 5. quo per Romanos aduentu Iacobus Apostolus fatur, *Patientes igitur estote & vos, & confortate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquabit.* Cap. 4. Confortat ex Iudaismo conuersos fideles, vt persecutiones fortiter sustineant incredulorum, quoniam citò erant perituri, per Romanos tollendi. Ita Oecumenius citans Chrysostomum. Profectò cæteris Apostolis Martyrio sublatis, Ioannes vsque ad illa tempora mansit viuus, aliquanto etiam post tempore, *sic ergo volo eum manere donec* Iudæos puniturus aduenio. Innuens his verbis Petrum antè Ioannis exitum, manus extensurum, & Cruci suffigendum: nec necem eius à Ioannis exitu dependere.

9. *An corporaliter venturus tunc Dominus?* *Donec veniam.*] Rogas num Dominus tunc corporaliter aduenerit? Minimè, sed effectu supplicij. Quemadmodum Deus descendisse dicitur ad Sodomam puniendam: *Descendam*
Tolet. *igitur & videbo.* Gen. 18. Toletus, *Non in corpore tunc aduenit, sed in effectu.*

10. *Probabilem assero lectionem, sic.* Caiet. Denique cum Caietano admoneo Hieronymum legisse: *si volo eum manere;* non *sic. Corruptus,* ait, *est textus latinus non ab interprete, sed nescio quo; legendum planè si eum volo manere. Et ita quilibet debet non solum legere in Ecclesiâ, si, sed delere de proprio codice, sic.* Nimium tamen accuratâ censura, cùm probabiliter à pluribus apponatur etiam ex Græco, *sic*, & non multum; imo forte nihil præcipuu varietur in sensu: *sic eum volo manere*, id est, volo superstitem eum esse, sicut modo adest, *donec ego veniam*; hoc autem ad te nihil attinet.

---

§. II.

De falsæ opinionis circa Ioannem obortæ emendatione.

11. *An Ioannes viuat, cum Elia & Enoch?* Theop. Hypol. E*Xijt ergo sermo iste inter fratres, quòd Discipulus ille non moritur.*] Antiqua est controuersia, num Ioannes adhuc viuat cum Eliâ & Enoch, nouissimo in tempore venturus, an iam obierit? Theophylactus, & Hyppolitus Mart. Orat. de Consu. Mundi, cum alijs antiquis & recentioribus existimârunt nondum diem suum obijsse; sed adhuc mortalem vitam agere
Ambros. vsque ad iudicij instantiam. Ambrosius serm. 20. in Psal. 118. *An Ioannes mortuus fuerit, aliqui*
Niceph. *dubitârunt.* Nicephorus autem asserit lib. 2. cap. 42. mortuum quidem fuisse; sed resurrexisse statim. Huius sententiæ meminit Hieronymus Hieron. in serm. de Assump. eamque nec probat, nec reprobat.

Communi tamen sententiæ hærens assero 12. Ioannem obijsse. sic Tertullianus lib. de ani. cap. *Iam obijt Ioannes.* de vi mortis. Hieronymus de viris illust. & Tertul. Matth. 20. Augustinus trac. 124. Chrysostomus Hieron. homil. 2. in Ioan. Eusebius lib. 3. cap. 31. Toletus, August. Maldonatus Barradius, Cornelius, & alij. Nec Chrysost. video solidum aliquod fundamentum, quo ni- Eusebi. tantur ij, qui nondum obijsse contendunt, præ- Toletus ter locum hunc, cuius sensum longè ab huius- & alij modi opinione alienum obieci.

Emendat igitur Ioannes falsam à nonnullis 13. Discipulis conceptam ex Christi verbis opinio- *Emendat* nem, qui in eum sensum ea sunt interpretati; *Ioannes fal-* vt significarent Ioannem non moriturum: id que *sam opinio-* existimarunt Dominum Petro indicare voluisse. *nem circa* Ioannes talem sensum à Christi sententia illâ *eius à morte* repellit, ne cæteri, qui audituri erant, eundem *liberationem.* conciperent errorem. Dominus, ait, non dixit Discipulum illum non moriturum, sed hæc verba protulit: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Quibus verbis non statuit, illum non moriturum.

Hic est (addit Ioannes) *Discipulus ille, qui* 14. *testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. &* *Cur hæc* *scimus, quia verum est testimonium eius.*] Oc- *Ioannes ad-* casione sumptâ ex verbis Christi circa perma- *diderit?* nentiam Ioannis vsque ad eius aduentum dicit, se, Discipulum, qui perhibet testimonium de his omnibus, quæ hactenus exposita. *Et scripsit*, id est, sic scripsit, vt simul sit eorum testis; quoniam non ex famâ, sed ex visu, & præsentia loquitur. *Et scimus, quia verum est testimonium eius.*] An Ioannes nunc alterius gerens personam, loquatur? Existimo Ecclesiæ totius personam agentem locutum in plurali: *& scimus.* Toletus; *Nec solus, inquit, ego; sed multi* Tolet. *scimus verum esse hoc testimonium, quia scripsit quæ multi etiam viderunt.* Aptius Caietanus, Caiet. *Ioannes in persona totius Ecclesiæ loquitur, dicendo, scimus: Quod procuidubio Spiritu sancto agente dixit, vt non ipse solus, sed vniuersa Ecclesia certitudinem profiteatur veri testimonij.* Addo hæc Ioannem adiecisse, quia iam illo tempore multi hæretici surrexerant veritatis osores (ipsis haud fidem præstantes Apostolis) quos ex totius Ecclesiæ testimonio illigare conatur. Quare non reliqui hæc Euangelistæ addiderunt? Quia priores, Ioanne pacatis rebus fidei, scripserant. Toletus sic: *Ipse vltimo loco* Tolet. *scribens, multa addidit cæteris Euangelistis.* Scio multa ab antiquis in superioris sententiæ expositionem excogitata, à quibus planè improbabilibus abstinere operæ pretium duxi.

In Ioannem

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS circa literam.

Ex Christi de Ioanne circa Quæstionem Petri Solutione.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?

Ioannes alter Christus; imò ipse quodammodo, & ad solius Christi ditionem immediatè pertinere videtur.

Vbi dilectionis vim innuo hominem in rem amatam transformantis.

15. TOLETVS sic exponit, *Quid tua? Ioannes meus est, & meo arbitratu de illo, quod optimum erit, statuam.* An non *dilectus meus mihi, & ego illi?* In mea immediatè ditione commorabitur. Quidquid optimum, de illo statuendum. Profectò Ioannes tam Christi est, vt quodammodo alter sit Christus; immo ipse Saluator. Vndè sicut penes Deum est, quidquid optimum de Christo statuere, sic quodammodo penes Dominum, quidquid optimum de suo statuere Ioanne.

16. E cruce Dominus Ioanni: *Ecce Mater tua.* Ioan. 19. Vbi pulchrè Arnoldus Carn. de lament. Virg. *Vices Filij naturalis filius accipit adoptiuus, & transfunditur in ministrum filialis affectus. Formaturque in ambobus pietatis vnica gratia, concorsque complexus, non ex traduce naturâ; sed gratiâ.* Illud adnoto: *Vices Filij naturalis filius accipit adoptiuus.* Profectò, si iam adoptiuus erat filius quemadmodum cuncti fideles iusti communis Matris filij sunt adoptione; eo ipso quòd Dominus profatur: *Ecce filius tuus*, (si aliquid nouum verba illa præsignabant) filium Mariæ naturalem quodammodo manifestant. Alibi Dominus, *Vt sitis filij Patris vestri*, Matth. 5. Arguit hinc Paschasius (proprio in loco circa Euangelia de Tempore exhibendus) ex amore inimicorum fideles, Dei quodammodo filios effici naturales, nam si iam filij Patris æterni, vt illa particula: *Patris vestri*, adnotat, & adhuc illis promittitur filiatio, ea debet quodammodo naturalis esse: siuè (vt catholicè eloquar) tam intensa, tam augusta, tot incrementis aucta adoptio, vt quodammodo naturalem videatur imitari. Igitur si *adoptiuus iam filius*, locum filij Mariæ adhuc obtinet, quodammodò naturalis filius videtur exurgere: *Vices Filij naturalis filius accipit adoptiuus.*

Accipit quodammodo Ioannes vices Filij naturalis Mariæ.
Ioan. 19.
Arnol.
Matth. 5.
Pascha.

17. Chrysostomus asserit Stephanum alterum Christum; imo ipsum quodammodò ex eo quòd eius ex Martyrio natalitium cum natali Domini celebretur. An non eadem Natiuitatis Iesu solemnitas Ioannis excipit festum simul celebrandum? Rursùs eadem solemnitas in Ioanne Domini; imo quodammodo Domino instauratur. Petrus Dami. serm. 1. de Ioan. fatur, *Hodie, dilectissimi, nobis lætitiæ gaudia geminantur; quia recenti adhuc Natiuitate Dominicâ, beati Ioannis occurrit solemnitas gloriosa.* Non dixit, additur gaudium; sed geminantur gaudia. An tam læta Ioannis festiuitas, vt valeat Dominicæ Natiuitatis gaudia exæquare? Profectò alter Christus, siue idem Dominus Ioannis in festo celebratur. Vnde gaudia non adijciuntur vberrima; sed ineffabilia (quodammodo ad mensuram gaudiorum ea Natali Domini) geminantur. Bellè solemnitatem Ioannis ideo Damianus vocitauit gloriosam: *Ioannis occurrit Solemnitas gloriosa*; quia quemadmodum in Natali Christi Angeli concionunt: *Gloria in altissimis Deo.* in Ioannis festo idem hymnus videtur personare (*Gaudia geminantur*) vt Ioannis festiuitas aptiùs Natiuitatis Domini solemnia imitetur.

In Ioannis festo gaudia geminantur, quia quodammodo Ioannis dies Natiuitatis Domini solemnitas est.
Chrysost.
Damian.

18. Christus apud nos degens Diuinitatis suæ mysteria eleuatissima hominibus profudit: quia semini cælesti terra minimè erat disposita. Post Ascensionem etiam diuinâ animos disponente gratiâ, Verbi processionis erat mysterium proferendum. At cum iam Christus ad dexteram Patris resideret, vicarium instituit Ioannem, vt Christi gerens personam, quod ipsum Dominum decebat, munus expleret. Nam cùm Ioannes, ipse quodammodo Christus effectus erat Mariç Filius, ei iniunxit Christus quod ipse hominibus prolaturus erat. Appositè Damianus, *Nec mirum, si Redemptor noster Ioanni vicem suam ad declarandum Diuinitatis suæ mysterium delegauit, quem ad custodiendam venerabilem Matrem suam quasi alterum* (imo ipsum) *filium supposuit.*

Vices gerit Christi circa Diuinitatis explicationem, quia alter, imò idem Christus quodammodo effectus.
Damian.

19. Plures Patres hinc affirmârunt à nulla Ioannem Diuo sanctitudine superari; quia qui eum Christum alterum quodammodò constituit, meritis præcelsioribus eum debuit opplere. Audi Cardinalem serm. 2. *Et quoniam non ab alio, sed ab ipsâ Veritate, Mariæ dictus est Filius: Mulier, enim, inquit, ecce filius tuus: atque id ipsum iterando confirmat: Ad Discipulum autem. Ecce Mater tua: nemo iure videtur maior meritis eo, qui speciali quadam gloria frater est Saluatoris.*

Merita Ioannis super cunctos, si Christus alter est.
Damian.

Pulchram

20. *Christus bis asserit Ioannis conuersionem in Mariæ filium, vt tantum priuilegiũ credatur.* Damian.

Pulchram illam huius sententiæ particulam premo: *Atque id ipsum iterando confirmat.* Aliquando me Ioannis priuilegiorum meditatio excitabat ad quæritandum, Cur Dominus, postquam Discipulum Matri commendauit fatus: *Mulier ecce filius tuus*, rursum quasi eandem Discipulo sententiam indicit: *Ecce Mater tuâ!* An non superfluere tibi iterata clausula (siue idem prioris sententiæ sensus) videatur? Si iam Ioannes à Maria admissus in filium, quid necessum fuit Maternitatis specialiter relationem exprimere? Certè ex Damiani sententiâ mea soluitur difficultas. *Atque id ipsum iterando confirmat.* Christus de Ioanne incredibile quodammodo euulgat priuilegium, dum eum quasi alterum Christum efficit; vnde necesse est, hæc veritas stet in ore ipsius Christi Dei Filij semel indicta, & rursum confirmata; vt à fidelibus & capi, & credi possit.

21. *Ioannis in Christũ quodammodò conuersio iam verba, vt valeat panis in corpus Christi conuersionem explicare, & confirmare.* Damian.

Iam ostendo mirabilem Ioannis in Christum quasi conuersionem, ex vulgaribus iam Damiani verbis, pulcherrimis planè, & ideò nunquam non proferendis. Ait ille serm. 2. in Ioan. *Neque enim verba illa, quæ Saluator protulit: Mulier, ecce Filius tuus, sic simpliciter sunt accipienda, vt humano videantur tantùm more prolata, sed prorsus efficacia sunt, atque immutabilis veritatis authoritate subnixa; sicut enim Matri dixit, Ecce Filius tuus: ita dixit Discipulis, Hoc est Corpus meum, & tantum fuit in illis verbis effectus, vt illicò panis ille, quem dabat Dominicum fieret corpus, Ex quadam itaque similitudine (si dicere audemus) Ioannes non solum filij potitus est nomine; sed propter verba illa Dominica, quoddam maius necessitudinis Sacramentum apud beatam Virginem meruit obtinere.* Ex quâ pia exaggeratione illud expende: *Sicut enim Matri dixit, Ecce Filius tuus: ita dixit Discipulis, Hoc est Corpus meum.* Deberet inuertere verba sic: sicut dixit Discipulis, Hoc est Corpus meum; ita dixit Matri: Ecce Filius tuus; vt scilicet ex infallibili per verba panis in Christi corpus conuersione argueret illam Ioannis in Christum mutationem. Haud sic, sed ex conuersione Ioannis in Christum priùs exposita, videtur panis in Christi corpus conuersionem confirmare. An adeo certa Ioannis in Christum mutati contemplatio, vt miræ Eucharisticæ trans substantiationis mysterium possit explicare? O Ioannis numquam commendanda gloria, quia nunquam satis intellectui reserata.

22. *Ioannes apud sinum Domini se ostendit filium Dei.* Chrysost.

De Verbo æterno, *Qui est in sinu Patris.* Vbi Chrysostomus homil. 14. colligit Verbum filium, esse eiusdem substantiæ cum Patre, quia in sinu Patris requiescit. *Non diuersam substantiam in sinu haberet Pater. Sed neque ipse auderet, si seruus esset, si vnus ex multitudine esset, in sinu domini versari. Hoc namque Filij est, qui multum Genitori confidit.* Cum Ioannem contemplor in sinu Domini accubantem, eum quasi filium affirmo: Nam alias quomodo auderet in sinu Domini versari? An non pia hæc audacia filij est, qui multum confidit genitori? Si ergo iam in Cœnâ nouissimâ Ioannes Dei filius reputatur: quid post quam Dominus eum in filium Virginis (fari sic liceat) consecrauit? Hinc disce dilectionis potentiam homines in dilectam rem transformantis.

Ant. de Escobar & Mend. Tom. IV.

Observatio II.

Ad illa verba:

Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?

Ioannes vt alter, seu ipse sit quodammodo Christus, an non Diuinitate conspicuus debet ostentari?

Vbi eadem vis dilectionis confirmatur.

23. *Dilectio Deus efficit Deum diligentem*

CVM Dominus non solum humanitate sit præditus; sed & Diuinitate effulgeat, ob hypostaticam cum diuina Persona vnionem, quonam modo Ioannes alter, siue ipse sit Christus, si non vtramque in eo naturam quodammodo illigatam contemplemur? Ioannem igitur sic Diuinitatis obiecisse documenta ostendo.

24. *Ioannes protulit arcana verba, quæ si non licuit Paulo homini loqui, licet Ioanni quodamodo Deo.* Ioan. 1.

Dum audio sententiam illam: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ioan. 1. Miror planè hominem licèt ad superos eleuatum potuisse hoc arcanorum eleuatissimum proferre. Paulus ad tertium cælum assumptus, nescio quænam exaudierit arcana: illud scio protulisse: *Audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Si non licet homini Paulo, quonammodo licet Ioanni arcanorum maximum ore proferre? Certè si Paulo homini non licuit, licuit Ioanni homini quodammodo & Deo. Bellè Origenes, Orige. *Ioannes ille Theologus Dei viduus omnem visibilem, & inuisibilem creaturam superans, & Deificatus in Deum intra se Deificantem; sed quomodo illud Pauli: audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui? Non ergo Ioannes erat homo solum, sed plus quam homo, quando & se ipsum, & omnia, quæ sunt superauit. Non enim aliter ascendere potuit in Deum, nisi & ipse fieret Deus.* Ita doctor.

25. *Ioannes Deus sui ipsius Propheta est.* Ezech. 1.

Libra illam particulam: *Non enim aliter ascendere potuit in Deum, &c.* Ezechiel Ioannem supra tria animantia hominem, leonem, & vitulum obijcit vt aquilam eminere. cap. 1. An non, quia vel humanitatem transcendens, diuinus quodammodo efficitur, vt posset Diuinitatis attingere verticem? Audi Petrum Dam. serm. 1. Damian. *Illa mirabilis aquila, quam Ezechiel eminere cæteris quatuor animalibus vidit, & ipse Ioannes suimet Propheta factus, volantem mysticâ visione conspexit, ad vnicam Angelorum & hominum escam pennis librata sublimium meritorum feliciter euolauit.* Moses ad Pharaonem mittitur vti Deus, *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Exo. 3. Profectò Ioannes quasi Deus à Domino factus, vt Deitatis arcana reuelaret, suimet Propheta constituitur: *Ioannes suimet Propheta factus.* Nec enim huiusmodi mysteria alius propheta, qui Deus quodammodo non esset, hominibus potuisset euulgare. Ideo Dei Ioannis Ioannes Deus Propheta est: *suimet Propheta factus.*

26. Postquam Petrus Damian. Ioannem asseruit alterum effectum Saluatorem, dum Virginis commutatur in filium, sibi obiiciens Christi duplicem naturam, Diuinam scilicet, & humanam, sic Ioannem vtraque quodammodo conspicuum ostendit. *Et quia mediator Dei & hominum Christus ex duabus naturis Diuinâ scilicet, & humanâ, consistit, vnus Emanuel, Ioannes vtriusque naturæ, fidelis Minister extitit.* Cuius certè documenta exhibuit. *Huius vtriusque excellentissimi Sacramenti quodammodo ministrum se esse testatur, cum per omnem Euangelici Textus seriem, sic styli modum temperat, & quadam vicissitudine mystica varietatis alternat, vt modò humana pronunciet, modò Diuina; modò quæ humanitatis sunt, historialiter inserat, modò quæ sunt Diuinitatis, quadam sublimium, ac subtilium verborum maiestate depromat.* Ac si diceret, Ioannis verba eum hominem & Deum quodammodo esse manifestabant. *Ecce aquila Dei ad verticem sublimiter euolat; sed ad escam carnis necesse est, vt pressis alis aliquando descendat. Vnde post quam ait: In principio erat Verbum; quid subdat, audite: Et Verbum caro factum est.*

Quonam modo Ioannes ex vtraque natura Diuina scilicet & humana, conspicuus? Damian.

27. Cùm igitur Ioannes ad illam Domini prolatam sententiam: *Ecce filius tuus*, alterum mutatur in Christum, quasi duplici à Domino ipso natura quodammodo donatur. En Elisæum duplicis spiritus Magistri hæredem: *Si videris me, quando tollar à te erit tibi, quod petisti.* 4. Reg. 2. Ioannes Magistrum vidit ascendentem; imò è Cruce ad inferos auolantem, accepit ergo hæreditario iure duplicem Christi, quodammodò naturam, vt vtriusque posset minister constitui. Rupertus lib. 5. in Reg. cap. 18. *Ioannes meritum attigit Elisæi. Videlicet, quia perseuerando cum illo, duplicem spiritum perciperet Magistri.* Charitatis hinc, hominem in Deum conuertentis vim adhuc contemplare.

Elisæi in morem, duplici spiritu, seu natura Magistri quodammodo donatur. 4. Reg. 2.

Rupert.

Observatio III.

Ad illa verba:

Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?

Mansit Ioannes triduo mortis Iesu, vices gerens illius, nempe Christus ipse quodammodo; ne diebus illis sine Christo rerum esset natura.

Vbi innuo supremæ calamitatis locum obtinere, animum viuere sine Deo.

28. Alius quiddam excogitaui. Necessum quodammodò, Ioannem pro Christo discedente substitui Mariæ filium, ne sine Christo homine & Deo vidua maneret Ecclesia.

29. Dissolutâ vnione animæ & corporis, Christus Virginis Filius, & Ecclesiæ Sponsus verè non aderat, esto eius corpus diuinæ Personæ, vnitum in sepulchro existeret, & anima eidem diuinæ personæ itidem vnita ad Inferos descenderet: homo enim Christus substantiali præterea vnione constabat, quâ deficiente, verè mortuus est. Triduo etiã illo in Eucharistiâ nõ aderat; quin imo licet aliquis ex Apostolis tunc consecraret, neutrâ in specie corpus viuum aut sanguis viuus adesset. An non tibi, ô Maria, dilectissimo Filio priuata; an non tibi, ô Ecclesia, orbata sponso dilectissimo, calamitas maxima erat, vel triduo Filij tui, sponsi tui amicabili præsentiâ priuari tibique eum præsentem non adesse? Ita planè. Quapropter Dominus & Matri, & Ecclesiæ suæ prouidit solatium, dum Ioannem veluti sui vicarium consecratione quadam in se ipsum transformauit dicens: *Ecce Filius tuus, Ecce Mater tua*; Vt relatio Matris & filij non periret, & vidua Ecclesia Domino potiretur. Rogant itaque Petro quodnam priuilegium Ioanni suo reseruaret, qui se Cruce dilectissimâ donauerat; Christus respondet: *Si eum volo* manere mei vicarium, non iam Christum alterum, sed ipsum, donec venio à sepulchro prosiliens, quid ad te? Ioan. 19.

Vt per vicarium Ioannem triduo mortis suo Filio Maria, suo sponso Ecclesia orbata non fuerint

30. Ioannes ergo recedente Deo suo, Christo suo, viduus relinquitur, & in viduitatis solatium verè Christi Dei Filij vicarius exurgit. Origenes, *Ioannes Dei viduus, omnem visibilem, & inuisibilem creaturam superans, Deificatus in Deum intra se Deificantem.* Ac si diceret, Viduus Dei recedentis, Deus substituitur, vices exerens Saluatoris, ne vidua sine Christo Ecclesia relinqueretur, & vt Maria sine Filio manés posset Christi illo triduo Mater vocitari.

Vidua sine Ioanne Ecclesia. Origen.

31. Contemplatus Chrysostomus hom. 2. ad Popul. Eliseum duplici Magistri spiritu donatum ait, *Et erat duplex Elias ille; & sursum Elias, & deorsum Elias.* Profectò cum Ioannis gloriam spiritu Magistri, seu duplici natura quodammodò ornari expendo, triduo illo haud possum inclamare: *Et erat duplex Elias ille*; quia ex vnionis dissolutione Christi animus à corpore decesserat. Vnicus igitur deorsum Elias Ioannes Christi recedentis præsentiam supplet, ne triduo sine Christo defleret Ecclesia.

Solus triduo illo erat Elias deorsum, non duplex Chrysost.

32. Ad illa verba Saluatoris: *Ecce Filius tuus*, pulchrè adoptauit Origenes, non dixisse: *Mulier, ecce etiam Filius tuus.* Quæ me Filium peperisti, Ioannem etiam vti filium charissimum recognosce; duorum filiorum mater es. Certè triduo illo ita Ioannes Mariæ filius efficitur, vt ipse solus ei relinquatur. Felicissimus Ioannes, qui tantæ maternitatis iura tueri meruisti!

Solus Ioannes est Christus quodammodo illo triduo. Origen.

33. Petrus Dam. ser. 1. memor beneficij tanti à Domino in Virginem, in Ecclesiam collati, apertè asserit Ioannem consecratum in Christum, ne diebus illis Ecclesia sine Christo viuo degeret. *Vt Ioannes*, ait, *suppleret, quod ad tempus ipse Dominus dispensatiuè suppresserat, sibimet Vicarium dereliquit.* Non dixit: *suimet vicarium*: sed, *sibimet*, Vt ostenderet, Ioannem triduo illo absentiæ, ex nece Dominica; non Christi, sed Christo vicarium substitui: solus enim Ioannes quodam modo Christus est in Ecclesiâ. Hinc precor colligas, quantæ sit animo calamitatis, sine Christo diu commorari; si, ne Ecclesia sine Christo, triduo illo viueret, aut potiùs moreretur, Christo Ioannes vicarius adijcitur.

Consecratus Ioannes in Christum, ne triduo Ecclesia sine Christo degeret viuo. Damian.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?

Ioannes tot spiritualibus deliciis vel hîc fruebatur, tot ei sunt cælestia reuelata mysteria, vt aptè fuerit æternæ fælicitatis, ac beatitudinis simulacrum.

Aduoto amantes cruciatibus affectos quasi impassibilitate potiri, ac immorta- les quodammodo mori.

34. SI vis ô Domine Ioannem sic manere, donec venias ad iudicandum homines, nihil ad me, sed multùm ad Ioannem dilectissimum. An patieris Discipulum charissimum in valle degere lacrymarum, à tuo abstractum conspectu? Profectò licet Ioannes esset Dominicum alterum aduentum expectaturus, tot spiritualibus deliciis fruens, tot mysteriorum conscius cælestium, posset apud lacrymarum vallem cælesti quodammodo potiri beatitudine.

35. *Quam beatè Ioannes supra Dominicum pectus accubuit, vnde thesauros sapientiæ, cælestis hausit?* Strab. August.

O quàm beatè supra Dominicum pectus accubuit, vnde thesauros scientiæ cælestis hausit? *Qui & recubuit super pectus eius.* Vbi Strab. *In pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, supra quod recubuit Ioannes.* Vt scilicet hauriret, quo hìc diu moraturus fælix ostentaretur. Augustinus, *Propter illam quietã requiem super pectus Iesu discumbebat, vnde bibitur veritas. Virgo Ioannes inuenit hic futuræ vitæ requiem.* Planè *hic inuenit requiem vitæ futuræ.* Quia tam copiosa cælestium deliciarum vnda potatus est, vt pectore retineret, quo vsque ad diem nouissimam cælesti quodammodo posset quiete potiri.

36. *Quonammodo Christus hic diligebat Ioannem quasi beati.* August.

Proponit Doctor quæstionem, *Quis duobus melior est, qui minùs diligit Christum, & ab eo plus diligitur Ioannes: an quem minùs diligit Christus, & ab eo plus diligitur Petrus?* Soluit autem, *Videtur qui plus diligit Christum melior; quem plus diligit Christus felicior.* Vnde asserit Bater in Ioanne vitam beatam exprimi typicè ob frequentissimas Apostolici animi illustrationes. Christus itaque Ioannem quasi beatum aspicit, & ideo minùs amantem magis diligit, *quia minùs diligit miserum, quàm beatum.* Beatus appellatur Ioannes, non quòd beatificâ visione frueretur terricola; sed quòd ineffabilibus cælestibus deliciis fruebatur. Id est, plus Ioannem à Domino amari non intensione dilectionis; sed extensione ob expositionem cælestium voluptatum.

37. *Mundus corde quamuis vel hîc Deũ videris Ioannes?* Matth. 6. Damian.

Quid de beatitudine Ioannis ex cordis munditia attexam? *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 6. Hinc aquila purissima Solem iustitiæ intentis luminibus aspectabat. Petrus Damian. serm. 1. fatur: *Tantò familiarius ad vitæ pabulum corruptionis vinculis solutus accedit, quantò & in carne adhuc positus in ipsum æternum Solis orbem, hoc est, in diuinæ substantiæ claritatis radios purificatus mentis infixit oculos.* Ac si diceret, ad familiarem sibi gloriam solutus tandem corporis vinculis auolauit. Cur familiarem vocat? Quia *in carne adhuc positus* eius quodammodo deliciis fruitus est, cùm tot fuit illustrationibus donatus, tot assecutus est mysteriorum arcana.

38. *Dos impassibilitatis huius beatitudinis Apostolica.* Areop.

Huiusce beatitudinis dos fuit corporis Apostolici impassibilitas. Feruenti Ioãnes dolio addicitur, & ignis vim minimè expertus est. Dionysius Areop. Epist. 10. *Et te quidem non adeò sum insanus, vt arbitrer aliquid pati.* Et cur non pateretur Ioannes, qui Adæ filius apud lacrymabilem vallem commorabatur? An quia tantus Ioanni patiendi pro Domino affectus, tanta sustinendi tormenta voluptas, vt quasi impassibilis exponatur; Ita planè, cui addidero tot inter labores ipsos Apostolum frui cælestibus deliciis, vt quasi gloriæ æternæ addictus, impassibilitatis dote donari videatur.

39. *Ioannes calicem Domini bibit sine sensu doloris.* Matth. 20 Hilar.

Promiserat Dominus Ioanni, *Calicem quidem meum bibetis.* Matth. 20. Vt autem promissis staret, apud hortum à Patre exorat, *Transeat à me calix iste.* Matth. 26. Pulchrè Hilarius Can. 31 in Matth. *Qui à se transeat, rogat: non vt ipse prætereatur orat; sed vt in alterum id, quod à se transit, excedat. Transeat calix à me, quo modo a me bibitur, ita ab hoc bibatur sine sensu doloris.* Bibit calicem Ioannes, dum in dolium immissus est, asserente Antonino, & aliis, quia tormenta defuere, non patiendi voluntas. *At sine sensu doloris* epotauit, quia Ioannem, beatitudinis typum ob ineffabiles queis fruebatur, cælestes voluptates, gerentem quasi reuerita sunt tormenta. O miram quasi impassibilitatis dotem!

40. *Sepulchrum Ioannis cælum manna diffluens.* Anton. Cant. 8. Origen.

Ideo reor Ioannis mortem suauissimo somno assimilari. An ad thalamum properas cum ad tumulum pergis? Manna ex Euangelistæ pyra Antoninus profluere scribit. Ipsa mors, vbi assolet commorari corruptio, impassibilitate, ac deliciis videtur in Apostolo redundare. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Cant. 8. De deserto Ioannes ascendit, sed quod mannæ, instar Hebræorum deserti, profluentiâ redundat. Quisnam illè, cuius mors tantâ impassibiliate donatur? Ioannes vtique de quo adiecit Sponsus. *Innixus supra dilectum suum.* Vbi Origenes hom. 1. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, suprà pectus recumbens Dilecti sui?* Vel transitus Ioannis ad Superos, vel ipsa mors sapit Dominici pectoris delicias.

41. *Ioannes vel in ipsa morte viuens, seu immortalis.* Ioan. 20

Vt autem videntibus Ioannem vel in ipso mortis domicilio quodammodò viuentem mẽs non assurgeret, illum esse immortalem, Dominus dum profatur, *Sic eum volo manere donec veniam:* ipse addit Euangelista. *Et non dixit Iesus, Non moritur; sed, sic eum volo manere, donec veniam.* Ioan. 2. Qui ignis vim deperditam aspicientes, sepulchrique delicias aspectantes, me omninò immortalem æstimantis in sæculo lacrymarum: aduertite, minimè id à Domino assertum. Moriar planè Magistrum secutus, qui pro me mori dignatus est. Olim Moy-

Affirmat Ioannes vti Moyses se moriturum, ne immortalis habeatur. Ioseph.

ses tot gloriæ splendoribus ornatus, tantis impassibilitatis, & immortalitatis documentis donatus fuit, vt facilè potuissent Hebræi suspicari Numẽ esse immortale. Ideo apertè Moyses ipse se moriturum affirmauit. In cuius robur assero ex Iosepho lib. 4. Antiq. cap. 8. Moysem non solùm Genesim, Exodum, Numeros, ac Leuiticum scripsisse; sed & spiritu prophetico Deuteronomium integrum, id est, finem Libri exarâsse, vbi suimet obitum præsignâsse legimus: *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini.* Cap. 33. Cur Propheta suum obitum futurum exposuit. Respondet Iosephus. *In sacris Voluminibus scripsit se mortuum* (prophetico spiritu) *veritus, ne propter excellentem eius virtutem, immortalem à Deo raptum prædicarent.* Haud aliter Ioannes antè obitûs occasionem iam suum exitum è vitâ describit: *Et non dixit Iesus, Non moritur:* ne qui tam frequenti ad Superos volatu eum quasi gloriosum aspectarunt, arbitrentur minimè esse mortalem.

Deut 33. Ioseph.

42. Ediscimus amantibus dulcissimos esse cruciatus. Amor enim, qui nos quodammodò beatos efficit, simul reddit quasi impassibiles. Date nos dilectionis mero potari, nihil mors afferet nocumenti, præ patiendi voluptate. De Campanorum Magistratu apud Liuium legi lib. Annal. 26. suis fuisse profatum: *Poculum, quod mihi datum est, vobis circumfertur. Ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis, oculos, aures à videndis, ab audiendisque omnibus acerbis vindicabit.* Si non Campanorum, sed Christianorum Imperator huius author sententiæ fuisset: assererem, poculum illud à cruciatu præseruans calicem esse illum, de quo olim Dominus, *Bibite amici, & inebriamini charissimi*; Et nunc Ioanni: *Calicem quidem meum bibetis.* Hoc calice iusti potantur sine corporis animique cruciatu: hunc hausit Ioannes *sine sensu doloris, sine metu mortis*, vt Hilarij recolam sententiam.

Amans cum patitur, quasi beatitudine fruitur. Liuius.

Observatio V.

Ad illa verba:

Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?

Post diuturnæ vitæ Ioannis victorias innumeras, vehiet Dominus ineffabili eum præmio donaturus.

Vbi adnoto præstantioribus gestis præstantiora à Deo præmia præparari.

43. VENTVRVS Dominus rursum è Superis ad terras, sæpè dicitur. *Cùm venerit filius hominis in sede Maiestatis suæ. Volo manere, donec veniam.* Celebris planè vterque aduentus, siquidem tam accuratè describitur, & prædicitur. In sede Maiestatis venturus ad Iudicium nouissimâ die. At priùs venit ad Ioannem in sede, aut curru cælesti, vt dilectum Discipulum ad Superos adduceret, cùmque æterno præmio, tot operibus debito, donaret. Et quidem tam egregia Ioannis gesta vt specialissima Iesu præsentia sit eius obitus honorandus. Petrus Damian. serm. 2. *Donec veniam. Veniam, inquit, vt eum vinculis carnis absoluam; veniam, vt eum ad gloriæ meæ consortium transferam; veniam, vt laboribus eius digna remunerationis præmium reddam. Adfuit itaque Dominus promissionis suæ non immemor, qui & animam eius in illâ Ierusalem supernæ quietis susciperet, & sacratissimum corpus in eâ, quæ ipse nouit, cælestis recessus arcana transferret. Nam & de beato Enoch legitur, quia ambulauerit cum Deo, & non inueniebatur; quia transtulit eum Dominus.* Damian.

Venit Dominus ingenti gloria apparatu, vt Ioãnem virtutes coronaret.

Age, ostendamus quam dignæ extiterint Ioannis virtutes, quæ huiusmodi specialissimo Domini aduentu donarentur. Quam ille à sæculo abstractus, cùm diu superstes, quam cælicola affectu?! *Accepit* (ait Textus) *eam Discipulus in sua.* Ioan. 19. An *sua* temporaria? Possessio Ioannis tota cælestis, in qua Virginem cælestem recepit, vt dignum tantæ Virgini præpararetur habitaculum. Ambrosius Exor. ad virg. *Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & sæcularia non habebat, quia de Mundo non erat? Bonus Verbi, Sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ.* 44.

Virtutes Ioannis dignum Mariæ habitaculum. Ioan. 19. Ambros.

Quid de Ioannis ineffabili virginitate attexam? Numnon specialissimæ Christi in eum dilectionis documentum ingens esse debebat, & pretiosum? Quis dubitet amantem operibus, amoris ostentare præstantiam, si potest; si non potest, affectu? Potentissimus Dominus, vt ostenderet opere, suam specialissimam in Ioannem dilectionem, animum eius specialissimâ Virginitatis puritate exornauit. Rupertus Prol. in Ioan. *Hanc Margaritam Dilector Deus dilectæ Ioannis animæ pro monimento dilectionis præcipuæ fixit in pectore.* In pectore quidem fixit huius celsissima incrementa castitatis, quando in pectore Domini recubuit. 45.

Christus animum Ioãnis ornauit specialissima virginitatis puritate in specialissimæ dilectionis documentum.

Quid si Euangelistæ puritas extiterit tanta, vt quodammodo instar virginitatis Mariæ Verbum eniteretur? Adiicit bellè Abbas, *Vt Verbum, quod Maria Virgo sola protulit in carne, ipsum Ioannis socia virginitas præ omnibus sanctis viua mortalibus promeret voce.* 46.

Mariæ puritatem imitatur.

Illam preme particulam: *Præ omnibus sanctis.* Ideo Ioannes, *Audiui*, ait, *vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tãquam vocem tonitrui magni.* Apoc. 14. Vbi Pannonius asserit hanc vocem emissam à virginibus choreas ducentibus, & clamantibus. Et cur audita tonitrui vox quæ aquarum multarum sonitum superabat, nisi quia Ioannes tonitrui filius alios puritate Virgines superauit? *Præ omnibus sanctus.* 47.

Alios virgines superat. Apoc 14. Pannon.

Quam congruum, Dominum venire, vt tantum Virginem (resurgentem mox post obitum probabiliter) ad cælum ferret, qui venerat, vt Virginem Virginum ad Superos eleuaret, cuius certè Ioannes virginitatem fuit imitatus? Audi Damianum vbis. *Si non audeamus planiter definire, pium est arbitrari, vt sicut de beatâ Genitrice Dei creditur; ita etiam* 48.

Dominus resurrectione donat Ioannẽ præpropera, quia Mariæ fuit castitatis imitator. Damian.

Ioannes

Ioannes iam resurrexisse probabiliter asseratur. Quatenus sicut in virgineâ fuerunt integritate participes, ita nihilominus in anticipatâ resurrectione meritò videantur æquales. Nec sit in resurrectione diuersitas, quibus tanta fuerat vnanimitas conuersationis in vitâ. Proxima hæc particula: *Vnanimitas in vitâ* meum complet argumentum: Qualis vita Ioannis, quæ Deiparæ vitam referebat?

49.
Imitatur Ioannes Virginem, dum cunctis se proficuum ostendit.
Luc. 15.
Damian.

An non Maria cunctis proficua; piâ liberalitate cælestes diuitias peccatoribus exhibens: fluuius quidem è paradiso profluens, totum irrigans Orbem? Ioannis ex hoc obiiciam vitæ vnanimitatem. Adolescenti filio iuniori pater substantiam erogauit, quam malè prodigus dissipauit. Luc. 15. At Ioannes *ex illo nobis erario* Dominici pectoris (loquor cum Petro Damian. serm. 1.) *diuitiarum copias attulit, & in communem totius Mundi salutem bene prodigus erogauit.* Adiicit inferiùs, *Super fontem perennis vitæ recubuit, vt ipse tunc semper manantia fluenta diuinæ Doctrinæ hauriret, & eadem nobis propinaret.*

50.
Paradisi fluuius est omnem irrigans Orbem.
Damian.

En paradisi fluuius è Dominico fonte profluens, vt vniuersam terram abluat! *Magnus* (adhuc Cardinalis) *Paradisi fluuius, qui ex principali sui fontis origine profluens, ac vberiori cælestium charismatum inundatione procedens, squalentia deserta humanarum mentium irrigas, & ad proferenda bonorum operum tanquam nouarum frugum germina vberrima fertilitate fecundas.* O quàm rapido cursu fluuius hic in adolescentem illum, qui alumnus Ioannis aliquando, postmodum *Episcopo Ephesi commendatus, latronum dux fuerat effectus!* (Antoninus part. 1. tit. 6. cap. 6.) *Parari sibi equum iubet, & locum edoceri, vbi ille morabatur. Illuc equester accessit. Iuuenis videns Ioannem à longè, maximâ verecundiâ, & confusione ductus, cœpit fugiendo retrocedere velociter currens. Sed Ioannes vrgens calcaribus equum, oblitus suæ senectutis, insequitur eum clamans, & dicens: O fili, quare fugis patrem tuum, senem, & inermem? Siste gradum, expecta me, ego pro te reddam rationem Deo, & veniam procurabo; tantùm recognosce delictum tuum. Ad quæ verba compunctus iuuenis, ad Ioannem venit, & ad genua eius prouolutus, cum amarissimis lacrymis veniam postulabat. Et cum manum occultaret, quia plura homicidia fecerat, Ioannes illam accipiens, osculabatur. Reductus ergo ad ciuitatem, & pænitentiam agens ad mandatum Ioannis, sanctus homo est effectus.* An non acceptas à Patre cælesti diuitias Ioannes *beaè prodigus erogauit?* Huiusmodi gesta Dominus muneraturus venit; quia præstantiora munerationis cælestis documenta præstantioribus operibus reseruantur.

Anton.

* * *

Observatio VI.

Ad illa verba:

Exiit sermo inter fratres; quòd Discipulus ille non moritur.

Martyrio Ioannes consummatus est; quia Martyrio non est consumptus.

Vbi ostendo, iustum, qui laborum gloriâ potitus aliquando, tunc verè laborare, cùm à laboribus eripitur.

PLVRA part. 2. de Martyrio Ioannis mox scripturus, hoc in præsenti argumentum paucis illustrabo. An Ioannes morte violentâ fuerit arreptus? Aliqui asseruere Martyrio consummatum. Hæreo sententiæ communi, de quâ Antoninus proximè citatus, *Cùm esset nonaginta annorum, & à passione Domini secundùm Isidorum sexagesimum octauum annum ætatis suæ explesset, apparuit ei Dominus Iesus, vocans eum ad conuiuium suum cum Discipulis suis: significans ei, quia sequenti Dominicâ die ad eum veniret. Dominicâ ergo die à primo pullorum cantu intrans Ecclesiam, & populo prædicans, & ad permanendum in fide exhortans: demum foueam quadratam, quàm in Ecclesia fieri iusserat, intrauit: luce immensâ apparente, vt nullus aspicere posset. Postea recedente luce, inuenta est fouea plena manna, nec repertum est corpus eius.* 51.

In pace Ioannes obiit.
Anton.

Insurgit hinc difficilis quæstio, quonammodo impletum quod Dominus promisit: *Calicem quidem meum bibetis.* Matth. 20. Damianus serm. 2. *Ioannes Martyr fuit, dum constat, quia calicem Domini biberit.* Constat potiùs in pace obiisse; quonammodo igitur constat Martyrij affectum nece, calicem Domini bibisse? Quia illud ipsum in pace obiisse Ioannem, fuit proculdubio Martyrio esse consummatum? *Constat, quia calicem Domini biberit.* 52.

Eo ipso Martyr occubuit.
Matth. 20.
Damian.

Petrus exaudiens se Martyrij præstantissimo genere donandum, nempe Crucis, recognoscens Ioannem ampliùs à Domino dilectum, superiori Martyrij genere afficiendum, quærit: *Hic autem quid?* Cui Christus. *Volo eum manere donec veniam.* Id est, superstitem eum, meum aduentum expectare, vt in pace mihi spiritum reddat. An tanto Duce digna mors? Profectò illud ipsum in pace mori Ioannem, Martyrium Cruce durius extitit. Strabus egregiè, *Nolo eum per Martyrium* commune *consummare; sed expectare eum placidam carnis suæ absolutionem, quando ego veniens*, recipiam eum in æternam *beatitudinem.* En, ô Petre, Ioannem superiori Crucis genere consummandum, dum expectat se placidâ morte absoluendum! 53.

Vt Ioannes crudeliori Martyrij genere donetur, in pace expectat mori.
Strab.

Premo. τὸ *Sed expectare eum placidam carnis suæ absolutionem.* Diu viuens crudelissimum toto vitæ spatio subiit Martyrium, expectando placidum, 54.

Expectatio hæc eum fecit toties vitæ diuturnæ cursu Martyrem.
Damian.

placidum, & pacificum obitum. Pulchrè Damianus serm. 2. *Martyr fuit, Crucem Domini per afflictionem sui corporis diu viuendo portaas.* Et Vndenam: afflictio & Antex operum pœnalium instituto? Huiusmodi Martyrio Cōfessores etiam consummantur. Profectò afflictio Ioannis diuturnâ ex expectatione mortis pacifica. Volo eum expectare placidam absolutionem. *Quo cæteris* (adiicit) *Apostolis in carne prolixius mansit, eo durioris Martyrij tormenta* (expectando placidam eius carnis resolutionem) *sustinuit.*

55\. Dilectissimo Ioanni Dominus dedit, vt diu viuendo gloriam laborum, ac tribulationum agnosceret, vt in pace demum discedens, duriori vulnere afficeretur. Strab. *Non est satelligendum quòd Ioannes non sit mortuus in terris; sed quidquid ante passus, quod vlteriùs in pace sentiam fuit. Non enim magnum erat dare dilecto non mori, cum dissolui & esse cum Christo* (sicut Paulus) *sit multo melius.* Paulus gladij vulnere dissoluitur, Ioannis autem gladius dissoluens fuit in pace mori, qui viuens gloriam tribulationis, & Martyrij dignouerat.

Gladius dissoluens Ioannem fuit, in pace mori. Strab.

56\. Petro Dominus, *Sequere me.* Vbi Augustinus apud D. Thom. Cat. quærit, *Cur dicitur Petro sequere me, nec dicitur cæteris, qui simul aderant, qui eum sicut Magistrum Discipuli sequebantur?* Illa erat Martyrij sequela: sequere me per Martyrij consummationem. Instat Doctor, *Sed si ad passionem intelligendum est, nunquid solus pro Christianâ veritate passus est Petrus? Nonne ibi erat Iacobus, qui ab Herode manifestatur occisus?* Petro indictum, vt per Crucem Dominum sequeretur. *Verum si aliquis dixerit, Quoniam non est Iacobus crucifixus, meritò dicitur Petro; Sequere me; qui non solùm mortem, sed & mortem Crucis, sicut Christus, expertus est.* Itaque sequi in præsenti Christum est illius qui Crucis Martyrio est consummandus. Igitur Ioannes Crucis fuit consummatus Martyrio. Audiens enim Petrus illa Saluatoris verba: *Sequere me, vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.* Cur Ioannes sequitur, si soli Petro per Crucem consummando dictum *sequere me?* An non quia ex sinu Dominico cognoscens se pacificâ morte consummandum, eiusdem horribilitatem aspexit, Cruci affixorum necem imitantem: vnde suffigendum Cruci Dominum suffigendus Cruci sequutus est? Ita planè.

Ioannes sequitur Christum quia Cruci suffixus consummandus erat. August.

57\. Confirmo excogitationem, illorum secutus sententiam, qui in formâ Crucis Ioannem in sepulturâ asserunt iacuisse. An qui in pace obiit, Crucem efformauit, vt ostenderet, illam pacificam absolutionem sibi Crucem durissimam extitisse? Petrus Damian. serm. 2. *In sepultura*, ait, *in Crucis morem iacere voluit, qui Crucem in suo corpore portauit, Et sicut Petrus Magistrum secutus est à persecutoribus crucifixus: ita quodammodò & Ioannes est in Ecclesiasticâ pace sepultus Ita*, inquam, *Ioannes est* crucifixus. Quia illud ipsum in Ecclesiasticâ pace sepeliri fuit Ioanni, velut patibulo crudeli admodum suffigi. Vnde sicut Petrus est sequutus Cruci suffigendus Saluatorem, ita Ioannes simul suffigendus Cruci secutus est.

In pace mori Ioannem, fuit Cruci suffigi. Damian.

58\. Adiicit perpulchrè Cardinalis, *Qui secum voluit Petrum in Crucis patibulo triumphare, ipse decreuit Ioannem in Ecclesiasticâ pace quiescere. Quatenus & ille subeundi Martyrij præberet exemplum, & iste quietus migraret ad cælum.* Si Ioannes quietus ad Superos migrauit, quare subeundi Martyrij à Petro accipit documentum? Quia dum quietus migrat ad cælum, tunc crudelissimo Martyrio consummatur: Crux enim Ioanni fuit Petrum non imitari.

Petrus Cruci affixus dat documentum Ioanni occumbendi in Cruce; vnde Ioanni Crux fuit, Petrum non imitari. Damian.

59\. Celebret igitur David Ioannis Martyrium: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, Psalm. 115. Vbi Interpretes Martyrum necem pretiosam appellant, quâ non solùm debitum naturæ soluitur; sed & cæleste Regnum comparatur. Ioannis mortem Augustinus citatus pretiosam fuisse affirmat; memorans enim eorum sententiam, qui Ioannem in sepulchro, velut in thalamo dormientem putarunt, *ebulliente terrâ ex respiratione*, ait. Eo modo hi *commendant, pretiosam fuisse Ioannis mortem, quoniam nō eam commendat Martyrium.* Qua Ioanni fortissimo Duci illud ipsum mortem suam somno pacifico comparari posse, idem est, ac pretiosam fuisse ex Crucis suffixione. Ex quo quidem diligentis Euangelistæ affectu edocemur, tunc debere nos labore affici, cùm laboribus non afficimur: quia sapientes omne gaudium existimant, cùm in varias tentationes incidunt, vt monet Iacobus Cap. 1.

Pretiosa Ioannis mors, id est, Martyrium, quia obiit in pace. Psalm 115. August.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

Præsulatus Ioannis est Imperium pietatis.

Vbi Prælati, & Principes admonentur, fomentis suauibus desperata vulnera plerumque sanari.

SI toti Ioannes Ecclesiæ non præficitur, planè Præsul à Domino electus est. 60.
Curabat Petrus à Domino donatus & Martyrio, & Ecclesiæ regimine, eisdem Ioannem sibi charissimum muneribus affici. Christus autem, qui præstantiam Martyrij Ioannis exposuit, explicat & Præsulatûs celsitudinem. *Quid ad te?* An Ioannes non etiam Petro communi Prælatorum Patri subiicitur? An eum Dominus quodammodo eximit à Petri potestate, vt ipsum innuat vel in Pontificatu nullum superiorem aspectare, qui meritis cunctos superabat? Chrysostomus, *Idcirco* inquit Dominus, ô Petre, *opus suscepisti, id considera, perfice, labora, & te certaminibus expone. Quid ad te? Tu officium tuum cura, & exequere.* Imò curans, & exequens officium meum de oue Ioanne sollicitus ostentor. Quid ad te? Pontificatus (iam respondeo) Ioannis licet inferior quidem Petri Pontificatu sit; tamen alterius cuiusdam naturæ quodammodo est, ipsius clementiæ diuinæ referens imaginem. Nam Petro potestas data ligandi,

Præsulatus Ioannis totus clementia est.

gandi, & soluendi. Ioannes solummodo quasi ad soluendum miseros Prælatus exurgit.

61. Versatissimum in ore Ioannis illud: *Filioli, diligite alterutrum*: amore allicit, dilectione corripit, pietate ligat, suauitate castigat, dulcedine vulneribus medetur, oleo quidem, non vino vsus, cunctos è lecto efficit exilire ægrotos. Testor adolescentem illum, quem, oscula infigendo manui homicidiis maculatæ, ad meliorem frugem adduxit. A sinu Domini huiusmodi ebibit pietatem, quam ipse Christus à Paterno sinu epotârat. *Cùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Cant. 1. Vbi Bernardus serm. 42. *Accubitus Regis sinus est Patris, quia semper in Patre est Filius. Nec dubites Regem hunc esse clementem, cui perennis accubitus est paterna benignitatis diuersorium. Meritò clamor humilium ascendit ad eum, cui sons pietatis est mansio, cui ideo totum quod est, de Patre est: vt nihil prorsus in Regia maiestate nisi paternum humilium trepidatio suspicetur.* Qualis igitur Præses Filius à Patris sinu peccatorum pater exurgit, talem quodammodò è sinu suo accumbentem Ioannem emisit Pattem vtique peccatorum. Ideo illum adolescentem, latronum ducem effectum, illis vocibus punire curabat: *O fili, quare fugis patrem tuum?* Haud dubites Ioannem totum clementem, cuius accubitus fuit Dominicæ pietatis diuersorium. Nyssenus hom. 1. in Cant. *Ioannes Verbi amator vbera, qui supra pectus Domini in Cœnâ recubuit.*

A sinu Patris Christus ebibit paternam imperium. Ioannes à sinu Christi haurit clementiam Præsulatum.

Cant. 1 Bernard.

Nyssen.

62. D. Thomas adnotat, Euangelistam è sinu in pectus ascendisse, quando à Domino interrogauit, à quonam Discipulorum tradendus esset, vt ipse audiret traditoris flagitium, non alij. Quid commodi solum Ioannem exaudire? Si Petrus aut alius ex Apostolis audit, corripiet forrasse asperitate delinquentem. Ego solus conscius delicti curabo benignitate curare languorem. Quàm apposite tunc Ioannes è sinu ascendit in pectus (de quo supra) vt vbertus Dominicæ pietatis lacte potatus, non vino; sed oleo, sed lacte vulnera in latrones incidentis Iudæ mederi cutaret, fatus: *Meliora sunt vbera tua vino.* Nyssenus. *Veluti quandam spongiam cor suum Ioannes apposuit fonti vitæ, & ex ineffabili quadam traditione repletus Christi mysterijs, nobis quoque exhibet mamillam à Verbo impletam, adque impleт bonis, quæ ei à fonte sunt indita.* Præsulatus itaque Ioannis non Petri punientis imitatio, sed Christi, sed Dei miserentis est.

Cum Iudæ flagitium experiendum erat, Ioannes è sinu Domini ascendit in pectus vt lacte potatus lactea ei medicamina adhibere posset.

D. Thom.

Nyssen.

63. Curault Dominus, Petrum Dei clementiam imitari, vt ouiū curam susciperet; ideo totus de charitate cordis eius periculum fecit, *Petre, amas me?* Ioan. 21. Vbi Bernardus serm. 76. in Cant. *Non otiosè toties repetitum est, Petre, amas me? in commissione ouium. Ac si illi diceret Iesus Nisi testimonium tibi perhibeat conscientia, quod ames me, & valde, perfectéque ames, id est, plus quàm tua, plus quàm tuos, plus quàm te, & huius repetitionis numeras impleatur, nequaquam suscipias curam hāc, ne te intromittas de ouibus meis cura, pro quibus sanguis meus effusus est.* Ingens pietas Petri; sed Ananiam, Saphiramque vino infuso puniuit. At Discipulus ille, quem Iesus diligebat, & à quo plus quam ab aliis Christus diligebatur lacte, & oleo solummodò ad quæque sananda vulnera vsus est. *Filioli, diligite alterutrum. O fili, quare fugis patrem tuum?* An dulcia medicamina tam desperato vulneri sanando profecere? *Ad qua verba* (aiebat Antoninus) *compunctus iuuenis ad Ioannem venit, & ad genua eius prouolutus cum lacrymis veniam postulabat.*

Petrus vino & oleo curat, Ioannes oleo & lacte.

Ioan. 21 Bernard.

64. Vndenam Ioanni tanta erga peccatores pietas? Rogo & vndenā Saluatori, qui Leonis insignitur appellatione: Certè è sinu paterno, vnde totam haurit pietatem. Vnde punitutus seuerè delinquentes, sinus Paterni memor, pro vulnere, osculo suauissimo vtitur. *Ego, ait, quasi leæna Leonis domus Iuda. Ego, ego capiam, & vadam, & tollam, & non est, qui eruat. Vadens reuertar ad locum meum.* Ose. 5. Ad quem locum Hieronymus, *Reuertetur Dominus ad locum suum, de quo dicit Ioannes cap. 14. Ego in Patre.* Cur ad sinum Patris Christus iratus reuertitur? Vt inibi expectet, *donec deficiant in impietate, & quærant eum per pœnitentiam.* Haud aliter Ioānes equo acerrimus, aduersus latronum ducem progressus, leonis ardorem imitatus, ad sinum reuertitur Dominicum, locum quidem suū, vt patris indutus pietate, delinquentem ad pœnitudinem alliciat. Vnde Ioannes nunquam non peccatorū parens, quia nunquam non Dominici pectoris habitator. Edisçant Præsules efficacissima, planè pietatis, ac benignitatis medicamina suauitate patari.

Saluatori tanta pietas, quia sinus Paterni recordatur; Ioanni tanta benignitas, quia pectoris Christi memor est.

Ose 5. Hieron.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium eius.

Miror in Ioanne, quòd cum superet cunctos Diuos tot elogiorum præstantiâ, nullius vnquam excitarit inuidiam.

Admonemur eam humanam præcedentiam fugere, quam necessariò inuidia insequitur.

Aiebat Menander: *Diuorum sola facinora hominum non conspureat inuidia.* Aptè quidem; solam enim Deitatem sibi superiorem homines arbitrantur. Mirabar aliquando, tot merita à me Ioannis expressa, innumeráque alia ineffabilia nullius excitâsse zelum, aut liuorem. Fatur Dominus, *Si eum volo manere, donec veniam*, eum quodammodò assignans immortalem. Fatur ipse de se, Discipulum esse, quem diligebat Iesus, in pectore Domini accubuisse, Petri extitisse intercessorem: & cuncta acclamat Ecclesia: *Et scimus, quia verum est testimonium eius.* Vbi Caietan. (vti in Comment. adnotaui) asserebat totius Ecclesiæ illam esse comprobationem. Quisnam Ioannes, cuius magnalia communis non carpit inuidia? 65.

Diuis solis parcit inuidia.

Certè si hominum est solius Deitatis parcere actionibus 66.

Ideo Ioannes Diui quodammodo percepit egregiis gestis. Origen.

actionibus; non iam miror inuidentiæ dentem à Ioannis magnaliis abstinuisse, quippe quæ Deitatem halabant. Pulchrum rursus Origenis Ioan. 21. exhibeo testimonium. *Non ergo Ioannes erat homo; sed plusquam homo, quando & seipsum, & omnia, quæ sunt, superauit. Non enim aliter potuit ascendere in Deum, nisi & ipse Deus esset.* Ascendit in Deum adeo, vt eius naturam agnoscens euulgaret hominibus: *In principio erat Verbum, &c.* Cùm igitur Euangelista cunctis hominibus; imò & se, vt homo erat, superior existit, & ab omnibus agnoscitur Deus quodammodo, Petrus plaudit: *Hic autem quid?* tota acclamat Ecclesia: *Et scimus, quia verum est testimonium eius.*

Fratres inuident, quod Ioseph plus à Iacobo amaretur. Fratres plaudunt Ioannem plus à Domino diligi. Genes. 37. Anton.

67\. Assolet specialis parentum in filium dilectio, ad inuidiam reliquos fratres excitare. *Israel diligebat Ioseph super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum.* An fratribus plaudentibus? *Videntes, autem fratres eius, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Genes. 37. Diligebatur præ cunctis fratribus Ioseph & quia puer, & quia *Sapiens filius &c.* (Sic τὸ *Quòd in senectute genuisset eum*, vertunt alij.) Profectò eædem, inter alias, specialissimæ Christi in Ioannem dilectionis, causæ aderant, fante Antonino part. 1. titul. 6. cap. 6. *Quam gratiam beneuolentiæ ad eũ Christus præcipuam habuit, propter intellectus eius perspicaciam, & propter ætatis teneritatem; familiariùs enim diliguntur a parentibus iuuenculi.* At vndecim fratres, veri Iacobi filij, specialissimam Iesu dilectionem in Apostolum aspicientes, externáque documenta contemplantes, (nam quod tunica polymita fuit Iosepho, accubitus in sinu Domini fuit Ioanni) haud inuidiâ afficiuntur; potiùs ei tam pacificè loquuti sunt, vt egregia eius priuilegia approbantes, & acclamantes, vno ore proferant: *Scimus, quia verum est testimonium eius.*

Apostoli non indignantur de Ioanne, vt filio Dei, sed vt mulieris filio. Matth. 20. Caiet.

68\. Petentibus olim Ioanne & Iacobo præcipuas apud Regnum Dominicum sedes, *decem* fratres *indignati sunt de duobus fratribus* Matth. 20. Caietanus, *Insurgunt contra filios mulieris ambientes primas sedes; quia ægrè ferunt, postponi.* Hinc aduersus argumentum nostrum exurgit obiectio. Inuidiam enim Ioannis præcedentia in præsenti fratrum excitauit. An quia non solus Ioannes, sed & Iacobus postulabat primis donari sedibus? Alius sic soluat. Ego autem illud adnoto: *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Quidnam audierunt? Petitionem-ne fratrum, an Christi responsionem? Hæc prorsus illis ansam præbuit indignationis. Caietanus, *Audientes responsionem Iesu, qua & reprehendit Iacobum, & Ioannem, & non exaudiuit eos, indignati sunt.* Ac si diceret. Dum illi postulant primariis sedibus addici, non submurmurant Discipuli, non inuidiâ afficiuntur contemplari plane Ioanni deberi vnum ex supremis tabernaculis. At postquam vident reprehensibilem esse postulationem, indignantur quidem, *de duobus fratribus.* Quam bellè additum τὸ *de duobus,* vt innuatur indignari, non propter Ioannem seorsim, cuius præstantia priuilegia adeo profitebantur, vt eum quasi Numen quoddam venerarentur. Illa Cardinalis particula premenda est: *Insurgunt contra filios mulieris.* Ac si alius esset respectus, scilicet Ioannis illa quodammodo Deitas, de quâ Origenes. Non insurgunt in Ioannem & Iacobum, vt in tonitrui filios, vt superiori gratia præditos; sed vt in filios mulieris, postquam ex ore Dominico audiunt illos exorbitâsse; quia iam non eos vti Diuos aspiciebant, quos inuidia non conspurcaret.

69\. Petrus, Andreâ fratre admonente, in Christi deuenit societatem. Nam postquam audiuit: *Vidimus Messiam*, Christi accenditur desiderio, addictúsque Collegio, cunctorum demum Præsul magnus exurgit. An inuidente fratre? Damianus serm. 1. in Andr. *Vt magis stupeas, non molestè tulit Andreas, quòd in fide primus factus est, Ordinis dignitate, secundus. Nec zelo ductus est, quod Petrus, qui eius auctu posterior creditur, cuiúsque ad fidem ipse prauius fuit; primatus tamen inter omnes Apostolos iura suscepit,* τὸ *vt magis stupeas* preme. Fratrem enim non tentari inuidia, cùm fratrem hominem videt superiori throno addictum, stupendum quoddam miraculum est, quod quidem ineffabilis sanctitudinis Andreæ (de quâ supra) fuit documentum. De communi autem Ecclesiæ plausu, circa Ioannis egregia facinora, non stupeo, quia eum vti quoddam Numen aspectabat. Edocemur inuidiam pedisequam necessariò hominum suprà reliquos eleuatorum fratres. Vt humanam præcedentiam effugiamus, quæ tanti hostis patet insidiis.

Miraculum sanctitatis Andreæ fuit non affici inuidia circa Petri hominis præeminentiam. Sed quid mirum Apostolos Ioanni quodammodo Deo non inuidere? Damian.

PARS

PARS SECVNDA.

SECTIO TERTIA.

Ioannes Ante Portam Latinam.

Paraphrasim, ac Commentarios litterales ad Cap. X X. Matthæi ex Libro 5. perquire.

PROLVSIO.

ILLI clausulæ hærescens: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. Et ait illis: Calicem quidem meum bibetis*, nouum Martyrij genus prædicandum assumo, quod equidem solâ perficitur voluntate. Hieronymus, *Si legimus in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ, quòd ipſe Ioannes propter Martyrium ſit miſſus in ferventis olei dolium, videbimus Martyrio animum non defuiſſe, & bibiſſe Ioannem calicem.* Voluntas certè Martyrio non defuit, sed Martyrium voluntati. Martyrij genus me celebrandum assumere dixi? Certè omnia Martyrij genera Ioannes subiit, dum à tormentis minimè tentatur: sæpe moritur adhuc superstes. Paschasius lib.9. in Matth. *Ioannes licèt non ſit per mortem carnis Martyrio conſummatus; tamen calicem Domini bibit, cùm in multis eſt paſſus.* Passus profectò *in multis*, plura Martyrij genera subiit ille, quem ignis reliquit incolumem: spiritus enim crudelius vulnus, acrior pugna, horribilior admodum consummatio.

In Ioannem Ante Portam Latinam.

PANEGYRICVS MORALIS
Tertius circa literam.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Calicem quidem meum bibetis.

Ioannes ob Martyrij desiderium Martyr fuit.

Vbi aſſero deſideria efficacia in Dei conſpectu opera reputari.

1\. Ambros. AMBROSIVS, *Donaui vobis victoriam paſſionis, hæreditatem crucis.* Donauit proculdubio Iacobo ab Herode occiso. Quomodo autem & Ioannes cruce donatus est? An non Martyrium desiderauit? Ergo Martyrio ornatus obiicitur.

2\. Desiderio affici Martyrij quis dubitet Martyrij locum obtinere? Paulum testor prosatum: *Coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Mox adiungit: *Tantum dignè Euangelio Chriſti conuerſamini, vt, ſiue cum venero, & videro vos, ſiue abſens audiam de vobis, quia ſtatis in vno ſpiritu vnanimes, collaborantes fidei Euangelij, & in nullo terreamini ab aduerſarijs. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me.* Philip.1. Vbi Lyranus, *Coarctor deſiderium habens. Hic oſtendit charitatem ſuam. Secundò eos ad Martyrij tolerantiam inducit dicens, tantùm dignè, &c.* Iam illa premo: *Etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me.* Martyrium tolerate, sicut me vidistis sustinuisse. Quando? Nonne vobis meum aperui desiderium pro Christo moriendi? *Coarctor deſiderium habens.* Tunc planè dirè discrucior, tunc crucem ascendo. *Paulus deſiderij ncee conſummantur ante gladij vulnus.* Philip.1. Lyran.

Ant. de Eſcob. & Mendoza Tom. IV.

Babylonis Rex, vt de fide virorum fortissimorum Sidrach, Misach, & Abdenago triumphum reportaret, eos in fornacem deturbari iubet. *Et confestim viri illi vincti cum bracchis suis, & thiaris missi sunt in medio ignis ardentis.* Dan. 3. Quid thiara? Anselmus, *Genus palleoli est, vel pilei.* At Lyrano authore, *mitra est, qua in capite ponitur sacerdotali, corona respondens Regia. Vnde dicitur Exod. 29. de Aaron: Pones thiaram in capite eius.* Porrò thiaram Pontificiam apud Christicolas triplex cingit corona. Quæris iam; cur viri fortissimi priùs coronâ cinguntur, quàm ad fornacis flammas immittantur? Num antè pugnam victoria potiuntur? Cur eos coronâ exornat, quos flamma ausa non est comminuere? Profectò desiderantibus Martyrio vitam consummari, non opus executio, vt coronâ donentur; illud enim velle in fornacem immitti, Martyrium proculdubio est.

3. *Tres viri desiderantes ab igne absumi corona ornantur.* Dan. 3. Anselm. Lyra.

Imò aliquando plus quodammodo est velle Martyrio consummari, quàm ipsum Martyrium sustinere. Iob filios vitâ functos videns lamentatur, æquo animo ferens. Abraham gladium arripiens, Dei voluntatem exequi cupiens, sese ad filij accinxit iugulationem; nec tamen exitiale vulnus inflixit. Genes. 22. Quinam horum fortior extiterit, digniórque coronâ? an qui in conspectu exequutionis plorat, vel qui facinoris exitum desiderat? Profectò fortior Abraham desiderans filij necem, obsequium Domino iubenti præstiturus. Rem attigit Chrysostomus in 1. Cor. 2. *Abraham non vidit iacentem mortuum; sed tantùm hoc expectabat futurum: & in hoc præstat, quod apparabat immolare.* En conatus desideriáque aliquando præstantioris virtutis indicamenta.

4. *Augustius est desiderij Martyrium, quam effectus?* Genes. 22. Chrysost.

Pro mille testibus vnus Saluator. *Desiderio (ait) desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Luc. 22. vbi Chrysostomus, *Inuenimus pluries eum prædicantem suam passionem, & eum cupientem inuenire.* Cur inuenire cupit pluries passionem? Vt sæpe desiderans pro hominibus dilectis moriatur. Certè antequam patiatur, desiderio desiderans pati, siue sæpè cupiens immolari pro nobis, toties suffigebatur, quoties pati desiderabat.

5. *Christus desiderans pati passus est.* Luc. 22. Chrysost.

Ioannes igitur Martyrium desiderans, Martyrio consummatur. Abulensis, *Sicut Christus asseruit, ambo fratres Ioannes & Iacobus calicem eius biberunt, id est, pro eo passi sunt Martyria. Sed non finierunt ambo vitam in Martyrio; sed solus Iacobus: Ioannes verò propriâ morte obijt.* Quonammodo si in Martyrio vitam finiuit, calicem Domini epotauit Martyrio consummatus? *Quia Martyrium desiderans, Martyrio se exposuit; sed gladius persecutoris defuit. Ideo iam quantum ad se calicem biberit.*

6. *Ioannes Martyrium desiderans Martyr efficitur.* Abul.

Bibendi desiderium prætendens Dominus è cruce pendens, ait: *Sitio. Vas autem erat positum aceto plenum. Illi ergo spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* Ioan. 19. Mysticè Augustinus, *Dixit, sitio, quasi diceret: Hoc minus fecistis, date, quod estis. Iudæi quippe erant acetum, degenerantes à vino Patriarcharum, & Prophetarum.* Si Iesus Iudæos; imò omnes sitiebat peccatores, quare cùm gustâsset, noluit bibere? Pugnare cum Marco Ioannes videtur. *Hic quæri potest (inquit Beda) quomodo Ioannes dicit: cum accepisset acetum, cum alius Euangelista dicat. Cum gustâsset, noluit bibere?* Respondet, *Hoc facilè soluitur, quoniam non accepit, vt biberet; sed vt, quod scriptum erat, impleret.* Faciliùs soluo asserens bibisse quidem acetum, cùm se desiderio, seu siti accendi profitebatur. *Sitio.* Iam cupiens bibere, cunctos saluti addicendos epotauit peccatores. Ioannes calice potatur, dum cupit epotari.

7. *Bibere cupiit, calice potatur.* Ioan. 19. August. Beda.

Adde præstantissimum genus Martyrij, desiderium Ioannis ad quodlibet Martyrium sese diffudisse. Certè illud ipsum non recusare in dolium immissionem, Martyrij augustissimi corona fuit. *Viri tres ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Dan. 3. An petiere à flammis liberari? Minimè, sed tortoris voluntati parebant. Quàm ex ipsa non repugnantiâ illustris corona! Theodoretus, *Neque petebant à molestijs liberari, sed laudibus eum celebrabant, qui eos hac confessione dignatus fuerat. Sic beatus Apostolus Ioannes.* Sufficit ad Martyrium minimè repugnâsse ad fornacis aut dolij feruentis ingressum? Quid vehementi affectu concupiisse? Hieronymus, *Vidimus Ioannem bibisse calicem confessionis, quem tres pueri in camino ignis biberunt, licèt persecutor non fuderit sanguinem.*

8. *Non recusare dolium, Martyrium fuit: quid ardenter desideraret?* Dan. 3. Theodor. Hieron.

Non certè profudit, quia fugam arripuit hostis veritatis, ne à tanto duce debellaretur. Surrexit Apostolus certaturus, fugientéque hoste, sola pugnæ voluntas eum stipauit coronâ. *Surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, tonsóque capite, corruens in terram, adorauit.* cap. 1. Origenes, *Primùm surrexit ad prælium, & prostrauit se ad pacem. Surrexit ad victoriæ perfectionem, prostrauit se ad coronæ susceptionem.* Ac si diceret, affectu pugnandi surgit; sed prosternens se in pace moritur. Illud autem fuit surgere ad victoriæ perfectionem; ex affectu enim, seu desiderio pugnandi, ornatus victoriæ insigni.

9. *Fugit hostis Ioannem.* Iob c. Origen.

Dauid ad hæc: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Psalm. 115. Hugo Card: *Pretiosa, & grata est in conspectu Domini mors Sanctorum eius, qui propter hoc moriebantur libenter, vt Christo placerent.* Iam concinat Ioannes, *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* ibid. Quia illa pretiosa mors est, quæ Martyrij sanguine decoratur, præfero in conspectu Ecclesiæ vota mea, seu desideria mea cupientis Martyrio consummari: vt scilicet desiderium huiusmodi vices Martyrij gerat, mortisque pretiosæ. Pulchrè Cassiodorus, *Vota mea, quæ desiderio concepi, reddam coram omni populo eius, vt exemplum patiendi à me accipiant.* Me exhibeo (ait Ioannes) patientiæ exemplar, dum desideraui vitam meam Martyrij vulnere consummari. Beda appositè, *Hoc modo commendatur pretiosa mors Ioannis, quoniam non tam commendat Martyrium. Non enim eum pro fide persecutor occidit. Hoc, inquit, modo,* id est, Martyrij desiderio Apostoli mors pretiosissima obiicitur. Vt edoceamur desideria nonnunquam in Dei conspectu, effectus reputari.

10. *Pretiosa mors Ioannis ex voto, aut desiderio moriendi.* Psalm. 115. Hugo. Cassiod. Beda.

OBSER

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Calicem quidem meum bibetis.

Ioannes Martyr efficitur; quia Martyrio non consummatur.

Vbi Diuorum effero tolerantiam, quibus labores non pati, maxima tribulatio est.

11. ADEO Ioannes necis desiderio afficiebatur, vt illud ipsum non subiisse Martyrium; sed placido exitu fuisse consummatum, Martyrij augustissimi vices exercuerit. Alios viros, fœminásque sanctissimas tormentorum expectatio Martyres efficit; Ioannem autem Martyrio decorat illud ipsum placidam expectare corporis solutionem.

12. Calix amarissimus Martyrij meditatio; imò magis acerba mortis expectatio, quam ipsa mors. *Tristis est anima mea* (Dominus ait) *vsque ad mortem.* Matth. 26. Vbi Hieronymus, *Non propter mortem; sed vsque ad mortem dicitur contristatus.* Tristitia-ne afficit Christum excogitata, seu expectata mors, quæ tolerata mœrorem sustulit? Ita planè quia crudelius expectationis vulnus ipsâ passione. Vnde clamat, *Si possibile est, transeat à me calix iste.* Hieronymus, *signanter dixit: Iste calix.* Seu hoc genus Martyrij, expectatio scilicet tormentorum. Transeat expectatio mortis, necis accedat exequtio mitiùs præcordia vulneratura.

Expectatio mortis crudelior ipsa morte. Matth. 26. Hieron.

13. Nouissimæ calamitatis exitium Dominus prædicens, ait: *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium: Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient.* Luc. 21. Quæris, vndenam homines exarescant? Num ex Solis obscuratione, Lunæ tenebris, stellarum casu, pelagi fremitu? Certè ex expectatione futuræ calamitatis. Potest-ne mors ipsa præmissas miserias exæquare? Non potest. Cur igitur plus expectatio, quàm horribile præsens Vniuersi exitium torquet? Quia expectatio mortis plus ipso afficit interitu. Theophylactus, *Mare terribiliter fremet, litus maris agitabitur tempestate, ita vt sit populo terræ pressura, id est, communis miseria. Et tabescent timore, & expectatione malorum irruentium. Vnde sequitur: Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient.*

Exarescunt homines ob expectationem excidy. Luc. 21. Theop.

14. Vates confirmat, *In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.* Psalm. 87. Concutitur iustus præsentium malorum vulneribus, & futurorum expectatione. Cassiodorus iras præsentes interpretatur tribulationes, labores, pressuras, Martyria. Cuncta hæc transierunt. *Pulchrè* (ait ille) *dictum est, Transierunt, quasi non permansura diutiùs.* Verùm timor & expectatio terroribus signata (vti Doctor affirmat) non transit, sed horribiliùs morte discruciat: *Terrores tui conturbauerunt me. Terrores tui venturi, quos omnis caro timet.* Vnde adiicit Propheta: *Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.* Quid mirum, me è futuræ mortis expectatione conturbari, si huiusmodi tribulatio non transit; sed tota die, seu totius vitæ curriculo circumdat? Strabus, *Ideo me conturbauerunt terrores* (quem iræ præsentes non turbauerant) *quia circumdederunt me totâ die, quia nullo tempore desunt.*

Expectatio mortis circumdat omni, mors ipsa transit. Psalm. 87. Cassiod.

O Ioannis ineffabilis fortitudo! Quod alios Ecclesiæ Duces ad amaritudinem traxit, nempe Martyrij timor, hoc Ioannem voluptate repleret. Quod autem reliquos requie donauit scilicet, belli sonitu non terreri, hoc Ioannis animum vulnerauit. Adeo Euangelista Martyrij desiderio afficiebatur, vt illud ipsum cognouisse, se in pace moriturum, diri casus horribilis Martyrij vices expleuerit. Petro charissimo Dominus, *Alius cinget te, & ducet, quò non vis.* Coniiciens hinc Petrus futurum gloriosiorem Ioannis plùs à Christo dilecti triumphum, rogat: *Hic autem quid?* Strabus, *Quia audierat Petrus, se crucifigendum, voluit fratris cognoscere exitũ.* Ac si diceret, Si me Cruce donas minùs à te dilectum, quonam passionis genere dilectior Ioannes consummabitur? Cui Dominus, *Sic volo eum manere, donec veniam.* Ioan. 21. Volo eum Martyrio non vulgari affici; sed mortis genere præstantissimo, dum facio expectare eum placidam sine vulnere mortem. Perpolchrè Strabus, *Nolo eum Martyrio consummari; sed expectare placidam carnis suæ absolutionem.* En Ioannis Martyrium, placidæ sine vulnere resolutionis expectatio! Transferetur dilectissimus nouo Martyrij genere, expectando scilicet mortem sine Martyrio. 15.

Ioannes autem torquetur expectatione placida mortis. Ioan. 21. Strab.

Christus ad Patrem. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Matth. 26. Cur transire calicem rogat? Vt promissioni factæ Zebedæi filiis posset stare. *Calicem* (dixit) *quidem meum bibetis* Matth. 20. Pater mi, transeat ad illos calix iste, Iacobus, & Ioannes Passionis meæ calice compotentur. In cuius illustrationem accipe vulgarem Hilarij Can. 31. in Matth. sententiam non vulgariter datam. *Quia à se trãseat, rogat, non vt ipse prætereatur, orat: sed vt in alterum, id, quod à se transit, excedat. Transeat calix à me, id est, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur sine spei diffidentiâ, sine sensu doloris, sine metu mortis.* Calice, ô Pater, meo Iacobus, & Ioannes, queis promisi, potentur. Martyrio-ne vterque consummabitur? Martyrij vulnus solus subeat Iacobus; Ioannes autem calicem bibat *Sine sensu doloris.* Quonammodo *sine doloris sensu* calicem exhaurire valebit? Quia expectare mortem sine doloris sensu, idem erit tanto amatori, ac crudelissimo mortis genere trucidari. Expectet ergo huiusmodi sine dolore mortem, *sine spei diffidentiâ,* hoc est, absque eo quod diffidat, desperet præ nimio dolore concepto, ex eo quòd sine sensu doloris è viuis excedit. 16.

Ioannes acerbissimum hausit calicem moriens sine sensu doloris Matth. 26. Hilar.

Moyses rubum vidit inter flammas incolumem. Vbi, authore Philone, designabantur, qui persecutionem sustinent; sed ab ipsâ lædi non possunt. *Vidit, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. Ab inimicorum violentiâ (ait) *vidit illos incolumes euasuros.* Iam 17.

Ioannes ardet, quia non comburitur. dolio ferventi datus.

quæris, quonammodo ardeat rubus, & non comburatur. Imo ideo ardet, quia non comburitur. Illud enim ipsum Martyres ab igne non lædi, eos efficit maiori incendio cremari, Ioannes quidem ardet, à flammâ corripitur, quia non tangitur à flammâ, quia feruentis dolij non experitur incendia.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Calicem quidem meum bibetis.

Martyr Ioannes moritur, quia diu superstes.

Vbi assero iustis terribile vitæ huius exilium productum.

18. ALIOS Diuos Martyrio illustrissimo vitæ breuitas coronauit, gladio persecutoris irruente, vt approbat Agnes. Ioannem verò peremit vitæ diuturnitas, vices gerens tyranni. Diu viuere amanti mors, absente dilecto.

19. *Dies huius incolatus mali* Ephes. 5. August.

Paulus ad hæc, *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ephes. 5. Vitæ planè captiuitas tempus, si ad eius redemptionem Apostolus suadet. Et quando non captiuitas dierum malorum coaceruatio? Augustinus serm. 17. de verb. Dom. secun. Matth. *De his diebus, quos agimus, ait Apostolus, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Non sunt ergo dies mali, quos agimus in corruptelâ huius carnis, in tantâ, vel sub tantâ sarcinâ corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates, vbi falsa voluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas auida, tristitia arida? Ecce quam mali dies! Quid est diu viuere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu viuere, quam malos dies malis diebus addere?*

20. *Specialissimè sauciantur ex visu Dei amici.* Psalm. 45. Hugo.

Si vitæ diuturnitas communis mors est, Martyrium est: quid fidelissimis Dei amicis ab eius conspectu diu abstractis? Clamabat Dauid, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?* Psalm. 41. *Quotidie* Sol omnibus creaturis gloria, decor exoritur; mihi autem à Deo abstracto nex, & tyrannus obiicitur. Hugo Vict. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, vt interium pascar doloribus, requiram Deum fletibus, vocem suspiriis, & vt lacrymæ nutriant desiderium, donec præsentia satiet affectum. Flebo igitur, quia abest quod desidero. flebo, quia adest, quod non amo; vt sit mihi irriguum superiùs pro dilatatione patriæ; & irriguum inferiùs pro incolatus miseria.*

21. *Vel homine dilecto moriente, vita amanti nece crudelior.* 1 Reg. 31.

Quid dico Deo absente? Discedente homine dilecto, sæpè ad interitum festinâsti, horribilius arbitratus superuiuere, quàm exitio corripi. *Arripuit Saul gladium suum, & irruit super eum. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet quòd mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.* 1 Reg. 31. Quæstio voluitur à Patribus, cur Doeg Idumæus Saulis armiger sese, Rege moriente, gladio tradiderit? Lyranus respondet, *Timens grauius affligi à Dauide, si superuiueret, ideò ex tristitia, & quasi desperans surripuit sibi vitam.* Ego autem opinor ex aliorum placito, non ex horrore Dauidis vindictæ, quem mansuetissimum erga hostem teterrimum Saulem fuerat expertus; sed ex tristitia remanendi, Domino abeunte, ita fuisse affectum, vt ad exitialem exitum properaret. Mors grauior recedere vel ab homine dilecto? Lyran.

22. *Vita mors homini à Deo recedenti.* Gen. 4. Thom.

Quàm veriùs vita, mors erit homini à Deo recedenti? Vel impium Caietanum audiamus. *Ecce eiicis me à facie tuâ, & à facie tua abscondar. Omnis ergo, qui inuenerit me, occidet me.* Genes. 4. Vbi D. Thomas, *Ratio desperationis est pœna iam inflicta, & miseria incerta mortis.* Proh Deum immortalem! Non mori illico post peccatum; sed in æuum permanere, pœna delicti est? Certè idem prorsus diu sic viuere, ac miserè mori. *Omnis ergo, qui inuenerit me, occidet me.* Omnis? A quonam occidi veretur? An ab Adamo? Pater est. Num ab Eua? Numquid filius materno gladio periit? Quem igitur timebat interemptorem? Profectò illud ipsum, sine præscripto termino à facie Domini abstractum Cainum viuere, idem erat ac cum passim in manus tyrannorum incidere, omniúmque gladium sustinere. Singula temporis instantia manus erant vulnerantes eum, qui à facie Domini deturbabatur.

23. *Ioanni Martyrium diu viuere.* Damian.

Vita-ne mors ei, qui à Domino, licèt Iudice, abstrahitur? Quid amatori ardentissimo? Quid Ioanni, *quem diligebat Iesus*; in lacrymarum valle diu, inter tot molestias constituto? Petrus Damian. serm. 2. de Ioan. *Martyr vtique Ioannes fuit, quia Crucem Domini per sui corporis afflictionem, & proximorum compassionem diu viuendo portauit. Et quò cæteris Apostolis in carne prolixius mansit, eò durioris Martyrij tormenta sustinuit.* Ambrosius & alij affirmant Ioannem adhuc superstitem, vt Antichristi temporibus defendat Ecclesiam. Adhuc viuis, Apostole? Adhuc moreris, discruciaris, Martyrij durissimi vulnera sustines. Vincis Laurentios, Vincentios superas, cunctos Martyres antecellis. Ambros.

24. *Quia sine Iesu degit in terris.* Ioan. 21.

Mori itaque Ioanni vita erat, & à Domino absenti, & proximi incommoditatibus vulnerato. Primum probant illa: *Qui & recubuit supra pectus Domini.* Ioan. 21. Aliter, *Cecidit, seu deliquium passus est.* Vndenam huiusmodi Ioanni deliquium? Num quia pane Eucharistico fuerat refectus? Sic graues Doctores, & verè; quia æquum erat à se quodammodo recedere, quia ad Deum accesserat, ipsóque saginabatur. Verùm crediderim etiam ortum deliquium, quia audiuit Dominum ab hominibus recessurum: si eum à semetipso dimouit recessûs memoria; quid non quotidie; imò per momenta singula ipsa discessio seu absentia interimeret?

25. *Et quia proximorum compassione afficitur.* 1 Cor. 15. Chrysost.

Venio ad proximorum compassionem. *Vt quid & nos* (Paulus ait) *periclitamur omni horâ? Quotidie morimur propter vestram gloriam, fratres.* 1. Cor. 15. Vbi quærit Chrysostomus, *Qui moritur in dies; imò qui omni horâ periclitatur?* Respondet, *Animo voluntate, & quod promptus ad rem sit.* Ego autem ad compassionem huiusmodi mortem, & periculum affero;

quia

quia (vt adnotat Lyranus) *tunc Christiani frequenter ducebantur ad tormenta.* Quotidie morior; quia vos quotidie totqueri aspicio. Id quod Ioannes inter tot Ecclesiæ persequutiones, inter tot proximorum pericula constitutus, potest inclamare: Quotidie morior, omni horâ periclitor, dum proximorum mortes, & pericula aspicio. O diuturnitas vitæ, tot Martyriis tentata, quot proximis accidêre pressuræ.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Calicem quidem meum bibetis.

Ioannem Virginitas Martyrem fecit.

Diu enim puritatem tueri sine quodam Martyrio non possumus.

26. DIVTVRNÆ virginitatis candidum ebur sanguineo tingitur colore. Si Ioannes

Haymon. (authore Haymone) *virgo in æuum permansit,* quomodo non Martyrij coronâ stiparetur? Bibit calicem Ioannes in æuum custos puritatis.

27. De Virginibus noster Euágelista, *Hi sequun-*

Virgines Agnum vel ad Crucem sequuntur, quia Martyres. Apoc 14. August.

tur Agnum quocumque ierit, virgines enim sunt. Apoc. 14. Cur virginibus solummodò datum Agnum sequi, quocumque ierit? Solnam quæstionem illustrem, Augustini lib. de san. Virginit. cap. 27. dans sententiam, *Sic vos, ô Virgines, vidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus Agni, qui discumbere super pectus eius solitus erat. Ipse vos vidit duodecies duodena millia Sanctorum citharedorum illibatæ virginitatis in corpore, inuiolatæ veritatis in corde. Et quia sequimini Agnum, quocumque ierit, scripsit ille de vobis.* Quærit iam, *Quò ire putamus hunc Agnum, quò nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos? Quò putamus eum ire, in quos saltus, & prata?* Respondet acutè, *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Coniugati iusti sequuntur Agnum ad humilitatis, & charitatis semitas; sed non quocunque ierit. At Virginibus datum quocumque ierit, etiam properantem ad Martyrium Crucis sequi, quia ipsa Virginitatis custodia quoddam Martyrium est. *Merito* (addit Pater) *eum sequimini virginitate cordis, & carnis, quocumque ierit.*

28. Perpendens Paulus virginalis status præstantiam, inquit: *Qui sine vxore est sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo.* 1. Cor. 7. Estne alius status plus Domino placere, curans? Asseuerit quis Martyres plus placere curare; quia *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam, &c.* Attamen virgines non minus placere Deo quàm Martyres quodammodò, eo ex capite affirmo, quòd vera virginitas quodam Martyrio coronatur. Augustinus citat. cap. 44. *Vnde scit virgo, quamuis sollicita, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo,*

Virginitas placet Deo: quia verè Martyrium est. 1. Cor. 7.

August.

mine? Ne fortè propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem, nondum sit matura Martyrio. Vnde, inquam, scit, ne fortè ipsa nondum sit Thecla? Certè nisi adsit tentatio, nulla dona huius fit demonstratio. At si tentationibus virginitas afficiatur, tunc virgo quæuis se Theclam agnoscit, se Martyrem videt; quia Martyrij triumphis tentata virginitas decoratur.

Terra illa bona, quæ ex verbi Dei semine 29.

Fructum virginitatis fructus est Martyrij. Matth. 13. August.

accepto, diuersimodè fructus parturiuit, sic ab Euangelistâ describitur: *Alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.* Matth. 13. Vbi Augustinus ybis. Cap. 45. *Virginalis vita in centeno fructu sit, in sexageno vidualis, in triceno autem coniugalis.* Cur, ô Doctor, Martyrij obliuisceris? Certè iam supremo in gradu Martyrium collocatum est, dum virginitas fructus cêtesimi mater efficitur; quia vbi virginitatis decor emicat, ibi Martyrij gloria rutilat.

Aliter sic Pater distribuit status: *Sine centena fertilitas Martyrio potiùs imputetur, sexagena continentia, & tricena connubio.* Post 30.

Martyrium sine virginitate datur, non autem sine Martyrio vera virginitas. August.

paruum autem interstitium memorat Lucam solius fructus centesimi memoriam gerentem: *Alius Euangelista solum commemorauit fructum centuplum.* Quærit hinc, *Nunquid ideo putandus est alia duo vel improbasse, vel ignorasse; an non potiùs intelligenda reliquisse?* Quænam igitur virtus, aut status quinam, in vnico Lucæ fructu centesimo collocandus? Augustinus, *Virginitas.* Cur si collocauit Doctor in primo trium statuum gradu Martyrium, in vnico virginitatem collocat? Quia Martyrium sine virginitate datur; at non vera virginitas sine quodam Martyrio. Vnde vnico in gradu virginitatem statuens, Martyrium simul aspiciendum exposuit.

Ardentis olei in dolium Ioannes immittitur. At ignis ausus non est Martyrem facere, 31.

Non ausus ignis in hominem virginitatis Martyrem deseuire. Beda.

quem diuturna virginitas probauerat. Beda; *A Domitiano Cæsare in feruentis olei dolium missus; ex quo tamen, se diuinâ protegente gratia, tam intactus exierat, quam fuerat à corruptione concupiscentiæ carnalis extraneus.* Ac si diceret, Non ausus ignis in iam Martyrem à virginitate effectum insurgere; vulnere afficere vulneratum, mortem mortuo inferre.

Nec semel Martyr Ioannes; sed quotidie ex mortuo viuens, denuo horribiliter trucidabatur; sic potuit fari cum eo Apostolo; 32.

Per mortificationem & puritatis custodiam quotidie moriebatur. 1. Cor. 15.

Quotidie morior. 1. Corinthior. 15. Meamne vicem doleas, dum alij Martyres semel moriuntur, ego autem quotidie, capitali vulnere accepto, sæpè vocor ad exitium? Est quoddam Martyrij vulnus nisi accurata puritatis custodia, si non ex tentationibus molestis inflictum (Angelico Ioanni) planè ex continuâ mortificatione, quâ se semper agnouit & exercuit vt humanum? Tertullianus lib. de Resurrect. cap. 48. *Quotidie morior, vtique periculis carnis.* Id est, mortificationis exercitamentis, quæ ad vitanda carnis pericula, Ducum fortissimorum more, adhibeo.

Tertul.

Mox adiicit Apostolus, *Secundùm hominem ad bestias pugnaui.* Quid secundùm hominem, pugnare ad bestias? Lyranus, *Ad homines resurrectionem negantes, & per consequens* 33.

Datus homines bestiis, dum degit apud homines bestialiter viuentes. 1 Cor. 15. Lyran.

consequens bestialiter viuentes. Et quidem actis pugna contundebat castissimum Paulum, cū inter homines bestialiter viuentes habitabat? Datus equidem Ioannes bestijs, dum apud Ephesum tot à corruptæ puritatis confictæ Dianæ vltoribus sustinnit insultus, verum prædicans virginitatis decus.

34. Porrò coltorem fuisse Apostolorum puritatis, idem fuit ac Crucem continuæ mortificationis sustulisse, vbi quotidie suffixus obibat. Io cuius typum ad sepulchrum tendens, brachijs in Crucis speciem collectis, requieuit. Petrus Damian. serm. 2. *In sepultura in crucis modum iacere vo'uit, quia Crucem* (virgo in æuum permanens) *in suo corpore portauit. Et sicut Petrus Magistrum secutus est à persequutoribus crucifixus: ita quodammodo Ioannes in Ecclesiasticâ pace crucifixus est.* Beda illustrat cogitationem, fatus: *Descendens in defossa sepulturæ locum, facta oratione, appositus est ad fratres suos, tàm liber à dolore mortis, quàm à corruptione carnis inuenitur alienus.* Dolor enim non inuenit, vnde torqueret Euangelistam iam mortificationis, ob puritatis custodiam, vulneribus trucidatum. O mors, non est, cur in Ioannem audeas desæuire, qui iam mortuus, iam trucidatus à mortificatione continuâ, tendit ad sepulchrum; licet viuus ingredi videatur.

Crucem mortificationis continuæ custos puritatis portauit.
Damian.

Observatio V.

Ad illa verba:

Calicem quidem meum bibetis.

Videns Ioannes dilectissimum Iesum Cruci suffixum, illustri Martyrio consummatur.

Vbi adaata, veram dilectionem non esse, quæ ex amati vulneribus non sauciatur.

35. CALIEN potatur Euangelista ardentissimè diligens Magistrum, à quo ardentissimè diligebatur. Ad illa verba: *Vidit Discipulum, quem diligebat Iesus*, Augustinus ait: *Quem diligebat plus cæteris.* At qui diligentes se diligit, & plus cæteris Ioannem diligebat, à Ioanne plus cæteris amatus non absque fundamento aliquo videtur.

Augustin.

36. Plura dedi superiùs Ioannis ponderans dilectionem, relege, vt possis perpendere, quam horribili fuerit vulnere affectus, dum suffixum Dilectum aspectauit. *Vnus militum* (Ioannes ait) *lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.* Cap. 19 Vbi Toletus noster, *Præter narrationem communem, adhibet particulare testimonium ex visu: sensus est, Ego ipse vidi, & scio me non fuisse deceptum; sed vera narrare.* Cur præter communem narrationem particulare ex visu hîc adhibet testimonium? Nonne sic plura posset affirmare, quorum ipse testis extitit oculatus? Ita planè, sed speciarum de re præsenti peculiarem, ex visu, fert testificationem, quia videns Iesum morientem crudelissimo fuit vulnere affectus: *Vt vidi, vt sensi*: Vidi, & scio me non falli; testor meum cuspide pectus perforatum,

Ioannes lanceæ speciale testimonium ex visu, afferi quia specialissimè fuit sauciatus ex eadem.
Ioan
Tolet.

37. Et quidem Ioannes duplici fuit quodammodo spiritu donatus, ne (moriens necessariò, dum Magistrum mortuum videret) omnino à viuis eriperetur; sed quasi simul moreretur, & viueret. Duplicis spiritus Eliæ se hæredem constitui curauit Elisæus. Cui Magister, *Rem difficilem postulasti. Attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petijsti.* 4. Reg. 2. Ad passionem Dominicam transfert Strabus. *Si oculo fidei aperueris, & videris passionem*, duplici donaberis spiritu. Vidisti me è Cruce pendentem, nec continuò è vita recessisti? Duplici spiritu præditus es. Ioannes non solùm fidei oculis sed & corporis vidit, & mortuus est simul superstes. Profectò duplici quodammodo spiritu informatur, vt Ioannes moriens, viuat, vt possit oculatus testis diræ lanceæ vulnus testificari.

Duplici erat spiritu donatus, vt moreretur & viueret, videns Iesum mori.
4. Reg. 2.
Strab.

38. Moriturum iam puerum subter arborem Agar proiecit, *seditque è regione procul, dixit enim: Non videbo morientem puerum. Et sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit* Gen 21. Vbi quæritur, cur ab obiectu morientis filij abstinuit Agar? Belle respondet Interlinealis, *Vt non penitus occidantur.* An vterque à siti, tyranno horribili, vulneratus interiret? Certè puer à sitis æstu necaretur, amans autem Agar videns dilectum mori protinus interiret. Quid mirum Ioannem videntem Iesu obitum simul occubuisse?

Videns Agar puerum morientem mortua esset, & ideo videre non vult.
Gen. 21.
Interl.

39. Hinc colligo Abrahæ dirum admodum vulnus, qui cogitur filio morituro adesse, eumque illigare, ac vulnere afficere. Pondero solummodo præsentiam patris *ibi*, vbi filius erat moriturus. *Cùmque alligasset Isaac.* Gen. 22. Chrysologus serm. 10. *Abraham offerebat filium; imò se immolabat in filio. Patris erat ibi passio tota, vbi filius immolabatur.* τὸ *ibi*, & *vbi* preme. Quonam pater vulnere afficiebatur? Solus vulnerabatur Abraham *ibi, vbi* filius erat offerendus. Illud enim *ibi* adesse, erat parentis *passio tota*. Quid Ioannes Patrem dilectissimum suffixum aspiciens? *Ibi erat* Ioannis *passio tota*, *vbi* Christus verus Isaac immolabatur.

Abraham videns Isaac moriens, dicitur occidere.
Gen 22.
Chrysol.

40. Coram fortissimâ fœminâ septem olim filij crudelissimo suo interitu trucidati. *Nouissimè autem post filios, & mater consumpta est.* 2. Mach. 7. Quonam quæso, Martyrij genere mater extincta? Certè, qui specialissimè natorum tormenta descripsit, matris tacuit, solum modò asserens fuisse consumptam. Pulchrè planè. Nam vt illa dirè comminueretur, sufficiebat vidisse vulnera filiorum. Cyprianus Orat. de Machab. *Tam grande Martyrium Deo præbuit Mater virtute oculorum suorum, quam præbuerant filij omnes tormentis, & passione membrorum.* Et quidem cuiuslibet matris (Deiparam si demas) affectum vicit Ioannis in Iesum patrem, fratrem Dominum dilectio.

Machabæorum parens consumitur, videns filios occidi.
2 Mach. 7.
Cypria.

Paulus

41. Paulus ille fortissimus, qui cunctas corporis, ac animi afflictiones vocabat ad campum: *Quis nos separabit a charitate Christi? An angustia, an persequutio, an fames, &c.* videns dilectorum lacrymas, adeò sauciatur, vt clamet: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?* Act. 21. Lorinus legit, *Discerpentes cor meum.* Chrysostomus autem *perfringentes, conterentes.* Si videntis flentes fideles fratres cor discerpitur, perfringitur, conteritur: quid si discerpi, perfringi, conteri illos aspexisset? *Vehementer* (ait Doctor hom. 4. in Epist. ad Coloss.) *erant sancti aliorum malis condolentes. Nam Paulus ille adamantinus ignis contemptor, robustus, & immobilis, qui omnibus restitit, cùm videret quorumdam lacrymas ita perfringebatur, & conterebatur.* Quid si Dominum suffixum vidisset?

Videns Paulus fratres lachrymari, cordo fracto, moritur: quid si morientes crudeliter vidisset? Act. 12. Lorin. Chrysost.

42. Incluso Noë in Arcâ, cunctisque animantibus in ipsa receptis, Dominus Arcam *de foris* signauit. *Inclusit eum Dominus de foris.* Genes. 7. Quare? Respondet Lyranus, *Noë enim intra Arcam existens, non potuit ostium extrà bituminare, & ideo Dominus suppleuit quod homo non potuit.* Obiicio autem huic expositioni ex D. Thomâ, *Potuit fieri ostium talis dispositionis, quòd Noe intus existens, posset ipsum claudere, & bituminare.* Cur ergo hoc ministerium non fuit Noë iniunctum? Crediderim, ne pro libito fenestram aperiens, fratres videret pereuntes. Quid si aspectâsset? Annon amicorum (nisi speciali esset auxilio fultus) interitu vir sanctissimus cadere cogeretur? O Apostolum toties exitiali vulnere affectum, quoties morientem vidit Saluatorem! Edisce, veram non esse dilectionem, quæ ex amati vulneribus non sauciatur.

A foris recluditur Noe, ne videns dilectos affici exitio, quia eum vi nere oportebat. Genes 7. Lyran.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Calicem quidem meum bibetis.

Identitas cum Iesu Ioannem Martyrij gloriâ exornauit.

Vbi dilectionis vim expendo ad conuertendum amantem in dilectum.

43. MARTYRIO-ne fulgidus Iesus vitam terminauit? Quis abneget? Martyr igitur Ioannes, quem Iesum alterum, siue potius quodammodo eundem, intercedente charitate profitemur.

44. Bedam præmitto fatum: *Denique Ioanni moriturus Dominus in Cruce Matrem suam commendauit, vt Virginem virgo seruaret, & vt non deesset eius Genitrici Filius.* Quomodò non deest, non abest Filius, Ioanne Virgini filio designato? *Mulier, ecce filius tuus!* Quem perdis? quem acquiris? Edmundus Cantuar. in Spec. cap. 23. *Quantâ angustiâ erat repleta Maria, quando stetit ad dexteram Filij sui, & recepit Discipulum pro Magistro? Et quam habuit magnum dolorem, quando recepit seruum pro Domino, & filium peccatoris pro Filio Dei?* Profectò Dominus non vt dolorem Matris acueret; sed vt leuaret, Ioannem ei addixit in filium: *Vt non deesset eius Genitrici Filius.* Id est: vt absens Dominus, quasi minimè abesset; quia Ioannes non vt peccatoris filius, non vt Discipulus; sed quodammodo vt Dei Filius, ac Magister Dominus alter Iesus seu potiùs idem quodammodo Virgini traditur: *Ecce Filius tuus!* En tuus Iesus renascens in Ioanne! Petrus Damianus Parte 1. datus, serm. 2. ait: Vt hic suppleret, quod ad tempus ipse Dominus dispensatiuè suppresserat, *Sibimet vicarium dereliquit.* Non dixit. *Matri dereliquit vicarium*, sed *sibimet*. Quia Ioannes alter; imò idem Christus quodammodo exurgit, vt suppleat discedentis absentiam, in ipsum conuersus quodammodo Saluatorem. De quo suprà.

Non deest, sed abest Christus, viuente Ioanne. Beda. Edmund.

Ibi igitur Christi vox quasi vices exerit Patris, Matris Deipara, vt Benoni Ioannes filius Virgini adscriberetur. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua.* Cant. 8. Hebraicè, *Ibi cum dolore genuit te mater, ibi cum dolore peperit, quæ genuit te.* O Sponsus mihi sanguinum Iesus! cum dolore concipio, cum dolore Ioannem pario: *Quam habuit magnum dolorem* (ait Cantuar. Præsul) *quando recepit seruum pro Domino?* 45.

Cum dolore Ioannes paritur à Maria. Cant 8. Edmund.

Mulier, ecce filius tuus. Compone τὸ *Mulier* cum simili à Domino prolato vocabulo apud Chana nuptias: *Quid mihi, & tibi est mulier?* Illud autem: *Et ex illâ horâ accepit eam Discipulus in sua.* illi hærescat sententiæ: *Nondum venit hora mea.* Ioan 2. Quærunt Doctores cur Deiparentem mulierem appellarit? *Quid mihi, & tibi est mulier?* Et respondent, vt se Mariæ verum Filium esse ostenderet *natum vtique ex muliere*, vt asserit Paulus. E Cruce pendens eodem vocabulo vsus, vt cum Ioannem Virginis filium esse asserit, ex eadem quodammodo natum muliere ostendat. Vtrobique igitur Filius Matrem honorauit, eam mulierem appellans. Augustinus Tract. 119. in Ioan. *Facit, quod faciendum admonet, & exemplo suo suos instruxit Præceptor bonus, vt à filiis piis impendatur cura parentibus. Vnde Matri mulieri homo de qua natus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodo Iesum prouidebat. Mulier ecce filius tuus!* 46.

Christus & Ioannes ex eadem Muliere nati? Ioan. 2. Augustin.

Iam causa enubilatur; quare Ioannes Christi hæres, viuente Matre, constituitur. Arnoldus Carnot. *Ecce Ioannes pia hæreditatis suscipis testamentum, eligeris, & in hoc præponeris omnibus.* An non Mater reclamaret? Me, ô Iesu, Matrem tuam hæreditaris iure dona; imò solue ius hæreditatis. Mortuo filio, mater hæres relinquatur. Cur ergo, te obeunte, hæreditatem, non Mater accipio? O piissima Mater, (Iesus ait) tibi contingeret hæreditas, si Filius de medio omninò tolleret. Haud morior meo in Ioanne superstes. Ei ergò contingit hæreditas. Ideo Ioannes Mariam *accepit in suâ*, nempe hæreditate. 47.

Viuente Matre Ioannes hæres, ac si Iesus mortuus nō esset. Ioan 19. Arnol.

Post Resurrectionem Petro Dominus, *Se-* 48.

Christus & Ioannes complexi incedunt. *quere me.* Tunc *sequutus est & ille Discipulus, quem diligebat Iesus.* Ioann. 21. Solus vocatus Petrus, quare non vocatus sequitur Ioannes? Quia non poterat à Domino auelli alter; imò idem quodammodo Iesus, Deigenitricis Filius. Christus & Ioannes, complexi incedunt, nunquam non simul diuersantur. Id quod Beda venerabilis adnotauit, *Sequutus est & ille Discipulus; quem diligebat Iesus. Neque enim arcendum se a conspectu Domini putabat, qui se gratiâ dilectionis a Christo complexum nouerat* Iesus & Ioannes quasi fratres, complexi incedunt, haud possunt separari. Quid mirum Ioannes euntem Dominum sequatur ad Crucem, & qui Iesu conuiuit cum ipso moriatur? (Ioan. 21. Beda.)

49. *Post Mariam Ioannes praecipuus Martyr ex affectu.* Ad hæc, inde admodum Ioannis effertur elogium, quòd Deiparentis Martyrium imitatur. Affectu Deipara passa est, Ioannes trucidatur affectu. Post Matrem Ioannes candidior apparet, cunctos Martyres ex affectu facilè superans. *Lauerunt stolas suas* (Euangelista ait) *& dealbauerunt illas in sanguine Agni.* Apocalyp. 7. Quonammodo in rubro sanguine stolæ dealbantur, & non potiùs rubricatæ obiiciuntur? Sunt Martyres non solum effectu; sed etiam affectu; qui quidem lacteam stolam non proprio sanguine profuso tingunt; sed Agni sanguine ex compassione dealbant. Cur existimas Mariam Deiparam, Magdalenam, Salome, & Iacobi, Ioannémque Martyrio haud fuisse consummatos? Quia iuxta Crucem affectu trucidati fuere. Ioannes quidem post Deiparam vulnere diriori. Ildephonsus serm. de Assumpt. *Illi Martyrio coronati dealbauerunt stolas in sanguine. Maria candidior prædicatur.* Post Mariam autem Ioannes candidior effertur. (Apoc. 7. Ildephons.)

AD

AD DEIPARAM
DOMINAM MEAM
Epilogus.

SI duodecim, ô Domina, Apostolorum Lumina cælestia fulgurarunt, sapientiæ, ac sanctitatis radiis, à te sapientissima, ac sanctissima Magistra acceperunt. *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Apocal. 12. Vbi Bernardus serm. in hæc verba, *Iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ Sapientiæ vltrà quàm credi valeat, penetrauit abyssum.* Anselmus autem ad illud: Intrauit Iesus in quoddam castellum, *Christus, vt ait Apostolus, Dei virtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi: Christus autem Sol in Maria: ergo Dei virtus & Dei Sapientia, & omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ in Mariâ.* Stellæ igitur duodecim, id est, Apostoli caput Deiparæ circumeunt, vt virtutis, ac sapientiæ fulgores accipiant, queis valeant Orbem illuminare. Duodecim profectò stellas Dominus Ecclesiæ cælo addixit, sed Mariæ semper curauit hærescere, vt edifcerent & virtutis & sapientiæ Orbi dare fulgores. Fatur Isaias, *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Cap. 9. En stellas duodecim illuminando Orbi præparatas. D. Ildephonsus serm. de Assumpt. premens hoc testimonium, ait: *Deinde ipso Diuinitatis suæ lumine præeunte, ex diuersis huius vitæ conuersationibus, & officiis duodecim Apostolos vocauit, per quos humano generi salutis iter ostendit.* En lux orta terricolis. Mox pulchrè adiicit, *Quorum semper conuentui, nobili contubernio adhærebat sanctissima Virgo, cum illis semper habitabat, & cum Apostolis duodecim de humanis Christi actibus, vt veriùs ac specialiùs cognoscebat, veriùs ac specialiùs conferebat: vt ab eâ discerent, qualiter arcanum tanti mysterij & ipsi operarentur, & lucidiùs aliis enarrarent.* Preme proxima verba: *Lucidius enarrarent.* Liceat vulgariter exponere, *Enseñauales Maria a ser Estrellas.* Ab ipsâ quidem Apostolorum Principes Petrus & Paulus fidem, ac dicendi feruorem didicere. Barnabas columbæ synceritatem ac prudentiam serpentis ebibit; Matthias paruulus Domini ac simul excelsus esse ex te humili & excelsâ didicit. Marcum docuisti verè esse operarium. Philippus & Iacobus accepere tuâ ex virtute constantiam; Iacobus maior ex te velocissimâ ad peccatores subleuandos æmulatus est cursûs agilitatem, miraculorum gloriam. Bartholomæi fortitudo tuam sapit iuxta Crucem fortitudinem; Matthæi circa diuitias contemptus tuam refert paupertatem. Lucas te penicillo lino expressit, sed perfectiùs

ctiùs operibus expoſuit. Simon & Iudas tuæ patientiæ victricis extiterunt imitatores. Andream erga Crucem dilectiſſimam amores edocuiſti. Thomam in fide confirmâſti. Ac Ioannem tuum aſſiduum comitem, tui perfectum æmulatorem reddidiſti, eius exacuens oculos vt Solis iuſtitiæ ſpecialiſſimo frueretur intuitu. O Deiparæ ineffabile ſtellis datum Magiſterium! *Vt ab eâ diſcerent, qualiter arcanum tanti myſterij & ipſi operarentur, & luculentius aliis enarrarent.*

LAVS DEO, VIRGINI, IOSEPHO, IGNATIO, ANTONIO.

INDEX.

INDEX
AD SS. CONCIONES DE APOSTOLIS.

Petrus, & Paulus.

FATVR Deiparens, *Vox dilecti mei pulsantis, Aperi mihi soror mea.* Cant. 5. Ad quæ opportunè Guillielmus Paruus, *Expleto iam opere Redemptionis, & assumpto in Patris dexteram Filio, erat pia Mater cum sodalibus eius Petro, Paulo post conuersionem, & reliquis Apostolis intrans, & exiens, verbisque salubribus informabat credentes. Et licet Petrus, & alij Apostoli, docente vnctione sancti Spiritus, omnia fidei mysteria plenissimè didicissent, delectabat tamen eos cognita per Spiritum sanctum audire ex ore Mariæ. Et cum differebat de mysterio Incarnationis, cuius ministra extiterat singularis, tacebat Petrus, Paulus, & omnes, & os cordis sui aperiebant quasi ad imbrem serotinum, & velut quasdam cælestes delicias ex verbis eius hauriebant. Ipsa vero illis hoc arcanum insinuans, vox, inquit, dilecti mei pulsantis facta est ad me, quando impleto tempore dispositionis suæ placuit incarnare ex me, misso Archangelo proclamante, Aue gratia plena.*

CONCIO I.

D. DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

1. Petrus & Paulus non vulgum, sed ipsum Deum commendatorem habuere. *Beatus es Simon Bariona*, &c. Laudatur Christus ab hominibus. *Alij Ioannem*, &c. Petrus autem (& Paulus in ipso) Christum habent commendatorem. *Ostende Prælatos debere cognoscere, quidnam de ipsis vulgus sentiat, aut loquatur: Discipulísque eis cuncta manifestare.* lib. 1. sect. 1. n. 16. p. 6.

2. *Alij Ioannem Baptistam.* Sunt ne Petrus, & Paulus Ioanne Baptista inferiores? *Assere interea, præstandam Præsuli obedientiam, non quia doctior, ac sanctior subdito est; sed quia à Deo præficitur.* n. 23. p. 7.

3. *Alij autem Eliam.* Petrus & Paulus zelo Eliæ succensi non in hominum ruinam, sed in conuersionem. *Adnota, agilitatem, efficaciam circa negotia gerenda in Euangelij ministris commendabilem.* n. 27. p. 8.

CONCIO II.

De DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

1. Ieremiæ protectoris in morem Petrus, & Paulus clauis, gladiíque gestatores aduersùs inferorum portas exsurgunt pugnaturi. Dominus portas inferi asserit superandas. *Et portæ inferi non præualebunt. Adnota, pœnitentiæ claues arma aduersùs inferorum portas suggerere.* lib. 1. sect. 1. n. 32. p. 9.

2. *Beatus es Simon Bariona.* Petrus & Paulus euecti quodammodo ad Deitatis fastigium ostentantur. *Age de sacerdotum Deitate.* lib. 1. sect. 2. n. 16. p. 11.

3. *Beatus es Simon.* Petrus & Paulus in valle lacrymarum fuere quodammodo donati beatitudine. *Innue, iustum simul in exilio & in Patria degere.* n. 22. p. 12.

CONCIO III.

De DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

Dum beatus Petrus à Domino asseritur, Cassia adnotante, Paulus collaudatus ostenditur ob Principum Apostolorum identitatem. *Beatus Simon?* Paulus beatus.

1. Petrus & Paulus duo pares ad Ecclesiæ culturam iuuenci. *Adnota, Euangelij ministros ad laborem criminum recordatione excitari.* lib. 1. sect. 2. n. 28. p. 13.

2. Petrus & Paulus duo magna luminaria cæli, seu duo æqualia Ecclesiæ lumina. *Age de Euangelij ministrorum concordia.* n. 34. p. 14.

3. Ex magnalium similitudine aliorum Petri & Pauli confirmetur identitas. *Innue, eleemosynam, vitalem, sanctorúmque labores beatos existere.* n. 34. p. 14.

CONCIO

CONCIO IV.

De DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO V.

De DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO VI.

De DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO VII.

De DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO VIII.

De DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO IX.

De DD. Petro, & Paulo.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

2 Petrus

CONCIO I.

De D. Petro.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO II.

De D. Petro.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO III.

De D. Petro.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO IV.

De D. Petro.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO V.

De D. Petro.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO VI.

De D. Petro.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO VII.

De D. Petro.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO VIII.

De D. Petro.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16.

CONCIO I.

De D. Paulo.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 10.

CONCIO II.

De D. Paulo.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 10.

CONCIO III.

De D. Paulo.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 10.

CONCIO IV.

De D. Paulo.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 10.

CONCIO

CONCIO V.

De D. Paulo.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 10.

CONCIO VI.

De D. Paulo.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 10.

CONCIO VII.

De D. Paulo.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 10.

CONCIO I.

De D. Pauli Conuersione.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.

CONCIO II.

De D. Pauli Conuersione.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.

CONCIO III.

De D. Pauli Conuersione.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.

CONCIO IV.

De D. Pauli Conuersione.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.

CONCIO

CONCIO VI.

De Dedicatione Basilicæ Petri, & Pauli.

Ingressus Iesus, perambulabat Iericho. Luc. 19.

CONCIO VII.

De Dedicatione Basilicæ Petri. & Pauli.

Ingressus Iesus; perambulabat Iericho. Luc. 19.

Barnabas.

TAm illustris inter Discipulos Barnabas, vt inter Apostolos annumerari ab Ecclesia dignus fuerit adiudicatus. Vndenam Barnabas tam eximius extitit operator ex Deiparensis contubernio? Ait D. Ildephonsus. serm. de Assumpt. *Ipse Diuinitatis suæ lumine prænuate, Dominus ex diuersis hue sua vita conuersationibus, & officiis Discipulos vocauit, per quos humano generi salutis iter ostendit. Quorum semper conuentui, ac nobili contubernio adhærebat sanctissima Virgo, cum illis semper habitabat.* Didicere à Virgine Barnabas, reliquique Discipuli, quonam modo orbi salutares exponerentur.

CONCIO I.

De D. Barnaba.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 16.

CONCIO II.

De D. Barnaba.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 16.

CONCIO III.

De D. Barnaba.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 16.

CONCIO IV.

De D. Barnaba.

Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Matth. 16.

1. Serpentis ſapientiam, columbæ ſynceritatemq́; , virtutes equidem velut pugnantes Barnabas complexus eſt. Dominus Apoſtolorum celſitudinem velut exaggerat, dum ſimul & ſerpentis, & columbæ æmulatores exſurgunt. *Sicut ſerpentes, & ſicut columbe. Innue, vna in ſede plerumque non morari aquè intellectum, & voluntatem : ſcientiam, & amorem.* lib. 1. ſect 9. n. 47. p. 87.

2. *Sicut columba.* Barnabas pauperum procurator. *Ideo celebratione colitur, & benedictionibus oppleri à cunctis iubetur.* n. 59. p. 88.

3. Ex eleemoſyna Barnabam maximè commendabilem oſtenta. n. 54. p. 87.

CONCIO V.

De D. Barnaba.

Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Matth. 16.

1. *In teſtimonium illis, & gentibus.* Vt datus Barnabas à Domino Iudæis in teſtimonium? *Innue*, Dei iudicium horribile beneficia ſequi. lib. 1. ſect. 10. n. 1. p. 89.

2. *Et gentibus.* Vt Barnabas gentilibus in teſtimonium datus? *Ardentem Chriſti erga gentilitatem dilectionem recolo, in Eccleſia ex gentibus commendationem.* n. 7. p. 90.

3. *Sed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Chriſtus in Barnaba locutus eſt. *Innue, Deum à nobis voluntatem exigere : ipſumque effectus authorem oſtentari.* n. 12. p. 91.

CONCIO VI.

De D. Barnaba.

Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Matth. 16.

1. *In teſtimonium illis, & gentibus.* Barnabas inſtar Pauli, Ieſu nominis baiulus, hominibus ſalutaris illuxit. *Nomen enim hoc dulciſſimum gloria ſalutis comitatur.* lib. 1. ſect. 10. n. 17. p. 91.

2. *Sicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbe.* Commendabilis in Barnaba ſerpentis prudentia, amor columbæ ex munificentia in pauperes. *Aſſere, commendabile, illuſtroque Euangelij miniſtris eſſe pauperibus, fidelium ſubſidia procurare.* lib. 1. ſect 9. n. 52 p. 87.

Matthias.

EX mente Ildephonſi exiſtimo Apoſtolorum conuerſionem Deiparæ interceſſionis effectum extitiſſe. Cum Apoſtolis (ait) *Petro, Paulo, Andrea. Matthias ſuit Mariæ ab ipſorum conuerſionis initio.* ſerm. de Aſſumpt. Imò & antè conuerſionem, vt precibus a Domino conſequeretur, eos Apoſtolico cœtui adſcribi. O Matthiæ ſortem à Maria fuiſſe aſpectatum! Quis dubitet Matthiæ electionem deberi Mariæ?

CONCIO I.

De D. Matthia.

Reſpondens Ieſus, dixit. Confiteor tibi, Pater. Matth. 11.

1. *Confiteor tibi, Pater.* Orationis ductam Apoſtoli Dei voluntatem agnouerunt circa Matthiæ electionem. *Emicat planè orationis efficacia, ad diuinæ voluntatis manifeſtationem.* lib. 2. ſect. 1. n. 12. p. 107.

2. *Et reuelaſti ea paruulis.* Pro diabolo Iuda è Collegij Apoſtolici cælo deturbato, Matthias ad ipſum aſſurgit. *Oſtende, nulla nos apud terricolas commorantes ſecuritate frui.* n. 17. p. 108.

3. *Et cui voluerit Filius reuelare.* Aptè Matthias teſtis Reſurrectionis eligitur, qui nunquam (probabiliter) circa hunc articulum dubitauit. *Innue, Concionatorem, Præſulem, Dominum immunem eſſe debere à vitiis, quæ damnat.* n. 21. pag. 108.

CONCIO II.

De D. Matthia.

Reſpondens Ieſus, dixit : Confiteor tibi, Pater. Matth. 11.

1. *Confiteor.* Reddit Chriſtus Patri gratias pro electione Matthiæ, in quo cuncta dona continentur. *Age de gratiarum actione neceſſaria beneficiorum pediſequa.* lib. 2. ſect. 1. n. 26. p. 109.

2. *Et reuelaſti ea paruulis.* Matthias gratiam à Deo acceptam, dum eligitur in Apoſtolorum ſpecialem filium, ſimili reditu compenſat *Gratus enim animus ſimili obſequio curat beneficium acceptum rependere.* n. 31. p. 110.

3. *Confiteor tibi, Pater.* Matthias pro virtutibus, ac priuilegiis, proque accepta Euangelica paupertate, gratias Deo reddit. *Innue, paupertatem magnum à Deo beneficium, ſi excitat gratiarum actionem.* n. 37. p. 111.

CONCIO III.

De D. Matthia.

Reſpondens Ieſus, dixit : Confiteor tibi, Pater. Matth. 11.

1. *Et reuelaſti ea paruulis.* Matthias Paruulus Domini, ac ſimul excelſus. *Quia auguſtior celſitudo profundiorem paruitatem, ſeu humilitatem ſequitur.* lib. 2. ſect. 1. n. 46. p. 112.

2. *Et reuelaſti ea paruulis.* Matthiæ laudes à Luca non recenſentur; quia elogium auguſtum fuit, cum Iuſto laudato proponi. *Moneas, haud*

de

CONCIO IV.

De D. Matthia.

Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi, Pater. Matth. 11.

CONCIO V.

De D. Matthia.

Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi, Pater. Matth. 11.

CONCIO VI.

De D. Matthia.

Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi, Pater. Matth. 11.

PHILIPPVS ET IACOBVS.

PHILIPPVS & Iacobus cæli quidem sunt *enarrantes Dei gloriam* (vt Antonino placet) *specialissimè*. Existimo huiusmodi specialem gloriæ Dei enarrationem à Deipara didicisse. Fatur Ildephonsus serm. de Assumpt. *Dei Genitrix cum Apostolis de humanis Christi actibus, vt specialius cognoscebat, specialiter conferebat: vt ab ea discerent, qualiter arcana tanti mysterij & ipsi crederent & inciderint, ac specialius alijs (cæli ipsi) enarrarent: & cum opportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent.*

CONCIO I.

De DD. Philippo, & Iacobo.

Non turbetur cor vestrum. Ioan. 14.

CONCIO II.

De DD. Philippo, & Iacobo.

Non turbetur cor vestrum. Ioan. 14.

CONCIO III.

De DD. Philippo, & Iacobo.

Non turbetur cor vestrum. Ioan. 14.

CONCIO IV.

De DD. Philippo, & Iacobo.

Non turbetur cor vestrum. Ioan.14.

CONCIO I.

De D. Philippo.

Non turbetur cor vestrum. Ioan. 14.

CONCIO II.

De D. Philippo.

Non turbetur cor vestrum. Ioan.14.

CONCIO III.

De D. Philippo.

Non turbetur cor vestrum. Ioan.14.

CONCIO I.

De D. Iacobo Min.

Non turbetur cor vestrum. Ioan.14.

CONCIO

CONCIO II.

De D. Iacobo Min.

Non turbetur cor vestrum. Ioan.14.

1. *Mansiones multæ sunt.* Præcelsam Militantis ac triumphantis Iacobi mansionem describe. *Ostendens interea beatam Regionem etiam pœnitentes excipere: nullius que merita adeò inaccessibilia, vt alius ea imitari non valeat.* lib.4. sect.5. n.9. p.173.

2. Præcelsa triumphantis Iacobi sedes. n.10. p.173.

3. Militanti Iacobo augusta sedes præparata. cap.2. p.174.

CONCIO III.

De D. Iacobo Min.

Non turbetur cor vestrum. Ioan.14.

1. *Quò ego vado scitis, & viam scitis.* Iacobus descedentem Dominum nunquam è mente dimittit, nobisque iudicem aduenturum proponit. *Vt iudicij memoria homines virtuti adhærescant.* lib 4. sect.5. n.24 p.176.

2. *Iterum veniam.* Iacobus Domini Resurrectionem ieiunus expectabat. *Innue. Domini recessus vtiles admodum ad animi profectum.* n.29. p.176.

3. *Ego sum via.* Claudicans Iacob iustè per Iesum viam petrexit ad Patriam. *Innue, labores viam ad superna.* Obiect.7. p 177.

CONCIO IV.

De D. Iacobo Min.

Non turbetur cor vestrum. Ioan.14.

1. *Ego sum via, veritas, & vita.* An, & quomodo ex morte quasi triplicata Iacobi, ista verificentur, nempe Dominum Diuis esse vitam? *Innuatur, cunctis fidelibus calicis passionis Dominum particulas reliquisse.* lib.4 sect.5. n.37. p.177.

2. *Pater autem in me manens, ipse facit opera* Genua Iacobi in oratione persistentis, cameli instar, obdurata commendentur. O Patris cælestis opus! *Duplicem orationis conditionem expende: petere in nomine Iesu, & perseueranter postulare.* n.41. p.178.

3. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Iacobus Domini frater Patrem orans eundem, omnia impetrat. *Adnota, debere & Dominus fratrem Dei filium ostendere, vt orationi studeas.* n.45. pag.179.

Iacobus Maior.

IACOBVS Maior, Patribus attestantibus apud Cæsaraugustam non semel à Deiparente *filius* est appellatus. O quam appositè castissimus, humillimus, munificentissimus Virginis filius vocitatur Apostolus! Fatur sapiens, *Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt.* Prou.31. Iacobo prædicanti Hispanis gloriam Deiparæ congruit apprimè testimonium. Porrò Apostolus meritò Deiparæ filius asseritur. Richard Laur. lib 2. *Surrexit filius eius, id est, imitator eius maximè in tribus, castitate, humilitate, largitate. Filius enim eius es, cuius opera facis. Petrus Raben. Qui genitoris non facit opera, negat genus. Filij ergo Mariæ imitatores eius, quod est currere in odorem vnguentorum eius.* Annon Iacobus circuens Hispaniam cursu velocissimo in odorem benignitatis Mariæ cucurrit? Quonam modo posset tam breui temporis interstitio totam Hispaniam Domino addicere, nisi salus nostra ab Apostolo Mariæ in pennis collocaretur? Fatur enim D. Anselmus lib. de excel. Virg. cap.6. *Velocior est nonnunquam salus inuocato nomine Mariæ, quam inuocato nomine Iesu.* De quo alibi.

CONCIO I.

De D. Iacobo.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth.20.

1. *Mater.* Scilicet Salóme. Salome pacificus veraciter, Iacobum pacificum enixa est. *Adnote, filios probos vix haberi, qui a probis parentibus non oriuntur.* lib.5. sect.1. n.16. p 184.

2. *Mater.* Iacobus verè pacis filius, pacis pretiosissimo munere donauit Hispaniam. *Ostende, pacem caleste munus à Domino hominibus impensum* n.21. p. 85

3. *Mater.* Iacobus diuinum quid halauit, dum Hispaniæ pacandæ operam pugnax impendit. *Assere, commendabilia bella illa esse, quæ mente pacifice ex pacis quidem amore instituuntur.* n.26. p.186.

CONCIO II.

De D. Iacobo.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth. 20.

1. *Mater filiorum Zebedæi. Nescitis, quid petatis.* Iacobus nec ex cognatione, neque ex affectione, aut speciali familiaritate Principatum accepit. *Edoceantur electores, neminem ex sanguine, aut amicitia alijs præficere.* lib.5. sect.1. n.32. p.187.

2. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei.* Iacobus, oratione præmissa, Regnum sibi statui curauit, presagiens, precibus suis Imperium Hispanicum esse protegendum. *Assero, orationem stabiliendis Regnis parere victorias.* n.41. p.188.

3. *Dic, vt sedeant.* Iacobus ipsam, quam appetebat, Regiam sedem, parui momenti, & æstimationis haud dignam esse ostendit. *Adnota, mundialia Regna omnino inania.* num. 46. pag.189.

CONCIO

CONCIO III.

De D. Iacobo Maiore.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth.20.

1. Ecclesia Iacobi sedem ambientis imperfectionem proponens, amplius eius sanctitudinem commendat. *Assere, Imperatorium munus seruile esse, & laboribus obnoxium.* lib.5. sect.1. n.51. p.189. Ideo Dominus postulantibus primas sedes, calicem passionis indicit.

2. *Nescitis, quid petatis.* Postulans Iacobus sedere in mundi Principatu, nescit, quid petat. *Sæcularibus enim Principibus aguata ruina.* lib.5. sect.2. n.13 p.191.

3. *Nescitis, quid petitis.* Efflagitans sedem stabilem Regni terreni, nescit, quid postulet. *Quin sedes Regia minimè potest stabiliri.* n.18. pag.193.

CONCIO IV.

De D. Iacobo Maiore.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth.20.

1. *Dic vt sedeant.* Animi affectu potentissimo Iacobus sese Imperij pro Christo administrandi laboribus subeundis obtulit. *Adnota, temporarium Imperium, & Præsulatum crucem esse, ad quam sustinendam, amor Dei necessarius,* lib.5. sect.2. n.25. p.194.

2. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ideo Iacobus ad calicis participationem inuitatus à Domino; quia specialissimè dilectus. *Labores enim ingentiores Dei amicissimis præparantur.* n.29. p.195.

3. *Sedere autem, non est meum dare vobis.* Christus Rex Hispanicæ fidei, ac Imperio consulens, non dat Iacobo sedere; vt continuò stans Protector ostendatur. *Innue, bellum aduersus fidei impugnatores esse maximè commendabile.* lib.5. sect.3. n.11. p.197.

CONCIO V.

De D. Iacobo Maiore.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth 20.

1. Iacobo non locus dexteræ, aut læuæ: sed ipse quodammodo Christi Thronus est, nempe vt Iesu alteri. Ideo Dominus, *Nescitis, quid petatis*; quia si potestis bibere calicem, quem bibiturus sum, & mei existere æmulatores, meo Throno addicemini. *Iusti gloria cumulatur, qui possit verè Iesus alter appellari.* lib 5. sect.3. n.15. p.198.

2. *Sedere autem, non est meum dare vobis.* Quam ex Peregrinis Iacobus illustris. *Hinc peregrinationum piarum institutiones commendentur.* n.22. p.199.

3. *Non est meum dare.* Non datus, sed redditus Iacobo ob egregia merita Principatus. *Ostende, Ecclesiæ Præsulatus merita sequi debere.* n.28 p 200.

CONCIO VI.

De D. Iacobo Maiore.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth 20.

1. *Dic vt sedeant, &c.* Ad dexteram sedit Iacobus, primam sedem occupans, dum Apostolorum primus Martyr occubuit. *Inde cuiusuis virtutis Magistros maximè commendabiles ostenta.* lib.5. sect.3. n.36. p 202.

2. *Non est meum dare vobis.* Parum quodammodo, vt sedeat ad dexteram Iacobus. Præclarissima Apostoli miracula augustissimum mutuant nitorem, dum ex tenebris, præconij affectuntur ad lucem. *En thronus verax.* lib.5. sect 6, n.7. p.215.

3. *Sedere, non est meum dare vobis.* Sedem ambitis? Ipse Iacobus est Dei sedes. Est enim Cælum Empyreum, Angelos, inanis terræ fortitudo, spiritus Domini fœcundans aquas, ac orbis lux. *Vndenam ergo ad sedendum aptitudo?* cap.3. p.216.

CONCIO VII.

De D. Iacobo Maiore.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi Matth.20.

1. *Dic, vt sedeant, &c.* Consecutus fuit Iacobus non sedere in Ecclesia, sed esse melius Ecclesiæ firmamentum; quia vnionem quidem, & pacem, non diuisionem gessit. Ideo à Domino improbatur diuersarum sedium ad dexteram, aut sinistram distributio. *Vnicum tabernaculum pacificis præparatur.* lib 5. sect.6. n.18. p.218.

2. *Non est meum dare vobis.* Cognatis, sed meritorum gloria fulgentibus. Iacobus essentia quinta, Firmamentum, seu Virtus Dei, Vitalis cælorum, constitutio, ignis refrigerium, atque vitalis existit. cap.3. p.218.

3. *Sed quibus paratum est à Patre meo.* Præparata Iacobo sedes Magisterij Hispania ex Magisterio ac patrocinio Apostoli, fidei, ac sanctitatis germina protulit, quæ perpetuo sua poterit appellare. Augustissima planè Hispaniæ gloria, quod nunquam sua desinant esse, quæ semel cœperunt. n.33. p 221.

CONCIO VIII.

De D. Iacobo Maiore.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth.20.

1. *Sed quibus paratum est à Patre meo.* Præparata Iacobo sedes Patronatus, & Protectionis. Iacobus à carcere temporali liberat, & æterno: quasi Deus pelagi in lapidibus mirabilis, cunctis ægritudinibus salutifera germina præparat

CONCIO II.

De D. Bartholomæo.

Exiit Iesus in montem orare. Luc. 6.

CONCIO III.

De D. Bartholomæo.

Exiit Jesus in montem orare. Luc. 6.

CONCIO IV.

De D. Bartholomæo.

Exiit Iesus in montem orare. Luc. 6.

Simon, & Iudas.

CVm Apostoli, quos binos Dominus immisit, toto orbe cælestem doctrinam profudere, dum Christi gloriam proferunt, simul Mariæ laudes annunciant. *Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.* Psalm. 95. Vbi Richardus Laurent. lib. 2. de Laud.Mar. *Tam de Matre, quā de Filio potest intelligi illud, quod Deus dicit Apostolis* Simoni, & Iudæ, ac aliis: *Annunciate inter gentes prærogatiuas Christi, & Mariæ. Item de ipsa decantatur, sicut de Filio, Cantate ei, quia magnifice fecit; annunciate hoc in uniuersa terra. Isa.12. Item Psalm. 136. si non proposuero te Ierusalem, id est, ô Maria, adhæreat lingua mea faucibus meis, id est, mutus fiam à laude Dei.* Quia adeò Dei, ac Mariæ laudes illigantur, ut quodammodo sit impossibile Dei laudes proferre, & non simul Mariæ elogia prædicare.

CONCIO I.

De DD. Simone, & Iuda.

Hæc mando vobis. Ioan. 15.

CONCIO

Andreas.

IN Andrea elogium illud est à Patribus celebratum, quod gregem Apostolorum Dux sectarius præierit primus quidem Discipulus. Porrò Agna Maria & huius extitit ductrix, dum intercessione sua cunctos attulit ad Collegium. *Abi post vestigia gregum.* Cant. 1. Ad quæ Guilhelmus. *B. Virgo gregis Apostolici prait vestigia, quando sacris exemplis, & intercessione eos prouocat ad imitationem sui, & Fily sui sequelam;* (verùm enim sectarius gregem adduxit ad Pastorem) *Subsequitur, quando pius tuetur auxiliis. Ideo necesse est, vt Christianus Apostolico gregi addictus, vt Patrona gregis Maria non solum ante faciem nostram per exempli ducatum gradiatur; sed & à tergo eos contra spiritualia nequitia brachio aoa carneo tueatur.*

CONCIO I.

De D. Andrea.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilea. Matth. 4.

CONCIO II.

De D. Andrea.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilea. Matth. 4.

CONCIO III.

De D. Andrea.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilea. Matth. 4.

CONCIO IV.

De D. Andrea.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilea. Matth. 4.

CONCIO V.

De D. Andrea.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilea. Matth. 4.

CONCIO VI.

De D. Andrea.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilæ. Matth. 4.

Thomas.

Iudæa pergens Thomas Indos fidei lumine compleuit verus Sol. An non ex Mariæ patrocinio tam salutaris Gentilibus extitit Apostolus? *Veni* (ait Deiparens) *Dilecte mi, in agrum, commoremur in villulis.* Cant. 7. Appositè Gulhelmus, *Sancti Apostoli efficio in vigilabant prædicationis, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed & ipsa pia Mater vberrimis meritis Apostolicum laborem iuuabat, & primitias è Circumcisione per eos acquisitas Filio iugiter commendabat. Vbi ergo Iudas in verbi salubris ministros apertè sæuire cœperunt, pia Mater conuersa ad Filium, Veni,* inquit, *Dilecte mi, egrediamur cum Thoma, & Paule in agrum. Parum est, te esse in Iudæa notum, & in Israel magnum esse nomen tuum. Vt ergo vsque in Idumæam extendas calceamentum tuum, & salues populos Gentium, veni egrediamur in agrum, commoremur in villulis. Non sine me egredieris, aut sine me alicubi commoraberis; quia ego semper tecum, & præ omnibus te sequor, ô Agne, quocumque ieris.*

CONCIO I.

De D. Thoma.

Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didimus. Ioan. 20.

CONCIO II.

De D. Thoma.

Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didimus. Ioan. 20.

CONCIO III.

De D. Thoma.

Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didimus. Ioan 20.

CONCIO IV.

De D. Thoma.

Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didimus. Ioan 20.

CONCIO V.

De D. Thoma.

Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didimus. Ioan. 20.

Indos plus prædicatione operum, quam voce persuadebat. *Illos hinc Concionatores, ac Magistros commenda, qui operum prædicatione vtuntur.* lib 11. sect. 2. n. 42 p. 357.

2. *Et noli esse incredulus, sed fidelis.* Ineffabili mansuetudine Christus Thomam reprehendens, adducit: edocens, eum Indus mansuetudine admirabili carpere delinquentes. *Moneantur Præsules, mansuetudinem reprehensionis errantes allicere efficacius.* n. 50 p. 358.

EVANGELISTÆ MATTHÆVS.

DVm Euangelistarum gloria expenditur, simul Mariæ laudes proferuntur; quia speciali iure inter Euangelistas adscribenda ab Ildephonso asseritur serm. de Assumpt. *Hinc, quæso, fratres mei, audite Matrem Prophetissimam Dei, Prophetissam dico, imò, vt ita dicam Euangelistam.* Cur Deiparens Euangelista fuerit appellata, nisi quia (vt asserit Richardus Laurent.) quatuor Euangelistis eximius oculatus testis, *dictauit Euangelium?* Dum ergo Euangelistarum elogia exprimuntur Euangelistæ Mariæ magnalia prædicantur.

CONCIO I.

De D. Matthæo.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.

1. *Vidit Iesus hominem.* Matthæus verè homo à Domino visus spiritualem hominis exponens essentiam. *Adnota, illum hominem esse, qui ratione vtitur, qui virtutibus emicat.* lib. 7. sect. 1. n. 17. p. 257.

2. *Sedentem.* Qui sedebat Doctor rapinarum, Matthæus, sedet Doctor virtutis misericordiæ. *Exempli vim efficacissimum esse Magisterium, speciatim circa opera misericordiæ, assere.* n. 24. pag. 258.

3. *In telonio.* Matthæus auaris diuitibus salutis ingerit spem. *Adnota, quam difficilis sit, præcipuè diuitum auarorum, salus; dum actu peccatis addicuntur.* n. 28. p. 259.

CONCIO II.

De D. Matthæo.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.

1. Inter Christi miracula computo, Matthæum laqueis auaritiæ illigatum diuitias omnino reliquisse. *Tam illigatos, tam mancipia detinet homines seruitus auaritia.* lib. 7. sect. 1. numer. 37. Ideo Patres, dum illud adnotant. *Et surgens, secutus est eum,* affirmant, diuina potentia diuitem à diuitiis fuisse abstractum.

2. *Vidit hominem.* Ioannis Aquila, Lucæ Vitulus, Marci Leo, Matthæi Homini cedunt primatum. *Vide aduentionis cuiuslibet ad Dei cultum, aut proximorum salutem conferentis, institutio commendanda.* n. 41. p. 261.

CONCIO III.

De D. Matthæo.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.

1. *Matthæum nomine.* Matthæus donum festinationis à Deo accipiens, nos edocet pœnitentiæ promptitudinem. *Adnota, cælestem vocem festinantior executioni esse tradendam.* lib. 7. sect. 1. numer. 51. pag. 263. Quam festinanter Dominum secutus est, qui relictis diuitiis vix vocatur, cum auolat ad Magistrum! *Et surgens, secutus est eum.*

2. *Surgens.* Nisi diuitias relinqueret opprimentes, non posset surgere Matthæus. Ergo ex relictis diuitiis expeditus Dominum sequitur. *Innue diuitiarum ex auaritia grauedinem, non impedientem sequi Saluatorem.* n. 57. p. 263.

CONCIO IV.

De D. Matthæo.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth 9.

1. *Surgens.* Matthæus diuitias pauperibus reliquit totas, ineffabile acquirens sibi gloriæ pondus. *Eleemosyna lucra commenda, innuens præcelsa bona præparata iis, qui, abdicatis diuitiis, ineunt Religionis institutum.* lib. 7 sect. 1. numer. 62 pag. 264. Conuiuium Matthæi Domino, Apostolisque pauperibus cibandis appositum celebra.

2. *Vidit hominem.* Matthæus Homo alatus, Angelum Hominem ex virginitatis affectu aptius appellarim. *Hic commendentur virginum Christi Sponsarum defensores, contra stultos tanto sacrilegio maculatos.* n 67 p 265.

3. *Vidit hominem.* Matthæus Matrimonium commendans, commendabiliorem asseruit virginitatem. *Obiicias virgines, seu cælestis status libertatem, Nuptiarum vinculis.* numer. 73. pag. 266.

CONCIO V.

De D. Matthæo.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.

1. *Et factum est, discumbente eo in domo.* Proculdubio Matthæi. Porrò Matthæus gratitudinis ergo instituens conuiuium Saluatori qui

eum vocauerat, se ex altera vita hominem iam esse ostentauit. *Homines enim mundi huiusce haud assolent se pro acceptis beneficiis gratos exhibere.* lib.7.sect 2.n.12.p.266.

2. *Discumbente eo in domo.* Spiritualis conuiuij à Matthæo appositi Domino apparatum describe. *Ostendens, vnicum virtutis, aut vitij actum posse ex intentione, ac circumstantiis multum increscere.* num. 22. p. 267. Vberem materiam expono.

CONCIO VI.

De D. Matthæo.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.

1. *Et factum est, discumbente eo.* Matthæo paranti conuiuium nouelli affectus præstantissimi, nouellæ præstantissimæ gratiæ Christus epulum apposuit. *Adnota, nihil hominem Dei obsequio libare, quod non miris incrementis auctum recipiat. Hæc vis eleemosynæ.* lib.7.sect.2.num.34. pag. 268.

2. *Discumbente eo.* Conuiuij à Matthæo ex sanctitudinis præstantia Domino totius vitæ decursu appositi gloriam expende. *Vnde humilitatis, ac gratitudinis diuinitatem innue, ostendens, etiam iustum, ac sanctum semper affectui pœnitudinis debere operam expendere.* n.41. p 273.

CONCIO VII.

De D. Matthæo.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.

1. *Et surgens.* Matthæus pœnitentium in Euangelio Dux, & Pater exsurgit. *Adnota, quam debitor sit, proximos ædificare publico virtutis stadio, qui publicè delinquens, traxit alios ad ruinam.* lib.7.sect.2.n.52.p.275.

2. *Secutus est eum.* Tam perfectè Matthæus sese à diuitiis expediit, vt sine periculo posset, ad domum, conuiuium paraturus, reuerti, & immitti. *Adnota potentissimam diuitiarum vim, ad homines illaqueandos (præcipuè resumptarum post fugam seculi.)* n.5 . p 276.

Marcus.

EVANGELISTIS Mariæ conspectus specialissimã impendit exultationem, quia Iesu causa, quæ ab Euangelistis scribitur, cum Mariæ respectu necessariò est colligata. Vnde Ildephonsus serm.de Assump. *Euangelista Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes tripudiant videntes Mariam; quia cum in carne Deum venisse: & de Virgine natum vera fide scriptis suis pronunciant consequenter.* Scribit Marcus Christi magnalia, tripudiet necessum est, dum contemplatur Virginem Matrem Saluatoris. O. Euangelistarum tripudium!

CONCIO I.

De D. Marco.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

1. Marcus à Domino electus Prædicator fuit in magnam Ecclesiæ vtilitatem. *Quia Euangelij minister vtilis tam immittitur; maxime, cum muneri se, ipse ingerit.* lib.3 sect 1. n.12.p.127. Ideo Dominus *designauit*, quos Ecclesiæ futuros immisit.

2. *Misit.* Missus fortissimus Marcus orbem Christo acquirere plures victorias reportauit, quia, palmæ instar, forti Apostolicæ doctrinæ hæsit. *Assere, imbellem Concionatorem, qui fabellis, aut Poetarum vanitis frequenter vtitur, licet ad sensum spiritualem trahat.* n.17 p.128.

3. *Misit illos binos.* Marcus Petri socius charissimus. Vnde eius prædicatio efficax commendatur. *Concordia enim Prædicatorum auditoribus obiecta, dat verbis efficaciam.* n.22. p.129.

CONCIO II.

De D. Marco.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

1. *Misit illos binos.* In vno Marco omnes Euangelistæ immittuntur. Vnus enim Marcus omnes simul Euangelistæ. *Inde Scriptur. sacra vnam Deum, vnum Christum insonans, commendetur.* lib.3. sect.1. n.26.p 129.

2. *Misit illos binos.* Marcus ad Euangelij prædicationem immissus, Christum socium suarum actionum testem sortitus est. *Adnota, probis viris, ac fœminis testes operum adsciscendos. Contra Regulares sine socio cursitantes.* numer. 31. pag. 130.

3. *Misit illos binos.* Si non esset Petrus, si deficeret, si obiret diem suum: sufficeret ne Marcus, ad iniuncti muneris perfectionem? *Assero, nullum tam necessarium ministrum, cuius defectus non suppleri à Deo possit.* numer. 36. pag. 131.

CONCIO III.

De D. Marco.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

1. *Misit illos binos ante faciem suam.* Petrus, & Marcus sub vno iugo terram proscindentes, non duo, sed vnus operator. *Veram illam expone charitatem, quæ è duobus vnum scit constituere.* lib.3.sect.2.n.41 p.132.

2. *Vt mittat operarios.* Marcus verbo, & calamo operator egregius. Marci quidem ex Euangelij scriptione elogia recense. *Colligens, vtilium scriptorum auctores commendabiles.* n 48. pag. 133.

CONCIO IV.

De D. Marco.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

1. *Operarij autem pauci.* Vnus Marcus operator multæ sufficit messi, toti Ægypto præficitur. *Non enim operariorum multiplicatio sæpè, sed laboris intentio segetum exponit abundantiam.* lib 3. sect. 2. n. 8. p. 124.

2. *Vt mittat operarios.* Marcus operarios magis ad messem mittitur, quam ad sementem gerendam. Quia qui concionaturi ad oppida mittuntur, plerumque, Deo fauente, omnia reperiunt facilia, omnia eis impedimenta cedont. n. 13. p 135.

3. *Vt mittat operarios in messem suam.* Pluribus Deus muneribus donauit Ægyptum, vnum immittens Marcum operatorem. *Assere præstans Dei beneficium, Præsule nos operario donari.* n. 18. pag. 136.

CONCIO V.

De D. Marco.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

1. *Vt mittat operarios.* Marcus operibus magis quam verbis pro semine vsus: *Edocens Euangelij ministros, profusis virtutibus, prædicare.* lib. 3. sect. 2. n. 22 p. 136.

2. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Marcus ad prædicandum immissus, inter ipsa mundialium illecebrarum venena securus. *Pondera, quam securus degit inter peccatores, qui Missionum incumbit ministerio.* sect. 3. num. 17. pag. 140.

3. *Ego mitto vos.* Nunquam sistens Marcus à verbi sacri euulgatione. *Edocentur Concionatores, à descriptionibus inutilibus abstinere.* n. 37. pag. 145.

CONCIO VI.

De D. Marco.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

Sicut agnos inter lupos. Marcus inter lupos à Domino immissus. lib. 3. sect. 3. n. 22. p. 140.

1. Marci in costodiendu grege vigilantia. n. 23. p. 141.

2. Marcus Agnus à lupo absumendos immissus in luporum agmine etiam dilaceratus non timuit. n. 28. p. 141.

3. Marcus socium sese dans hostibus Ecclesiæ lupis, eos vertit in agnos. n. 31. p. 142.

4. Licet Marcus ex Discipulorum agnorum cœtu; attamen dignissimus, qui inter Apostolos oues adnumeretur. n. 35. p. 142. *Assere interea, idem periculum agno pastorique imminere: Missis operariis oblatam esse à Domino securitatem: societatis bona vi improbos fieri iustos. Ex gradnque submissiori posse te cum Magistri Proceribus addici.*

CONCIO VII.

De D. Marco.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

1. *Primum dicite.* Verbo Marcus veluti gladio vulnerans, eodem se veluti scuto protegebat. *Contra Concionatores mordaces.* lib. 3. sect. 3. n. 41. pag. 145.

2. *Pax huic domui.* Marcus pacem euulgans Euangelij, alter veluti Christus. *Concionator enim pacificus, vbique beneficus, Dominum æmulatur.* n. 44. p 145.

3. *Requiescet super illum pax vestra.* Marcus munificentissimus redditur eorum, quæ ab hospitibus recipiebat. *Emolumenta recense eis obuenientia, qui Concionatoribus, ac Confessariis subsidia necessaria impendunt.* n. 48. p. 144.

Lucas.

LVCAS à Virgine specialissimam mysteriorum vitæ Dominicæ cognitionem accepit, fante Ildephonso serm. de Assumpt. *Cum Euangelistis, (præcipuè cum Luca) de humanis Christi actibus vt verius ac specialius cognoscebat, verius, ac specialius conferebat. vt ab ea discerent qualiter arcanum santi mysterij & ipsi crederent, & cum opportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent.* Ergo Deipotens Lucæ Magistra specialissima fauebat, vt Discipuli elogia præferantur.

CONCIO I.

De D. Luca.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

1. *Misit illos in omnem Ciuitatem, & locum.* Lucas Sol vitæ radiis prædicans orbem illustrat. *Commendentur illi Concionatores; qui non tam verbis, quam operibus profantur.* lib. 8. sect. 1. n. 1. p. 279.

2. *Misit illos.* Lucas Angelus Gentium Custos à Domino immittitur, Angelica planè puritate nitens. *Virginitatem Angelos referentem hinc commenda.* n. 7. p. 280.

3. *Misit illos binos.* Lucas Concionator illustris charitatis igne in proximum auditurum æstuabat. *Euangelicum ministrum esse, qui circa peccatorum conuersionem accenditur necessaria dilectione.* n. 13. p. 280.

CONCIO

Ioannes.

Ioannes Discipulus ille, *quem diligebat Iesus* ob singulares virtutes, quibus decorabatur: curauit Saluatori specialissimam repẽdere dilectionem, specialissimo Deiparæ obsequio impendens studium. Ait D Ildephonsus serm. de Assumpt. *Quid post Ascensionem Maria egerit, quam sanctè, & iustè vixerit, Soli Deo cognitum esse videtur, Ioanni etiam dilecto Domini Discipulo, qui ab ipsa Cruce eam suscepit in sua sollicitudine, & cura: videlicet vt virgo Virgini deseruiret, & Domini nostri rependeret dilectionis obsequium, qui eum præ cæteris sua dilectione fecerat dignum.* Quam præstans Ioannis in Virginem obsequium, si specialissimam Iesu in se dilectionem rependere curabat Apostolus? Ergo gratissima Deiparens præconia Ioannis sui dum euulgantur, specialissima protectione fauebit.

 Iesus

CONCIO II.

De D. Ioanne.

Dixit Iesus Petro: sequere me. Ioan. 21.

CONCIO III.

De D. Ioanne.

Dixit Iesus Petro: sequere me. Ioan. 21.

CONCIO IV.

De D. Ioanne.

Dixit Iesus Petro: sequere me. Ioan. 21.

CONCIO V.

De D. Ioanne.

Dixit Iesus Petro: sequere me. Ioan. 21.

CONCIO VI.

De D. Ioanne.

Dixit Iesus Petro: sequere me. Ioan. 21.

CONCIO I.

De D. Ioanne ante Portam Latinam.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth. 20.

CONCIO

AD CONCIONES Veſpertinas.

HISTORIA De operibus ſex dierum.

MVNDI conditionis Hiſtoriam lib. 5. ſect. 6. D. Iacobi Miraculis accommodaui, quam quidem ad auditorum plauſum, morumque compoſitionem aptam admodum cenſeo Apud Cõpoſtellam ex ſuggeſtu magna ciuitatis cõmotione dixi. At ex affectu ad Apoſtolum non ſolũ Hiſpania,& Gallia ſed totus terrarum orbis eſt Compoſtella. Attamen ſi Hiſtoriam libeat communioribus aptare theſibus ad correctionem morum, ſic ſex dierum opera digero, illud adnotans cum Rabennu Hacados lib. qui *Reuelator arcanor.* inſcribitur. *Amore Matris Meſſiæ, & ipſius Meſſiæ Filij eius creauit Deus mundum; ob quod arcanum dictum eſt Ierem.33. Niſi pactum meum (ſupple, eſſet) diem, ac noctem, leges cæli, & terræ non poſuiſſem.*

CONCIO I.

De primo Die.

In principio creauit Deus cælum & terram. Dixitque Deus, Fiat lux. Geneſ 1.

Salue. Lucis natalitium Mariam illuminatricem noſtram illico præſignauit. *Dixitque Deus, Fiat lux.* Richardus Laurent. lib. 4. de Laud. Virg. *Ab initio creationis mundi creata ſum, id eſt, præfigurata creari per creationem lucis, de qua factum eſt corpus ſolis. B. Virgo dedit lucem mundo, reſpectu prioris temporis, non tamen vt Sol, id eſt, Chriſtus, qui ex ea natus eſt. Dicitur Gen.1. Fiat lux, & Eſth.8. Iudæis noua lux oriri viſa eſt.*

Histor. *In principio*, ſeu primordio non æternitatis, aut æui: ſed temporis, creauit ex nihilo Deus cælum Empyteum, quod Paulus vocat tertium cælum: & globum terræ cum aquarum mole terræ infuſa, & ſuperfuſa, ſeſeque porrigente vſque ad cælum Empyreum. Porrò terra erat vacua hominibus, animantibus, plantis. At tenebræ non lucis priuatio, (nam lux poſtea creata) ſed luminis defectus obſcuritas, caligo aderat ſuper faciem abyſſi, ad cuius fundum haud poteſt penetrari. Abyſſum planè totam illam molem terræ, & aquæ vocito. Verum Spiritus Dei ſeu Spiritus ſanctus incubabat aquis vitali infuſo calore eis prolificam vim impendens. *Dixitque Deus, fiat lux*, id eſt, corpus lucidum, quod in tenebris illis fulgeret, Sulem puta informem adhuc, & imperfectum. Vidit Deus lucem quod eſſet bona, pulchra, iucunda, vtilis. Diuiſit Deus lucem à tenebris, loco quidem, quia dum apud nos eſt lux, apud Antipodas eſt nox, & tenebræ; tempore autem, quia ſibi ſuccedunt. *Appellauitque lucem, Diem, & tenebras, Noctem.* Id eſt, ſanciuit, vt Adamus hæc rebus conuenientia nomina imponeret. *Factumque eſt veſpere & manè dies vnus.* Circa meridiem hæc lux creata: exinde ſuo motu veſperam fecit, noctem, & manè ſequens, die prima efformata.

Fiat lux, quam Adamus *Præſulem vniverſi* Clauſ. 1. *vocitauit.* Informis exoritur, incrementis poſtea magnis obiicitur: ſemper autem Præſul vniuerſi. Præſtanda Præſuli obedientia non quia lucidior, doctior, ſanctior; ſed quia à Deo præficitur. lib.1.ſect.1. n.23.p.7.

2. *Fiat lux.* Diſcipulis Euangelij miniſtris Dominus, *Vos eſtis lux mundi.* Eorum commendat agilitatem ad orbem illuſtrandum. Agilitas enim, ac efficacia circa negotia gerenda in Euangelij miniſtris commendabilis. n.27.p.8.

3. *Veſpere & manè.* Mane ſequitur veſperam? Non extollatur lux tenebrarum memor. Euangelij miniſtri, cunctique fideles ad laborem impenſum criminum recordatione excitantur. lib.1. ſect.2. n.28.p.9.

4. *Et diuiſit lucem à tenebris.* Lux tota ſimul ſine

CONCIO II.

De secundo Die.

Fiat Firmamentum. Genes. 1.

Salut. Quid Firmamentum? Ex Isidoro, *Firmamentum quasi firmum, vel quia est cursu syderum, & ratis legibus fixisque firmatum.* O Deiparam Ecclesiæ Firmamentum! Richard. Laurent. lib. 7. *Maria Firmamentum dicitur, quoad se, & quoad nos. Quo ad se, quia sic firmata est in omni virtute, & gratia, quod nullo modo peccare potuit, nec venialiter. Vnde dicit, & sic in Sion firmata sum. Quo ad nos, quia suos firmat in bono, gratiæ, & virtutes; & propter hoc vocatur Firmamentum cæli, id est, Ecclesiæ. Vnde Genes. 1. Fiat Firmamentum.*

Histor. *Fiat*, inquit Deus, *Firmamentum*, seu expansio, & extensio: ea maximè, quæ extensione ipsa corpus fluidum firmet solidetque. Porrò Firmamentum complectitur cælum stellarum, omnesque orbes cælestes illi vicinos tam inferiores, quam superiores vsque ad Empyreum. Complectitur etiam aërem vicinum à cælo in terram expansum, & suo loco quasi firmatum. *Diuidat* Firmamentum *aquas ab aquis*, aquas veras, & naturales, quæ sunt proximè sub cælo Empyreo, ab istis aquis inferioribus. Meritò autem Dominus cæli nomen tribuit Firmamento, quia huius Firmamenti maior, & melior pars sunt cæli. *Et factum est vespere & manè dies secundus.*

CONCIO III.

De tertio Die.

Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum. Genes. 1.

Richard Laurent. lib 8. de Laud. Virg. Sic ad Deiparam tertij Diei opificium transfert: *Dixit autem Deus, Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida. Istud impletum est in Maria, omnes enim aquæ, id est, gratiæ, quæ sub cælo sunt, hoc est, sub Deo, congregatæ fuerunt in locum vnum, id est, in animam beatæ Virginis, quando dicta est Gratia plena. Et nihilominus ipsa apparuit arida, dicens Angelo: Ecce ancilla: id est, inter virtutes humillima sicut inter aquas arida; eius enim humilitas verè erat vorago virtutum; de hac arida dicitur Ps. 94. Aridam, id est, Mariam fundauerunt manus eius, id est, Christi; manus eius, id est, dona gratiarum in profundo humilitatis.* Salut.

Congregentur (Deus profatur) aquæ, quæ sub cælo sunt, & appareat arida, siue terra. Dicitur autem arida, quia quæ prius limosa, & aquis cooperta, nunc fuit ad congruam perducta siccitatem. Vocauitque aridam Terram, à terendo. Congregationesque aquarum, seu multarum aquarum conceptacula vocauit Maria. *Germinet* (adijcit Conditor) *terra herbam virentem*, seu materiam suppeditet germinationi. Nam terra duntaxat passiuè hac vice, Deus solus actiuè, & efficienter germina produxit. Omne ergo exponitur genus herbarum, & plantarum; virens quidem non coloris tantum significandi causa, sed vigoris etiam, & succi. Ligna pomifera, seu arbores fructiferæ præsentantur, quod sibi simile gignendi vim habeãt per semen, quod habent in semetipso, puta in fructu, vel folio, vel radice, vel ramis. Profectò illo ipso, quod Deus iussit, momento, terra omnes plantarum species, easque adultas, & cum fructu maturè produxit. Histor.

CONCIO

CONCIO IV.

De quarto Die.

Fiant luminaria in firmamento cæli.
Genes. 1.

Solut. Bernardus. *Tolle Mariam quid restat nisi tenebra:* Audiendus Richardus Laurent. lib. 7. *Viso, quomodo Maria cælum est, & Firmamentum; videndum est de luminaribus huius Firmamenti; de quibus dicitur Genes. 1. Fiant luminaria in firmamento cæli. Maria Sol. Vnde dicitur. Cant. 6. Pulchra vt Luna, electa vt Sol. Item Eccli. 26. Sicut Sol oriens in mundo in altissimis Dei: sic mulieris bona species in ornamentum domus eius. Sol luminare est par sibi non habens, & toti mundo copiosè sufficiens: sic Virgo nec similem primam visa est, &c. Item quia fulgore miraculorum fulget in orbe terrarum & fulgebit vsque ad diem iudicij. Vnde dicit Eccli. 24. Et vsque ad futurum seculum non desinam.* Plura Doctor.

Histor. *Fiant* (adiicit Conditor) *luminaria in Firmamento, & diuidant diem, ac noctem.* Sermo est de artificiali die, & hae rudi minerua proponuntur, quasi Luna noctem adducat, sicut Sol diem: cum Sol vtriusque causa sit, diei quidem præsentia sua, noctis verò absentia ab hemisphærio nostro. *Sint in signa, & tempora* non vana iudiciariorum, sed naturalia prognostica pluuiæ, serenitatis, gelu, ventorum. In signa serendi, plantandi, metendi, nauigandi, &c. In signa temporum, dierum scilicet, mensium, annorum, qui Solis cursu describuntur. *Fecitque Deus* duo luminaria magna. Luna minor est omnibus Astris, excepto Mercurio, vocatur tamen luminare magnum, quia nobis propter vicinitatem maior syderibus videtur; & quia maiore vi, & efficacitate pollet, quam stellæ. Præsunt diei, ac nocti lucis principatu; nihil enim Sole inter diu, nihil noctu Luna splendidius:

Clauf. 1. *Fiant luminaria.* Præsunt luminaria diei, ac nocti? Proh Præsulum Ecclesiæ documenta! Describe Præsulatus sacri lucem, castimoniam, patientiam, velocitatem. lib. 1. sect. 8. n. 59. p. 74.

2. *Fiant luminaria.* Sol quidem à Domino exponitur dilectionis erga inimicos exemplum *Oritur enim super bonos, & malos.* Hinc in Solem Dei Filium conuertendus es. Dilectio inimicorum nos efficit quasi soles iustitiæ, Dei nempe filios. lib. 1. sect. 8. n. 71. p. 76.

3. *Sol est in signa, & tempora, & dies, & annos.* Omnibus quidem quasi omnia effectus. *Vos estis lux* seu Sol *mundi.* Quare? Quia omnibus velut Paolus omnia fit, qui veræ dilectionis igne succenditur. lib. 1. sect. 8 n. 83. p. 77.

4. *Vt præesset diei, &c.* De luminaribus hisce asseruit Vates, Cæli enarrant gloriam Dei, & operà manuum suarum annunciat Firmamentum. Quomodo annonciat? An canendo? *Qui dat carmina in nocte?* Certè & loquendo, & operando, lumen enim, & influxum cuncta cæli luminaria exponunt. Porrò qui lucet non efficiens, siue docet non faciens, Doctor & non Doctor ostenditur. lib. 1. sect. 9 p. 80.

5. *Vt sint in signa.* Inter sydera Draco lucidus annumeratur. Certè lucet, & influit, hominumque, ac brutorum causam agit. Quis Draconem ad animantium beneficia adduxit? An non Astrorum benignorum societas? Assero beneficio societatis bonæ vel Draconem diabolum conuerti. n. 11. p. 81.

CONCIO V.

De quinto Die.

Producant aquæ reptile animæ viuentis.
Genes. 1.

Hodie Mare ornatur piscium familia, alitum natalitio. An homines sicut pisces maris, exleges? Mariæ pelagus continet peccatores, & in alites conuersos emittit ad superos. Richardus Laurent. lib. 1. de Laud. Virg. *Dicitur Deut. 33. Inundationes maris quasi lac sugent, scilicet pisces familia Mariæ. Pro primo enim alueus huius maris, Mariæ sanctitas est; & si tantum ad sanctos respiceret, in suo alueo clauderentur; sed superuenit in ea Spiritus sanctus, vt eam faceret inundare ad pisces peccatores. Inundat, cum ipsa sine peccato, nihilominus tamen peccatoribus piscibus condescendit, & tanquam suos lacte pascit,* vt conuertat in volucres.

Producant (pergit Conditor) *aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram.* Nam tã pisces, qui reptilis nomine significantur, quam aues ex aquis creatæ exponuntur. Vocantur autem pisces reptilia, quia carent pedibus, & in morem repentis, ventre incumbunt aquis. *Creauitque Deus cete grandia,* nempe Dracones, & omnia ingentia animalia tam terrestria, quam aquatica, cuiusmodi sunt balenæ, quasi aquatici planè Dracones. *Et omnem animam viuentem, atque motabilem.* Vôcat Moses animam viuentem quoduis animal, quod natura, seu ab intrinseco præditum est vi se mouendi. *Quam produxerant aquæ* iuxta species suas. *Benedixitque eis.* Dei benedicere, est benefacere. Benefecit autem Deus piscibus, & auibus, cum eis dedit appetitum, & potentiam generandi sibi simile. *Crescite,* numero scilicet, non corporea mole; *multiplicamini, & replete aquas maris.* Planè piscium summa est copia. *Auesque multiplicentur super terram.* Quia volucres in terra nidificant, prolificant, & somnum capiont. Histor.

1. *Reptile.* Patres asserunt pisces peccatoris exlegis imaginem præferre. Periander dolet piscium peccatorum securitatem. *Piscibus cur retia formidabilia non sunt?* Hinc peccatoris pœnitudinem differentis damna securitatem. lib. 1. sect. 9. n. 15. p. 82. Clauf.

2. *Producant aquæ reptile.* Dracones commorantur in aquis? Syrenes pelago recluduntur? Quid è dracone, aut Syrene nisi mortis exitium? Profectò luxurici ignis exitij temporarij, & æterni memoria extinguendus. lib. 1. sect. 9. num. 25. pag. 83.

3. Ministri Euangelici expiscationi piscium mundi pelago commorantium studium impendant. Vitæ retibus homines expiscandi. Ille egregius Concionator, qui sanctitate obiecta allicit auditores potius quam sermone profuso. Sic Deus benedixit piscibus, cum eis benefacit. lib. 10. sect. 2. n. 27. p. 336.

4. Egregij hominum piscatoris retia contemplare. Ostendens Euangelico ministro necessa-
tium

ximum esse contemplationis orationisque continuum exercitamentum n 22.p 336.

5. Volucres e mari productæ obiiciuntur quædam adeo vndarum addictæ periculis, ita cunabulis affectæ, vt capiendis piscibus d ferium impendaut studium. O quam aptus piscator, qui piscis aliquando capiendus exponitur. Piscatores piscium Dominus hominum piscatores elegit. Ministeria a Præsulibus sunt hominum ingeniis aptanda lib. 10.sect 1. n.62.p.332.

CONCIO VI.

De sexta Die.

Producat terra animam viuentem.
Genes. 1.

Saint. Dum Adami, & Euæ recolo conditionem, non possum non vulgarem illam Bernardi sup. *Missus* sententiam transcribere. *Lætare, Pater Adam, sed magis, ò tu Eua Mater exulta: qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; & quod infælicius est, prius peremptores, quam parentes. Ambo consolamini super filia, & tali filia. Sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cuius opprobrium transiit in omnes mulieres. Instat namque tempus, vt iam tollatur opprobrium, nec habeat vir, quid causetur aduersus fœminam: Mulier quam dedisti mihi dedit mihi de ligno, & comedi. Propterea curre, Eua, ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat.* Pluta Doctor.

Histor. *Producat* (denique Conditor) *terra animam viuentem, iumenta, & reptilia, & bestias terra.* Iumenta sunt animalia domestica, & mansueta: reptilia dicuntur, quæcumque non sunt gressilia; sed repentia, vel saltitantia: bestiæ terræ omnia reliqua animantia, præsertim quæ fera sunt. *Faciamus.* Mysterium Trinitatis indicatur. *Hominem*, id est, *Adam*, quod non est proprium vni homini, sed toti speciei commune. *Ad imaginem, & similitudinem nostram.* Exprimat homo Deum non ratione corporis, sed intellectus, & voluntatis. Ideo hæc imago vere spiritualis est, eaque duplex. Vna naturalis, supernaturalis altera. *Vt præsit*, seu vti est in Hebræo *præsint*. Nec enim fœmina seruiendi muneri mácipatur. *Masculum, & fœminam creauit eos*, non simul, sed successiuè. *Crescite, & multiplicamini.* Benedictio est plane, non præceptum singulis hominibus datum de prole procreanda. Vt puritatis cōsilium efferendum prædicetur. Subiicite terram habitationi vestræ siue domitis, aut pulsis feris idoneam facite. *Ecce dedi vobis omnem herbam.* Homines vsque ad diluuium herbis, fructibusque contenti, carnibus, ac vino abstinuere, non peculiari aliquo mandato prohibente; sed nonnulla religione inde nata, quod Deus vsum carnium, & vini nondum disertè concessisset, vt postea carnis concessit.

1. *Ecce dedi vobis omnem herbam.* Ipsi vero vltrò à carnibus ac vino, aliqua (vt innui) religione abstinuere. Quam iustè! Quia gratiarum actio necessario est beneficij pedisequa. lib. 2. sect. 1. n. 36. p. 109. Claus.

2. Beneficium potestatis comedendi de cunctis, ab Adamo ac Eua rependitur ipsa à cibis expositis abstinentia. Gratus enim animus simili obsequio curat beneficium acceptum rependere. n. 31 p. 110.

3. *Faciamus hominem* Nobilissimum animans vili excitatur à puluere. Quia augustior celsitudo profundiorem humilitatem sequitur. n. 46. p. 112.

4. *Faciamus hominem.* Trinitatis mysterium obiicitur ad stabiliendam immortalem rationalium vitā. Vel sola enim Trinitatis myster'j reuelatio vitā valet stabilire lib. 2 sect 2. n. 32 p. 119.

4. Ecosta Præsulis Eua subdita exoritur. O quanto incommodo quis præficitur. Profectò imperatorium munus seruile est, & laboribus obnoxium. lib. 5. sect. 1. n. 51. p. 189.

INDEX

INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM,
Quæ in hoc IV. volumine continentur.

B

Barnabas I.

Ouis, Serpens, & Columba.

Barnabas II.

Eiusdem prædicatio.

Bartholomæus I.

Oratio c. ctioni præmissa.

Bartholomæus II.

Apostolorum electio.

Iudicium.

Iudicium

Iustus.

L

Labor.

Lex Euangelica.

Locutio.

Lucas I.

Discipulorum immißio.

Lucas II.

Operariorum paucitas.

Lucas III.

Euangelicum ministerium.

Luxuria.

M

Magister.

Mansio,

Petrus & Paulus II.

Opinio de Christo Apostolica.

Petrus & Paulus III.

Claues Regni.

Petrus speciatim IV.

Petri Confessio.

Petrus V.

Apostoli Cathedra.

Petrus VI.

Ipsius errares inaurati.

R

Regimen.

S

Sacerdos.

Trinitas.

FINIS.